Universidad de Deusto
Biblioteca

15/16"

321.01(492)"15/16"
Al 8 j

Universidad de Deusto
Biblioteca

176078

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est. 37
Plút. 6

JOHAN. ALTHUSII,
U. J. D.

POLITICA

Methodicè digesta atque exemplis sacris & profanis illustrata;

32367
32.1.01(492)"15/16"
AL 8

Cui in fine adjuncta est

ORATIO PANEGYRICA,

De necessitate, utilitate & antiquitate scholarum.

Editio tertia, duabus prioribus multo auctior.

LA ENSEÑANZA CATOLICA

Herbornæ Nassoviorum. 1614.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad

ILLUSTRES FRISIÆ inter Flevum & Lavicam ORDINES,

Dominos suos plurimùm colendos.

CUM intelligerem, Illustres Ordines, priorem meam sciagraphiam politicâ multis probari, & exemplaribus prioribus distractis, aliam editionem parari: operæ pretium me facturum esse existimavi, si eandem recognoscerem, & ad incudem revocarem. Quod cùm à me succisivis horis, quantum inter occupationes Reip. licuit, factum esset: animadverti, secundas meas meditationes opus politicum novum, à priori sciagraphiâ formâ, methodo, & rerum multitudine di-

versum peperisse. Quo in opere, ad suas sedes, omnibus merè theologicis, juridicis, & philosophicis rejectis, selegi illa tantùm, quæ huic scientiæ & disciplinæ essentialia, & homogenea mihi esse videbantur. Atq; inter alia etiam præcepta Decalogi, & jura majestatis, de quibus apud alios politicos altum silentium, suis in locis adsperſi. Decalogi præcepta, quatenus nimirum illa consociationi & vitæ symbioticæ, quam tradimus, spiritum vitalem infundunt, facem præferunt & vitæ sociali huic, quam quærimus, viam, regulam, cynosuram atque sepem societati humanæ constituunt & præscribunt. Hæc si quis politicæ ademerit, ipsammet tollit, imò omnem symbiosin atq; socialem vitam inter homines tollit. Quid enim vita humana sine pietate primæ, & sine justitia secundæ tabulæ? Quid Respubl. sine communione & communicatione utilium & necessariorum ad vitam humanam? In quibus charitas per varia bona opera est efficax. Majestatis capita qui politicæ adimit, universalem consociationem tollit. Quod enim hæc aliud habet vinculum, quàm hoc unicum? Ex hisce illa constituitur & hisce conservatur, quibus sublatis,

tis, corpus illud ex symbioticis variis consociationibus constans, dissolvitur, & id quod erat, esse desinit. Nam quid rector & princeps, administrator & gubernator Reip. sine potestate necessaria, usu, & exercitio majestatis? Nec tamen hoc modo quæ theologiæ, vel jurisprudentiæ sunt propria, adimo. Politicus de facto, & capitibus majestatis agit. De jure, quod ex his oritur, jurisconsultus disserit. Ille factū explicat, hic jus & meritum facti. Nam sicut jurisconsultus informationem, instructionem & notitiam de rebus ex artibus illis sumit, quarum res illæ sunt propriæ, jus verò, vel meritum facti ex propria scientia: sic etiam quarundam rerum notitiam ex politica sumere eundem, mirum non est. Quatenus ergo res & materia majestatis ac Decalogi, est theologica, ethica, vel juridica, atque formæ & fini artium illarum convenit, eatenus artes illæ in suum usum ex Decalogo, & majestatis jure quæ delibant, sibi propria vindicant. Atque eatenus & ego materiam Decalogi & majestatis, tanquam à politica alienam, & heterogeneam, non attingo. Propriam verò politicæ vindico, quatenus spiritum vitæ symbioticæ inspirat, eam in format, & cō-

servat, quo modo illi est essentialis & homogenea, & in aliis artibus heterogenea. Sic itaque reipsâ sum expertus, quòd politicus ibi desinat, ubi incipit jurisconsultus, sicut ubi desinit ethicus, ibi incipit theologus, & ubi physicus, ibi medicus. In praxi verò omnes artes conjunctas, nemo negat. Exempla politicæ ex politiis laudatis & probatis, ex historiis vitæ humanæ, rebúsq; gestis sumpsi meritò, in ea arte, quæ vitæ illius politicæ probæ dux & symbiosis omnis informatrix atque imago vitæ socialis bonæ esse debet. Sacrarum literarum exemplis frequentissimis utor, quòd illa vel Deum autorem, vel pios viros habent, & quòd nullam ab initio mundi politiam sapientiùs & perfectiùs Judæorum politiâ, constitutam existimem. A qua quoties in similibus factis & circumstantiis discedimus, errare nos arbitror. Jura præterea majestatis, quæ vocant, non summo magistratui, sed Reip. vel consociationi universali attribui. Plerique jurisconsulti & politici hæc soli principi & summo magistratui propria adscribunt, adeò ut, si illa tribuantur & communicentur populo, vel Reip. eo ipso pereant, & amplius non sint. Contrarium ego cum paucis aliis statuo, adeò nimirum

nimirum hæc corpori symbiotico consociationis universalis propria esse, ut huic spiritum, animam, & cor attribuant, quibus sublatis, corpus illud, quod dixi, etiam pereat. Administratorem, procuratorem, gubernatorem jurium majestatis, principem agnosco. Proprietarium verò & usufructuarium majestatis, nullũ alium, quàm populũ universum, in corpus unum symbioticum ex pluribus minoribus consociationibus consociatum. Quæ majestatis jura adeò, meo judicio, illi consociationi propria sunt, ut etiamsi illa se his velit abdicare, eaq; in alium transferre, & alienare, nequaquam tamen id possit, non minus quàm vitam suam, qua quis fruitur, alii cõmunicare potest. Nam hæc jura majestatis, consociationem universalem constituunt, & conservant. Atque ut à populo, seu membris Reipublicæ vel regni inceperunt, sic non nisi in illis consistere possunt, & ab illis conservari. Horum quoque administratio, quæ mortali homini unico, nimirum principi, vel summo magistratui à populo est concessa, illo mortuo, vel exauthorato, ad populum, qui ob generationes, perpetuò sibi succedentes, immortalis dicitur, revertitur, & alii ab eo-

dem demandatur, atque ita per mille, vel plures annos quousque universitas durat, apud eandem manet. De qua re latè ago c.9.c.18.c.19 c.24.c.38. Ad quod ipsum demonstrandum etiam vestrum & reliquarum confœderatarum provinciarum exemplum laudabile producere possum. Neque enim, bello contrà Hispaniæ regem potentissimum suscepto, judicastis majestatis jura ita illi inseparabiliter cohærere, ut extra illum non sint, sed potius eorum usum, & exercitium iis abutenti adimendo, & quod vestrum erat repetendo, jura hæc ad consociatam multitudinem, & populum singularum provinciarum pertinere declarastis. Quod tantâ animi fortitudine, sapientia, fide, & constantia factum, ut quos populos huic vestro exemplo conferam, non inveniam. Atque hoc me inter alias causas movit, ut vobis hasce meas politicas meditationes inscriberem. Movit me etiam, quòd in his sæpissime pro illustrandis præceptis politicis, exempla quoque à vobis, ab urbibus, constitutionibus, moribus, rebus gestis vestris, & confœderatarum aliarum provinciarum Belgicarum desumpta petam. Movit me quoque ad hoc ipsum vestra pro-

propensio, studium, & affectio, quam cum cęteris confœderatis vestris, rei psaępè declarastis erga Remp. illam, cui aliquot annos inservio, imò etiam erga me, quando ante aliquot annos me ad illustris & percelebris vestræ Academiæ Franequeranæ professionē juridicam honestis sanè conditionib. vocare dignati estis. Quamobrem æquum esse judicavi, ut hac inscriptione & ἀφορμὴν hæc beneficia vestra agnoscerē, & publicè prædicarē, atq; virtutes vestras, quibus Remp. vestram per Dei gratiam à tyrannide & interitu, non solùm vindicastis, & conservastis, sed etiam illustriorem reddidistis, ego aliis imitandas publicè commendarem. Nam harum à vobis sociisque vestris præclarè gestarum rerum tam exuberans est fructus, ut is quoque in vicinas regiones, imò in totam Germaniam & Galliam redundet, quem etiam Indorum regiones, & regna plura, Iberi armis vexata, à vobis verò, & cæteris vobiscum junctis provinciis in protectionem suscepta & defensa, senserunt. De quibus omnibus, cùm annales & historiæ editæ, cum nominis vestri æterna gloria loquantur, malo tacere, quàm minimam eorum partem dicere. Det Deus O-

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRÆFATIO.

ptimus Maximus, ut in hac vita politica & ſymbioſi viventes, illi grata, & hominibus utilia & ſalutaria præſtemus, atq; ita finem, qui huic diſciplinæ eſt præpoſitus, aſſequamur. Quo voto hoc alloquium claudo.

Illuſtrem veſtram magnificentiam reverenter ac ſubmiſſè colens & obſervans

JOHANNES ALTHUSIUS D.

INDEX

INDEX CAPITUM POLITICÆ.

CAP.		PAG.
1	DE generalibus Politicæ.	1
2	De privata domeſtica conſociatione.	12
3	De conſociatione propinquorum.	28
4	De conſociatione collegarum.	43
5	De cõſociatione univerſitatis ejusq; cauſis.	57
6	De civitatis ſpeciebus & civium communicatione.	82
7	De juris provincialis communione.	103
8	De juris provincialis adminiſtratione.	128
9	De jure majeſtatis eccleſiaſtico.	165
10	De lege ejusq; exſecutione.	189
11	De ſpeciali jure ſeculari majeſtatis.	196
12	De collatione regni ordinariâ.	211
13	De collatione regni extraordinaria.	220
14	De muneribus perſonalibus regni.	227
15	De conceſſione privilegiorum in regno.	231
16	De protectione univerſalis cõſociationis.	238
17	De cura bonorum corporis conſociati & comitiis.	248
18	De ephoris eorumq; officio & ſpeciebus.	273
19	De regni commiſſione.	323
20	De promiſſione obſequiorum & homagio.	380
21	De lege, ad quam Reip. adminiſtratio eſt inſtituenda.	393

INDEX CAP. POLIT.

22 De usu legis propriæ Judæorum. 424
23 De natura & affectione populi. 445
24 De natura & affectione regni duplici. 470
25 De auctoritate summi magistratus. 505
26 De usu, experientiâ & delectu summi magistratus. 533
27 De consiliariis summi magistratus. 538
28 De administratione ecclesiasticâ. 565
29 De sanctione legum, & administratione justitiæ. 605
30 De censura. 629
31 De studio concordiæ conservandæ. 640
32 De procurandis mediis ad vitæ socialis commoditates necessariis. 663
33 De conciliis universalibus. 701
34 De cura & tractatione armorum tempore pacis. 759
35 De cura & administratione armorum tempore belli. 780
36 De gestione belli. 814
37 De administratione civili rerum publicarum & privatarum. 837
38 De tyrannide ejusq; remediis. 879
39 De speciebus summi magistratus. 940

SCHEMA

SCHEMA POLITICÆ.



Universidad de Deusto
Biblioteca







JOHANNIS ALTHUSII U. J. D.

POLITICA,

METHODICE DIGESTA, ATQUE EXEMplis sacris & profanis illustrata.

CAPUT I.

De generalibus affectionibus Politicæ.

SUMMARIA hujus capitis.

1 *Politica quid sit.*
2 *Consociatio quid.*
3 *Consociationis finis.*
4 *Consociationis necessitas & utilitas.*
5 *Politia vocabulum polysemon.*
6 *Symbiota qui.*
7 *Communicatio consociationis mutua.*
8 *Rerum communicatio.*
9 *Operarum communicatio.*
10 *Juris communio.*
11 *Lex consociationis communis.*
12 *Gubernatio & subjectio.*
13 *Præfecti, seu imperantis officium.*
14 *Gubernationis subjecta.*
15 *Disciplina subjecta.*
16 *Corporis cura.*
17 *Protectio & defensio.*

18 *Subjecti officium.*
19 *Peculiares cujusq; consociationis leges.*
20 *Communicationis forma.*
21 *Communicationis species.*
22 *Publicæ salutis cura commendata.*
23 *Summa tabulæ secundæ.*
24 *Vita hominis contemplativa & practica.*
25 *Qui homines inutilia pondera terræ.*
26 *Causa indigentiæ hominum & insufficientiæ.*
27 *Consociatio humana tollitur, sublatâ ipsius causâ, indigentiâ.*
28 *Monachorum & eremitarum vita damnatur.*
29 *Causa efficiens politicæ consociationis.*
30 *Fines Politicæ.*
31 *Subjectum Politicæ.*
32 *Vita socialis naturalis.*
33 *Consociationis necessitas & conservatio.*
34 *Gubernatio & obsequium naturæ consentaneæ.*
35 *Ordo ad vitam politicam necessarius.*
36 *Concordia politica in quibus.*
37 *Contraria gubernationi omnis ἀπραξία & æqualitas.*
38 *Quorum sit dominari, & quorum subjici.*
39 *Hominis ferocia & protervia opus habet directore.*

1 POlitica est ars homines ad vitam socialem inter se constituendam, colendam & conservandam consociandi. Unde συμβιωτικὴ vocatur.

2 Proposita igitur Politicæ est consociatio, quâ pacto expresso, vel tacito, symbiotici inter se invicem ad communicationem mutuam eorum, quæ ad vitæ socialis usum & consortium sunt utilia & necessaria, se obligant.

3 Hominis politici symbiotici finis est sancta, justa, commoda & felix symbiosis, & vita nullâ re necessariâ vel utili indigens. Ad hanc verò vitam vivendam, nemo hominum per se est αὐτάρκης, vel sufficiens & satis à naturâ instructus.

4 Nam quando ille nascitur, omni auxilio destitutus, nudus & inermis, quasi ex naufragio rebus omnibus amissis, in hujus vitæ ærumnas ejicitur, qui neque materna ubera appetere, neq;

neq; injuriam temporis ferre, neq; movere se loco, ubi effusus est, pedibus possit, nihil aliud, quàm vitam miserrimam à fletu & lacrymis auspicari valens, ad omen certissimum urgentis & instantis infelicitatis, consilii & auxilii omnis, quibus tamen quàm maximè tum eget, inops: sibi subvenire nequit, nisi alio interveniente & juvante. Etsi verò maximè est corpore enutritus, non tamen animi lumen exerere potest, neque in adulta ætate etiam externa illa, quibus in vita commodè & sanctè degenda opus habet, in se & apud se invenire, cum suis viribus omnia vitæ subsidia parare nequeat. His enim supplendis & procurandis multorum vires & industria sudant. Quamdiu itaque privatim sibi vivit, atque societati hominum se non immiscet, commodè & bene vivere minimè potest, in tanta tot rerum necessariarum & utilium inopia. Cùm itaque remedium & auxilium illi ostendatur in vita symbiotica, ad hanc, si commodè & bene, imò si vivere cupit, amplectendam ducitur, & quasi impellitur, in qua ad exercitium & actionem virtutum, quę non nisi in symbiosi hac esse potest, invitatur. Atque sic incipit cogitare de mediis, quibus symbiosis talis, ex qua tot utilitates & fructus exspectat, instituatur, colatur & conservetur, de quibus in sequentibus per Dei gratiam sumus dicturi.

Politiæ vocabulum tria præcipuè significat, ut notat Plutarchus *in libro de tribus Reip. generibus.* Primùm enim communicationem juris, quod est in Repub. indicat, quod Apostolus politeuma vocat, *Philip. c. 3. 20.* Deinde significat rationem administrandi & instituendi Rempub. Denique ordinem & constitutionem civitatis, ad quam omnes civium actiones diriguntur, notat. Juxta hanc significationem Politiæ vocem etiam *Aristoteles lib. 3. c. 4. lib. 8. c. 10. Polit. accipit.* 5

Symbiotici igitur hîc sunt συμβόλαιοι, qui vinculo pacti conjuncti & consociati communicant de suis, quæ ad animi & corporis vitam commodè degendam expediunt, & vicissim κοινωνητοὶ, communionis sunt participes. 6

Cõmunicatio illa mutua, seu κοινοπραξία, quam dixi, fit rebus, operis, juribus communibus, quibus 7

indigentia varia & multiplex singulorum & universorum symbioticorum suppletur, & αὐταρκεια, ϗ βοήθεια τοῦ βίου & societatis humanę perficitur, seu vita socialis constituitur & conservatur. *Unde Cicero dixit, populum esse cœtum juris consensu & utilitatis communione consociatum.* Atq; hac communicatione commoda & onera in qualibet consociatione pro natura ejusdem percipiuntur vel sustinentur.

8 Rerum communicatio est, quâ symbiotici res ad socialem vitam utiles & necessarias, in commune singulorum, vel universorum symbioticorum commodum conferunt.

9 Operarum κοινωνία est, quâ ministeria & negotia sua vitæ socialis causâ, symbiotici conferunt.

10 Juris communio est, quâ symbiotici justis inter se legibus in cõmuni vita vivunt & reguntur. Vocatur lex consociationis & symbiosis, jus symbioticum, in αὐταρκείᾳ, νόμῳ & τάξει potissimùm consistens.

Lex ejusmodi est duplex: quædam enim socialis vitæ directioni & gubernationi inservit: quædam verò rationem atq; modum res & operas communicandi inter symbioticos præscribit.

Lex directioni & gubernationi symbiosis inserviens, est communis, vel propria.

11 Communis & perpetua lex est, ut in quavis consociatione & symbiosi specie sint quidam imperantes, præstites, præpositi, præfecti seu superiores: quidam verò obsequentes, seu inferiores.

12 Nam omnis gubernatio imperio & subjectione continetur. Et statim ab initio genus humanum ab imperio & subjectione incepit. Adam enim dominus & monarcha à Deo constitutus fuit uxoris, ex eaq; omnium nascicturorum & reliquarũ creaturarum, *Gen.c.1.26.27.c.3.16. Sirac.c.17.* ideoq; omnis

omnis potestas & gubernatio politica, à Deo esse dicitur, *Rom.c.13.* Et nihil, ut Cic. *lib.3.de legib.* ait, tam aptum est ad jus conditionemq; naturæ, quàm imperium, sine quo nec domus ulla, neq; civitas, neq; gens, nec hominũ universum genus stare, nec rerũ natura omnis, nec ipse mundus potest. Pet. Greg. Tolos. *lib.6. n.1.2. & seqq. de Repub.* Aret. *2.tom. probl.103. & seqq.* Quòd si horum imperantium & obtemperantium idem est consensus & voluntas, felix & beata vita eorum redditur, ad *Ephes.c.5.21.* Subjecti invicem in timore Domini, *Col.c.3.18. & seqq.*

Præfectus, præstes, seu imperans administrando, 13
disponendo, jubendo, monendo, vel vetando, cogendo, aut abstrahendo, cum autoritate dirigit & gubernat vitæ socialis negotia ad obtemperantium singulorum, vel universorum utilitatem. Unde rector, director, gubernator, curator, administrator, imperans dicitur.

Latè Pet. Greg. *lib.1.c.1.n.12. & seqq.* sicuti animus in corpore humano reliquis membris præsidet, eaq́ue secundùm proprias singulis membris adsignatas functiones convenientes dirigit & gubernat, singulis membris prospicit & procurat debita utilia & necessaria, quæ privatim utilia, *1.Cor. c.12.* & universis simul, seu toti corpori, quæq; publicè utilia, ut vita socialis conservetur, ita quoque in civili societate necesse est, ut unus reliquis imperet ad singulorum & universorum utilitatem & salutem.

Imperare igitur, gubernare & præsidere hîc nihil aliud est, quàm aliorum utilitatibus inservire & consulere, uti parentes liberis imperant, vir uxori.

Ut dicit Augustinus, *lib.19.c.15.de civit.Dei, & Senec. epist.91.* Marius Salomonius *de princip.lib.2.* Boter. *de increment.urb.c.1.lib.1.* Vel, ut dicit Thomas *lib.1.de regimine princip. cap.13. & 14.* gubernare est, id quod gubernatur, convenienter ad debitum finem perducere. Itaque ad officium gubernatoris pertinet, non solùm conservare rem illæsam, sed etiam ad finem illum perducere. Vel, ut Osorius dicit *lib.1.de reg.instit.* regere, est in rectum finem di-

rigere. Rector itaque moderator id agit & molitur, ut populum in finem, inquem omnes intueri debent, modo & ordine atque disciplinâ perducat.

14 Gubernatio superiorum respicit animum & corpus obsequentium inferiorum: animum, quo ille doctrinâ & scientiâ rerum in vita humana utilium & necessariarum informetur & imbuatur: corpus quò huic de victus ratione & cæteris, quibus indiget, prospiciatur. Prior igitur cura disciplinam, posterior corporis sustentationem & protectionem continet.

15 Disciplina ergo versatur primò in institutione & informatione inferiorum ad veram Dei agnitionem, ejusque cultum; atque in officiis præscribendis, quę proximo præstari debent, *Deut.c.6.c.11.c.28.* deinde in malorum morum & erratorum correctione. illa salutari cognitione rerum sanctarum, justarum & utilium imbuuntur: hac, in officio continentur inferiores.

16 Sustentandi corporis cura est, quâ solicitè & diligenter in omnibus, quæ ad vitæ hujus usum pertinent: *1.Cor.c.6.3.* inferiores à superioribus suis reguntur, commoda eorundem procurantur, & incommoda avertuntur.

Rom.c.12. Qui præest, in solicitudine præsit. *1.Tim.c.5.* Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & infideli est deterior.

17 Protectio est ab injuriis & vi illata defensio legitima, qua à superioribus, securitas inferioribus, contra læsionem, vim & injuriam quamvis inferendam corpori, famæ vel bonis ipsorum præstatur, & illata licitis mediis vindicatur & compensatur.

Ob-

Obsequens inferior est, qui ad arbitrium præ- 18
stitis sui, vel præfecti, non impiè, vel iniquè imperantis, negotia socialis vitæ peragit, & vitam actionesq; suas componit cum submissione.

Propriæ leges sunt cujusque consociationis pe- 19
culiares, quibus illa regitur. Atque hæ in singulis speciebus consociationis aliæ atque diversæ sunt, prout natura cujusque postulat.

Leges, quibus rerum, ministeriorum, operarum 20
& actionum communicatio fit, sunt, juxta quas commoda & onera inter symbioticos pro indigentia & natura cujusque consociationis distribuuntur & conferuntur.

Aliquando communicatio est major & am- 21
plior, aliquando minor restrictiórque, prout natura cujusque consociationis postulare videtur, vel inter symbioticos est conventum & constitutum.

Quæ cùm ita sint, rectè cum Plutarcho *de civ. admin. ad* 22
Trajan. assero, Remp. optimam & felicissimam tunc esse, cùm magistratus & cives conferunt omnia sua ad salutem vel commodum Reip. neq; prætermittunt quemquam, vel quemquam aspernantur, qui Reip. prodesse possit. Proximi nostri commoda quærenda & promovenda, monet etiam Apostolus, adeò ut etiam de jure nostro, quò majus malum caveatur, ob alterius commodum majus, libentiùs cedere debeamus. *Philip.c.2.4.5.6. 1.Cor.c.10.24.c.12.25.26. Gal.c. 1.3.5.c.5.14. Rom.c.12.18.20.c.13.8.10.* quò facit *l.2.de leg.l.servus.de servis export.* Tolos. *lib.1.c.1.nu.15.& seqq.de Repub.* Dan. *l.1.pol.* Non enim nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria vindicat, partem amici. *l.1.§.15. de vent. in possess.mittend.l.19.postliminium.§.filius decaptiv. & postlim.reversi. Cicer.lib.1. Offic. Arist.lib.8.polit.c.1.* Huc perti- 23
net summa secundæ tabulæ Decalogi: Diliges proximum tuum, sicut teipsum; quod tibi vis fieri, etiam alteri feceris; & contrà, quod tibi non vis fieri, etiam alteri non feceris: & honestè vivere, neminem lædere, & suum cuique tribuere.

Matth.c.7. cap.22. Sirac. cap.2. Vir sapiens, qui operam
suam denegat Reip.& thesaurus absconditus, cui hæc duo
24 prosunt? Ex quibus deciditur quæstio, An vitæ contempla-
tiva (ὁ βίος θεωρητικὸς, ἢ φιλοσοφικὸς) vitæ activæ (quæ
dicitur βίος πολιτικὸς, ἢ πρακτικὸς) sit præferenda: de qua
latè Tolos. *lib.4. cap.10.deRep.* & Arist.*lib.1.pol.cap.1. cap.2.*
lib.7.c.3. Danæ.*lib.2.pol.c.3.* Planè homo naturâ suâ est a-
nimal gregabile ad societatem cum aliis hominibus colen-
dam natum,non autem, ut feræ beluæ, naturâ suâ solitari-
25 um,non ut aves, vagum. Itaq; eremitæ μισάνθρωποι & ἀπό-
λιδες, sine certo lare, foco, vel domicilio & sede viventes,
planè per se miseri, neque sibi,neque aliis utiles sunt. Nam
quomodo proximi sui commoda promovere hi possunt,ni-
si societati humanæ se insinuent? *Eccl.cap.4.5.6.7.8.* ubi Ju-
nius notat utilitates vitæ socialis. *1.Cor. cap.12.7. & seqq.*
Quomodo caritatis opera aliis possunt præstare, quando
extra consortium hominum degunt? Quomodo ecclesia æ-
dificari & reliqua primæ tabulæ officia commodè præstari
possunt?unde rectè *Keckerman.in System.polit.ait*,politicam
omnium aliarum disciplinarum finem ultimum ad extre-
mum gradum deducere,atque adeò ex privata felicitate pu-
26 blicam facere. Hac de caussâ Deus homines,non per Ange-
los, sed per homines instituere & docere voluit, *Calvin.*
lib.4.Instit.cap.3.sect.1. Ob quam caussam etiam Deus opt.
max. sua dona variè distribuit inter homines. Non enim
uni contulit omnia, sed aliis alia, ut ego tuis, tu meis indi-
geres,ita ut quasi necessitas communicandorum necessario-
rum & utilium hinc nata sit,quæ communicatio non nisi in
politica vita sociali fieri poterat. Ideò Deus voluit, ut alter
alterius operâ & auxilio egeret, ut devinciret omnes & sin-
gulos amicitiâ, ne alius alium floccipenderet. Si enim alius
27 auxilio alterius non indigeret, quæ societas, quæ reverentia,
quis ordo, quæ ratio, quæ humanitas esset? Larè Simanca
lib.1.c.8. de Rep. Usu igitur & ministerio aliorum omnes in-
digent,& nemo sibi soli vivit,*1. Cor.c.10.* Corporis itaq; & a-
nimi necessitatis atq; virtutum semina animis nostris insita,
homines dispersos & dissipatos in unum locum contraxe-
runt. Hæ caussæ ædificarunt vicos, construxerunt civitates,
fundarunt Academias, multorum agricolarum, artificum,
fabrorum,architectorum,militum,mercatorum,doctorum

atq;

atque indoctorum varietatem, tanquam totidem ejusdem
corporis membra,unitate & societate civili copularunt, ut
dum alii aliis suggererent,alii ab aliis quod ipsi desiderabant,
sumerent, omnes pariter in publicum quoddam corpus
(quam Remp. vocamus) coalescerent & mutuis auxiliis in
generale corporis illius bonum & salutem intenderent. Et
quòd hic fuerit verus, primum vicorum & postea majo-
rum Rerumpub.amplas in se regiones complectentium or-
tus, & antiquissima historiarum monumenta docent, &
hodierna rerum experientia convincit. Huic sententiæ 22
obstat & vita & doctrina solitariorum, monachorum &
eremitarum,suam hæresin & errorem malè defendentium
ex *Luc. cap.10.41. Heb.cap.11.38. 1.Reg. cap.19.8. Luc.cap.1.*
80. qualem vitam scriptura refert inter maledictiones. Vid.
Deut.c.28.64.65. Psal.107. & Psal.144.14. Genes.c.4.14.d.26.
quidam.C.de Decur. Caino fratricidæ erronea & vagabunda
vita pro supplicio imposita fuit, *Gen.c.4.14.* Exempla con-
traria piissimorum hominum activam politicam vitam am-
plexorum extant passim in scriptura sacra. Porrò ex his,quæ
dicta sunt, colligimus, caussam efficientem consociationis
politicæ esse consensum & pactum civium communicanti-
um. Formam verò esse consociationem per collationem & 29
communicationem ultrò citróque factam,quâ homines po-
litici instituunt,colunt, continuant & conservant humanæ
vitæ consortiũ per κοινωνίαν utilium & necessariarum rerum
ad vitam hanc socialẽ. Finis politicæ,est usus vitæ commo- 30
dæ, utilis, & felicis,atque salutis communis; *1.Tim.c.2.2.* ut
tranquillam & quietã vitam degamus cum omni pietate &
honestate, *Luc.c.1.74.75. Psal.107.7.36.* ut domi vera in Deũ
pietas, & inter cives justitia exerceatur, foris contra hostes
defensio, & semper ac ubiq; concordia & pax vigeat: *Esa.c.*
28.5.6. vid.Gen.c.16.2.c.2.c.30.2.Sam.c.13.22. Psal.72.1.2.3.
& seqq. Deut.c.4.6.18.40.c.27.c.28. Prov.c.20.8.26. 2.Sam.
c.5.6.10.12.c.8. 1.Reg.c.10.8. Danæ. *li.1.& li.3.* Finis quoq;
est conservatio humanæ societatis, cujus finis est, habere vi-
tam,in qua possis sine errore & quietè Deo inservire. Vid.
Pet.Greg.*lib.5.c.5.de Rep.* Subjectum politicæ sunt præce- 31
pta de communicatione quarundam rerum, operarum &
juris,quæ ad συμβίωσιν & commune commodum vitæ so-
cialis conferimus, quisque pro virili ex æquo & bono. At-

que ad hanc ſocialem vitam,& mutuam communicationem hominem etiam naturâ ſuâ ferri,docet *Ariſt.lib.1.politic.c.2.*
32 Eſt enim homo animal omni ape, omniq́ue animante gregabili civilius, atque ideò homo naturâ ipsâ ſociale animal eſt, longè magis, quàm apes,formicæ, grues, & ejusmodi genera, quæ gregatim aluntur, & gregatim ſe tuentur. At cùm Deus ipte per naturam dederit rebus ſingulis facultatem ſe conſervandi ſuisque contrariis reſiſtendi, quantum ad incolumitatem ſalutis opus eſt,nec homines facultatem hanc exequi diſperſi potuiſſent, inſtinctus iisdem adjectus eſt gregatim vivendi,ſocietatemq́ue civilem conſtituendi, ut
33 adunati & conjuncti alii aliis ſufficerent, victumq́ue faciliùs complures quàm ſinguli compararent,tutiùs ab incurſu ferarum & hoſtium degerent. Siquidem nemo hominum ſufficit ſibi ad bene & feliciter vivendum: argum. *Eccleſ.c.4. 10.Gen.c.2.18.* Neceſſitas igitur ſuaſit conſociationē & indigentia rerum ad vitam neceſſariarum,quæ conſociatorum ope & conſilio adquiruntur & communicantur,eam conſervat. Thom.*lib.1.c.1.& lib.4. c.2. & 3.de regim.princ.* Quâ ratione manifeſtū eſt,civitatē,i.e.civilē ſocietatē naturâ conſiſtere,hominemq́; naturâ eſſe civile animal,eamque conſociationem ſenſim appetere. Ita Covar. *pract. quæſt.c.1.n.2. ex Ariſt.& Etc.refert.* Quòd ſi quis in ſocietate eſſe nequit, aut nihilo indiget,propter copiam, is pars civitatis non habetur. Itaque aut beſtia eſt, aut Deus, ut aſſerit *Ariſt.lib.1. pol.c.2.* adde Pet.Greg.*lib.19.de Rep.& l.1.c.1.n.7.16.& ſeqq. & c.3.n.12.& ſeqq.de Rep.* Porrò perpetua illa gubernatio & obſequium in hac ſociali vitâ etiam naturæ conſentanea
34 ſunt. Nam imperare,regere, ſubjici,regi, & gubernari, ſunt actiones naturales,ex jure gentium profectæ, ut aliter pro monſtro haberetur, non minùs quàm videre corpus ſine capite, & caput ſine membris legitimè & convenienter ordinatis, aut cum defectu illorum. Utile enim eſt maximè ſingulis, quæ ſibi ſufficere nequeunt, ab alio juvari, & conſervari. & id melius dicitur, quod & ſibi ſufficit, & aliis prodeſſe poteſt: & quò magis bonum communi-
35 catum, eò melius præſtantiusque eſt. Deinde tanta tamq́; admirabilis eſt mundi hujus diverſitas, ut niſi aliqua ſymmetria ſubordinationis colligaretur,& certis legibus ſubjectionis & regiminis ille temperaretur, confuſione ſuâ brevi tem-

vi tempore conſumendus eſſet, nec poſſent partes tam diverſæ in eo perſeverare, ſi ſingulæ vellent per ſe promiſcuè & indifferenter opera ſua perficere, atque poteſtas poteſtati æquali occurrens perpetuâ diſcordiâ & irreconciliabili omnia peſſundaret,alienaq́ue,quæ regere non novit,nec conveniunt, uſurparet cum ſua pernicie. Et dum quisq; ſecundùm voluntatem ſuam cogitat vivere, regulam diſciplinæ omitteret. argum. *Judic.c.17.6.c.ult.* in fine; ubi pro radice malorum ponitur, quòd non eſſet gubernator ſuperior, & idem pro pœna ponitur *Eſa.c.3.* Deinde conſervatio & duratio omnium rerum conſiſtit in illa ordinationis, & ſubjectionis concordia. Nam ſicut ex diverſi toni fidibus, ad ſymmetriam intenſis, ſonus dulciſſimus oritur & melodia ſuavis, gravibus, mediis, & acutis conjunctis: ita conventus & ſocietas in Rep. imperantium & obedientium ſe habet, & ex divitum, pauperum, artificum, ſedentariorum & id genus diverſorum graduum perſonarum ſtatu,quàm ſuaviſſima oritur & conveniens harmonia;& ſi ad concentum reducatur, efficitur concordia laudabilis, felix & penè divina, & durabilior. Quòd ſi verò omnes æquales, ſinguliq́ue pro arbitrio vellent alios regere, & alii recuſarent regi, hinc facilis eſſet diſcordia, & diſcordia diſſolutio ſocietatis: nullus eſſet gradus virtutis, nullus meritorum,& ſequeretur, ut ipſa æqualitas eſſet ſumma inæqualitas,ut Petr.Greg.rectè diſſerit. *lib.6.c.1.de Rep.* Hinc inter ſigna iræ divinæ refertur,quando hæc imperantium & obtemperantium ſymmetria, ejusque miniſtri, & duces non ſunt. *2.Chron.c.15. & Dan.c.3.31.37.* Addo his,quòd innatum ſit potentioribus & prudentioribus dominari & imperare infirmioribus, ſicuti quoq; innatum inferioribus videtur, obtemperare. Sic in homine animus dominatur in corpus,mens verò in appetitum,qui obſequiū præſtat. Sic maſculus, quia præſtantior, imperat fœminæ, tanquam imbecilliori, quæ paret. Superbia etiam, & ferocia hominis fræno quodam rationis & legis, & imperii cohibenda eſt,ne ſe ipſum homo in barathrum perditionis præcipitem det, arg. *Pſal.9.21.* Vid. Petr. Greg.*d.lib.6.cap.1.*

36

37

38

CAPUT II.

De privata domestica & naturalis consociationis communicatione, ejusq; specie priore, nimirum de consociatione conjugali.

SUMMARIA.

1 Species consociationis.
2 Simplex consociatio quid.
3 Hujus causæ efficientes.
4 Hujus membra.
5 Finis privatæ consociationis.
6 Jus symbioticum privatæ consociationis.
7 Communicatio juris hujus.
8 Concordia symbiotarum.
9 Quàm necessaria concordia in symbiosi.
10 Operæ mutuæ privatæ consociationis.
11 Symbiotici pro una persona reputantur.
12 Commodum commune symbiotarum.
13 Species consociationis privatæ.
14 Naturalis consociatio quid sit.
15 Consociationis naturalis subjecta.
16 Functionis species.
17 Functio rustica.
18 Functionis rusticæ species.
19 Agriculturæ subjectum.
20 Hujus utilitas & laus.
21 Pecuaria functio.
22 Pastoralis functio.
23 Utilitas functionis.
24 Venatoria functio in captura, aucupio & piscatione.
25 Mechanica functio.
26 Natura & necessitas mechanicorum opificum.
27 Artium mechanicarum conjunctio & operæ mutuæ.
28 Species harum.
29 Opificia sordida quæ.

30 Arti-

30 Artificia illiberalia quæ.
31 Functiones viles & serviles quæ.
32 Harum species.
33 Artes & functiones impiæ.
34 Functio promercalis.
35 Mercatores utiles & necessarii.
36 Mercaturæ abusus varius.
37 Species privatæ consociationis.
38 Consociatio conjugalis.
39 Hujus subjectum.
40 Hujus director, & obsequia præstantes.
41 Hujus commoda & onera.
Mariti communicatio in tribus, num. 42. 43. 44.
45 Uxoris officia quænam & in quibus.
46 Utriusque conjugis mutua officia quænam & in quibus.

DE generalibus Politicæ hucusque. Sequitur de speciebus consociationis, seu vitæ symbioticæ.

Consociatio omnis est duplex: una simplex, privata: altera mista, publica. 1

Simplex, privata est, quâ speciali quorundam pacto, vitæ societas & symbiosis initur, ac quidam consociantur ad quid peculiare inter se commune habendum & conferendum, prout conditio ipsorum & vitæ genus requirit, hoc est vitæ privatæ symbioticæ institutæ necessitas & utilitas. Talis consociatio meritò prima vocari potest, & reliquę omnes ab hac ortæ. Nam sine prima hac reliquæ esse non possunt, neque consistere. 2

Hujus cōsociationis & symbiosis simplicis privatæ causæ efficientes sunt singuli quidā homines paciscentes inter se de communicandis necessariis & utilib. in vita privata instituenda & degenda. Unde conjunctio & societas particularis & privata inter hosce paciscentes, cujus vinculum est de communicandis mutuo auxilio, consilio, & jure ultrò utro- 3

citroq; data & accepta fides. Atq; talis consociatio, prout est minor publicâ universali, ita quoq; minore communicatione, subsidiis & adminiculis indiget.

4 Hujus consociationis privatæ membra sunt symbiotici singuli, qui concordiâ & consensu suo colligantur sub uno capite & spiritu, tanquam membra ejusdem corporis.

Quemadmodũ enim, ut ait Tolos. *lib.5.c.5. de Rep.* alius finis est, cujus gratiâ natura efficit pollicem, alius cujus gratiâ manum, sive pedem; alius rursum, ad quem totum efficit hominem: sic alius finis est, ad quem hominem dirigit singularem, alius quoque ad quem familiam, itemque alius ad quem civitatem & regnum. At finis ille existimandus est optimus, cujus gratiâ totum hominem propagavit. Itaque non est putandum, cùm proprii cujusque cœtus certus sit finis, nullum esse totius: cumque humanæ vitæ partibus insit ordo, in universo genere vitæ esse confusionem. Et denique cùm partes ob finis unius intentionem inter se habeant unionem, totum ipsum esse dispersum.

5 Peculiare illud, quòd speciali ejusmodi pacto inter quosdam symbioticos communicatur, & quo illi, ceu vinculo quodam, inter se conjunguntur, consistit in jure symbiotico, & ejus communicandi ratione atq; τάξιν, in ordine, animorum consensione, operis mutuis, & commodo communi.

Arg. Gen.c.33.v.9.10.& seqq. Judic.c.20.v.1.2.3. 2.Sam. c.19.v.15. 1.Cor.c.1.10.11.12. & seqq. Act.c.4.32 33.c.2.46. Philip.c.2.3.4.Gal.c.5.

6 Jus symbioticum est, quod privatus symbioticus symbiotico privato præstare tenetur in privata consociatione, quod pro naturâ cujusque privatæ consociationis est varium & diversum.

7 Communicandi hujus juris ratio est ordo & συμμετρία, quâ actiones hominum sociatorum seu

seu conjunctorum, juxta eorum conditionem à præstite attemperantur & diriguntur.

Arg.1.Cor.c.14.40.& c.12.per tot.

Consensio est, quâ conjunctorum symbioticorum anima & cor unum est, idem volens, agens, nolens, ad communem conjunctorum utilitatem. 8

Arg.Roman.cap.12.v.16. 1.Cor.cap.1.v.10. & seqq. vid. Judic.cap.20.v.1. 1.Samuel.cap.11.v.7. 2.Sam.cap.5.vers.1. 1.Reg.cap.8.vers.1.2.3. Nehem.cap.8. Actor.cap.4.vers.24. 32.cap.1.v.14. quæ dicitur mutua confœderatio & conspiratio: Sine hac consensione & mutuâ concordiâ nulla omninò societas & amicitia consistere potest. *Matth.cap.12. v.25.* Omnis urbs, aut domus, disidens adversus seipsam, non stabit. Contrà concordiâ mutuâ, firma & constans redditur, idq; Scyluri factum de sagittis divisim facillimè confractis, collectim autem validissimis & infractis manentibus, ostendit. Concordiâ etiam res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Unde Ethnici Concordiam Deam fecerunt, cui templum erexerunt. Tiberium Cæsarem tradit Suetonius, concordiæ ædem consecrasse, quam priùs Livia mater ejus voverat. Xenophon testatur, cives jurare concordiam, & se jutamento hoc obligare. Concordi enim collegâ nihil fitmius ad tuendam Remp. & discordi collegâ nihil periculosius ad eandem evertendam, ut refert *Liv.lib.1.Dec.1.* & discordiâ rerum gerendarum optimæ occasiones amittuntur, quæ ruinæ Reipublicæ præcursor. Concordia inter tria pulcherrima numeratur, *Siracid. cap. 25. Marc. cap. 9.* Pacem habete inter vos, dicit Christus. *Genes. cap. 13.* Ne, quæso, jurgium sit inter te & me, & pastores nostros, *Psalm.133.* Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum, *& vers.seqq. Et v.ult.* Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usq; in seculum. *Ps.34.v.13.* Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? *14.* Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ut non loquantur dolum. *15.* Diverte à malo, & fac bonum; inquire pacem, 9

& persequere eam. *Rom.c.2.* Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. *Heb.c.2.* Pacem sequimini cum omnibus. *Et c.3.* Charitas fraternitatis maneat in vobis. *Matth.c.5.* Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur. *1.Pet.c.2.* Omnes estote concordes, mutuo molestiarum sensu affecti, fraternâ prædita charitate. Talis concordia inter membra corporis prædicatur *1.Cor.c.12.5. & seqq. Ephes.c.4.4.16.* Nam si nos invicem commordeamus & comedamus, futurum est, ut dicit Apostolus, ut alii ab aliis consumamur, *Gal.c.5.v.15.*

10 Operæ mutuæ sunt, quæ communem symbioticorum salutem & commodum concernunt.

Gen.c.34.9.10.16.17.18.21.22.23. 1.Corinth.12.14.& seqq. Eccl.c.4.7.8.& seqq.

11 Commodum commune est, cujus participes sunt omnes & singuli, tanquam membra unius corporis: uti est lex communis, item negotium & area communis, itemque onera communia.

Arg.Ruth.c.1.16.17. & seqq. Genes.c.34.15.& seqq.

12 Ob jus hoc symbioticum, quod diximus, fit, ut consociatio hæc sæpe unam personam repræsentet, & pro una persona reputetur.

l. 6. §. universitas. de rer.divis. §. universitatis. Inst.d.t. l.1.§.servum, de quæst.l.sed si.10.§.4. de in jus vocand.l.mortuo.de fidejuss. vid. Losæum *de jure univers. part.1.c.1. num. 5.6. & seqq.* Minsc.*cent.5.obs.78.n.5.* Sed tamen magna est differentia, an actus à singulis, an ab universis consociatis fiat, an sint bona consociatorum, an singulorum, *l.1.§.quibus.l.sicut.§.si quid. quod cujusq; univers. nom.* Losæ.*d. loc. n.10.11. & seqq.*

13 Species privatæ & simplicis hujus consociationis sunt duæ. Est enim alia naturalis, alia verò civilis.

14 Privata naturalis consociatio symbiotica est, quâ naturali affectione & necessitate postulante, conjuges, consanguinei & adfines in simbiosin, & com-

communionem quandam inter se consentiunt. Unde societas hæc individua, naturalis, necessaria, œconomica, domestica, perpetua inter hosce vitæ socios symbioticos contracta dicitur, quæ eosdem, quos vita, terminos habet.

Quare meritò arctissima vocatur societas, amicitia, necessitudo & conjunctio, quæ est seminarium omnis consociationis symbioticæ. unde socii symbiotici necessarii, propinqui, conjuncti & amici vocantur.

Simplex & privata naturalis hæc consociatio 15
symbiotica alitur, fovetur & conservatur ministeriis & functionibus privatis, quibus hi consociati symbiotici, omnia subsidia & adjumenta, quibus symbiosis hæc opus habet, sibi invicem communicant ad arbitrium præstitis, secundùm ἀτυξίας & ἀνομίας leges ab eodem inferioribus symbioticis præscriptas, *1.Cor.c.7.*

Functiones ejusmodi sunt rusticæ, vel mecha- 16
nicæ, vel utrique inservientes, uti est usus commerciorum.

Rustica functio est, quâ rus colitur, & bruto- 17
rum ad symbioticam vitam privatam utilium, vel necessariorum cura habetur, ut ex iis necessaria vitæ privatæ subsidia, ad victum & amictum symbioticorum pertinentia, adquirantur.

Rustica functio est βίος θεωρητικὸς, atque est agri- 18
cultura, vel pecuaria, quarum singulæ hominem alere possunt & sustentare.

Agricultura potissimùm ea, quæ ad victum & 19
alimentum corporis pertinent, ex terra & iis quæ è terra nascuntur, adquirit. In hac enim agricolæ seminant, arant, colligunt, conservant & communicant omnis generis sementa, fruges, fructus, legu-

mina, frumenta, alimenta, & alia ad victum necessaria, quæ habentur ex seminatione, fructuum collectione, perceptione, conservatione & communicatione.

20 Unde horum officia & munera prorsus negotiosa & operosa. Ideoq; homines & cultores habent expeditos, robustos, agiles, exercitatos laboribus, & tẽperantes, tolerantes & patientes frigoris, æstus, inediæ & laboris, à seditionibus, turbis, rixis, factionibus, discordiis alienos. Inservit igitur agricultura animo, prodest corpori, fortunis & facultatibus commodat, hominem & bruta alit. Hæc officia DEUS primò homini condito demandavit, quæ exercuerunt pii & præstantes viri. *Gen.c.2.15.c.3.17. & seqq. c.4.2.c.9.20.c.25. 27.c.30. 1.Sam.c.21.5.* Alex. ab Alex. *lib.3.c.11.* Bodin. *lib.3. de Rep.c.ult.* Patric. *de Repub. lib.1.tit.7.* & agricultura commendatur Sirac. *c.7. Luc.c.13. Mat.c.20. Lev.c.25. 1.Cor.c.9. c.15. Prov.c.12.* Exempla vide *Gen.c.3.c.4.c.9.c.21.c.46.c.26. Exod.c.3. Amos c.7. 1.Reg.c.19. 1.Chron.c.27.26. & seqq. c.4.39.40.41. & seqq. 2.Chron.c.28.18.19.20.*

21 Pecuaria functio est, quâ ex pecudibus victus quæritur.

Nam omnes terræ bestiæ in usum hunc à DEO creatæ, & hominis imperio subjectæ sunt. *Gen.c.9.*

22 Pecuaria functio est duplex: pastoritia, vel venatoria.

Pastoritia est, quæ ex pastura victum quærit, & variorum pecorum, jumentorum, bestiarum, pecudum curam habet, quorum fructibus symbiotici aluntur, pellibus, lanâ, pilisve vestiuntur & quorum servitio in agricultura aliisq; laboribus, utuntur, magno suo commodo.

23 Utriusq; hujus functionis rusticæ homines in symbiotica vita privata necessarii & utiles. *l.nunquam. C.de agric. & cens.lib.11. tit. C.ne rustic. ad ulla obsequia devocent. Sirac. cap.5.8. & cap.26. per tot. ferè. 2. Chron. cap. 26.10.11.* Greg. *lib.4.c.8.* De functionum verò harum antiquitate videre licet in *Gen.c.4.2.cap.9.20.cap.25.27.1.Sam.c.21.5. Jer. c.52.16.* quarum laudes *Cic. lib.1. Off.* valde prædicat, à quibus nobilissimæ plures familiæ cognomina sua sumserunt Romæ, uti familia Fabiorum, Lentulorum, Pisonum, Taurorum, Vitelliorum, Porciorum, & similium. Vid. Greg. *lib. 4.c.8. de Repub.*

Venatoria functio est, quâ capiendis bestiis feris, quæ nullius sunt, vitæ præsidia quæruntur. Estque hæc vel in ferarum terrestrium in silvis aut alibi vagantium venatione posita, vel in aucupio volatilium, vel in aquatilium captura, quæ est piscatio. 24

Mechanica functio est, quâ industriâ & labore ex materia quadam, homo necessaria vitæ præsidia sibi & aliis parat & conficit. Sic itaque hæ functiones mechanicæ, quæ artificia & opificia dicuntur, non solùm labore corpus exercent, sed etiam alia ad vitam necessaria suppeditant. Vid. Arist. *lib.7.Pol. c.8.* Pet. Greg. *lib.4.c.9.* 25

Harum cultores sunt forenses, mercenarii, viliores agricolis & pastoribus, proni ad factiones, coitiones & collegia, sodalitates, commerciorum exercitia, & dediti fraudibus, deceptionibus, astutiæ, intemperantiæ, voluptatibus variis. 26

Cic. lib.2. Off. Quid numerem, *inquit*, artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Quis enim agris subveniret? quæ esset oblectatio valentium? quis victus, aut cultus corporis, nisi tam multæ nobis artes ministrarent? & latè *Sirac.c.38.v.35.* ibi, omnes isti manibus suis fidem habent, & quisq; procurat, ut sapiat in opere suo, 36. Sine istis non ædificatur civitas, neque cives incolunt, neque ambulant in ea. *& v. 26. & seqq.* ideoque horum artificum penuria periculum & damnum societati humanæ adfert. vid. *1.Sam.c.13.19.* sicuti horum copia utilitatem; arg. *Exod.cap.31.2. & sequentibus.* pro pœna reputatur defectus artificum. *Apoc.c.8.* Ob hanc causam statim cum

humano genere hæc opificia cœperunt. *Gen.c.4. 1.Chron. c.4.15.23.c.27.* utpote convenientia vitæ laboríque, cui homines poſt lapſum ſunt addicti. *Geneſ.cap.3.19. Pſal.128.* Labore manuum tuarum vives. *1.Theſſ.c.4.11.* operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis. Diſcenda ideò præcipiuntur & exercenda, quamvis non ſingulis omnia neceſſaria, quæ etiam pii viri exercuerunt. *Act.c.18. Matth.c.13.55.*

27 Sunt autem inter ſe hæ artes machanicæ ita conjunctæ & colligatæ, & mutuas ſibi operas præſtant, ut vix una ſine alterius auxilio & mutuo officio exerceri poſſit.

Sic enim agricultura opus habet fabro ferrario ad vomerem, falcem, ligonem, ſecurim, & fabro lignario ad aratrum & jugum præparandum, & vehiculum ad tugurium & ſtabulum pro bobus conſtituendum. Et denique niſi piſtoris artificium accedat, univerſa agricultura evaneſcit. Et ita etiam aliæ mechanicæ alias artes ad auxilium ſui convocant, ita ut ſine harum ope inutiles illæ permaneant. ita Greg. *d.loc.* De artibus hisce mechanicis, earúmq; variis ſpeciebus vide Zuinger. *volum.lib.1.& ſeqq.* Melch. Jun. *lib.1.Polit.quæſt.62.*

28 Hujus generis ſunt ars molinaria, piſtoria, coquinaria, architectonica, libraria, ars metallica, arculariorum, vietorum, carpentariorum, ars lanaria, & linaria, textoria, ſutoria, ſartoria, fullonia, coriaria, ars balneatorum, pictorum, ſculptorum, opificia vectorum, aurigarum, nautarum, & ſimilium plurimorum, qui ideò vulgares & plebeji vocantur, gregarii, humiles, obſcuri & viles.

Menoch. *lib.2.caſ.71.arbitr.judic.quæſt.* Tiraqu. *de nobil. cap.37.num.30.& ſeqq.*

29 Ex his ſordidâ opificia vocantur, quæ faciendo, tractandóve multum ſordium & fuliginis contrahunt; qualis eſt ars carbonaria, ferraria, lignaria, vitri-

vitriaria, carminaria, diſtillatoria omnis, & quæ his ſimiles.

Quædam opificia ex his illiberalia nonnihil, 30
quæ in hominum odia incurrunt; velut portitorum, publicanorum & fœneratorum, collybiſtarum, *Matth.c.18.17.* inſtitorum, interpolatorum, propolarum, & ſimilium, qui ex mendacio & vanitate lucrum facere ſolent. Vid. *Cic. lib.1. Offic.* Quò etiam refero mercenariorum opificia mechanica, quæ neceſſaria & utilia: *arg.Lev.c.19.13.Deut.c.24.14. Matth.c.10.11. Jac.c.5.4. 1.Reg.c.5.14. & ſeqq.c.7.13. & ſeqq.c.9.*

Functiones, quæ uſibus hominum minùs ne- 31
ceſſariis, vel minùs honeſtis opinione hominum inſerviunt, ſunt viles & ſerviles. Unde has tractantes vocantur viles, ignobiles, nullius exiſtimationis, ſortis infimæ, & humiles, atque abjecti.

Menoch. *lib.2.caſ.71.arb.judic.* Farin. *lib.de teſt.quæſt.57. num.54.& ſeqq.lib.3.* quam diſtinctionem licet etiam obſervare in ſacra ſcriptura. *2.Reg.25.11.12.c.24.15. Pſal.49. 3.21. Job.cap.30.1.2. & ſeqq.ubi Junius. 2.Sam.c.9.8.9.c.3.8. 1.Sam.c.24.15. 2.Reg.c.8.13.c.25.15. Matth.c.15.26.c.10.42. 2.Sam.cap.3.8. Neh.c.8.1. 1.Cor.c.3.1. 1.Sam.c.15.17.c.9.21.*

Voluptuariis & minùs neceſſariis uſibus inſer- 32
viunt gynæciarii, plumarii, gladiatores, xyſtici, Hymelici, arenarii, pugnantes cum beſtiis, gymnici, mimi, pantomimi, hiſtriones, ſcenici, circenſes, theatrales, comœdi, tragœdi, ganeones, ludiones, ſcurræ & ſimiles.

Vid. Chaſſan. *conſid. 42. part.11. glor. mund.* Menoch. *d. loc.* & Farin. *d.loc.*

Minùs honeſtis, ex opinione hominum, uſibus & indecoris inſerviunt ſuarii, oſtiarii, tonſores, muliones, in piſtrino verſantes, carnifices, balneatores, ſtabularii, pelliones, bajuli, lecticarii, præbi-

tores paravedorum, perangariarum, carbonarii, lignatores & similes plures.

De quibus Bod. *lib. 3. c. ult. de Rep.* Sirac. *c. 38. 35. & seqq. Exod. 28. 3. c. 3. c. 35. & lib. 12. C. Justin.*

33 Artes impiæ vel prorsus curiosæ, vel hominum sanctis moribus noxiæ, vel vitæ humanæ inutiles, non sunt in Rep tolerandæ.

Arg. *Act. c. 19. 19.*

34 Hæc de functione rustica, agraria & mechanica: singulis hisce inserviens functio est promercalis, quâ per commutationem rerum, vel operarum cum aliis factam, necessaria & utilia, quæ desunt nobis, procurantur & symbioticis submini-strantur, vel ea, quibus abundamus, ad alios cum nostro commodo exportantur.

Functio hæc promercalis est vel minor, in permutatione rerum, ad vitæ privatæ permutantium indigentiam: vel major ad abundantiam lucrum & commodum permutantium, qui hinc Mercatores vocantur.

35 Mercatores & negotiatores, ideo consociationi utiles & necessarii, ut superflua exportent, aliisq; utilibus & necessariis permutent, & aliunde, quæ incolis & regno necessaria sunt, & in eo omnino non, aut non sufficienter inveniuntur, importent, sub honesto lucro, quod laboris sit stipendium, citra dolum, fraudem & pejerationē: *1. Thess. c. 4. Sirac. c. 26. 27.* & deniq; notitiam, necessitudinem atq; familiaritatem cum exteris nobis concilient, & statum aliorum explorent. Ideoque mercatores sunt quasi pedes corporis politici, qui necessaria reliquis apportant, & cum exteris communionem conciliant.

Atque

Atque hæc mercatura refertur inter artes, quæ bene & malè exerceri possunt. Petr. Greg. *lib. 4. c. 7. de Rep. Proverb. c. 20. 14. 2. Chron. c. 1. 16. 2. Chron. c. 9. 21. 1. Reg. c. 9. 26. 27. 28. lib. 1. C. de commerc. & mercat. tit. C. negot. mil.* Quamquam Plato. *4. de leg.* existimet, mercaturam corrumpere ingenuos civium animos. Ex ea enim fieri dolosos animos, cives instabiles & infidos in moribus: quem refutat *Aristot. lib. 7. pol. c. 6.* ubi Casus. Quarum verò rerum commercium & negotiatio non concessa sit, vide apud JCtos passim id tradentes, *l. inter. §. sacram rem. de verbor. oblig. tit. ad l. Fab. de plag.* Novel. *de lenocin. tit. C. quæ res exportar. & passim alibi.* Exempla mercaturæ extant *Gen. c. 37. 1. Reg. c. 5. c. 10. c. 22. 2. Chron. c. 2. c. 9. Prov. c. 31. Esa. c. 23. Ezech. c. 27. Act. c. 16. Apoc. c. 18. Ezech. c. 22. Am. c. 8. c. 2. c. 3.* de libris dati & accepti. Sirac. *c. 42.*

Exercetur verò malè mercatura: 1. quando non habetur ratio temporis. Vide *Neh. c. 13.* in diebus cultui divino consecratis. 2. Ratione loci prohibiti. *Matth. c. 21.* 3. Ratione personæ, quando prohibitæ personæ eam exercent. *2. Tim. c. 2.* 4. Ratione modi, quando ponderibus, mensuris, monetâ, injustis, mendaciis, aut aliis illicitis modis exercetur. *1. Thess. c. 4. Lev. c. 19. Jac. c. 4. 13.* 5. Quando ejus cura & studium à cultu divino homines avocat. *Luc. c. 14. 19. 20. 21.* 36

Cæterùm quomodo hæ privatæ functiones inserviant consociationi & symbiosi publicæ, & provinciali, dicetur suis locis in capp. seqq.

Porrò naturalis privata consociatio symbiotica domestica, in duas species abit. Est enim conjugum vel propinquorum: *de prior. Gen. c. 3. & 4. de posteriore c. 10.* 37

Consociatio & symbiosis conjugalis est, quâ conjuges, maritus & uxor sibi invicem devincti communicant commoda & onera vitæ conjugalis. 38

39 Hæc consociatio est duorum, maris & fœminæ, atque omnium prima est, ut asserit *Cic. lib. 1. offic.* secunda est cognatorum: tertia adfinium, *Gen. c. 4. 2.* Nam naturâ commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi. Ideo prima societas vitæ in conjugio: proxima in liberis. Hinc una domus & familia. Atque hinc principium & seminarium omnium hominum. Sequuntur fratrum conjunctiones, pòst consanguineorum sobrinorumque, qui cùm unâ domo capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia & adfinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & soboles origo est Rerumpubl. Vide Danæ. *lib. 1. c. 3. Polit.* ubi & plures alias causas societatis humanæ refert, & Pet. Greg. *lib. 19. de Rep.* & Bodin. *lib. 1. c. 1. & 3. de Rep.* & Plat. *dial. 4. de legib.*

40 Director & gubernator communium negotiorum ad hanc consociationem spectantium est maritus: *1. Timoth. c. 3. c. 5. 4. 8.* Obsequia præstans, & imperata faciens, est uxor & familia.

41 Commoda & onera ejusmodi sunt propria alterutrius conjugis, vel communia utriusque.

Propria sunt, quæ vel maritus uxori communicat, vel contrà, quæ uxor marito.

42 Maritus uxori communicat nomen & familiam, dignitatem, statum, & conditionem suam.

Esa. c. 3. 28. Prehendent septem mulieres eundem virum tempore illo, dicendo, cibum nostrum comedemus, & vestimentum nostrum induemus; tantummodo vocemur de nomine tuo, aufer probrum nostrum. *Ruth. c. 4. 11. Psal. 45. 11. 12. Gen. c. 30. Lev. c. 22. 12. 13. 14. Tob. c. 10. 12. 13.* Sic etiam nomine mariti, seu viri, prima fœmina fuit vocata, *Gen. 2. 23. l. mulieres. C. de dignitat.* Tiraquel. *de leg. connub. l. 1.* quam unicè amat, illique adhæret. *Matth. c. 19. v. 6. 8. 9. 1. Cor. c. 7. v. 10. 11.* Bodin. *lib. 1. c. 3. de Repub.*

43 Deinde maritus præstat uxori conjugi suæ tutelam, patrocinium & defensionem contra vim & injuriam.

Gen.

Gen. c. 20. 16. 1. Cor. c. 11. 10. Ruth. c. 3. 9. Esa. d. c. 3. 28. 1. Pet. c. 3. Col. c. 3. Eph. c. 5. 25. 26. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, postquam eam purgasset lavacro aquæ per verbum, *& seqq.* ubi tanquam seipsum uxorem fovere jubetur, & PRÆEST DOMUI SUÆ, *1. Timoth. c. 3. c. 5.* Exemplum vide *Genes. c. 30. Luc. c. 12. Ruth. c. 2. 2. Reg. c. 4. 1. Reg. c. 19.* Non patitur otiosos suos domesticos, *Siracid. c. 30. c. 3.* sed honesta negotia injungit, uti Joseph, *Genes. c. 37.* David, *1. Sam. cap. 16. c. 17.* & alii, *Genes. c. 24. c. 29. Exod. c. 2. 1. Sam. c. 9. Eccles. c. 6. Psal. 123.*

Tertiò præstat maritus uxori suæ omnia necessaria, nimirum gubernationem, curam, protectionem, sustentationem, victum & amictum, *Ephes. d. c. 5. 25. & seqq. c. 6. 4. 2. Sam. c. 12. 3.* ubi Martyr. *1. Cor. 6. 7. Matth. c. 19. 5.* unde & honorem, tanquam vasi infirmiori tribuit, *1. Pet. c. 3. 7. Col. 3. 19.* & ipsius infirmitates cum συμπαθείᾳ fert, argum. *Ephes. c. 5. 23. 24. & seqq.* consolatur merentem, *1. Sam. cap. 1. 8. 2. Sam. c. 12. 24. Tob. c. 5. 26. 27.* in Christiana religione instituit, *1. Cor. c. 14. 35. c. 7. 16. Job. c. 2. 9. 1. Timoth. c. 2.* infirmam curat, captivam redimit, *Nehem. c. 4. 1. Sam. c. 30. 17. 18.* errantem moderatè corrigit, *Job. cap. 2. 10.* mortuam honestè sepelit, exemplo Abrahami & aliorum, & viventi alimenta, unde post mortem suam vivat, relinquit, *Tiraq. l. 8. de leg. connub.* 44

Ratio hujus communicationis est arctissima illa conjunctio cum uxore, quòd unum corpus & una caro dicatur cum uxore, & una persona, *Genes. cap. 2. 23. 1. Cor. 14. c. 6. 16. Ephes. cap. 5. 28. 29. 33.* & domui suæ quisque præesse jubetur, *1. Tim. c. 3. & c. 5.*

Uxor verò præstat suo marito obedientiam, subjectionem, fidem, obsequia, operas, adjumentum & auxilium, *1. Pet. c. 3. 6. Ephes. c. 1. Col. c. 3. 18. Gen. c. 3. 16. Num. c. 30. 1. Sam. c. 19. 11. 12. 13.* honorē, *Prov. c. 31. 12. Eccles. c. 26. 18. 30.* Item reverentiam, verecundiam, 45

timorem, *Epheſ.cap.5.33. 1.Pet.c.3.23.45. Eſth.c.1.17.18. 1.Tim.c.2.12.* liberos illi parit, lactat & educat, *Geneſ. cap.16. verſ.15.16.cap.24.15. 24.36. c.35.2.12.c.30.5.7.12. 1.Corinth. cap.14.34. Ruth c. 4. 11.12. 1.Sam. cap. 1. 23. Prov.c.31.11.& ſeqq. Pſal. 113.9.* ubi Piſcator: eumque in omni fortuna ſequitur, *Exod. c.18. 1.2.3. 1.Sam. 27.3. Gen.c.29.21.c.30.25.26.27.c.20.12.* Et illius miſerias & calamitates fert & ſublevat, *1.Sam.cap.19.11.12. 1.Reg. cap.14. 4. c.21.7. Epheſ.c.5.23. & ſeqq. Exod. c.4. 25.* ut Abigaël, *2.Sam.c.25.* & ad illius mores ſe componit & accommodat, argum. *1.Cor.c.7. Prov.c.31.* mulier bona reddit marito ſuo bonum, & non malum omnibus diebus ſuis, *1.Corinth.c.7.* cogitat, ut placeat viro, *Sirac. c.26. c.36.25.* ſine cujus conſilio & conſenſu nihil agit, *Num.c.30.v.7.8. Sirac.c.25.v.30.31.32.* argum. *Gen.c.3.v.16.* atque ita ſuavem & tranquillam vitam reddit marito ſuo, *Prov.c.26.c.18.22. Sira. c.26.2.16.& ſeqq.* 2. unde columna auxilii & ſolatii dicitur, *Sirac.cap.36.24.* Ratio eſt, quia Deus hoc vult, *Col.c.3.18.* & quia uxor propter virum, & in adjumentum ejus, & ex viro eſt condita, *Geneſ.c.2. 1.Corinth. c.11. 8. 9.* pars mariti, *Matth. c.19.5.* ejusque caro, *Epheſ.c.5.28.29.* cui nomen datum ab Adamo, *Gen.2.23.* ubi Junius. Atque priùs Adamus, poſtea Eva formata, *1.Timoth. cap. 2. 13.14.* & Eva priùs eſt ſeducta, *d.v.13.14.* & maſculinus ſexus dignior fœminino, *1.Cor.c.12.7.8.9.* arg. *1.Cor.c.11.7.* & uxoris dominus atque caput, maritus, *1.Pet.cap.3. 1.Timoth. cap.2.12. 1.Corinth. c.11.3. Epheſ.c.5.23.* & uxor imago viri, arg. *1.Cor.c.7.* Apud Romanos uxoris amicus tutor & pater maritus olim fiebat: Cujac. *lib.16.obſ. c.33.* Ulpian. *tit.22. §.14.* ubi Gothof. vide Bodin. *lib.1.c.3. de Repub.*

Utriusque

Utriusque conjugis communia commoda & onera ſunt, quæ ab utroq; ſimul præſtantur & communicantur ultrò citróque, uti eſt debita illa benevolentia & corporis uſus, *1.Cor.c.7.3.4.5.c.11.12. Rom. cap.1.26.27.* ad evitandam ſcortationem, & liberos procreandos, *1.Cor.c.7.1.2. 1.Tim.c.2.15. 1.Theſſ.c.4.4.5.* cohabitatio mutua, *1.Cor.c.7. 10.12.13. 1.Pet.c.3.1.2.3.* Quamvis neceſſaria abſentia nonnunquam concedatur, *d.c.7.5. Deut.c.20.7. 2.Sam.c.11.11. Prov.c.7.10.* Videntur olim conjuges ſeparatim habitaſſe, *Geneſ. c.23.2.* ubi Junius. *c.18.10.c.24.67.* Conſuetudo & amicitia familiaris & intima, amor mutuus, fidelitas & patiętia, *Tit.c.2. Eph.c.5.15. Cant.c.1.2.3. Gen.c.26.89. Prov.c.5.18.* mutua opera & φιλεργία, *Eph.5.29.* omniũ bonorum & juris cõmunicatio, *l.1.de ritu nupt.l.22. §.7.ſolut.mat.* ita ut, quoad uſum, bona conjugum cõmunia eſſe exiſtimentur, eò uſq; donec displicet alteri, *2.Sam.ç.12.3.* ibi, quæ cũ liberis ſuis pariter de buccella ejus comedebat &ç. ubi Martyr. arg. *Epheſ. c.5.25.36.& ſeqq.* Conſortiũ omnis vitæ, & conjunctio individua, *Matth.c.19.8. Eph.5.29.* quâ una caro reputantur, *Eph.5.26.27.& ſeqq. 1.Cor.c.6.16. & ſeqq.* quam unionem etiã relictis parentibus colunt. *Gen. ç.2.24. Matth.c.19.5.* cubile impollutũ, *Heb.c.13.4.* infirmitatis mutua ſublevatio, *Epheſ.c.5.28.29.c.4.2.31. 1.Pet. cap.3. 2. Coloſſ. cap.3.19.* familiæ gubernatio, & adminiſtratio in œconomicorum officiorum functione, rei familiaris diſpenſatione, & curâ rei domeſticæ, *Proverb.cap.11.16.29. 1.Timoth. cap.2.9. & ſeqq. Tit.cap.2. Proverb.31.* liberorum educatio in vera religione, ædificatio & inſtructio, *1.Corinth. ç.7.16.c.14.35. 2.Reg.c.4.10. Deut.c.6.7.8. Matth.c 19.4. Deut,cap.31. Proverb. c.4. cap.19.* defenſio, protectio,

46

& è periculis liberatio, *1.Sam. c.19.11.12. c.25.18. & seqq. Prov. cap.31.10. & seqq. Gen. cap.12. Esth. cap.2.22.* Luctus præmortui, *Gen. c.23.2. 2.Sam. c.11.26.27.* Ratio horum mutuorum officiorum inter conjuges est arctissima conjugum conjunctio, quâ existimantur esse corpus unum, & caro una conjuges. *Gen. c.2.23. 1.Cor. c.6.v.16. c.7. Matth. c.19.* & quòd confœderati atque socii dicuntur. *Malach.c.2.v.14. Eph.c.5.v.32.Prov.c.2.v.17.*

CAPUT III.

De consociatione propinquorum.

SUMMARIA.

1 *Propinquorum consociatio quid.*
2 *Consociationis hujus subjecta.*
3 *Cognati quinam.*
4 *Cognatorum variæ species: & num.6.7.8.9.10.11.*
12 *Adfines quinam.*
13 *Adfinium species variæ: & num.14.15.*
16 *Familiæ princeps, qui.*
17 *Princeps domus, qui.*
18 *Jura sanguinis.*
19 *Commoda communia cognatorum.*
20 *Officia mutua inter cognatos varia: & num.21.22.*
23 *Communio privilegiorum & jurium.*
24 *Cognominis & insignium eorundem usus.*
25 *Romanorum nomina, prænomina, cognomina.*
26 *Nomina à quibus imponantur.*
27 *Alimentorum præstatio, auxilium & defensio.*
28 *Privilegii communicatio.*
29 *Nobilitas quid, & unde.*
30 *Nobilitatis requisita tria.*
31 *Nobilitas à diversis variè æstimatur.*
32 *Nobilitatis gradus.*
33 *De variorum populorum nobilitate.*

34 *Officia mutua cognatorum.*
35 *Onus principatus & primogenituræ.*
36 *Onus & curæ seniorum cognatorum.*
37 *Parentum officia erga liberos quænam.*
38 *Jus adfinitatis.*
39 *Domestici, famuli, clientes, eorum q; officia.*
40 *Jura domesticis communicanda.*
41 *Officia domesticorum.*
42 *Doctrina de consociatione consanguineorum, an Politicæ homogenea.*

HActenus de consociatione symbiotica conjugum; sequitur de propinquorum consociatione.

Propinquorum consociatio est, quâ cognati vel adfines quorundam commodorum & onerum inter se communicandorum causâ conjunguntur. 1

Hæc consociatio ad minimum est trium, *l.Neratius.* ubi Gœdd. *de verb.sign.l. pronunciatio.§.1.l.40. detestatio.§.3.d.tit.* & paucioribus conservatur. *l.7.§. 2.quod cujusq; universi. nom.l.114. filiusfam.§. pen.de legat.1.* Losæ. *part.1.c.1.n.32.de jure univers.* Sæpè quamplurimis constat personis. Vid. *l.10. Jurisconsultus.de grad.& adfin.* 2

Cognati sunt, qui ex eodem sanguine seu semine sunt nati & consociati, ad jura sanguinis communicanda. 3

Hîc primò personæ consociatæ, deinde jura hisce communicata, considerandæ sunt.

Personæ consociatæ sunt, quæ ex communi fonte & radice sanguinis innatam habent cognationem. 4

Cognati ejusmodi sunt recti, vel obliqui: qui & collaterales dicuntur.

5 Recti in lineâ rectâ consistentes sunt ascendentes, vel descendentes.

6 Ascendentes sunt personæ superiores generantes, quę parentum nomine continentur ut, 1. Pater, mater. 2. Avus, avia. 3. Proavus, proavia. 4. Abavus abavia. 5. Atavus, atavia, 6. Tritavus, tritavia, & sic deinceps. *Vide Lev. c. 18. c. 20. Matth. cap. 4. Num. cap. 1. & seqq. & tit. de grad. & affin.*

7 Descendentes sunt personæ inferiores generatæ, quæ liberorum nomine appellantur, uti: 1. filius, filia. 2. nepos, neptis. 3. pronepos, proneptis. 4. abnepos, abneptis. 5. atnepos, atneptis. 6. trinepos, trineptis, & sic deinceps. Hi à primo suo stipite communi sæpè nominantur *ut ab Israele, Israelitæ, à Levi, Levitæ, à Juda, Judæi, à Gerson, Gersonitæ, à Rechab, Rechabitæ, à Benjamin, Benjaminitæ, ab Heber, Hebræi, à Fabio, Fabii, &c.*

8 Obliqui, seu collaterales, sunt conjuncti, communem nobiscum originem & generationem in stipite, seu persona aliqua generante habentes, & à latere nos attingentes, unde & συγγενεῖς cognati vocantur.

9 Ejusmodi sunt rursum æquales, vel inæquales. Æquales, qui pari gradu, seu intervallo à communi stipite distant, ut 1. Frater, soror. 2. Duorum fratrum, vel sororum liberi, qui sunt consobrini. 3. Sobrini patruelium. 4. Sobrinorum liberi, & sic deinceps.

10 Inæquales sunt, qui inæquali intervallo à communi stipite distant; ut sunt superiores vel inferiores: Ex illis sunt 1. patris frater, qui patruus. 2. Avi frater, patruus magnus, & soror avi, amita magna. 3 Proavi

3. Proavi frater, qui mihi propatruus magnus, & soror, quæ proamita. 4. Abavi frater, abpatruus, abavi soror, abamita, &c.

Ex inferioribus collateralib. sunt 1. Fratris & sororis filius, nepos, pronepos abnepos, ex filia neptis, proneptis, &c. 2. Consobrini vel consobrinę, amitini, amitinæ, patrueles, filius, filia, neptis &c. 3. Patrui magni, vel amitæ magnæ, avunculi magni, vel materteræ magnæ, filius, nepos & filia, neptis, &c. 11

Adfines sunt, qui per conjugium personæ cognatæ nobis sunt cognati: uti sunt alterius conjugis cognati & consociati ad jura adfinitatis participanda. 12

Hinc fit, ut conjugis alterius ascendentes vicem ascendentium apud alterum conjugem obtineant, & descendentes atque collaterales conjugis unius, vices descendentium & collateralium alterius gerant.

Adfines ascendentes superiores sunt: 1. Socer, consocer, socrus, noverca. 2. Prosocer, seu socer magnus, prosocrus, vel socrus magna, quæ est avia uxoris. 3. Absocer, absocrus. 4. Atsocer, atsocrus. 5. Trisocer, trisocrus. 6. Quadrisocer, quadrisocrus, &c. 13

Adfines descendentes inferiores sunt, 1. Gener, filiæ maritus; nurus, filii uxor; privignus, privigna. 2. Progener, neptis maritus; pronurus, nepotis uxor; & proprivignus, proprivigna; triprivignus, triprivigna, & sic deinceps. 14

Adfines ex latere sunt, 1. Levir, mariti frater; glos, mariti soror. 2. Sororius, sororis maritus; 15

fratria, fratris uxor. 3. Duorum fratrum uxores, janitrices, & græcè εἰνάτερες. 4. ſoceri frater, ſoror & ſocrus, frater vel ſoror. 5. proſoceri frater, ſoror, & ſic deinceps.

16 In familia & cognatione ſuperiores ſunt, qui principes dicuntur gentis & tribus; & qui principes domus alicujus, & familiarum ſingularum vocantur, *1.Chron.c.29.6.*

Princeps familiæ, ſeu tribus gentis alicujus dicitur, qui ejusdem tribus & familiæ hominibus eſt præfectus, *1.Chron.c.23.c.24. c.25.c.26.c.27. Nehem.c. 12.1.& ſeqq.22.& ſeqq.Num.c.1.2.3.4.5.& ſeqq.1.Chron. c.5.24. c.7.11. c.8.6.10.13.28.c.9.33.34.c.15.5. & ſeqq.c.29. 6.Heſræ c.1.5.c.8.1.& ſeqq.* qui alibi etiam anteceſſores vocantur, *2. Chron.c.19.11.c.35.8.* & jus coërcendi habet in ſingulos & univerſos ſuæ familiæ homines, *1.Chron.c.26.6.*

Græcis dicitur *Phylarchus:* Ante conſtitutas Respub. & regna hos Phylarchos jus vitæ & necis in ſuæ familiæ homines habuiſſe conſtat. *Gen.c.14.c.34.c.36. c.38. Num.c.18. Ex. c.18.* Sic tribuum & familiarum duodecim apud Hebræos 12. Phylarchi extiterunt, de quibus *Num.c.1.c.6.c.20. & Joſ.22. Deut.c.31. 1.Chron.c.3.4.7.15.24.c.7.2.& ſeqq.c.8.c.24.4. & ſeqq.Matth.c.19.v.28.* Sigon. *de Rep.Hebr.lib.7.c.6.*

17 Princeps domus eſt præcipuus & ſuperior in familiâ certâ, ſeu domo tribus alicujus & gentis, qui Græcis dicitur Patriarcha.

Uti in tribu Juda princeps. *1.Chron.c.28.v.1. & ſeqq.c.29. 6.* ibi principes paternarum familiarum & principum tribuũ Iſraëlis. vel alterius tribus, vid. *Num.c.1. Joſue c.7. c.14.c.19.& Judic.c.7. Nehem.c.7. 1.Chron.c.19.* Sigon. *d.lib.7.c.6.* Appellabantur capita certæ alicujus familiæ cui præerant & quam convocabant, & cujus duces in bello erant apud Judæos. Sigon. *d.loc.*

18 Jura communicata inter hasce perſonas ſunt, quæ

quæ dicuntur jura ſanguinis, quæ inter perſonas, naturali hac conſociatione conjunctas, ſunt & conſiſtunt partim in commodis, partim in oneribus, & in commodis ultrò citroq; inter easdem conferendis & ſuſtinendis.

Commoda ultrò citróque inter cognatos communicanda; ſunt jura in perſona, vel rebus cognati cognato competentia. 19

Phil.3.4. Quanquam ego etiam habeo in carne, de quò confidam. Si quisquam alius videtur habere in carne, de quo confidat, ego maximè. 5. Circumciſus octavo die ex genre Iſraëlis, tribu Benjaminis, Hebræus ex Hebræis, religione Phariſæus. *& 1.Cor.c.11,22. Rom.c.9.4.* Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum eſt adoptio & gloria & fœdera, & legis conſtitutio, & cultus & promiſſiones. 5. Quorum ſunt patres, & ex quibus eſt Chriſtus, quod ad carnem attinet. *& v.7. cum ſeqq.*

Ejusmodi commoda ſunt primò στοργή, affectio, amor & dilectio ſanguinis & cognati ſui. 20

De qua vid. *Gen.c.28.2.c.29.12.& ſeqq.c.43.30.c.45.1.Neh. c.3.4.5.6.c.5.5. Judic.c.11.2.& ſeqq.2.Sam.c.19.13.c.18.33. Tob. c.7. Deut.c.13.6.*

Ex hac στοργῇ proficiſcitur cura & ſolicitudo, qua cognatus de cognati ſalute & commodis angitur & afficitur, & de iis non aliter, ac de propriis laborat & ſolicitus eſt. 21

Videre licet hujus rei gratiâ *Rom.c.9.2.3.* Optarim enim ego ipſe anathema eſſe ſeparatum à Chriſto pro fratribus meis & cognatis meis ſecundùm carnem. *& c.10.v.2. Exod. c.32.32. & v.11.12. Gal.c.6.1.2. Deut. c.15.7.8. & ſeqq.* ubi cognati egeni ali à cognatis mandantur. *Nehem.c.4.14.* ibi pugnatote pro fratribus veſtris, filiis veſtris, filiab. veſtris, uxorib. veſtris, & domib. veſtris & *c.5.per.tot. Deut.c.22.1.* Si videas bovem fratris tui, aut pecudem ejus, non occultabis te ab illis, ſed omnino reducito eos ad fratrem tuum, *& v. ſeqq. Exod.d.loc. 1.Tim.c.5.4.8.* Quòd ſi quis ſuis, & maximè domeſticis, non providet, fidem abnegavit, & infideli eſt deterior. *Sirac.c.42.* Pudeat te, convertere faciem à conſangui-

neo tuo, *1. Joh. c. 3. in fine ferè. Matth. c. 7. 9. Gen. c. 37. 35. 36. c. 44. 20. 23. 29. 30. 31. c. 45 27. 28. c. 36. 30. 1. Reg. c. 3. 2. 27. Esth. c. 2.* Unde injuriâ & ignominiâ uni ex familia illatâ omnibus 22
& singulis ex familia fieri censetur. *l. 1. l. 2. de injur.* Hinc etiâ jus hospitii mutui, & hospitalitatis, *Jud. c. 19.* Greg. *lib. 15. Syntag. cap. 28. num. 35.* Gell. *lib. 5. c. 13. συμπάθεια* doloris & calamitatis, nec non communio gaudii & lætitiæ *Luc. c. 15. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. & seqq. Sirac. c. 38. 16. & seqq. c. 9. Exod. c. 18. 8. 9. & seqq. Jer. c. 16. 41. 47. 48. Judic. c. 12. 6. 1. Cor. c. 12. 2. Sam. c. 19. 12. 13.* Ratio est, quòd cognati nostri, quodammodo pars nostri esse dicantur & ejusdem carnis, *Gen. c. 29. 14. 15. Deut. c. 22. 1. 2. & seqq. c. 25. 6. 2. Sam. 5. 2. 3. c. 19. 9. 10. 11. 12. 13. 14. c. 20. 1. c. 16. 11. 12.*

23 Deinde inter commoda familiæ & cognatorum refero communionem omnium jurium & privilegiorum familiæ & cognatis competentium.

Rom. c. 9. 5. 6. Exod. c. 12. 43. & seqq. c. 18. Deut. c. 23. 7. 8. 9. c. 25. 3. 7. 9. 11. 12. c. 17. 15. c. 22. 1. 2. c. 24. Lev. c. 25. 25. 26. Tiraq. *de nob. c. 15.* & successiones mutuas & reciprocas. *Gal. c. 4. 7. Num. c. 27. Luc. c. 15. 13. 31. 32.*

24 Atque huc refero usurpationem ejusdem cognominis gentilitii, familiæve & insignium eorundem.

Tiraquel. *de nobil. c. 15.* unde descendentes ab, Israël Israëlitæ, ab Juda Judæi, à Levi Levitæ, à Benjamin Benjaminitæ vocabantur, *Phil. c. 3. v. 5. 6. 1. Cor. c. 11. v. 22. Rom. c. 9. v. 4. Judic. c. 1. v. 16.* ubi Petrus Martyr. Vid. *1. Chro. c. 1. c. 2. c. 3. c. 4. c. 5. & seqq. 1. Chron. c. 23. & seqq. 1. Sam. c. 13. v. 3. 7. c. 14. 11. Gen. 12. 2. 3. c. 17.* & apud Romanos gentes Juniorum, Juliorum, Valeriorum, Æmiliorum, Corneliorum, Aureliorum, Fabriciorum, Serviliorum, Liciniorum Tulliorum, Claudiorum, Cæciliorum, Pompejorum, aliæque complures. Similiter & familiæ apud eosdem Brutorum, Cæsarum, Messalarum, Lepidorum, Scipionum, Lentulorum, Cottarum, Luscinorum, Crassorum, Ciceronum, Marcellorum, Metellorum, Catulorum. Differebat verò gens à familia, quòd gens, velut latiùs patens, una eademque plures plerunque

runque familias complectebatur: uti, Scipionum, Lentulorum, Cossorum, Syllarum, Cinnarum, Dolobellarum familiæ unâ gente Corneliâ continebantur: Crassorum, Lucullorum, Murænarum, Stolonum, Calvorum, Liciniâ: Mamercinorum, Lepidorum, Paulorum, Scaurorum, Paporum, Æmiliâ; Pulchrorum, Neronum, Marcellorum, (quanquam hi plebeii, isti patricii essent) Claudiâ gente continebantur. Et gentiles nuncupabantur, qui ex generatione communionem ejusdem gentis & ortus habebant, & jura quædam peculiaria, tum sacra, tum profana suæ gentis participabant. At familiæ ejusdem dicebantur, qui unius gentilium domo, cognomine, vel origine comprehendebantur. Sed tamen observandum hîc, liberos à patre suo non à matre cognomen familiæ suæ accipere; *1. Sam. c. 13. 3. 7. c. 14. 11. Nu. 27. 3. 4. c. 31. 7. Gen. c. 48. 16. Deut. c. 25. 5. 6. 7. 10. Judic. c. 1. 16.* ubi Martyr: Excipe exemplũ *2. Sã. c. 3. 39.* ubi idem Martyr, *& c. 14. 2. c. 19. 21. 22.* Ratio autem, quòd à patre liberi denominentur cognomine suo, est, quòd mulier sit à masculo, & de carne ejus: *1. Cor. cap. 18. 8. 9. Eph. cap. 5.* & propter virum condita, *1. Cor. c. 11. 9.* & deterioris illa sit conditionis, *Num. cap. 27. 3. 4. 9. Sirac. cap. 42. 14. 15.* & quòd masculus familiam & nomen ejusdem conservet, *1. Sam. c. 14. 4. cap. 18. 19. Deut. c. 25. 5. 6. 7. 9. 10. Num. cap. 27. 3. 4. Gen. c. 21. 12. 13. cap. 18. 19. cap. 17. 16. 20. cap. 15. 13. & seqq. cap. 12. 2. Ruth. cap. 4. 6. & seqq. Sirac. cap. 30. 4. 5. 6. c. 40. 19. l. 220. liberorum. §. ult. de verb. sign.* vel domum, hoc est, familiam extruat, *Psal. 68. 7.* ubi Piscat. & *Psal. 113. 9. Deut. c. 25. 9. 10.* contrà fœmina, familiæ suæ caput & finis sit, *l. 195. & seqq. de verb. signif. ubi* Gœdd. *Lev. cap. 22. 12.* cùm alium in familia habere non possit, sed mariti sui familiam ingrediatur, *d. l. 195. pronuntiatio. §. ult. & l. seq. §. 1. de verb. sign. l. 8. de senat. Ruth. c. 4. 11. Tob. c. 10. 13. Gen. c. 30.* Textus notabilis *Esa. cap. 3. in fin.* aliis est, *cap. 4. 1. Num. c. 30. 7. 8. 13. 14. 16.* Cujus domum ac familiam amplificat & ædificat, & cui liberos parit, *Prov. c. 14. 1. Ruth. cap. 4. 11. 12. Esa. d. c. 3. Deut. c. 25. 3. & seqq. Siracid. cap. 40. 19. Gen. cap. 16. 15. 16. cap. 14. 15. 24. 26. cap. 25. 2. 12.*

Porrò nomina familiæ & cognatorum apud Roma- 25
nos erant, vel prænomina, vel nomina, vel cognomina.

Prænomen familiæ nomen præcedebat, & distinguendorum filiorum & nepotum caussâ inventum erat. Nomen interponebatur, quod gentilitiũ dicebatur, originem gentis demonstrans, & in ius plerunq; desinebat, ac erat συγγενικὸν & πατρωνυμικὸν; Cognomen sequebatur, quod inventum erat, ut ejusdem gentis varias familias inter se distingueret, atque sumebatur, vel à virtute, moribus, arte, studio, urbe, regione, loco, eventu, à membro corporis, vel à corporis habitu, vel ab ortu; à fortuna; vel à brutis animantibus: vid. *Car. Sigon. de nom. Rom.* Agnomen, quod quidam quarto loco addunt, fuit idem quod cognomen, ut rectè ibidem Sigonius asserit.

26 Apud Judæos nomina liberis imponebantur à parentibus, *Gen. c. 21. 3. 4. Luc. c. 1. 59. & c. 2. 21.* Cujus rei gratiâ testes, accessus scilicet ad Ecclesiam, & nominis inditi, adhibebantur. *Esa. c. 8. 2. 3.* ubi Junius: quos Græci σωτέκνους appellarunt. Imponuntur autem hæc nomina ad discrimina inter individua constituendum singulari appellatione & nomenclaturâ, à Deo commendata, & ab Adamo & Mose posteris tradita. Vid. Aret. *Tom. 1. prob. 79.*

27 Tertiò inter familiæ & cognationis jura communia refero præstationem alimentorum in casu necessitatis & inopiæ.

Gen. c. 45. 9. 10. 11. Deut. c. 15. 7. & seqq. Eccles. c. 3. 13. 17. Act. c. 7. 22. auxilium & defensionem mutuam. *Gen. c. 29. 9. c. 43. 2. 3. 4. & seqq. c. 45. 27. 28. c. 46. 9. 42. 1. 2. & seqq. c. 47. 12. 13. c. 44. 5. 11. c. 45. 9. Sirac. c. 30. 4. 5. 6. Psal. 1. 27. 3. 4. 5. Joh. c. 19. 27. 1. Sam. 22. 3. 4.* item operas & ministeria, ultrò citróq; præstanda: *arg. Ephes. c. 6. Gal. c. 6. 1. Cor. c. 10. 24.*

28 Quartò privilegium uni cognatorum concessum, jure cognationis extenditur ad ejusdem familiam, uxorem, liberos, imò & fratrem.

l. 2. §. 1. l. 3. l. 4. l. 5. de usu & habitat. Menoch. *cas. 379.* Tiraq. *de nobil. c. 15.* facit ad *Rõ. c. 9. 2. 3. 4. c. 11.* adeò ut natura quandoque eadem dona & virtutes uni familiæ communicet, & quasi hereditarias faciat. *Eccl. c. 11. 29. Act. c. 7. 51. 52. 53. 2. Tim c. 1. 5. Rom. c. 5. 15. & seqq. c. 9. 2. & seqq. c. 11. 12. & seqq. Exod. c. 20. 5. Matth. c. 12. 34. c. 3. 7. vide Menoch. lib. 1. præs. 15. & lib. 5. præs. 38. & lib. 6. præs. 58.* Tiraq. *de leg. connub. li. 7. à princ.* Sicut contrà vitia quædam familiæ familiaria esse solent, *Matth.*

Matth. cap. 7. 16. 17. Judic. cap. 12. 6. Tiraq. *de nobil. cap. 23.*

Apud Romanos etiam sacra familiæ omnibus & singulis cognatis erant communia. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. lib. 1. c. 8.* & monumenta familiaria, *l. 5. l. 6. de rel. & sumptib. funer. l. pen. C. de adopt.* & nobilitas majorum, posteris communicabatur. Tiraq. latè *de nob. c. 15. c. 16. c. 17. c. 22.* quod est jus natalium & nobilitas nativa, Tiraq. *d. loc. 2. Reg. c. 9. 34.* & sacra cerimoniæ & ejusdem religionis professio. *Gen. c. 34. 15. & seqq. Ruth. c. 1. 16. 17. & seqq. Psal. 12. 23. 45.* 29

Ergo etiam nobilitas nativa, εὐγένεια, seu jus natalium, ejusdem familiæ personis inferioribus descendentibus communicatur & quasi innascitur. Hippol. *in nobil. axiom. 30. 31. 32.* qui nobiles, generosi & patricii Latinis dicuntur.

Æstimanda autem hæc nobilitas est ex eo, quòd familia aliqua non est ex colluvie & confusione alterius gentis, sed pura & impermixta. Deinde ex eo, quòd suos agros & bona certa habeat, suisque legibus vivat. Denique quòd sit antiqua & vetusta, multosque præclaros viros ex sese genuerit, atque εὐτεκνίαν & πολυτεκνίαν demonstrare & probare possit. 30

Rom. c. 9. 2. 3. 4. 5. ubi Petrus Martyr. *2. Cor. c. 11. 12. Sirac. c. 22. 7.* Tiraq. *de nobilit. cap. 19.* Danæ. *c. 6. politic. lib. 2.* Greg. *lib. 4. c. 2.* Chassan. *in consuetud. Burgund. Rub. 4. §. 19. entre gens nobles,* ubi *num. 25. & seqq.* novem causas nobilitatis ponit. & *in catalog. gloriæ mundi part. 8.* Pacian. *lib. 2. de probat. cap. 26.* Apud Romanos, qui suorum majorum imagines habuerunt, ii Nobiles: qui suas tantùm, illi Novi; qui nec majorum, neque suas, ii Ignobiles dicebantur. Unde constat, Romanis jus nobilitatis fuisse, jus imaginis habendæ & collocandæ. Nam ut imago à magistratu curuli, quem gerere necesse est illi, qui imaginem ponere volebat: sic nobilitas ab imagine proficiscitur, quæ ponebatur in celebriore parte domus, in armario, lararióve ligneo. Vide 31

Sigon. *lib.2.cap.20. de antiq. jure civ. Rom. & lib. de nom Rom.*

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Ordine censeri, pictosq; ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?

Posteà etiã nobiles ex censu & divitiis æstimabantur, qui erant equites & alii, qui in prima classe collocati, dignitate, honore & authoritate cæteris præcellebant, Greg. *lib.4.c.2. n.5. de Rep.*

Alii nobiles quosdam vocant ἐνδόξους, qui ob res præclarè gestas, vel virtutes egregias inter cæteros eminent; quorum catalogum recenset *1.Chron.c.11. 2.Sã.23.* Quosdam generosos γενναίους, qui à nobilibus sunt generati: Quosdam neque virtute, neque genere nobiles, sed tantùm divitiis & opibus, vel ex beneficio & privilegio summi magistratus, de quib. disserit Danæ. *lib.2.cap.6.politic.* & Tiraquell. latissimè *in com. de nobilitat.* Primi generis nobilitatem rectè propriam vocare licet, quæ adquiritur virtute armatâ, vel togatâ. Armatâ, ob specimen quoddam egregium virtutis bellicæ. Togatâ, ob multarum rerum egregiam scientiam. Matth. Stephan. *de jurisd. lib.2.part.1.c.7. memb.2. n.65. & seqq. per l. diximus. l. in fin. de excusat. tutor. l. providendum. C. de postul. §.3.4. proëm. Institut.* reliquorum verò collatam & concessam à parentibus, quæ est nativa, vel à magnificentia, & splendore divitiarum, vel ex benignitate principis, quæ est dativa nobilitas, *Esth.c.6.11.*

32 Habet autem nobilitas gradus. Dicitur enim quædam clara, præclara, inclyta, generosa, spectabilis, egregia; quædam illustris, regia, imperialis.

Gregor. *d.c.2.n.5.* Pet. Heig. *lib.1.quæst.2. Tiraq.c.37. de nobil.*

33 De variâ variorum populorum nobilitate vide Theod. Zuing. *fol.28. theat. lib.2. in person. pol.* Pacian. *lib.2. de prob. cap.26.* Tiraq. *de nob.c.10.* Menoch. *lib.2. cas.67. arb. judic.* ubi describunt, qui nobiles dicantur Neapolitanis, qui Venetis, qui Romanis, qui Anglis, Hispanis, Græcis, Ægyptiis, Turcis & aliis. vide Senec. *Epist.44.* Bodin. latè *lib.3. cap.8. de Repub.* Hi nobiles apud Romanos postea erant majorum vel minorum gentium, ex gente patricia vel plebeia, ut Sigon. notat dicto loco.

Gens Israëlitica familiã suam ex genealogia certa impermixtã semper habuit, *Neh.c.7.c.10. Hesræ c.9. & 10. 1.Chron. cap.1.c.2.c.3. & seqq. Hesræ c.2.59.62. Num.c.1.c.2.c.3. Exod. cap.1.* ita ut qui non poterant probare familiam suam, non agnoscerentur pro Israëlitis, *Nehem.c.7.61.64. Hesræ cap.9. c.10.c.2.59.62.* & quælibet tribus certas suas familias, agros, civitates, regiones, quas incolebat, habebat, suisque legibus vivebat, neque ulla gens hac vetustior & antiquior, nullaque quæ plures præclaros & excellentes viros ex se progenuerit. De gentis hujus præstantiã & excellentiã alibi exstant testimonia: *Deut. cap.4.7.8.c.76. c.26.19.c.33.29. 2.Sam.c.7.23. 1.Chron.c.17.21. Psal.147.20 Exod.c.19.6. Psal.76.1.2. Matth. cap.10.6.c.15.24. Roman. cap.3.1.2.3.c.9.4. Actor.c.3.25.26. c.11.19.c.13.26.47. Johan.c.4.22.* Cujus semen perpetuum dicitur, inde ab Abrahamo usque, *Jer.c.37.37.38. Job.c.8.33. 37. Ezech.c.16.c.3.4.5.6.*

Incommoda familiæ & cognationis sunt, ministeria & operæ, quas cognatus cognato præstare tenetur; uti sunt quædam erogationes, nomine familiæ faciendæ, qualis est providentia, cura atque defensio familiæ & domesticorum. 34

De quibus videre licet *Deut.c.15.7.8. & seqq. 1.Tim.c.5.8. Prov.c.18.24. 2.Sam.c.10.12.c.23.8.9. & seqq. Neh.c.2.23. & seqq. c.14.c.5.5. Esth.c.4.14. Johan.c.15.13. 1.Sam.cap.23. 2.3.4.5. Judic.cap.19.24.* de qua causã Job à cognatis suis se immeritò derelictum rectè conqueritur, *Job cap.6.13.15. c.19.13.14.* Et David, *Psal.38.11.* De tutelâ, curâ, defensione atque protectione cognati pupilli, vide *Gen.c.37.22.26.* furiosi, surdi, muti aut alio modo cognati miserabilis, vide *tit. de cur. furios.*

De curâ & onere principatus, qui incumbit patrifamiliâs, tanquam domino & capiti suæ familiæ. 35

1.Chron.c.26.6. vide *1.Tim.c.5.8.c.3.5.12.Sirac.c.33.20.& seqq. Hebr.c.12.* Nos habuimus patres nostros, carnis nostræ castigatores. De curâ fratris senioris, quam pro juniore fratre ille sustinet & gerit, vide *Gen.c.4.7.9.c.27.31.39.42. c.44.13.14. 2.Chron.c.21.3.Deut.c.33.17.& c.21.7.15. Exod. cap.11.5.* Primogeniti onus olim quoque fuit apud Judæos, Deo sacrificare, regere familiam, illiq; imperare, uti apparet ex *Exod.c.19.22.24.& c.24.5.c.13.2. Num.c.8.16,17.* Fuerunt igitur primogeniti sacerdotes & reges familiæ suæ, quod onus postea translatum est ad Levitas, vide Danæ. *de antiquitat.c.4. Jun.d.c.19.& c.24.* Apud Judæos fratri superstiti incumbebat onus redimendæ hæreditatis fratris defuncti, & liberorum ex relicta illius vidua illi suscitandorum, *Ruth.c.2.20.21.c.3.9.12.13.c.44.6.& seqq. Deut.c.25. 4.5.& seq q.Luc.c.20.27.*

36 Propinquis senioribus incumbit onus minores suos cognatos, ex juvenili temeritate & calore lapsos, corrigendi & reprehendendi.

1.Pet.c.5.5.& 1.Tim.c.5.1.2.3.5.8.9. Num.c.8.26. Exod.c. 18.17.19.24. Deut.c.21.19.20. tot.tit.C. de emēd.propino. ideo honestatis magistri hi seniores vocantur. *Tit.c.2.3.* & apud Judæos penes seniores censura & judicia erant, *Num cap.11. 16.& seqq.1.Pet.c.5.5.* omnibus etiam cognatis laborandum, ut pacem inter se colant, licet fortè æqua non semper, aut paria à quibusdam fiant. *Num.c.20.14.c.21.4.& seqq. Deut. cap.23.7.Rom.c.12.* Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.

De alimentorum in casu necessitatis & inopiæ exhibitione, vide *Sirac.cap.22.26.& seqq. 1.Tim.cap.5.16.Gen.c.47. 12.13.& seqq. cap.44.5.11. cap.50.21. 1.Chron cap.12.38.39. 40. Nehem.c.22.3.c.4.14.c.5.5. Deut.c.15.7.& seqq.c.23.24. 25.cap.24.19.20.c.26.12.13.c.15.1.2.3.4.7..8.9.& seqq.* De redemtione captivi, *Heb.c.5.5.8. Lev.c.25.47.& seqq. Gen. c.14.12.13.& seqq*

37 Sed hæc commoda & incommoda cognationis augētur, quò magis gradu inter se cognati sunt propiores. Ideoq; inter parētes & liberos majora sunt; Hos n. parentes educare, instituere in vera Dei cognitione, *Eph.c.6.4. Educate eos in disciplina & admonitione Domini. Deut.c.6.7.c.11.19. Job.c.4.53. Act.c.10.2. 24.33.c.16.33. Gen.c.18.19. Matth.c.9.18.* gubernare & defendere debent; imò hisce thesaurizare, *2 Cor.c. 12.14.* eosque omnium, quæ ipsi habent, participes reddere tenentur, etiam status & familiæ suæ, *Luc. c.15.31.12.13. Gal.c.3.in f.c.4. 1.Tim.c.5.8. Gen.c.48.16.&* de matrimonio illis tempestivè providere, *Jer.c. 29.6. Gen.c.34.3.c.24.3.4.c.21.21.c.38.6. Judic.c.28. 1. Tob.c.10.10. Jos.c.15.16.& seqq. Ruth.c.2.c.3. Siracid.c.7. 24.25.c.42.10.11.12.* cosq; è vivis decedentes, hæredes relinquunt, & optimè illis prospiciunt; *Gen.c. 27.* ubi Martyr. *2.Reg.c.20.1.2. Num.c.27.* & tutores impuberibus constituunt, de quibus singulis & similibus latiùs Jurisconsulti.

Jura affinitatis, quæ inter affines communicantur, sunt ferè eadem cum cognationis juribus, de quibus anteà dictum est, sed tamen non tanta. 38

Hisce naturâ consociatis & unitis hominibus affines sunt, qui vocantur domestici, sub uno eodemq; tecto viventes, apud familiam, cui se federe, vel fide devinxerunt, obtemperantes imperio unius, qui familiæ caput & princeps, atq; paterfamil. dicitur, οἰκοδεσπότης, cujus socia est materfamil. uxor patrisfam. 39

Domestici autem ejusmodi sunt famuli, servi, liberi, mercenarii, clientes, & omnes, qui contubernio nostro sunt juncti, familiares & conjuncti, qui unâ domo continentur, subjectiq; sunt patrisfam. & matrisfam. iisque operas præstant artificiales, vel

obsequialis, pertinentes ad convictum & vitam hanc socialem. De quib. licet videre *1. Chron. c. 10. 6. Matth. c. 10. 25. 26. 1. Tim. c. 5. 8. 2. Sam. c. 9. 16. Gal. c. 6. 10. Psal. 101. Gen. cap. 17. 12. 13. 27. c. 14. 14. c. 16. 15. 16. Lev. c. 22. 10. c. 25. 26. 35. 36. 39. 47. 53. 2. Reg. c. 6. 11. 12. c. 5. 17. 2. Sam. cap. 19. 35. 36. 37. 38. Jud. c. 19. 24. 1. Pet. c. 18.* Sed tamen communicatio inter has personas consociatas non est tanta, & tam latè patens, vide Bod. *lib. 1. c. 5. de Rep.*

40 Jura religionis & sacra cum domesticis suis dominus communicat, *Joh. c. 4.* Credidit regulus cum totâ domo sua, *Matth. c. 8. 5. & seqq. Luc. c. 7. 1. Act. c. 10. Exod. c. 10.* ibi, nec servus tuus, nec ancilla tua opus facito. Alimenta illis subministrat, *Matth. c. 24. Luc. c. 17.* & labores compensat. *Col. c. 4.* Dignus est operarius mercede suâ & cibo suo. *Lev. c. 19. Deut. c. 14.* Defendit ab aliorum injuriis, *Sirac. c. 33.* Si habes servum, defende eum ut teipsum, *& cap. 10.* Labores præscribit œconomicos, ad eosq; illos cogit, & ab ignavia, luxu & intemperantia abstrahit. *Sirac. c. 29. c. 33. 25. & seqq.* castigat & emendat, *Prov. c. 14. Sirac. d. c. 29. c. 33.* non tamen cum sævitia & crudelitate, & minis. *Eph. c. 6. Lev. c. 25. Sirac. c. 4. c. 34. 25. & seqq.*

41 Servi operas fideles & obsequia præstant dominis, *Col. c. 3.* Servi auscultate per omnia iis, qui domini sunt secundùm carnem, *& c. 6. Eph. c. 6. 5.* Obedite dominis vestris cum timore & tremore, *1. Pet. c. 2. Psal. 122 Col. c. 3.* & cavent ne damnum adferant rebus domini sui, *Prov. c. 13. 17.*

42 Doctrinâ de consociatione privatâ conjugum & cõsanguineorum, malè meo judicio, quidam Politici ex agro politico exterminant, & œconomico ut propriam attribuunt. Nam hæ consociationes, omnis symbioticæ privatæ & publicę seminarium. Ademptâ igitur hac conjugum & consanguineorum doctrinâ, reliquarum consociationum cognitio

imperfacta & manca erit, atq; sine ea rectè intelligi non poterit. Concedo, peritiâ administrandi familiâ & rem domesticam, ad comparandas, augendas & conservandas res familiæ, merè esse œconomicam, atq; in illa esse tradendâ: Sed ab hac diversa & alia est consociatio inter conjuges & consanguineos, quæ est merè politica, symbiotica & generalis, ultrò citroq; communicans res, operas, jura & consilia ad symbiosin domesticâ & œconomicam piè, justè atq; commodè degendâ. OEconomica verò cura tantùm rē domesticâ cõcernit, quomodo nimirū, & quib. mediis ea comparetur, augeatur & conservetur. Ex hac peritia agrorū colendorū, rei pastoritiæ, arationis, sationis, messis, plantationis repastinationis, & omnis omnino rei rusticæ comparatur. Ex illâ, quę est merè politica, gubernandi & administrandi familiâ prudentia proficiscitur, quæ tradit, quid inter se conjuges, paterfamiliâs, materfamiliâs, servi, famuli & ministri, ac quid inter se cognati, ad socialem vitam privatā domesticam piè & justè transigendam, conferant & communicent. Sic igitur OEconomica & Politica subjecto & fine inter se invicē quàm maximè differunt. Subjectum illius est res familię. Finis, adquisitio eorum, quę ad victum & amictum sunt necessaria. Subjectum hujus, Politicę scil. est pia & justa symbiosis. Finis, gubernatio & conservatio consociationis & vitæ symbioticæ. Præterea non rectè omnem symbioticam consociationem publicam esse, nullam privatam, quidam asserunt. Nam stat firmū & fixum hoc axioma, omnem symbioticam consociationem & vitam esse Politicæ essentialem, genuinam & homogeneā. Sed omnis symbiotica consociatio non est publica solùm, verùm etiam quædam privata, uti domesticorum, conjugum, consanguineorum, collegarum, quę publicę consociationis seminaria. Unde sequitur, privatam consociationem rectè quoque ad Politicam referri.

CAPUT IIII.

De consociatione collegarum.

SUMMARIA.

1 *Civilis consociatio quid.*
2 *Natura hujus consociationis.*
3 *Necessitas hujus.*
4 *Collegium quid.*

5 *Collegii personæ quot.*
6 *Collegii præses & princeps quis.*
7 *Potestas hujus.*
8 *Communicatio inter collegas quid & in quibus.*
9 *Communicatio rerum inter collegas.*
10 *Collegæ omnes unum corpus constituunt.*
11 *Bona collegii, collegio soluto, cujus sint.*
12 *Operarum inter collegas communicatio.*
13 *Operæ collegarum diversæ.*
14 *Principis collegii officia varia.*
15 *Ordo collegarum.*
16 *Juris communio inter collegas.*
17 *Jura collegarum.*
18 *In collegio quomodo suffragia collegarum, & in quibus causis decernant.*
19 *Major pars collegii quænam, & quando prævalet.*
20 *In quibus causis singulorum sententia requiritur, & in quibus universorum.*
21 *Decreta collegii quomodo fieri debent.*
22 *Mulctari collega à collegio potest.*
23 *Concordia collegarum.*
24 *Species collegiorum varia.*
25 *Corpus quid sit.*
26 *Corpus populi Romani.*
27 *Distributio populi Romani.*
28 *Populi Judaici distributiones variæ.*
29 *Ægyptiorum distributio.*
30 *Usitata populi distributio.*

1 TAntùm de naturali consociatione, sequitur de civili, quâ solo suo placito & voluntate, quidam congregati, unum corpus, utilitatis & necessitatis communis causâ, in vita humana constituunt: *hoc est, communi consensu, de modo regendi & obsequendi ad corporis sui, aut universorum & singulorum utilitatem, inter se conveniunt.*

2 Hæc societas naturâ suâ dividua est, & temporalis, quæ non simul cum vita hominis durat, sed salvâ

salvâ honestate & bonâ gratiâ dissolvi potest, mutuo contrahentium dissensu, quamvis aliâs etiam necessaria & utilis in vita sociali. Quamobrem 3
spontanea, mereque voluntaria societas dicitur, licet necessitas quædam & hanc peperisse dici possit.

Nam primis mundi temporibus crescente hominum genere, tanquam familiâ se dilatante, cùm omnes cohabitare uno in loco atque unâ familiâ ampliùs censeri non possent, necessitas coëgit domicilia, pagos, vicos diversos ac sejunctos constituere, denique oppida atq; civitates aliis atq; aliis locis moliri, *Gen.c.10.in fine.c.13.v.6.& seqq. Num.c.1.44.45.* Vide Bodin. *de Repub.lib.1.c.6.* Cùm igitur paterfam. ex ædibus, in quibus domesticum imperiũ habet, forâs egreditur, seque cum aliis familiarum principibus ad res rationesque contrahendas conjungit, tunc certè patrisfam. ac domini nomen amittit, ut sociũ ac civem se ferat, & quodammodo ex familia exit, ut in civitatem ingrediatur, ac pro domesticis negociis publica tractet.

Civilis igitur hæc consociatio est, quâ tres, vel 4
plures ejusdem artis opificii, vitæ studii & professionis homines, ad commune quid inter se in eo munere, vitæ genere, vel in ea arte, quam profitentur, simul habendum consociantur. *l.ult. ubi* Bartol. *de colleg.illic.l.collegarum.173. de verb.sign.* Losæus *c.2. num.73.& seqq.part.1 de jure univers.* Talis consociatio vocatur Collegiũ, quasi collectio, societas, cœtus, sodalitas, synagoga, conventus, synodus.

Privata consociatio dicitur respectu publicę, de qua infrà. Exempla hujus videre licet *Act.c.12.12.c.28.23.30.31.c.13.15. 27.c.15.21.c.6.2.3. Matth.c.4.c.13.c.6.2.c.16.24. Exod.c.29. 42. Num.c.10.10.* Bodin. *lib.3.c.7. de Rep.*

Personæ ad collegium constituendum consoci- 5
atæ vocantur collegæ & socii.

L.1.quod cujusq; univers.nom. Item confratres. *l.ult.de colleg.illic. sodales. l.1.d.l.ult.d.1.* quorum tres ad minimum requiruntur ad collegium constituendum. *l.Neratius 85.de*

verb.sign. quia in duobus non invenitur, qui discordias inter eos dirimat, *l.si unius. §.si in duos. de recept.arb.* quamvis etiã duo collegæ dicantur, *l.173. collegarum. de verb.sign. l.2. C. de legation. lib.10. l.unic. de offic. consul.* scilicet quoad officii potestatem & paritatem. Pauciores tribus, collegium conservare possunt, *l.7.§.2. quod cujusq; universi. nom. l.114. §.pen. de legat.1.* Los. *d.loc. c.1. n.32.33.* Matth. Steph. *lib.2. part.2. c.6. de jurisd.*

6 Ex collegis illis qui est superior, cæterisque præfectus, princeps collegii dicitur. *Luc.c.8.41.47. Marc. cap.5.22.35.36.38. Matth.c.9.18. Actor.c.13.15. Luc.c.13.14.* communium rerum & negotiorum rector & director, communi collegarum consensu electus, & potestate in rerum & negotiorum ad collegium pertinentium administratione instructus. qui ideo habet in singulos, non universos collegas, potestatem & coërcitionem. Itaq; hic præses collegii major est singulis collegis, minor verò universis collegis, seu collegio, cui præsidet, & cujus placitis stare tenetur.

7 Apud Judæos archisynagogus, princeps collegii ecclesiastici dicebatur, *Num.c.4.34.c.16.2. Matth.c.9.18. Marc.c.5.22. Luc.c.8.41.c.13. Act.c.18.8.* & apud Romanos posterioribus temporibus sub imperio Cæsarum primicerius, apud Græcos ἀρχισυνάγωγος. Reliqui collegę, qui primates ex ordine sequuntur, Romanis vocabantur secundocerius, tertiocerius, quartocerius, & sic deinceps. *Vide tit. C. de primicer. & secundocer. lib.12.* ubi Cujac. princeps, capita, primates, sive priores collegii, iidem non sunt. *Actor.c.4.1.2.3.4.5.6.23.c.5.21.c.6.c.13.15.c.15.22.c.26.17.18.c.21.18. Joh.c.11.47.57.*

In hac consociatione civili privatâ, primò de collegarum communicatione & jure eorundem symbiotico, postea de speciebus variis collegiorum dispiciemus.

8 Communicatio inter collegas est, quâ collega collegæ subvenit, & propositum vitæ juvat, secundùm

dùm pacta conventa, *l.ult. de colleg.illic.* ubi Bartol. *n.3.4.* Describuntur hæc pacta & leges collegarum in libris collegiorum, quos Zunftbücher vocamus.

Communicatio ejusmodi est vel rerum, vel operarum, vel juris cujusdam, vel benevolentiæ mutuæ.

Rerum communicatio inter collegas facienda, 9
consistit in mutua singulorum collegarum contributione, & adquisitione, aliunde collegio universaliter, secundùm leges ejusdem factâ. Unde res collegii sunt ædes collegii, in quibus conveniunt collegæ; & de rebus collegii deliberant: itẽ pecunia, reditus, pocula, sigillum, arca collegii, libri & album collegii, *l.46. C. de decurion. tit. de albo scribend.* & alia ex singulorum collegarum collatione comparatâ ad utiles & necessarios collegii usus: vel aliunde collegio data.

Decian. *lib.7.c.20. num.22. crim. & cons.6. vol.2.* Los. *c.9. part.3. d.loc.*

Cõmunis utilitatis causa & finis facit, ut omnes 10
collegæ juris collegii participes, non ut singuli, sed ut unum corpus considerentur.

Ita fit, ut, quod collegium debet, non singuli debeant, & quod collegio debetur, non singulis debeatur, *l.sicut. §.si quid. quod cujusq; universi. nom. l.in tantum. 6. §.1. de rer. division.*

Bona ex singulorum collegarum collatione 11
communicata ad conservandam collegii dignitatem, vel promovendam ejusdem utilitatem, vel onera illius relevanda collegio soluto ad singulos conferentes, pro ratâ parte, redeunt; *l.3. de colleg.illic.* quę durante jure collegii, usu singulorum, proprietate universorum collegarum, seu collegii sunt, *l.1. in fin. de colleg.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Bona aliunde collegio adquisita ad commodum collegii & universitatis spectant, neq; sunt singulorum. Ex hisce bonis unus ex collegio discedens nihil aufert, collegio verò soluto in totum, quilibet collega aliquid pro rata parte ex iis aufert.

L.3. de colleg.illic. Bart. *in l.ult.d.t.* Menoch. *cas.597.arb. jud.quæst.*

Habet collegium quandoque bona quædam, quæ inter collegas distribuuntur; tum, si disolvitur collegium, respectu unius discedentis, hujus portio apud collegium remanet; si verò in totum collegium disolvitur, bona ejusmodi ad superiorem deferuntur.

Menoch. *cas.597. arb.judic.quæst.* Peregrin. *de jure fisci lib.3.tit.13.n.pen. & ult.*

Bona, quæ singulis collegis titulo aliquo sunt adquisita, non possunt dici esse de collegio, vel collegii, aut universorum. *l.1.§. si autem. ad S.C.Trebell. l.sed si hac.§.qui manumittitur. de in jus vocand.* Losæus *part.5.c.1.n.51. & seqq. de jur.univers.*

12 Operarum inter collegas communicatio est ex mutuo collegarũ consensu definita inter collegas. Operarum artificialium communicatio plerumq; ultrò citróque in ejusdem artificii & professionis, seu vocationis officiis, negotiis, commodis promovendis & incommodis avertendis consistit, secundùm modum, formam & præscriptum, quibus tacitè vel expresè inter collegas est conventum.

13 Artis, sive artificii, aut opificii, quod collegium profitetur, testimonium suis discipulis, examinatione solemni habitâ, collegium impertire solet. *l.item. C. de profess. & mag.lib.10.* Matth.Steph. *c.7. d.loc.*

Porrò

Porrò operæ collegarum sunt pares & æquales, vel dispares & inæquales inter collegas.

Hæ non singulis collegis, sed aliquibus, vel uni incumbunt, uti principi collegii, *l.unic.C.de privileg. corporat.lib.11.* jus & onus collegas convocandi, *Joh. c.11.47.57.Act.c.5.21.c.6.2.c.9.1.2.14.21.* Bodinus id jus seniori, vel majori collegii parti tribuit: jus proponendi ea, de quibus est deliberandum, *Act.c.1.15.c.2. 14.15.38.c.15.7.8.14.15.* item suffragia collegarum rogandi, colligendi, *Matth.cap.26.57.62.63.65.66. Marc. c.14.60.61.62.63.* literas aliunde scriptas ad collegium resignandi, sigillum, arcam, privilegia & alia bona collegii custodiendi; & collegium dimittendi, & si quæ plura sunt, quæ ex communi collegarum consensu inter collegas sunt distributa, vel operæ reciprocæ & ambulatoriæ, vel communi procuratori, aut syndico collegii injunctæ, & impositæ; prout natura & ratio negotiorum & rerum, quarũ causâ collegium est constitutum, exigit: *tit. quod cujusq; univers.nom.* 14

Scribuntur collegæ in albo collegii, prout lege & conventione inter ipsos est conventum, quibus cessantibus, dignitates spectandæ erunt, ut scribantur eo ordine, quo quisq; eorum maximo honore functus est. In sententiis quoq; dicendis idem ordo spectandus est, qui in albo scribendo observatus. *l.1. de alb.scribend. vid.l.6. spurii. §.fin. de decurion.* ubi Bartol. Losæus *part.1.c.3.n.99. per alleg.ibid.* 15

Juris communicatio inter collegas facta, est, quâ collegæ eodem inter se jure & legibus in collegio suo vivunt, reguntur & obligantur, atque iisdem etiam ex causis inter se puniuntur, modò hæc fiant sine præjudicio magistratus, aut alienæ jurisdictio- 16

nis usurpatione. Bod. *lib.3.c.7. de Rep.* Heig. *p.1.q.23. l.fin. de colleg.illic. l.fin. C. de jurisd.* ubi Sichard. *n.25.27.*

Quando collegium, vel universitas statuta condere possit, disputat Losæus *part.3.t.15. de jure univers.* Franc. Marc. *decis.802. vol.1.* De iis quæ pertinent ad rerum suarum administrationem, ad artem, professionem, vel negotia sua privata, statuta inter se, quibus obligentur, collegæ condere possunt. Los. *d.loc. per l.1. quod cujusq; univers. l.ult. de colleg.illic. Dd. in l.cunctos. C. de summa trin. & fid.cathol.* Roland. à valle *consil.99. vol.2.* Matth. Steph. *lib.2.part.2.c.8. de jurisd. per l.fin. C. de jurisd. l.2. C. de constit.pecun.* Schurf. *cons. 79. n.1. cent.2. & consil.34. cent.3.* quæ tamen jurisdictio non præjudicat ordinariæ jurisdictioni, *d.tex.* nec extenditur ad illa quæ sunt jure prohibita, Steph *d.loc.*

17 Jus commune collegii, vel collegarum describi solet in libris collegii (in den Zunftbüchern) quod jus, vel ex communi collegarũ consensu receptum & introductum est inter collegas: vel speciali privilegio superioris magistratus collegis concessum & indultum.

18 Major pars omnium collegarum congregatorum, minorẽ vincit suffragio suo, in rebus & causis communib. ad omnes, seu universos simul collegas communiter & universaliter pertinentibus, quæ collegas singulos seorsum extra communitatem non afficiunt, sed tantùm universos.

l.quod major.19. ad municip. l.nominat.45. C. de decur. libr.10. l.3. l.4. quod cujusq; univers. ubi Bartol. & Castr. Geil. *lib. de pign. obs.20.n.2.3. & 7. per alleg.ibid.* Sic etiam in iis, quæ ex necessitate sunt facienda à collegio, sufficit majorem partem collegii facere,

c.cùm

t.cùm in cunctis. de his quæ fiùt à maj.part. ubi Panorm. *l.20. C. comm. divid.* Bod. *lib.3.c.7. de Rep.* Ad decernendum autẽ satis est, duas partes collegii adesse, *l.3. l.4. quod cujusq; univers. l.2. l.3. de decret. ab ord. faciend.* Los. *part.1.c.3.n.77. & seqq.* Marc. *decis.1036. per tot. & 1335. per tot. lib.1.* Geil. *de pign. obs.20.n.2.7. per l.46. nomination. C. de decurion. l.2. l.3. de decret. ab ord. fac.* Ratio est, quod hîc, quod commune est, meum non est, *l. in tantum. §. universit.* ubi Bartol. *de rer. divis.* Geil. *d.n.7.*

Major pars omniũ collegarum, vel duarũ partium 19
præsentiũ, decernere & velle dicitur, quando simul in uno loco, nõ tempore & loco diversis concludit. Los. *d.loc.c.3.n.84.* Marc. *decis.784. per tot. vol.1.* ubi rationẽ reddit, quia, quando cõsensus præstatur simul & cõmuniter, major pars potest ad se trahere minorẽ. Est etiã consensus simul & cõmuniter præstitus magis deliberat⁹, & majore firmitate & robore nix⁹.

In rebus verò & causis communibus ad omnes 20
singulatim, sive ad singulos collegas pertinentib. nõ vincit major pars, sed q̃ omnes tangit, ab omnibus quoq; approbari debet, *l.fin. C. de aut. præst. l. in concedendo l.fi autem. de aqua pluv. arc. l. duo ex trib. de re jud. l. nam ita, de adopt. l. nominationes. C. de appell.* Los. *d.c.3. n.84.* adeò, ut unus etiam contradicere possit, *l. per fundum. de servit. rust. l.fin. com. pridior.* Ratio est, quia hîc, quod cõmune est, meũ quoq; est, Geil. *d.obs.20. n.4. & 7.* In his etiã, quæ sunt meræ voluntatis, nihil debet fieri, nisi omnes unanimiter cõsentiant, *l. Sabinus. com. divid.* collegialiter, communiter, non singulariter, separatim, diversis temporib. *l.7. §. hodie. de pact.* Geil. *lib.2.obs.56.n.6.* Bod. *lib.3.c.7. de Rep.*

Decreta, vel jussa collegii, non à singulis personis 21
collegísve, sed ab universis collegialiter in loco

collegii, non seorsum, congregatis dantur, *l.2. C.de decurion.l.planè. quod cujusq; univers.nom.* sicuti & omnes actus, qui apud collegium residen, tantùm ab universis collegialiter congregatis, non à singulis exerceri possunt. Farinac. *quæst.24.n.129. & seqq.* Menoch. *cas.598.* Bod. *d.lib.3.c.7. de Rep.* Los. *part.2. c.1.n.21.& seqq.& d.c.3.* Plus ergo poterunt duæ partes collegarum simul coactæ, quàm omnes collegæ seorsum consentientes, Bodin. *d.loc.* Non enim sit pro collegio, quod collegę seorsum faciunt. Accurs. *in l.sicut.quod cujusq; univers.nom.* Bartol. *in l.16.aut facta de pœn.* Los. latè *d.c.3.* Roland. *cons.53.n.31.vol.4.*

22 Ex hoc jure inter collegas, communi singulorum consensu recepto, collegæ etiam mulctari possunt, quando contra leges collegii aliquid admittunt. Coler. *de proces.exsecut.part.1.c.3.n.12. & seqq.* Matth. Steph. *de jurisd.part.2.lib.2.c.2.nu.116. & seqq.* Los. *c.15.part.3. de jure universit.* Unde fieri potest, ut unus collegarum in singulos, non universos, coercitionem habeat.

Mulcta hæc fisco, seu arcæ communi collegii infertur.

23 Benevolentia mutua & reciproca est affectus & charitas collegę singularis erga collegam, cum concordiâ, quâ idem volunt collegę, & nolunt ad communem utilitatem, sine disidio, arg. *1.Cor.c.1.10.11. Rom.12.16. & Gal.5.* Hæc benevolentia conviviis, convictu & agapis publicis alitur, fovetur & conservatur.

24 Species collegiorum secundùm personarum, artificiorum & munerum conditionem variæ esse possunt.

Hodie

Hodie plerunq; sunt collegia pistorum, sartorũ, architectorũ, fabrorum, sutorum, agricolarum, laniorum, naviculariorum, figulorum, mercenariorum, mónetariorum: vel philosophorum, Theologorum, Decurionum & similium; quibus civitas quælibet pro usu & necessitate vitæ socialis indiget, Pet. Gregor. *lib.13.c.2. de Repub.*

Ex his quædam collegia sunt ecclesiastica, sacra, rerum divinarum; quędam secularia, profana, humanarum rerum caussâ instituta.

Ecclesiastica sunt Theologorum & philosophorum collegia.

Secularia sunt magistratuum & judicum collegia, & artificum variorum & diversorum, mercatorum, compagnorum.

Magistratuum collegia præcipua sunt, quæ reliqua omnia & singula & universa pro jure suę potestatis moderantur. Vide Losæum *de jure universit. part.1.c.2.num.76.& seqq.*

Quando diversorum collegiorum homines & collegæ in unum corpus coëunt, non dicitur collegium, neque universitas, sed corpus quoddã. Bod. *lib.3.c.7.de Rep.per l.30.rerum de usucap.* quamvis quãdoq; etiam collegium corpus dicatur. *l.1.quod cujusque univers.nom.l.cùm Senatus. de reb.dub.* Decian. *l.7. crim.c.20. per l.his honoribus. §.1.de vacat.muner. l.pen. §.quibusdam de jure immu.* 25

Corpus populi Romani quatuor collegiorum generibus continebatur. In principio populus in triginta curias, sive parœcias distributus erat, quarum curiarum præfecti curiones & curionum decuriones appellabantur; postea verò populus distribuebatur in tribus tres, quarum præfecti & principes fuerunt tribuni. Servius Tullius eundem postea in classes sex ex censu, hoc est, æstimatione 26

rerum & bonorum, secundùm quam tributa pendebant classes singulæ, distribuit. Classis verò constabat suis centuriis.

27 Usitatior deniq; populi Romani distributio fuit in ordines tres: quorum primus erat senatorius, secundus & intermedius equestris, tertius & infimus plebeius. Vide Sigon. *l.2.de.antiq.jur.civ.Rom.* Exhis quilibet ordo sua separata habebat collegia, in quibus de cõmunibus suis negotiis tractabant ejusdẽ ordinis homines. Senatorii ordinis viri consilio, autoritate & dignitate excellebant, qui erant conscripti, vel allecti & adscripti in senatũ, vel pedarii in priorũ sententias discedentes. Equestris ordinis erant nobiles & patritii singuli, equũ Reip. alentes & censum equestrem præstantes: Plebeii ordinis erant, qui neq; senatores, neq; equites. Plebs, urbana vel rustica erat, de quibus latiùs Alex. ab Alex. *gen. dier. lib.1.c.29.* Pet. Greg. *l.4.c.1.de Rep.* Sigon. & Joh. Rosin. *in antiq. Rom.* Zuing. *theat. vol.2.8.de pers. pol.*

28 Populus Judaicus distributus erat in 12. tribus, seu familias. *Jos.c.24. Num.c.6.c.26. Exod.c.1. & seqq.*, quæ instar provinciarũ politiæ Judaicæ erant, ut dicetur infra *c.8.n.71.72.* hinc contribules, *1. Thes.c.2.14.15.* Tribus singulæ suas rursũ habebant familias, quarũ quælibet sua separata collegia habebant, in iisq; suos principes & philarchos, familiarũ capita. *Num. c.1.c.7.c.36. Joh.c.14.c.21.1.Chro.c.22.c.24.2.Sã.c.9.21.c. 10.21.* qui Græcis vocãtur patriarchæ, archipatriotæ. Familiæ singulæ domos familiæ suæ habebãt, tanq; specialia collegia, *Num.c.1. Jos.c.7.14.17.18.19.* Vid. Sigon. *l.7.c.5.6.7.de Rep. Heb.* Officiũ principum horũ erat, ut familias, quibus præerant, convocarent, ad easq; referrẽt, quę ad Remp. pertinerent, Sig. *l.7. c.6. de Rep.*

de Rep. Heb. Vid. infr. c.7. de prov. Ex familiis singulis primogeniti in cæteros suos fratres & sorores imperabãt. *Num.c.3.11.12. & seqq. Gen.c.48.5.6.2.Chro.c.21.3.*

Distribuebatur etiam populus Judaicus in subditos præfectis millenis, subditos præfectis centenis, subditos præfectis quinquagenis & decurionibus, *Exod.c.18.21 25. Deut.c.1.14.15.c.29.18.31.1.Chro.c.28. 1.2.3.c.29.6.7.* Sigon. *de Rep. Judæ.l.7.c.7.* Erant etiam quidam seniores ex toto populo promiscuè electi, *Josu.c.23.2.c.24.1. Num.c.11.16.17. Exod.c.18.22. & seqq. Act.c.4.5.8.33.* Erant seniores tribuum, seniores familiæ & seniores civitatis. *Ruth c.4.* & passim alibi.

Aliter quoq; populus Judaicus distribuebatur in classes, nimirum in populare, sacerdotalem, Leviticam, h.e. in ordinem ecclesiasticum, vel politicum, quibus addebantur quandoq; dediticii, recepti in jus civitatis Judæorũ: *Jos.c.23.2.c.24.1.Es.c.2.9.11.12.17. 1.Chron.c.9.2.* ubi Jun. *2.Reg.c.25.1.5. Joh.c.7.47.48.49. 2.Chron.c.24.17.23. 2.Reg.c.24.16.17.* Alibi dividitur in seniores, judices, & sacerdotes, *1.Chr.c.11.3.c.23. Jos. c.8.33.c.23.2.Deut.c.31.28.* Alibi in scribas, h.e. legis peritos & Pharisæos, hoc est, theologos, *Matth.c.19. 2.Chron.c.34.13.20.18.1.Esd.c.2.c.7.6.* Alio in loco in potentiores præcipuos & infimæ sortis homines, *2.Reg.2.24.14.16.17. Neh.c.8.1. Jes.c.3.6. 2.Chron.c.24. 17.23. 2.Sam.c.9.12. 1.Sam.c.24.11.15.* Alio in loco in magistratum superiorem, principes, sacerdotes & prophetas, *Neh.c.9.32.34. Jos.c.3.15.16.* Alio in loco in principes populi & sacerdotum, *Jer.c.26.8.9. & seqq. c.38.25.c.39.6.10.* Alio in loco in optimates, summos sacerdotes & senatores, *1.Macch.c.12.6 c.13.36. Marc. cap.15.43.2.Macch.cap.11.27.* vel in principes sacerdotum, scribas & seniores populi, *Matth.c.26.3.47.52.*

69. c.27.1.62.63. Quæ omnes populi distributiones partim ex ordinibus, partim ex collegiis, quibus utebantur, sunt sumptæ. Vid. infra c. 8. circa finem. Alias distributiones populi vide apud Pet. Greg. *lib.4 c.1. & seqq. de Rep.* & Carol. Sigon. *lib.5. de Rep. Hebr.*

29 Ægyptii populum distribuerunt in septem ordines seu collegia, quorum primum fuit sacerdotum, alterum pugnatorum, tertium boum pastorum, quartum subulcorum, quintum rusticorum, sextum interpretum, postremum gubernatorum navalium: Arabes in sacerdotes, agricolas & milites. Galli olim in Druides & equites: Athenienses in nobiles doctosque; in agricolas, in artifices. Aristoteles sex ordines voluit esse necessarios, primum agricolarum & pastorum, ob victum: secundum opificum, propter instrumenta varia: tertium militum, propter arma: quartum divitum, propter pecuniam: quintum sacerdotum, propter divinarum rerum procurationem: postremum judicum & senatorum propter judicia & consultationes. *Arist. lib. 7. pol. c.9.*

30 Hodie in plerisque locis populus civitatis provinciæ, vel regni, aut politiæ, ratione professionis suæ & vocationis, seu ex vitæ institutæ genere & diversitate in tres ordines, status, sive generalia majora collegia distribui solet. Primum collegium est ecclesiasticorum. Alterum est nobilium. Tertium est populi, seu plebis, quæ ex scholasticis hominibus, agricolis, mercatoribus & opificib. existit. Singula ejusmodi collegia & corpora rursum sua specialia minora inter se habent collegia: ut sunt collegia præcipua judicum & magistratuum; collegia minis-

minis trorum ecclesiæ: collegia variorum artificum, mercatorum, in vita sociali necessariorum & utilium, de quibus suis in locis infra. De variorum populorum & regionum collegiis vide Theod. Zuing. *theat. vol. c. 28. lib. 2.* in personis politicis & variis civium ordinib. & Greg. *l. 14. c.1. c.2. c.3. de Repub.*

CAPUT V.

De consociatione universitatis, ejusq; causis.

SUMMARIA.

1 *Consociatio publica quæ.*
2 *Hæc jure gentium permissa.*
3 *Immortalis.*
4 *Turba, cœtus, multitudo, populus quid.*
5 *Politeuma quid.*
6 *Species consociationis publicæ.*
7 *Particularis consociatio quid.*
8 *Universitas quid.*
9 *Universitatis membra quænam.*
10 *Personæ vicem sustinet.*
11 *Extranei, peregrini qui.*
12 *Politeuma universitatis quid.*
13 *Civis quid, & ejus species.*
14 *Plenus civis quis.*
15 *Originarius civis quis.*
16 *Adsumptus civis.*
17 *Domicilium quid.*
18 *Civis forensis quis.*
19 *Civis honorarius.*
20 *Civis confœderatus.*
21 *Proselyti qui.*
22 *Præfectus civitatis.*
23 *Articuli & juramentum hujus.*
24 *Præfecti & principes civitatum apud Judæos.*
25 *Inferiores obsequentes cives quinam.*
26 *A quibus hi præsides constituantur.*
27 *Universitas immortalis.*

28 *Species universitatis.*
29 *Rustica universitas quid.*
30 *Vicus quid.*
31 *Domus quid.*
32 *Ædificiorum constructio qualis.*
33 *Villa quid sit, & castrum.*
34 *Vici superior.*
35 *Pagus quid.*
36 *Magister paganorum.*
37 *Metrocomia.*
38 *Oppidum quid.*
39 *Oppidi præfectus, ejusque officium.*
40 *Universitas urbana quid.*
41 *Urbs quid.*
42 *Ejus causa efficiens.*
43 *Urbis requisita quæ.*
44 *Finis urbium.*
45 *Urbis partes, seu membra.*
46 *Suburbium quid.*
47 *Pomœrium quid.*
48 *Universitas civium.*
49 *Præfectus civitatis.*
50 *Consiliarii & senatores, & horum collegium.*
51 *Principes senatus plures.*
52 *Collegium senatus, ad articulos juramentum præstat.*
53 *Officium principis senatus in quibus consistat.*
54 *Senatus civitatis quid sit.*
55 *Collegium senatus repræsentat totam civitatem.*
56 *An hujus major sit potestas, quàm civitatis.*
57 *Senatorum convocatio, locus & deliberatio.*
58 *Absente consule, cui convocandi jus detur.*
59 *Senatores quinam.*
60 *A quibus eligantur & quomodo.*
61 *Senatores varii, ordinarii & extraordinarii.*
62 *Forma decernendi in senatu.*
63 *Qui primi rogandi in senatus collegio.*
64 *Conclusio majoris partis.*
65 *In arduis diu deliberandum.*
66 *In suffragiorum paritate, quid agendum.*
67 *Senatus Romanus qualis & quotuplex.*

68 Pote-

68 *Potestas senatus varia.*
69 *Ex senatu officiarii civitatis constituuntur.*
70 *Urbes ex quibus caussis incrementa sumant: Nimirum*
71. *ex necessitate.* 72. *destructione vicinarũ.* 73. *civium adsumptione.* 74. *loci amœnitate.* 75. *utilitate loci.* 76. *loci cõmoditate.* 77. *fertilitate.* 78. *accessus facilitate.* 79. *asylo.* 80. *schola.* 81. *consistorio summo.* 82. *panegyris.* 83. *commerciorũ variorum usu.* 84. *domicilio summi magistratus.*

HActenus de consociatione & symbioticâ civili privatâ, sequitur de publicâ.

Nam societas humana certis gradibus ac progressionibus minorũ societatũ à privatis ad publicas societates pervenit.

Consociatio publica est, quâ plures consociationes privatæ, ad politeuma constituendum, consociantur. Vocari potest Universitas. Losæus *part. 1. c. 2. num. 1. de jure univers. per alleg. ibid.* corpus consociatum, & per excellentiam politica consociatio, quæ jure gentium est permissa & approbata, Losæ. *d. loc. c. 2. n. 68. 71. 72. per l. ex hoc jure. de just. & jur.* & mori non dicitur, quoad una persona supereſt, *l. sicut. §. in decurionibus. quod cujusq; univers. nom. l. 56. an usus fructus. de usufr. l. si usus fructus. 8. de usufr. leg. l. proponebatur. 76. de judic.* nec personarum singularum mutatione variatur, sed substitutione aliarum perpetuatur, *d. l. 76. d. §. in decurionibus.* 1 2 3

Homines congregati sine jure symbiotico, sunt turba, cœtus, multitudo, congregatio, populus, gens. Los. *d. c. 2. n. 59. & seqq.* 4

Quò major verò est consociatio hæc, & plures consociationis species sub se continet, cò pluribus subsidiis, adminiculis & mediis, tam quoad animi, quã quoad corporis vitęq; αὐτάρκειαν & sufficientiã, opus habet & majorẽ amplioremq; rerũ & operarũ communicationem, διαξίαν & ἀνομίαν requirit.

5 Politeuma in genere, est jus & potestas communicandi & participandi utilia & necessaria, quæ ad corporis constituti vitam à membris consociatis conferuntur. Vocari potest jus symbioticum publicum.

6 Publica consociatio, seu symbiotica hæc est duplex. Particularis, vel universalis.

7 Particularis est, quæ certis definitisque locis est comprehensa, intra quæ jura illius communicantur.

Particularis hæc rursum est universitatis, vel provinciæ.

8 Universitas hæc est plurium conjugum, familiarum & collegiorum, in eodem loco habitantium, certis legibus facta consociatio. Vocatur aliâs civitas ἐν πλάτει. *Hieron. de monte de fin. reg. c. 3. num. 6. per l. mediterraneæ. C. de annon. & tribut. lib. 10. l. qui ex vico. ad municipal.* vel corpus plurium & diversarum consociationum.

l. 30. rer. de usucap. l. 11. quod ejusque univers. quibus adde Bod. *lib. 3. de Rep. c. 7. Deut. cap. 13. 12. 13. 15. Gen. c. 34. 16. 22. Exod. c. 1. 1. 2. 3. 4. Jos. c. 9. 1. 2.* Losæ. *part. 2. c. 1. de jure univers.* vocat corporum plurium inter se distantium collectionem sub uno speciali nomine. & Mynsing. *cent. 4. obs. 78.* Geil. *lib. 2. c. 9. num. 11. 12. de pac. public.* Dissentit Losæ. *d. l.*

9 Vocatur persona repræsentata *in l. mort. uo. de fidejus.* homines universi, non singuli.

l. 1. §. quib. l. sicut. §. si quid. quod cujusq; univers. Roland. *consil. 13. vol. 4.* Marc. *decis. 489. num. 2. vol. 1.* Losæus *d. loc. per l. 1. §. servum. de quæstion. l. 6. §. 1. de rer. divis. l. 7. §. 1. 2. quod cujusq; univers. l. 2. §. hoc etiam. C. de jurejur. propt. calum. dand.* Unde personæ appellatione universitas non comprehenditur. Losæ. latè *d. loc.* per Decium *consil. 486.* licet legitimè convocata & congregata vicem personæ sustineat. Losæ. *d. loc. part. 4. c. 1.*

Mem-

Membra universitatis sunt privatæ diversæque consociationes conjugum, familiarum & collegiorum, non singuli cujusque consociationis privatæ, qui hîc non conjuges, cognati, collegæve, *ut suprà in capp. præced.* sed cives ejusdē universitatis sunt à coëundo, ideo, quòd ex privata symbiotica transeuntes, coëunt in unum corpus universitatis. 10

His opponuntur extranei, advenæ, alienigenæ, peregrini. *Deut. c. 15. 1. 2. 4. 12. Gen. c. 23. 3. 4. 5. c. 34. Ruth c. 1. c. 2. c. 3. Joh. c. 15. 24. 25. 26. 27. Exod. c. 21. 21. c. 25. 9.* quorum officium est, nihil præter negotium suum agere, nihil de alieno inquirere, minimeque in aliena Rep. curiosos esse: *Cic. lib. 1. off.* sed moribus loci & civitatis, in qua vivunt, se quantum bonâ conscientiâ fieri potest, accommodare, ne aliis sint scandalo, vid. *Gen. c. 19. 9.* 11

Politeuma universitatis, est jus utendi, fruendi utilibus & necessariis inter cives ejusdem universitatis constitutis ad vitæ hujus usum & consortium. 12

De hac voce *Philip. c. 2. 20. & Plutarch. in lib. de trib. Reip. generibus.* aliter accipitur à Clapmario *lib. 1. c. 10. de arcan. Rerump.* Ob hoc, jus universitatis etiam dicitur. Bartol. *in constit. qui sunt rebelles. in verbo. communitas.* Losæus *d. c. 2. num. 33. part. 1. de jure univers.*

Civis (ἐν πλάτει) est duplex: plenè & propriè civis, vel ex parte, quadantenus & impropriè civis. 13

Plenè & absolutè civis est, qui plenum in universitate politeuma habet, atque omnibus commodis & juribus loci illius, in quo civis est, uti potest, atque imperio & legibus universitatis obligatur. 14

Plenè civis Hebræus erat, qui ex semine Jacobi legitimè natus ac circumcisus, jus ingrediendi templum sacrificiorum causâ, & jus publicorum honorum in Repub. Judaïca gerendorum habuit, uti colligitur ex *Deut. c. 23. & Jos. c. 5.* & talis fruebatur quibusdam privilegiis, quæ non concede-

bantur peregrinis, vide *Deut.c.15.1.2.3.12.c.23.3.* Civis plenus Athenienſis erat, qui publicorum judiciorum, conſiliorum & magiſtratuum in civitate gerendorum cum reliquis poteſtatem parem & æqualem habebat.

Plenus civis Romanus erat homo liber, qui in civitate Romana domicilium, cenſum, tribum, atq; publicorum bonorum adipiſcendorum & gerendorum poteſtatem habebat. Ideoq; tria faciebant civem Romanum, domicilii largitio, in tribum deſcriptio, & honorum petitio. A domicilio erant, commoda ſacrorum, dignitatis, libertatis, urbis, fori, ludorum, feſtorũ dierum. Qui in cenſum erat relatus, ex eo civis & liber, ſi anteà ſervus, efficiebatur. Hodie ex arbitrio, more, lege, vel conſuetudine cujusq; civitatis jus & privilegium civis pleni, vel non pleni definiendum & determinandum eſt. Vid. Bod. *lib.1.c.6.de Rep.*

Plenus civis rurſum eſt originarius, vel adſumptus.

15 Originarius civis eſt, qui jure nativitatis ſuæ civis eſt, ſeu qui originem trahit ex civitate quadam, hoc eſt, qui à patre, aut avo cive natus eſt: qui ideò neceſſarius dicitur & naturalis civis. *Græcè αὐτόχθονες, indigenæ vocantur.*

16 Adſumtus civis eſt, qui conſenſu & ſuffragio reliquorum civium, jus civitatis eſt conſecutus, qui ideò voluntarius dicitur, quòd ſcilicet receptus & inſcriptus ſit in jus civitatis ob domicilium, quod in ea conſtituit. Vocatur aliâs incola, inquilinus, cooptatus vel receptus civis.

Etſi verò inter hosce quædam adhuc ſit differentia, promiſcuè tamen iis vocibus utimur. Adſumptus civis juramento ſe ad finem & obſequia præſidibus civitatis obligat. Quos in jus civitatis peregrinos extraneósve recipi, vel eodem excludi utile ſit, vide apud Greg. *lib. 4. cap.4. num. 14. & ſequentibus*, ubi illud ex moribus, naturâ, ingenio illorum, quibus nocere vel prodeſſe poſſunt civitati, æſtimandum putat.

17 Domicilium eſt vitæ habitationisque tabernaculum conſtitutum, ubi quis locum rerum ſuarum & fortunarum, conſtituit, ut ibi perpetuò maneat; undeque rurſus non eſt diſceſſurus, ſi nihil avocet, & unde cùm eſt profectus, peregrinari dicitur, & ſi rediit, peregrinari deſtitit, *l.7. cives.C. de incol.lib.10.Matth.c.4.13.c.9.10.*

Ex parte, ſeu quodam modo civis eſt, qui non plenũ & integrum politeuma habet, ſed uno tantùm, vel quibusdam juribus veri & pleni civis in civitate uti poteſt, ſcilicet quoad immunitates & honores, vel commerciorum, aut hoſpitii uſum, non verò imperio civitatis obligatur, qualis eſt civis forenſis, honorarius, confederatus.

Civis forenſis eſt advena ἄποικος, qui aliunde 18
advenit, mox diceſſurus, & foro, nundinis & commerciorum jure uti poteſt in civitate, *l.239.§.incola. de verb.ſign.* ſecundùm mores & leges civitatis:

In qua agit *Gen.c.19.9.* Ingreſſus es, ut advena, nunquid ut judices? *Ruth c.1.* Ergo talis, jus commorandi & negotia ſua tractandi in civitate habet: ut ſunt ſtudioſi, milites, mercatores, opifices, artifices & ſimiles, qui domicilii conſtituendi in civitate voluntatem non habent, Menoch. *caſu 86.arb. judic.* Maſcard. *concluſ.534. de probat.*

Civis ejusmodi eſt etiam hoſpes adveniens, jure hoſpitii utens pro mercede juſta quieſcendi & reficiendi ſui causâ in alienæ Reipub. caupona, taberna, vel hoſpitio publico, vel privato, pro pretio, vel ex teſſera hoſpitalitatis.

Gellius *lib.5.c.13.l.1.§.habitare. de his qui dejec. vel effuder.* jus hoſpitii enim ex jure gentium commune omnibus, etiam peregrinis, quibus noſtram erga alios humanitatem, caritatẽ, benevolentiam & amicitiam declaramus, ideóq; neceſſitas introduxit hoſpitia, quâ nobis hoſpitalitas commẽdatur. *Deut.c.10.19. Exod.c.22.21.c.23.9.* Advenã (inquit Deus) non contriſtabis, nec affliges eũ, & ſi habitaverit advena

in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis, sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis eum quasi vosmetipsos, *Lev.c.19.33.* De hospitiis & jure hospit. vid. *Matth. c.25.35.36.37. Rom.c.12.13. 1.Pet.c.4.9.* & exemplis probatur *Gen.c.18.v.3.4.5.c.19.v.2.c.24.v.31. Jos.c.2.v.1. 1.Jac.c.2.v. 25.1.Reg. c.17. v.10.15. Luc. c.10. v.38. c.19.v. Hebr. c.13.* De inhospitalitate damnata, vide *Judic.cap.8.v.5.cap.19. vers.18. 1.Sam.c.25.v.9.14.* Jura hospitii mutua in signum & pignus amicitiæ colebantur apud veteres, datâ tesserâ hospitali. Gellius *lib.5.c.13.* Petrus Greg. *lib.15.Syntag.c.28.n.35.* Expedit autem civitati, notum esse, quot sint alienigenæ, quot
1 hospites, vel incolæ, ad pleraque præcavenda, quæ aliis nationibus fuerunt infausta. Nam si numerus advenarum hospitum excedat numerum civium, & advenæ civibus officere in aliquo possint ob odium, vel mores diversos, convenit exhaurire hoc onus à Repub. emigratione. Bod. *lib.4 c.1.* Greg. *lib.23.c.6.de Rep.*

19 Civis honorarius est, cui civitatis jus honoris ergò tributum est, qui tamen ideò non tenetur ullo imperio, aut necessariis muneribus civitatis illius, cujus est civis honorarius.

Bod. *lib.1.c.6.de Rep.* Ita Regi Galliæ Helvetii jus civitatis suæ dederunt. Sic rex Persarum genti Pelopidarum jus civitatis dedit, ut refert Plutarchus in Pelopida. & Atheniensis Evagoram Cypri regem, Dionysium Siciliæ tyrannum, Antigonum ac Demetrium Asiæ reges, imò Rhodios omnes civitate donarunt. Sic Biarnenses, Allobroges, Mediolanenses, Lotharingi, Cameracenses & alii pro civibus regni Gallici habentur in quibusdam. Renat. Choppin. *de dominio regis, lib.1.tit.11.* ubi enumerat plures, quibus jus civitatis ex pacto datum est.

20 Confederatus civis dicitur, qui jus civitatis ex fœdere in quibusdam est adeptus.

Sic hodie ex mutuo fœdere, communicatio civitatis & amicitiæ est inter Genevenses & Bernates, ita, ut qui ex fœderatis sociis suâ civitate desertâ, sociorum civitatem adire velit, momento civis ac subditus fiat sociæ civitatis, sine cooptatione, aut rescripto singulari. Bod. *lib.1.c.6.*

Ad

Ad hosce refero confœderatos cives illos, qui salvo jure majestatis, eosdem habent amicos & hostes, vel communia commercia; quive moribus & legibus iisdem utuntur, & eosdem habent conventus, qui tamen cives omnium non sunt.

Bod. *lib.1.c.7. de Rep.* Ita fit, ut Helvetii confœderati sint non cives inter se, qui tamen non omnia æqualiter communicent, sed distincta jura majestatis usurpent.

Apud Judæos proselyti ex gentibus procreati, ab idolo- 21
rum cultu ad Dei cultum traducti, circumcisi erant, atq; ex ea parte cives erant Hebræis quâ synagogis interesse, pascha Domini manducare unà cum veris Hebræis poterant. *Exod. c.12.v.48. Lev.c.17. Matth.c.23.v.15. Ezech.c.14.* in cæteris pares reliquis Hebræis minimè erant. Tales etiam cives Hebræi in Ægypto erant, uti apparet ex *Gen.c.45.v.17.18. 19.20.* qui habitandi tantùm jus in Ægypto acceperant, seu jus hospitandi, ut dicitur *Gen.c.47. v.4.5.6.7.11.* sed potestatem munerum gerendorum & reliqua jura civitatis non habebant. *Exod.c.1.v.9.10.11.12.13.14. Act.c.7.v.6.7. Deut. c.15.v.1.2.3.4.c.2.v.33. Gen.c.23.v.3.45.c.34.*

Superior præfectus ex civibus universitatis hic 22
est, qui ex consensu civium constitutus, negotia universitatis dirigit, gubernat ad ejusdem salutem & commodum, in singulos, non universos cives jus exercens.

Hic juramentum fidei ad certos articulos, quib. 23
partes officii ipsius continentur, præstat universitati constituenti, & à singulis civibus juramentum fidei & obsequii, quod certis articulis, quibus partes officii boni civis comprehenduntur, concipitur, exigit.

Ejusmodi superior est, vel unus, vel plures, qui 24
potestatem gubernandi universitatis consensu præscriptam acceperunt.

Apud Judæos etiam Principes civitatum fuisse Tribunos,

Centuriones, Quinquagenarios & Decuriones, refert Sigon. *lib.7.c.7.de Rep.Heb.ex Judic.c.9.1.Chrō.c.28.Deut.c.29.cap.31. Jos.c.24.1.Chron.c.13. & c.18.c.29. Jerem.c.36.* Senatores quoque & Judices civitates habuisse constat, *Judic.c.11.c.8. & Ruth.c.4.Deut.c.25.& c.21.2.Chron.c.19.* Principes senatum civitatum convocabant, eumq; de reb.publicis consulebant, ut dicit Sigon *d.c.7.* In principio generis humani singulę ferè civitates suos reges habuisse legūtur, *Gen.c.14.c.19.* ita ut unius regionis, seu provinciæ, plures reges extiterint. Sed posteà sub unius imperio plures civitates, imò & provinciæ conjunctæ, suum regem vel summum magistratum acceperunt.

25 Hi superiores præsides ex consensu communi civium suorum constituuntur, & constituti repræsentant ipsam civitatē, non aliter, quàm syndicus universitatem. Ideoq; procuratores generales suæ universitatis sunt cum generali & libera potestate constituti à civitate, qui ab eadem etiam ab officio suo removeri possunt.

Sunt igitur hi temporales, cùm universitas, seu civitas, sit perpetua & ferè immortalis, *l.proponebatur. de judic.*

26 Inferiores sunt reliqui obsequentes cives omnes singuli & universi, qui sunt subditi universitatis, seu illorum, qui eam repræsentant, non singulorū.

Losæ.part.1.c.1. *num.25.per l.1.§.servum. de quæstion.l.11. §.quod si de usuris.l.6 §.1.de rer.division.*

27 Hæ universitatis personæ singulæ, licet mutentur, quibusdam ex superioribus, vel inferioribus discedentibus vel morientibus, tamen universitas eadem manet.

l.7.§. in decurionibus. quod cujusq; univers.nom. ubi Bald. & Castrens. quæ ob perpetuam subrogationem & hominum successionem in locum decedentium, immortalis esse censetur, *l.76.proponebatur, de judic.l.7.§.ult.quod cujusque univ. nom.* Losæ. *part.1. c.1. num.32.& sequentib.* Unde apparet, aliud esse universitatem, aliud singulos de universitate. Latè Losæ. *d.c.1.* Mynsi. *cent.4. obs.78 per d.l.7.* quamvis universitas habeatur sæpè pro persona ficta repræsentata. *l.mortuo. ubi* Bart. *de fide jus.* Geil. *de pac.publ.cap.5.* Losæus *d.c.1.num.41.42.per l.2. §. hoc etiam. C. de jurejur. propt.calum.*

Porrò universitas illa est rustica, vel urbana. Rustica universitas est illorum, qui rus colunt, functionesque rusticas exercent. 28

Estque vicus, pagus, oppidúmve. 29

Vicus est ex domorum paucarum conjunctione, ex qua una tantùm platea constituitur, *l.qui ex vico. ad municipal. l. si hæres. §. vicis. de legat.1.* & dicitur Varroni *lib. 4. de latin. ling.* quòd in eo loco sint vicini, & ex utraque parte viæ domus, certis spatiis distinctæ, Græcis dicitur παροικία. 30

Domus verò, vel ædificium, autore Isidoro, est receptaculum quotidianum & assiduum contra frigus & calorem, & injurias cæli & bestiarum atque hominum vim & incursionem. 31

Ædificiorum horum privatorum constructio, reparatio & firmitas debet respicere συμμετρίαν, utilitatem publicam & splendorem, aspectum pulchrum ac magnificentiam urbis, non comparata ad damnum, vel incommodum incendiorum, platearum, fori, & ædium publicarum. 32

Vide *tit. C. de ædific. priv. tit. ne quid in loco pub.* Greg. *lib. 2.cap.10.de Rep. qui exemplis illustrat*, & Meleh. Jun. *polit. quæst.66.part.2.* ubi 14. requisita domus ponit.

Sola domus, seu habitatio una, villa nobis dicitur, à vehendo quòd in illam fructus invehantur, quasi vehilla, *l.83.§. qui fundum. de legat.1. l. fundi appellatione. de verb.sign.l.1. C. ne rustic. ad ullum obseq. lib.11.* Villa autem mutata, vel muro, aut vallo cincta, castrum dicitur. 33

l.quicunque castellorum. C. de fund.limitroph. lib.11. Lo-
sæus *part.1.cap.2.num.36.* Geil.*lib.2.obs.61.& 62.num.1.2.*
Francisc. Marc. *decis.366.num.28.vol.1.* Hoc aliquando ci-
vitati alicui subest, *l. quæ ex vico. ad municip.* & quando-
que soli præsidi provinciæ, *tit. C. de Magist. munic.*
Losæ. *d. cap. 2. num. 49. & sequentibus. de jure univer-
sitat.*

34 Vicus ergo est cœtus quidam habitantium civi-
um in loco eodem, & domos suas conferentium:
unde vicini, domus vicinales.

l.30.qui ex vico. ad municipal. Jason. *in l.si hæres. §. vicis,
de legat.1.*

Vici superior est decurio, vel octurio, vel alius ex
consensu vicinorum electus, jus vicinos monendi,
convocandi, atq; communia illorum negotia tra-
ctandi habens; Reliqui vicini sunt obsequentes.

35 Pagus dictus à Græco πηγή, Doricè παγή, id est,
fons, *Greg.lib.2.c.1.de Rep. Esth.c.9.19. Judic.c.5.7.11.* cō-
stat ex duobus vel pluribus vicis absque munitio-
nibus & muro collatis, unde pagani.

36 Superior eminentior pagi dicitur reliquorum
paganorum magister, procurator & syndicus pagi.

37 Metrocomia est vicus, vel pagus, unde coloniæ
in alios vicos sunt deductæ, *tit.C.non licet. habitat.
metrocom. lib. 11. tit. 55.* vel ad quam vici alii perti-
nent, *l.30.qui ex vico ad municip.*

38 Oppidum est pagus amplior, fossâ, vallo, vel
muro cinctus & munitus.

Dicitur ab ope præstanda, quòd ejus rei causâ constitu-
tum sit. *l.239.§.6. oppidum. de verb. sign.* vel quòd opus est
ad vitâ agendam ubi habitent tutò, vel quòd opere munie-
bant; unde mœnia, quòd munitiones essent. vid Isidor. Fest.
Pet. Greg. *lib.2.c.1.* Varr. *lib.4. de lat. ling.* Hippol. à Collib.
de increm. urb. atque hinc oppidani. Largè etiam civitas di-
citur Losæus *d.c.2.num.45.*

Præ-

Præfectus oppidi est procurator & magister op- 39
pidanorũ, jus reliquos convocandi & proponendi
habens, nec non in consulatione communi, suf-
fragia singulorum colligendi, tractandi & exse-
quendi decreta publica, & dimittendi consilii, atq;
dirigendi & administrandi res universitatis pote-
statem habens.

Universitas urbana est, quam urbanam vitam 40
& functiones mechanicas & studia colentes, con-
stituunt.

Urbs est vicorum, pagorúmve multitudo pecu- 41
liari jure consociata, communi fossâ, propugnacu-
lo & muro, *l.2.de verb.signif. Deut.c.3.5.* Losæus *d.loc.
c.2.num.17.* sepia aut cincta & munita, contra vim
externam, ad commoditatem civium.

Ex sola magistratus summi voluntate civitatis 42
jus constituitur.

Bartol. *in l.ult. num. 5. de colleg illic. & in constitut. qui
sunt rebelles.* Losæus *de jure univers. part.1.cap.2.num.16.*
Hieron. de monte *de finib. regund. c.5.* ubi disserit, an mu-
rus sit necessarius, ex *l.2.* ubi Bartol. *de verb.sign. §. sancta.
Instit. de rer. divis.*

Cic. *lib.1. de Rep.* dicit, urbem esse tectorum conjunctionẽ,
locis manuque septam delubris & spaciis communibus di-
stinctam, in qua hominum cœtus sit juris consensu & utilita-
tis communione sociatus. Vid. *2.Neh.c.2.17.cap.4.17.* Greg.
lib.2.c.3. & seqq. populus magistratum habens. *l.2. de nund.
l.2.§. post origin. de orig. jur.* vid. Paurm. *lib.2. de jurisd. c.ult.
&* Cic. *lib.3. offic.* ait, Etsi suâ naturâ congregabantur homi-
nes, tamen spe custodiæ rerũ suarum, urbium præsidia quæ-
rebant. Vocatur autem urbs, quasi in orbẽ aratro circumdu-
cta, vel ut vult JCtus *in l.pupill.239.§. urbs. de verb.sign.* ab
urvo dicitur, seu urbo. Urvum autem, seu urbum est curva-
tura aratri, & urvare, seu urbare, est arare aratroque defini-
re. *d.§.* urbs. Nam olim in condendis urbibus aratro utebar-

tur. Vid. *Varr. lib. 4. de lat. ling. Cæl. Rhodig. lib. 14. c. 5.* Quomodo ædificari debeat, tradit Aristot. *lib. 7. polit. c. 9. & c. 11.* & Pet. Greg. *lib. 2. c. 1. de Rep.* Melch. Jun. *part. 2. pol. quæst. 63.* Veget. *lib. 4. c. 1. 2. de re milit.*

43 In summa, urbs habere debet securitatem convenientiũ, & utilitatem commodè vivendi, eamque augẽdi, *Aristot. lib. 7. pol. c. 4. c. 5. lib. 6. c. 7.* vel commoditatem & opportunitatem loci, tam quoad civilia, quàm domestica & quotidiana negotia expedienda: *Num. c. 13. 17. 18. 19.*

Aëris, ventorum & aquarum salubritas, locum civitatis idoneum facit. Aër igitur, urbis sit saluberrimus locus, fertilissimus & commodissimus ad negationes & res bellicas.

Vid. Hip. à Coll. *de increm. urb. c. 2. 3. 4.* Boter. de increm. urb. Aristot. ad securitatem & ad abundantiam rerum necessariarum utilius putat, urbem & regionem maris communionem habere. Requirit quoq; Aristot. ut aquis & fontibus abundet, & aërem habeat salubrem. Nam aqua & aër sunt elementa necessaria in vita sociali, & plurimum ad valetudinem faciunt.

Salubris locus cognoscitur, si excelsus, & non nubilosus, pruinosus, non spectans ad meridiem, aut occidentem; loca quæ occidentem spectant, solo exorto tepescunt, meridie calent, vespere fervent, quæ mutatio noxia. Ad orientem vel septentrionem conversæ urbes salubres, quia venti ex locis illis spirantes, propter puritatem, & siccitatem habentur salubriores. Septentrionalis plaga non recipit mutationes noxias, & corpora diutius servat.

44 *Aristotel. lib. 7. cap. 11. polit.* Urbem autem primùm ædificasse legitur Cainus, ob metum & trepidationem, ad sui defensionem & securitatem contra hostes. *Genes. c. 4. 17.* Cic. *lib. 3. offic.* Etsi, ait, duce naturâ, homines congregabantur,

bantur, tamen spe custodiæ rerum suarum, urbium præsidia quærebant. Urbes ergo conditæ, ut essent præsidiũ adversus vim, injurias & metum, *Gen. c. 4. 17. c. 11. 23. & seqq. Num. c. 22. 16. Deut. c. 3.* Simanca *lib. 1. c. 3. de Rep.* Zvvinger. *lib. 28. tit.* quatenus urbes condunt, transferunt, contrahunt, diruũt.

Urbs quandoq; habet etiam suburbium & pomœrium. 45

Suburbium sunt continentia ædificia extra, vel juxta urbem, vel murum posita. 46

l. 2. de verb. sign. l. 139. & l. 147. l. 89. dict. tit. l. 1. de offic. præfect. urb. 1. Chron. c. 6. 56. & seqq. Burgus est pars civitatis cohærens, Los. *d. loc. c. 2. n. 46.* Vide Hieron. de mont. *de fin. regund. c. 5. & 6.*

Pomœrium est spacium agri incultum, intra muros. Vide Greg. Toloss. *lib. 2. c. 4. de Rep.* 47

Universitas civium, in urbe eadẽ habitantium, eodem communicationis & imperii jure contenta, 48 vocatur civitas, quasi civium unitas: & cives universitatis hujus, seu civitatis, qui sunt participes illius, *1. Thess. c. 2. 14. 15. Ephes. c. 2. 18. 19.* quibus contrarii sunt peregrini, extranei & ἀπόλιδες, qui jus civitatis non habent.

Præfectus, seu superior civitatis, est procurator & magister civium, cum mandato generali, ab uni- 49 versitate constitutus, in singulos, non universos, autoritatẽ & potestatẽ habens, qui dicitur plerisq; in locis consul, cui consiliarii adjuncti sunt adsessores & senatores pro salute civitatis cõsilia dantes, & 50 collegiũ senatus constituentes; cujus decretis legitimis cives singuli & universi parêre tenentur. *Vide tit. C. de defensorib. civit.* & Novell. *de defensor. civit. tit. C. de admin. rer. public. lib. 11.* Marc. *decis. 366. n. 16. vol. 1.*

Apud Judæos principes civitatis plures fuisse constat, nimirũ tribunos, centuriones, quinquagenarios & decuriones,

uti suprà diximus, de quorum munere scribit Sigon. *lib. 7. c. 7. de Repub. Hebr.*

Reliqui cives sunt inferiores, obsequentes.

51 Præfectus ille civitatis, præses & princeps senatus dicitur: estq; aliquando unus, & quandoq; plures, duo, tres, vel quatuor, pro civitatis cujusque amplitudine, & negotiorum multitudine, qui per vices officio suo funguntur. Vocantur etiam administratores Rerumpublicarum.

Tit. C. de admin. rer. public. lib. 11. Duumviri, triumviri, quatuorviri, quinqueviri &c. *l. unic. C. de solut. & liberat. debit. civil. lib. 10. l. 2. C. si serv. aut libert. ad decurion. aspir. l. 1. §. ult. de magistr. conven. l. honores. de decurion.* Matth. Steph. *lib. 2. de jurisd. part. 2. c. 2. n. 255. & seqq.*

52 Hoc senatus collegium constans ex præside & senatoribus, in principio administrationis suæ, juramento se ad præscriptos administrationis articulos obligat. *Novell. 8. c. 7.* & collegialiter officii demandati partes obit.

53 Officium principis senatus, seu consulis, consistit in potestate convocandi & habendi senatum: in potestate referendi ad eum, negotiaque proponendi: in jure rogandi, seu colligendi singulorum senatorum sententias: in potestate custodiendi sigillum, claves urbis, resignandi literas aliunde ad senatum missas, recipiendi libellos supplices, respondendi nomine collegii: & denique in potestate exsecutionem conclusorum alii demandandi, & dimittendi senatum, ut suprà de principe collegii diximus.

54 Senatus, est collegium virorum prudentum & integerrimorum selectorum, cui cura & administratio rerum civitatis est commendata.

Vid. l. 2. §. deinde quia: de origin. jur. quia, ait, difficilè populus

pulus convenire poterat in tanta hominum turba, necessitas ipsa curam Reipub. ad senatum deduxit, nec populus se ipsum regere potuit.

Collegium hoc legitimè convocatum, *l. 2. C. de decur.* repræsentat totum populum & totam civitatem. 55

Los. *d. c. 3. n. 47. 48. 66. 102. & 103.* Roland. *consil. 90. num. 1. vol. 1.* Marc. *decis. 780. glos. in l. aliud. §. refertur. de regul. jur.* Bartol. *in l. civitas. num. 2. si cert. pet. & in rub. de decurion.* quamvis non tantam habeat potestatem, autoritatem & jurisdictionem, quantam universitas, nisi lege, vel pacto aliud sit constitutum. 56

Los. *d. c. 3. num. 49. & seq. Dissentit* Bartol. *in l. 5. C. de usuris.*

Convocatur hoc collegium à rectore, seu principe illius, *l. 2.* ubi Bart. *C. de decurion.* singulis senatoribus per præconem, vel signum solitum vocatis, Los. *d. c. 3. num. 66. & 75.* ad locum publicum, solitum & ad hoc destinatum, *l. ult. ibi. in locum curiæ. C. de legatione. libr. 10. l. 2. C. de decurionib.* Tessaur. *decis. 257. num. 3.* Los. d. *c. 3. n. 71. 72. 73. 74.* ubi limitat, ut ab hoc legitimo numero coacto, hoc est, præsentibus duabus partibus ex tribus, *l. 2. l. 3. de decret. ab ordin. faciend.* Tessaur. *d. loc. num. 3.* Los. *d. loc. num. 75. per l. quòd major pars. ad municip. simultaneo consensu.* Losæus *d. c. 3. num. 84.* Franciscus Marc. *decis. 784. libr. 1.* civitatis negotia tractentur, *l. nominationum. C. de decurion. libr. 10.* Vide Marc. *decis. 1036. & 1335. vol. 1. &* Losæus *d. loc. & part. 2. cap. 1. num. 21. & seqq.* 57

Absente consule, seu rectore, hoc officium se- 58

natori seniori competit, vel illi, qui ex senatu ad hoc à rectore est ordinatus. Los. *d.c.3.n.69. per* Marc. *decis.805.vol.1.*

Quòd si tamen omnes senatores congregati sint, sine convocatione, censetur universitas legitimè convocata. Los. *d.c.3. n.70.part.1. de jure univers.*

59 Senatores sunt, qui habent jus dicendi sententiam in senatu de illis, quæ fuerunt à principe senatus proposita, & de quibus sunt rogati.

Vocantur aliàs decuriones, *l.pupillus.§.decuriones. de verb.sign.* personæ principales, *l.divi fratres. §.1.de pœn.* vel consiliarii civitatis, Los. *d.c.3.num.12.part.1.* Bart. *in rub.D.de decurion.* quorum nomina albo inscribuntur, *l.1.de alb.scrib.* quique privilegiis quibusdam gaudent, quæ Losæus *d.loc.* recenset.

60 Senatores ejusmodi eliguntur à collegio senatus, vel à certis electoribus ab universitate constitutis.

Eliguntur verò in quibusdam civitatibus senatores & consules duplici numero, ut princeps, vel comes provinciæ ex his certos eligat & confirmet. In quibusdam verò civitatibus absoluta electio est penes collegium universitatis, vel collegia artificum, vel penes certos quosdam à singulis civitatis collegiis ad hunc actum deputatos.

Hi senatores numero sunt pauciores, vel plures, pro negotiorum multitudine & civitatis amplitudine, qui constituunt collegium senatorum, consistorium, vel consilium consulum & senatorum, quod senatum usitatè vocamus. Vide Bodin. *lib.3.c.1.* Los. *d.c.3.*

Senatores hi sunt ordinarii, vel extraordinarii. 61

Ordinarii sunt, qui statis & condictis temporibus de omnibus incidentibus propositis Reipub. negotiis statuunt & decernunt.

Extraordinarii sunt, qui in arduis negotiis & causis Reipub. vocati, consilio suo juvant ordinarios, & cum iis decernendi atque statuendi potestatem habent.

Exordinarii hi vocantur sæpè à variis variè. Plerumque à numero centumviri, quinquaginta, quadraginta, triginta, viginti, quatuorviri, & sic deinceps.

Aliquando etiam in negotiis gravissimis, singulorum collegiorum universitatis, seu civitatis suffragia adhibentur, vel singularum centuriarum tribuum, vel classium, in quas civitas est distributa, quas senatus hujus collegium convocat. *l.1. C.decurion. li.10.* ubi Bart. Losæ. *d.cap.3. num.65.& seqq.part.1.*

Forma & modus decernendi & statuendi in consistorio & collegio senatus, consistit in plurium senatorum, vel collegarum omnium senatorum scilicet, vel duarum partium præsentium totius collegii, *l.2. l.3.de decret. ab ordin.fac.* Losæ. *d. cap.3. num.83. text.in l.nominationum.C.de decurion. lib.10.* sententia & suffragio collegialiter in loco solito, eodem tempore, simultaneè, Losæus *d. cap.3. num.84.* rogatis & collectis, de iis causis, quæ ad senatum pertinent, Losæus. *c.3. nu.75. & seqq.* Franciscus Marc. decis. *489. n.1.4.14.15.16.17.18. & decis.226. per tot.vol.1. & decis.681.vol.2.* 62

Universidad de Deusto Biblioteca

Nam ſenatores ſinguli à conſule, ſeu præſide, poſt propoſitionem rogati, ſuffragia ſua de re propoſita, eo ordine, quo interrogantur, proferunt, ita ut etiam diſſentiendi libertas & facultas detur.

63 An priùs ſeniores vel juniores, vel promiſcuè ſenatores ſententiã dicere debeant, disputat Cacheran. *in proœm. deciſ. nu. 2.* Teſſaur. *deciſ. 1. num. 1.* Afflict. *deciſ. Neapol. 1. n. 6.* latè Tiraquell. *de jure primigenit. in præfat. num. 112. & ſeqq. per l. 1. §. in ſententiis. de albo ſcribend. l. 2. c. de præfect. prætor. lib. 12. diximus ſup. c. 4.*

64 Poſt ſingulorum ſenatorum ſuffragia data, conſul, princeps, ſenatus, ſuffragia affirmantia & negantia, ſi quæ ſunt, enumerat, & ex iis concludit: vel etiam, ſi cauſæ gravitas requirat, & numerus major à recto diſcedere videatur, paucorum diſſentientium ſuffragia examinare & ponderare jubet, & cauſam de novo diſceptare, ac poſt alteram diſceptationem & examinationem ſingulorum ſententias rurſus colligit & ex plurium ſuffragiis conſentientibus concludit. Huic concluſioni, pauciores diſſentientes ſe ſubmittere tenentur, ita, ut concluſio hæc majoris partis, pro totius ſenatus & conſiſtorii ſentẽtia pronuncietur & habeatur. *l. quod major 19. ad municip. l. 3 l. 4. quod cujuſq; univerſ. nom. l. 3. de decret. ab ord. fac. l. 46. C. de decur. l. 160. aliud. §. 1. de reg. jur.* & totam univerſitatem obſtringat.

Nam quæ pertinent ad plures, ut univerſos, vel fiunt à pluribus, ut ab omnib. & univerſis, in his majoris partis conſenſus ſimultaneus & loco temporeq; ſufficit. Contrà, quæ fiunt à plurib. ut à ſingulis, in his non ſufficit majoris partis conſenſus, ſed ſingulorum voluntas requiritur, *l. per fundum. commu. præd. l. 7. in fin. de pact. l. 1. C. qui bon. ced. poſſ.* etiam ſeparatim in locis & temporibus diverſis declarata. Loſæ. *d. c. 3. n. 84.* & quod ſingulos tangit, id etiam à ſingulis approbari debet, *cap. quod omnes. 9. 26. de regul. jur. in 6. Bod. lib. 3. c. 7. de Rep.*

Quis

Quis ordo & forma obſervanda ſit in reformationibus faciendis & negotiis publicis expediendis, latè refert Loſæus *part. 1. c. 3. n. 85. & ſeqq.* Diu verò deliberandum eſt, cauſſaq; prius in collegio minori, poſtea in majori examinanda. Roland. *conſil. 90. vol. 1. n. pen.* Loſæ. *d. loc. n. 92. 93.* In quibusdam etiam deputati conſtituuntur cum commiſſione certa, Loſæ. *d. loc. n. 100. & ſeqq.* 65

In ſententiarum & ſuffragiorum paritate, quando collegium ordinarium judicum, repræſentat diverſas & ſingulas perſonas, & jus dicunt omnes, ut ſinguli, tum non habetur ratio dignitatis & autoritatis, ſed numeri, & in paritate illa præfertur ſententia ea, quę eſt favorabilis. Teſſaur. *deciſ. 1. nu. 6.* Faber *in l. 126. favorabiliores. de reg. jur. per l. inter pares.* ubi Zaſ. *de re judic.* Teſſaurus hîc dignitatis rationem habendã exiſtimat, *d. loc. n. 7.* quæ imparitatem parit in ſententiis. Quando verò judices collegii judicant, ut univerſi, facientes unum corpus & unum collegium, cujus caput eſt præſes, tunc vel illi ſunt dignitate pares, & prævalet ſententia favorabilior, *d. l. inter pares.* Vel ſunt dispares, & tunc major pars illa dicitur, quæ eſt dignior & antiquior. Teſſaur. *d. loc. num. 8. argum. l. unic. tit. 4. lib. 2. C. Theodoſ.* Cujac. *lib. 12. obſ. c. 16. l. majorem. de part. l. fin. de privileg. cred.* quamvis hîc conſuetudo & ſtilus cujusque curiæ prævaleat: Teſſ. *d. loc.* 66

Apud Romanos olim princeps ſenatus dicebatur, qui per cenſores, peracto cenſu, in lectione primo loco recitabatur, qui diverſus erat ab iis principibus aut præfectis Senatus, de quibus jam diximus. 67

Erant quoque ſenatores patricij majorum & minorum

minorum gentium, & patres conscripti, pedarii senatores. Vid. Rosin. *lib. 7. antiquit. c. 5.*

Legitimus senatus Romanis erat, qui lege vel more, certis diebus habebatur.

Indictus senatus, qui reliquis diebus, quibus legitimus senatus non habebatur, cogebatur.

Ante ortum verò, vel post occasum solis, senatusconsultum non fiebat.

Senatusconsultum fiebat per discessionem, aut per sententias singulorum exquisitas. de qua re latiùs vid. Rosin. *lib. 7. antiq. c. 7.*

Cùm senator rogatus sententiam dicere vellet, assurgebat, stánsque dicebat de quacunque re volebat, & quamdiu placebat ipsi, Gell. *lib. 4. c. 10.* Paul. Manut. *de sen. Rom.*

Non fiebat senatusconsultum 1. quando legitimus senatorum numerus non adesset. 2. cùm dies tolleretur & sol occumberet, ut jam dictum. 3. cùm quis tribunorum plebis intercederet, & deliberandi tempus peteret.

Apud Romanos senatus etiam diversis temporibus, variam habuit potestatem, ut docet Ros. *d. lib. 7. antiq. Rom. c. 6.*

68 Hodie in plerisque locis tantam senatus habet potestatem, quantam ex privilegiis, vel à superiore suo domino, vel ab universitate, à qua est constitutus, accipet: quæ in quibusdam locis major, in quibusdam minor est.

69 Ex collegio senatus constituuntur civitatis quæstores, redituum publicorum collectores, præfecti rei maritimæ, judices pedanei, præfecti teloniis, foro rerum venalium, rei monitariæ, & reliqui Reipub. officiarii. Urbes

Urbes autem extruuntur, & incrementa recipiunt varias ob causas, quarum præcipuæ sunt sequentes, quas ex Botero & Hippolyto referam. 70

I. Necessitas, quâ homines impelluntur ædificare urbes, quibus se contravim & injuriam, pericula aliaque incommoda faciliùs & commodiùs defendere, & familiam suam, uxores, liberos, cognatos, bona sarta tecta conservare & tueri possint. 71

Quas ob causas urbes ædificarunt in locis inaccessis, montosis, asperis, aquosis, palustribus, & aliis naturâ munitis locis, uti exemplis probat Boterus *lib. 1. c. 2. de increm. urb.* Hinc fit, ut ob defensionem ad ejusmodi urbes multi confugiant, præsertim quando commoditas commerciorum accedit; ut hodie accidit in Anglia, quò se Belgæ exules & alii recipiunt; item in Hollandia, Selandia, & apud Venetos, Embdanos, & alios.

II. Destructio vicinarum civitatum addit vicinis incrementum. 72

Hoc modo Romani miris modis Romam ampliarunt eversione Albæ, Cornicoli, Pometiæ & Vejorum.

III. Adsumptio aliorū in jus civitatis, quâ Romulus ad augendā Romā usus legitur, & hodie Turca. 73

IV. Loci amœnitas & jucunditas commoditásve, naturâ vel arte parata, pellicit & inducit homines ad consociationem. Naturalis commoditas, jucunditas, nimirum aëris salubritas, vallorūm amœnitas, sylvarum opacitas, venandi facultas, fontes & aquæ salubres, artificialis loci opportunitas, uti plateæ elegantes civitatis & splendidæ, theatra, stadia, templa, ædificia magnifica, pontes, thermæ, armamentaria, pyramides, arcus triumphales, vel statuæ plurimùm homines alliciunt. 74

Hisce quondam amplæ fuerunt, Babylon, Athenæ, Carthago, Roma antiqua ante Gothorum & Vandalorum tempora, Alexandria Ægypti, Antiochia Syriæ,

Samomemphis, Seleucia ad Tigridem, Syracusa & plures aliæ; atque nunc Roma & Venetiæ, quæ duæ civitates ob mirabilem & incredibilem magnificentiam & splendorem ad se homines alliciunt, & quasi stupidos cum admiratione detinent. Neapolis, Lutetia, Florentia, & plures aliæ.

75 V. Utilitas, quam homines ex loco capere possunt, & commoditas, quam locus præbet.

Hæc inter omnes causas est efficacissima ad incrementum & amplificationem urbium. Consistit verò hæc utilitas in loci commoditate, fertilitate, accessus facilitate.

76 Commoditas loci est, quâ ob urbis situm, plurimi coguntur uti loco illo ob commercia varia, rerum importationem vel exportationem, ita ut quasi sit locus intermedius, qui ab omnibus suis lateribus & vicinis ob commercia frequentandus est; unde circumquaque commoda à vicinis percipit, quorum quasi penus & commerciorum cornu copia, promptuarium & receptaculum est.

Tales sunt Venetiæ, Genua, Olysippona, Lugdunum ad Rhodani & Araris confluentem, Antuerpia, Amsteloredamum, Embda, Argentina, Colonia, Francofurtum, Norimberga, Augusta, Geneva, & aliæ plures civitates.

77 Loci fertilitas dicitur, quâ vitæ necessaria subsidia, victus & amictus abundè haberi possunt ad incolas & vicinos suos alendos & sustentandos.

Unde ampla fit urbs, quæ omnibus necessariis rebus abundat, & minùs opus habet aliorum subsidio & auxilio, sed aliis ex abundantia sua communicare potest.

78 Commoditas accessus, importationis & exportationis tam terrâ quàm mari, aut flumine est, quâ res quælibet & bona ad vitam socialem civilem necessaria, navigiis, curribus, equis, jumentisve aliis, sine magnis sumptibus haberi & importari, vel exportari possunt.

Hac excellunt urbes Flandriæ, Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, inter quas Embda eminet: item Brema, Hamburgum, Lubeca, Gedanum, Riga, Brunsuiga, Norimberga, Augusta, Colonia Agrippina, Argentoratum, Basilea, Francofurtum in Germania, aliæque in aliis regionibus, unde magnas divitias congerunt.

VI. Asylum & refugium apertum & constitutum, quo Romulus Romam ampliavit. Hodie usus seu liberum exercitium religionis puræ, urbes quasdam valde ampliavit, ut Genevam, Francotaliã, Vesaliam, Embdam, Bremam: cui rei eriam inserviunt ludi publici, triumphi, spectacula, actiones comœdiarum tragœdiarumq; & similia alia. 79

VII. Schola & Academia celebris bonarum literarum, in omnibus facultatibus. 80

Hinc Marpurgum celebre, Heidelberga, Basilea, Tigurum, Berna, Geneva, Herborna, & aliæ plures civitates in aliis regnis celebertimæ sunt redditæ.

VIII. Tribunal, seu consistorium supremum regionis. 81

Uti in Germaniâ est Spira: in Gallia Lutetia: in Belgio confœderatorum Haga: in Brabantia Bruxellum.

IX Nundinæ solennes, panegyricæ cum privilegiis & immunitatibus, quæ per se etiam ad se homines alliciunt, uti Francofurtenses, Argentinenses, Lipsenses, & aliæ. 82

X. Commercia varia earum rerum, quæ in loco urbis reperiuntur, vel illuc adferuntur. 83

Ut hodie est Olysipona Portugaliæ, Amstelrodamum, Embda, Gedanum, Francofurtum, Argentoratum, Norimberga, Colonia, & aliæ complures.

XI. Sedes & domicilium summi magistratus. 84

Ibi enim vivunt aulici, consiliarii, ministri principis. Illuc veniunt legati aliorum: ibi tractantur ardua negotia, ibi distribuuntur munera & officia, illuc omnes reditus regionis transferuntur. Ita aucta Constantinopolis, Lutetia, Praga, Neapolis, Cracovia, Hispalis, Cairum, & olim Ninive, Memphis, Alexandria, Antiochia, Babylon aliæq; complures

CAPUT VI.

De civitatis speciebus & civium communicatione.

SUMMARIA.

1 Civitatis species.
2 Civitas libera quæ.
3 Civitas municipalis.
4 Civitas mixti generis.
5 Civitates mixtis adfines.
6 Metropolis quæ & ejus requisita.
7 Civitatum amplarum paræciæ & classes, atque & nuxia.
8 Civitatis commoditas & incommoditas.
9 Metropolis Judææ.
10 Metropolis Romana, & aliarum politiarum.
11 Locus & sedes metropoleos commoda.
12 Metropoleos filiæ, civitates minores.
13 Colonia quæ.
14 Provincia quæ.
15 Communicatio civium in quibus.
16 Causa efficiens civitatum.
17 Communicatio rerum inter cives quænam.
18 Res civitatis plures & variæ: & num.19.20.21.22.23.24.25.26.27.
28 Operarum inter cives communicatio.
29. 30 Administratores functionum & munerum, politici & ecclesiastici.
31 Communes operæ civium, in quibus consistant.
32 Opificia privata.
33 Operæ mutuæ civium quæ: & num.34.35.36.37.38.
39 Jura civitatis quænam: & num.40.
41 Αυτονομία civitatis, jurisdictio, territorium, tribunalia.
42 Personalia jura principum.
43 Civitatis tribunalia.
44 Jus suffragii.

45 Pri-

45 Privatio & ademptio horum jurium, universitatem & civitatem tollit.
46 Concordia inter cives & ejus commoda.
47 Concordiæ causa conservans.
48 Administratio jurium civitatis, collegio senatus demandata, & quando.
49 In liberis civitatibus quis senatui præsideat.
50 Facta ab hoc collegio.
51 Collegii hujus potestas in quibus.
52 Præsides collegii hujus à quibus constituantur.

DE consociatione civitatis ejusque causis dictum est: sequitur de speciebus civitatis & communicatione civium.

Civitas igitur est libera, vel municipalis, vel mixta, vel metropolis. 1

Libera civitas dicitur, quæ immediatè summum magistratum superiorem agnoscit, ab aliorum Principum, Ducum, vel Comitum imperio libera. In politia Germanica dicitur civitas imperialis, quæ jure suffragii & sessionis in Comitiis imperii utitur, & illius matriculæ, ut imperii membrum, est inscripta ad contributiones regno, seu imperio præstandas. Geil. *lib.1.observ.21. num.9. & lib.2.obs.57.* Scipio Gentilis *lib.3, de jurisdict.c.22.* Atq; has civitates, jura principum cum territorio habere, nemo dubitat: Geil. *d. loco.* 2

Municipalis civitas est, quæ territorii domino subest, & provincialis dicitur. Mynsing. *respons.13. num.10.* agnoscitque alium principem superiorem, Novell. *15.c.6.* Matth. Stephan. *lib.2.part.2.cap.1. de jurisd.* 3

4 Mixta civitas dicitur, quæ partim Imperatorem, partim alium Ducem, vel Comitem, superiorem agnoscit & suis privilegiis utitur.

Geil. *lib.2.observat.54.nu.10.& observat.17.nu.7.8.* Mynsing. *d. loc.* exemplis illustrat Matth. Stephani *lib.2.part.2. cap.1. de jurisd.* & Tobias Paurmeist. *lib.2. C. ult. de jurisd.*

5 Sunt etiam quædam civitates, in quibus alii Duces, comitésve usurpant quædam jura, licet territorium ibidem non habeant. Hæ igitur civitates recognoscunt alium certo respectu, certis pactis & conditionibus, atque in reliquis liberæ manent.

Uti est Goslaria, Magdeburgum, Colonia, Aquisgranum, Erphordia, & complures aliæ. vide Matth. Stephani *de jurisdict.lib.2.part.2.c.1.n.24. & seqq.*

6 Metropolis dicitur, quæ est mater reliquarum, ex qua illæ, ut coloniæ, sunt deductæ, vel quæ præcipua est inter alias civitates, à quibus observatur, tanquam mater, & à qua aliæ, tanquam filiæ reguntur & defenduntur. Est ergo hîc nobis metropolis civitas magna, populosa: *Judic. cap.1.27. 28.* ubi Pet. Martyr. *2.Sam.cap.20.19. Nehemiæ cap.7. 3.cap.13.19.* caput reliquarum civitatum, *Esaiæ cap.7. 8.9. Num. cap.21.25.32.* ubi in Hebræo oppida dicuntur filiæ, *Judic. cap.11.26.27. 1.Chronic. cap.5.16. 2.Chron. cap.13.19.20. & cap.28.18.19.20.* ad cujus exemplum cæteræ civitates & oppida regni sese conformant ob ejusdem amplitudinem, frequentiam, sedem, officinam & domicilium religionis & justitiæ, templum pietatis & juris, quæ reliquis regni civitatibus facem religionis & justitiæ præfert, atque in colle & edito loco spectandam omnibus proponit, *2.Sam. cap.20.18.19. Matth. cap.5.*

14.15. & viros pietate, doctrinâ & vitâ præstantissimos, quos alii consulere possint in caussis dubiis & perplexis, alit, *Deut. cap.17.8.9. cap.12.5.7.* Aliter Losæus *part.1. cap.2. num.21. & seqq. de jure universit.*

Metropolis igitur continet summum religionis sacrarium & sedem summi tribunalis in provincia aliqua.

Metropolis ejusmodi solet reliquas minores urbes connectere, sicut in corpore humano est unicum duntaxat membrum, caput, quo cum reliqua membra connexa cohærent. Vid. *c. Clericos. 2.distinct.cap.2.scitote. 6.quæst.3. l.si eadem.de off.assess. l. unic. C. de metropol.* Berith. *lib.11. tit.21.* Mœnibus aliisque munitionibus & propugnaculis ejusmodi metropolim ornatam esse, utile est, *1.Reg.cap.4.* Pet. Gregor. *lib.2.cap.1.num.6.8.9. de Rep.* Danæ. *lib.4.c.2. polit.*

Quò autem populosior hæc & major, eò quandoque est felicior & tutior adversus vim externam majorem, & ad sumptus faciendos, *Prov.cap.14.28. 1.Reg.c.3.7.8.9.* quamvis non ita facilè regi & inter plures concordia, εὐταξία & εὐνομία servari possit.

Ampla fuit Ninive, quæ trium dierum iter habuit, *Jon. c.3.* & Babylon, Roma, & hodie Lutetia, Gandavum, Praga, Londinum.

Putarem, pro ratione loci & fertilitate circumjacentis agri, in quo sita est civitas, & pro commerciorum usu maritimo, vel terrestri, magnam & populosam eam vel minùs esse posse.

7 In amplis & populosis civitatibus, ordo civium maximè necessarius, quo veluti in classes quasdam atque centurias, tribus, sive parœcias, civitas distinguatur.

Hic ordo munitam & firmã reddit civitatem, ita ut facilior & expeditior disciplina, gubernatio & administratio omnium rerum, quæ pro defensione, conservatione & salute Reipublicæ sunt faciendæ, haberi & fieri possit. Temerè vagantibus & dissipatis omnibus, nihil rectè geritur, Εὐταξία ut omnia dirigit ad faciliorem & expeditiorem exitũ, ita ἀταξία omnia confundit, atque gubernationem & directionẽ impedit. Nam quot sunt amplæ urbes, præsertim maritimæ, tot sunt sentinæ libidinum & scelerum officinæ, quibus hâc ἀταξίᾳ remedium ponitur. Ita Judæorum civitates amplæ, distinctæ in suas tribus, quæ suas centurias, & hæ suos quinquagenarios, & hi suos decuriones habebant, quibus distinguebantur. Sigon. *lib.7.c.7.de Rep. Hebræ. ex Judic.c.9. 1.Chron.c.28. Deut. cap.29. cap. 31. Josu. cap.24. 1.Chron. cap.13. cap.38. cap.29. Jerem. cap.36.*

8 Civitates, quæ sunt incolis desertæ, facilè evertuntur. Quæ sunt sitæ in locis, vel per se infœcundis, vel quibus nihil extrinsecus invehi potest, eæ si valde populosæ fiant, statim exhauriuntur, & fatiscunt, fitque in iis summa rerum omnium caritas & inopia, quòd tantam hominum multitudinem, velut onus nimium & impar, ferre atque alere nequeant, *Aristotel. lib.7.politic.c.4.c.17.* Danæ. *lib.2.c.2. politic.*

Metro-

Metropolis maximæ autoritatis sit, quando in ea constituitur præcipuum pietatis sacrarium, summum tribunal juris & justitiæ, & honoratissima majestatis regię sedes. *Quæ tria Hierusalem habuit, Ps.122. & 132. ut & Roma, Constantinopolis, Lutetia, & aliæ complures.*

Metropolis Judææ, pro tribub.12. & provinciis populosissimis, primò erat Silo, in ea regione, quæ dicta est postea ex metropoli sua Samaria, quâ postea repudiatâ, electa est urbs Hierusalem; *2.Reg.c.21.7.8.* ibi: In domo hac & Jerusalaimis, quæ elegi præ omnibus locis tribuum Israëlis, collocabo nomen meum. *Psalm.122.vers.3.* Jerusalaima optimè constructa civitas, quæ planè coagmentata est inter se pariter. 4. Quò ascendunt tribus, tribus Jah, ad testimonia Israëlitarum, ut celebrent nomen Jehovæ 5. Quia ibi considunt throni juris, throni domus Davidis: *& vers. seqq. Et Psalm.87.2.* Diligit Jehova portas Tzionis suprà quàm ulla tabernacula Jacobi. 3. Honorificentissima sunt quæcunque prædicantur de te, ô Civitas DEI summè honorifica, *& vers. seqq. & Psal.78.v.67.68. Deut.c.17.8.* Si occulta tibi erit res in judicio &c. tunc surgens, ascendes ad locum, quem elegerit Jehova DEUS tuus: *9.10.11.2.Sam.cap.5.9. 1.Chron.c.11. 8. Deut.c.12.5.* In loco quem elegerit DEUS vester ex omnibus tribubus vestris ad collocandum nomen suum ibi. *& cap.6.7.11.12.14.18.20.21. Amos cap.7. cap.8. Jerem. cap.3. vers.10.11.12. & sequentib.* Sigon. *lib.1. de Repub. Hebræ. cap. ult.* 9

Metropolis in imperio Romano ante tyrannidem pontificiam & tenebras inductas, erat Roma, & pòst quoque Constantinopolis: in regione Attica Athenæ: in Boëtia Thebæ; in Peloponneso Sparta, Argos, Corinthus: in Chaldæa Babylon: in Assyria Ninus, aut Ninive: in Africa Carthago, & aliæ alibi. Vid. Zuing. *Theat. vol.2.lib.2.* 10

Metropolis rursum ita simpliciter dicitur, vel regia, in qua scilicet frequentiùs Rex, seu summus Magistratus suum domicilium habitationémve deligit.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ibi enim magistratus persona, ad quam subditi confluunt, & opulentia regalis, & virorum præstantiorum, atque aulicorum consortium, & ædes regiæ locum illustriorem & splendidiorem reddunt, *1.Reg.c.7.1.2 & seqq.c.10.per tot.*

11 Ejusmodi regia metropolis consultiùs constituitur in media regione seu regno, ut facilis undiquaque sit ad magistratum accessio, quàm alio in loco, nisi ad fines natura loci munitionem juvet.

Pet. Greg. *lib.2.c.1.n.10.11.12.* De domo & habitatione Samuelis, *1.Sam.c.7.15.16.17.*

12 Aliæ civitates pendentes à metropoli sunt, quæ imitantur illius gubernationem & jura civitatis, quæ filiæ metropolis, ut dixi, vocantur.

13 Colonia dicitur, quæ ex civitate nimis populosa exonerandæ ipsius causâ est educta, & à civibus ejus condita.

14 Regio, seu Provincia est, quæ complexu suo vicinas plures civitates, oppida & pagos continet, & peculiaribus suis legibus, privilegiis & juribus utitur in quibusdam, quamvis communi quodam vinculo imperii, aut societatis cum regionibus, aut provinciis civitatibúsve aliis conjuncta sit: *de qua in cap.sequenti.*

15 Communicatio civium ejusdem universitatis inter se invicem ad αὐτάρκειαν & συμβίωσιν, est rerum, operarum, juris, & concordiæ mutuæ, unde πολίτευμα, jus civitatis symbioticum existit, & civitatis jus dicitur.

16 Et ut homo μικρόκοσμος dicitur, sic & civitas vel Respub. parva, in qua negotia communia ad civitatem pertinentia, eodem ferè modo, quo in regno & provincia aguntur & tractantur.

Plato *lib.2.de Repub.* Quandoquidem nullus nostrum ex se ipso est sufficiens, sed multis indiget, unde civitatis initium: sic

um: sic itaque alios ad nostrum usum nobis adjungentes, communicatores & adjutores accipimus, arq; cœtum efficimus, qui civitas vocatur. Cùm enim multis rebus homines egerent quas seorsim sibi quisq; comparare non posset, in unum locum multi convenerunt, ut sibi mutuum vitæ subsidium ferrent.

Hîc igitur nobis primùm de communicatione hac, & deinde de administratione hujus communicationis est dicendum.

Communicatio rerum inter membra & cives 17
ejusdem universitatis, oppidi, pagive facit, ut res communicata, ex communi omnium & singulorum consensu & pacto, usibus universitatis reposita inserviat, eo modo, ratione & formâ, quib. inter membra & cives convênit & constitutum est. Atque talis communicatio rerum meritò civitatis nervus dicitur.

l.1.§. in caus. de quæst. Novel.52. Leon. & Novel. Justin. 149. Zuing. *vol.28.lib.2.* huc refert legum communitatem, habitationis, opum ἀξίωσιν καὶ κτῆσιν, *honorũ communionem & magistratuũ.* Et hæc bona civitatis, *l.bona civitatis.l.inter publica.de verb.sign.l.1.l.2.C.de diverſ.præd.urb.lib.11.*

Constitui verò, & fieri solet talis rerum collata- 18
rum vel adquisitarum communicatio duob.modis. Uno, ut res communicata usui singulorum civium patêre & inservire possit: Altero verò, non ut singulorum, sed universorum utilitati & necessitati inserviat, *l.7.§.1.2. quod cujusq; univers.nom.*

Prioris generis sunt res, quæ usu, vel usufructu suo singulis membris & civibus ejusdem universitatis inserviunt, hoc est, in quib. facultas utendi, vel fruendi, civibus concessa est. Losæ. *part.3.c.1. de jure univers.* atq; ad usum politicum, vel divinum sunt destinatæ.

Usui politico destinatæ sunt res seculares, quales 19

sunt: nemora & silvæ, in quibus singuli de universitate ligna incídunt: item pascua, in quibus singuli cives, vel oppidani pecora sua pascere, vel jus pascendi, lignandi, commune vendere, & pretium ex venditione redactum singuli inter se distribuere, vel fructus perceptos inter se, tanquam socii, communicare & dividere possunt. Ejusmodi quandoque sunt etiam piscinæ & salinæ.

20 Hujus generis etiam sunt prędia, aquę, flumina, viæ, fontes, balnea, thermæ, molendina, fana, templa, scholæ, cœmiterium, portus, theatra, stadia, forum, curia, basilica, palatia, buleuteria, dicasteria, prytanéa, tribunalia prætoria, ut ad ea tutus omnibus accessus pateat & recessus, phylactera publica, uti ærarium, bibliotheca, armamentarium, granaria, equilia, carceres, pomœria, muri, mœnia, viæ publicæ, item horologium civitatis, ad quod publicè actiones hominum in civitate componuntur: campanæ publicę, gymnastica publica, palęstrę publicæ, xysti: Fasti, calendaria publica, libri civitatum: item carcer ad continendum & custodiendũ homines; vel ad castigandum, vel ad pœnitentiam, non ad necem, inventus & constitutus. Gregr. *lib. 2.c.7.* item domus ad disciplinam pro indomitis & effrenibus destinata, quam Zuchthaus vocamus; ergasterium colásticum. Hujus generis sunt quoq; statuæ, ludi, comitia & plura alia, de quib. Gregr. *lib.2.cap.3.c.4.c.5.c.6. & seqq.* Machiav. *lib.2.c.24. de Rep.* Asyla. *Exod.c.21.* de quibus Jun. *lib.2.pol.quæst.65. Num.c.35. Josu c.20.* loca publica variis civiũ utilitatibus, amœnitatibus, vel deambulationib. destinata.

21 Forũ dicitur locus negotiis publicis & commerciis peragendis destinatus. Estq; forum judiciale, vel

vel negotiationis & rerum venalium. Judiciale erat Judæis in portis civitatum.

Ruth.c.4. 2.Sam.c.15.2. Deut.c.21.19. Romanis alicubi, Gregor. *lib.2.c.6.c.8. de Rep.*

Harum rerum usus eatenus civibus volentibus conceditur, quatenus non deteriores illas reddunt; & quo tempore utuntur, ab alio impediri non debent, Marc. *decis.223.vol.1.* 22

In pascuis publicis quisque civium pecudes habere potest, & pascere pro modo prædiorum, quæ in territorio illo possidet, *tit. C. de pasc. public. libr.11.* quemadmodũ quoq; pro modo prædiorũ aquam ducere potest ex publico universitatis flumine. Hactenus enim cujusq; usus & necessitas requirit. 23

Alterius generis res universitatis sunt, quæ usu & proprietate sunt universorum, non singulorum, *l.7.§.1.2. quod cujusq; univers. nom. l.6. §.1. de rer. divis. §. universitatis. Inst. d. tit.* uti sunt vectigalia civitatis oppidive, horrea, armamentaria, cellæ cerevisiariæ, vel vinariæ, reditus & pensiones annuæ, pecunia ærarii, seu arca communis, *l.1.§. quod si. quod cujusq; universit.* ex singulorum civium contributione collecta ad usus publicos universitatis, saltus hyberni vel æstivi, dumeta, metallariæ fodinæ, & alię res plures similes. Posse verò universitatem sibiipsi tributum vel collectas imponere ob necessitates publicas, æs alienum, extructionem, vel refectionem operum publicorum, constat ex *l.1.§.ult. quod cujusq; univ. nom. l.12. omnes. C. de operib. publicis.* Ludov. *decis. 43.* Marc. *decis.803. & 489.vol.1. & decis.780.* Los. *part.3. c.9. de jur. univ.* Borch. *in c. quæ sunt regal. n.53.54.* Wes. *cons.27. & cons.45. & cons.12.n.67.* Thesaur. *decis.254.* de quibus collectis suo superiori magistratui rationem reddere non tenetur, Schurf. *cons.83.n.2.cent.2.* 24

Henning.Gœd.*conſ.31.& ſeqq.* Heig.*part.1.quæſt.20.* Unde arca communis,*l.1.§.quibus.§.ult. quod cujusq; univerſ.nom.* Matth.Steph.*lib.2.part.2.c.2.n.122.& ſeq. de jurisd.*

Huc quoq; refero archivum, ſeu tabellarium & grammatophylacium civitatis, in quo aſſervantur libri & inſtrumenta illius;libri,inquam,ſtatutorum & conſuetudinum receptarum; album, ſeu matricula civium; libri cenſuales tributorum, redituum & decimarum, regeſta civitatis: libri literarum, Briefbücher: libri mulctarum indictarum, Strafbücher:libri foreſtorum, Forſtbücher: libri feudales, Saal vnd Steurbücher: libri peculiares, in quibus actus voluntariæ jurisdictionis deſcribuntur, nimirum dationes tutorum,unionis prolium, donationum:libri hypothecarum,libri,ſeu acta judiciorum, der Gerichten bücher/in quibus cauſæ controverſæ inter partes deciſæ, vel nondum finitæ,ſunt deſcriptæ: libri ſenatus, Rahtsbücher/ Diaria, libri reſolutionum & decretorum; & ſi qui ſunt alii libri publici univerſitatis.

Ejusmodi res univerſitatis, ut res privatæ poſſidentur ab univerſitate, & fructum ferunt, non cuilibet uti volenti,ſicut præcedentes,ſed univerſitatis patrimonio: niſi aliter inter cives ſit conventum & conſtitutum.

Nam quandoque ad uſum ſingulorum,& quandoque ad uſum univerſorum, hoc eſt, ſocietatis deſtinantur, Loſ. *d. part.3.c.1.*

Judæos quoq; res univerſitatis habuiſſe,conſtat ex ſacris literis. Apud hosce cives in agris fructuum reliquias ad pauperum ſuſtentationem relinquebant, *Deut.c.24.19. & ſeqq.* & decimas pauperibus aliisque miſerabilibus perſonis conferebant,*Deut.c.26.12.13.c.14.29.c.15.7.9.10.11.* imò ex lege omnes

omnes ſuos inopes & pauperes ſuſtentare tenebantur, vide *Deut.c.15.*

Cultui divino deſtinatæ ſunt res ſacræ & ſanctæ.

Sacræ ſunt,quæ cultui divino ritè ſunt dedicatæ & conſecratæ, uti templa, ſacella, & ſimiles res aliæ ſacræ,donaria templi,decimæ, & reditus eccleſiaſtici, libri ſacri. 26

Res ſacræ apud Judæos fuerunt dona ſacta,*Num.cap.29. Deut.c.12.*primitię & decimæ,*Exod.c.22.Num.c.5.c.18.c.27. 2.Chron.c.31. Deut.c.14.& 26. Nehem.c.10.* & inſtrumenta omnia, quibus utebantur in cultu divino peragendo, ſacræ pecuniæ in gazophylacio, *Exod.cap.30. 2.Reg.cap.12.c.22. 2.Chron.c.24.* oblationes votivæ & voluntariæ, *Levit.c.7. c.23. 2.Sam.c.8. Judic.c.12.* de quibus Sigon.*lib.4.de Repub. Hebr.*

Sanctæ res ſunt, in quarum violatores pœna eſt conſtituta,*§.8.Inſt.de rer.diviſ.* ut muri,portæ,valla, propugnacula, arces civitatis, foſſæ aquariæ,ſepulchra, *Neh.c.3.1.* 27

Geneſ.cap.23.4. vide *tit.C.de operib.publ.l.8. de rer.diviſ.* Pet.Gregor.*lib.2.c.3.4.5. Nehem.c.2.17.c.4.17.* quò & carcer rectè referri poteſt.

Operarum inter cives ejusdem univerſitatis communicatio eſt, quâ miniſteria & ſubſidia ad συμβίωσιν & convictum mutuum civium neceſſaria & utilia præſtantur,à cive civi indigenti,vel volenti,ut dilectiõ per officia charitatis præſtita ſit efficax. 28

1.Cor.c.9.19. Nehem.c.3.c.4.Gal.c.5.13. 1.Cor.c.12.4. Diſtinctiones donorum ſunt: *5.* diſtinctiones miniſteriorum, diſtinctiones actionum ſunt. *Et v.12.* Nam & corpus non eſt unum membrum,ſed multa: ſi dixerit pes,quoniam non ſum manus,non ſum de corpore,num ideo non eſt de corpore? ſi dixerit oculus,quoniam non ſum auris,non ſum de corpore,num ideo non eſt de corpore: ſi totũ corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore,

sicut voluit. 21. Non potest autem oculus dicere manui, Te mihi opus non est, aut rursum caput pedibus, Non est mihi vobis opus. 22. imò multò potiùs, quæ videntur membra corporis infirmissima, necessaria sunt. 25. & ne disidium sit in corpore, sed membra itidem sollicita sint alia pro aliis. Facit huc apologus, quo usus est Menenius Agrippa pro revocandâ plebe Romanâ, secessione factâ contra Patricios & Senatum, de membris detrectantibus inservire ventriculo, Flor. *lib. 1. de gest. Rom.* Halicar. *lib. 6. Cic. 2. Philip.* Præsidium charitate & benevolentiâ civium septum oportet esse, non armis, ita ut civis tanquam socius, communem societatis utilitatem promoveat augeátve, *l. 65. §. 5. l. 52. §. 10. pro soc. l. 25. d. t.* privato commodo commune præferat, *d. l. 65. §. 5. pro soc.* & faciat quæ societati expediunt, & contrà omittat quæ illi obsunt, *d. l. 65. actione. §. 5. l. 60. pro soc.* & approbet id quod à majori civium parte agitur, argum. *l. item. 17. §. 6. l. 27. §. 3. de recept. arb.* Menoch. *cas. 442. arb. judic.*

29 Ejusmodi operarũ communicatio potissimùm fit in functione & administratione munerum & opificiorum ad vitam socialem, & συμβίωσιν necessariorum & utilium, quorum directio ad collegium senatus pertinet, arg. *tit. de decret. ab ordin. fac.*

Munerum publicorum administratores illi sunt, qui Reipubl. seu civitatis negotia publica, politica vel ecclesiastica expediunt.

30 Politica negotia civitatis, quæ usum vitæ hujus, αὐταρκειαν, atque summatim ea, quæ in tabula secunda Decalogi continentur, concernunt, administrant judices, senatores, consiliarii, syndici, censores, quæstores ærarii, præfecti publicis operibus, curatores viarum publicarum, portuum, ædificiorum, murorum, & aliorum operum publicorum & rerum universitatis, ædiles cereales, præfecti urbis, vigilum & alii similes.

Ecclesiastica negotia, quæ communionem sanctorum,

ctorum, ædificationem, pietatis cultum & Dei cognitionem spectant, curant ministri ecclesiæ, scholarum præfecti & pædagogi, diaconi & similes, de quibus infrà cap. 8.

Sed hîc tamen sunt quædam communes operæ 31
& functiones, tam superioribus, quàm inferioribus incumbentes: uti est cura & solicitudo pro Dei cultu, & ecclesiæ salute promovenda.

Psal. 122. 6. 7. 8. Propter domum Jehovæ DEI nostri procurabo bonum tibi. *Et Psal. 51. 20.* Quod fit primùm per preces pro salute ecclesiæ effusas, *Matth. cap. 9. 38. 2. Thess. cap. 3. 1.* item in precatione 2. Adveniat regnum tuum. Deinde per mutuam ædificationem, *2. Thessal. c. 3. Judæ 1. 20.* ut quibuscunque mediis licitis possumus, proximum DEO lucremur, ad cognitionem & cultum ipsius eum adducentes, *1. Corinth. c. 10. 33.* vel eundem in cognitione & cultu DEI confirmemus adhortationibus, consolationibus, & similibus. Denique fit erogatione bonorum nostrorum ad Dei cultum promovendum vel conservandum, *Prov. c. 3. 9.* consecratione liberorum nostrorum ad verbi ministerium, *Matth. cap. 9. 38.* exemplo Channæ, *1. Sam. c. 1. & c. 2. & 3.*

Opificia sunt negotia privata, principaliter ad u- 32
tilitatem administrantium, & per consequentiam ad publicam civitatis, vel universorum utilitatem spectantia, uti sunt opificia varia mechanica, vita rustica, agricultura, & mercatura, de quibus alio loco suprà latiùs ago.

Hæc opificia ut sibi invicem mutuas operas, ad sui conservationem præstare possint, necesse est ut conjungantur.

Sic enim rusticus opus habet fabro, architecto, pistore, sutore, sartore & aliis: & hi etiam rustici auxilio & communicatione indigent.

33 Operæ mutuæ civium præstantur quoque in reparatione, ædificatione, & extructione operum publicorum, muri, valli, fossæ, portæ civitatis seu urbis, item templi, theatri, curiæ, plateæ, viæ, pontis, fluminis publici, molæ, aliorumq; publicorum operum, *Nehem.c.3.c.4.*

34 Denique operas suas etiam cives conferunt in urbis & civitatis custodiâ, excubiis, munitione & defensione: *Nehem.c.4.14.& seqq.22.23.* item in erogatione sumptuum nomine universitatis faciendorum, & sustentatione ministrorum publicorum universitatis, *Nehem.c.5.*

35 Sunt etiam aliæ operę, quæ privatę magis, quàm publicæ universitatis utilitati & commodo inserviunt, ac non tam ex pacto, quàm ex charitate & benevolentia civis præstantur, ut quando civis civi pro viribus opitulatur re, vel consilio, commoda civis promovet, incommoda & pericula amovet & avertit, quando potest.

Sirac. cap.29. Mutua proximo tuo, cùm indiguerit &c. *Matth.c.8.v.16.* Adduxerunt ad eum dæmoniacos multos, & *2.Reg.c.4.* Pete commodato vasa à vicinis tuis. *Prov.c.27. v.10.* Melior est vicinus propinquus fratre longinquo, qui non est ad manum sublevando tuas difficultates, fidejubet pro proximo suo, *d.c.29. Joh.c.11.* Multi ex Judæis venerunt ad Martham, ut eam consolarentur: *& Luc.c.7.* Multa turba exivit cum vidua, cujus unicus filius erat defunctus. *Luc.c.1.* Audiverunt vicini & cognati Elisabethæ, quòd magnam misericordiam Dominus ei exhibuerat, & congratulabantur ei. *Rom.c.12.* Flete cum flentibus. *Luc. c. 15.* Gaudete mecum, quia reperi ovem meam. Item ædificanti vicino mutuas operas præstat, ipsius pecudes brutáve animantia errantia recipit, custodit, & ad dominum suum reducit; aut si dominus ignotus est, ad repetitionem usque custodit, vide *Levit.c.19. vers.18. Exod.c.23.v.4.5. Deut.c.22.1.2.3.4. Prov.c.12.3.13. Tob.c.2.21.* item lapsa vicini civis animalia erigit, vel oneri succumbentia, vel irretita erigit, explicat & expedit. *Exod. c.23.5. Deut.d.c.22.4.* item rem concivis perditam, quando invenit, illi restituit, *Deut.c.22.3. Levit.c.6.3.4.*

Mutuam quoq; operam sibi invicem cives præ- 36
stant in defensione contra vim & injuriâ personę, vel rebus eorũ illatam, & periculorũ propulsatione, *Proverb.c.27.10. & c.24.11. Joh.c.18.36. Nehem.c.9.12. & seqq.c.8.11. Exod.c.2.11. Nehem.c.3.c.4.c.5. Sirac.c.4.9.10. & seqq.c.18.24. 2.Sam.c.23.8.9.c.2.20.21. Jos.c.18.4.6.7. 10.* latè Vasq. *libr.1.c.13.n.13. & seqq. illust.cont.* adeò ut non resistens, vel impediens periculum, vel vim non propulsans & avertens, pœnâ dignus judicetur, *Exod.c.21.29.31.c.3.17. Lev.c.19.33.* Siquidem interest hominis, hominem inprimis concivem beneficio afficere, *l.servus. de serv. exportand. l.3. de just. & jure. Prov.c.11.17. Psal.c.58.7.* Frange panem tuum, cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: imò de jure suo in gratiam proximi aliquid remittere, *1.Cor.c.6.7. c.9.22.23. Rom.c.12.19.* & proximum errantem admonere debet, *Levit.c.19.17.* Liberè corripito proximum tuum, *Gal.c.6. 1.Jac.c.5. 9. Esa.c.56.10.11.* egenis opem ferre, *Deut.c.15.* & consilia sua ad universitatis & civitatis suæ utilitatem conferre, quam suæ ipsius quilibet civis præferre debet, *Jerem.c.29.*

Defensio ejusmodi & tutela civium mutua præ- 37
stat tranquillitatem domesticam, securitatem vivendi & habitandi in civitate.

1.Tim.c.2. Cic.2.offic. Proprium est civitatis atque urbis, ut sit libera, & non sollicita suâ rei cujusque custodiâ, non armis, sed benevolentiâ & charitate sit septa. Nã charitas vicinorum Deo placet, *Sirac.cap.25. & Psal.133. Genes.c.13.* Quæso, non sit jurgium inter tuos & meos pastores. *Judic. cap.1.3.* Ascende mecum, ut pugnemus &c. & ego vicissim

tecum ibo &c. *1. Pet. c. 2.* ibi: Servite vobis invicem donis istis quę accepistis. *1. Cor. c. 12. per tot. Cic. in Vat.* Civis est, qui patriam suam diligit, ac bonos omnes salvos & incolumes desiderat. *& lib. 1. offic.* Civem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere. Vasq. *lib. 1. c. 13. illust. controv.* De conviviis vide exempla *Zach. c. 3. 10. Gen. c. 21. c. 29. Tob. c. 2. c. 8.* Unde de delictis in territorio civitatis commissis universitas tenetur, Geil. *lib. 2. obs. 64.* Los. *part. 4. c. 1. n. 56. & seqq.* Farinac. *de delict. quæst. 18.* Menoch. *cas. 244. & cas. 598. arb. judic. quæst. lib. 2.* & latè Farinac. *lib. 1. quæst. 34. & quæst. 24. & de pœn. temp. quæst. 96.* Geil. *de pac. publ. lib. 2. c. 9.* Tiraq. *de pœn. temp. caus. 63.*

38 Denique quædam opera privata præstatur à cive civi in eo artificii, aut opificii, vel officii genere, quod civis exercet in civitate, nimirum unus in panno conficiendo, alter in calceis, in victu & amictu, alius in instrumentis necessariis conficiendis, alius in consilio, vel institutione, prout cujusque civis vitæ institutum, necessitas & commoditas vivendi postulat.

De quibus civium muneribus privatis & publicis infrà *c. 8. 9. Sirac. c. 38. 36.* ibi: Sine istis non ædificatur civitas &c. Simanca *lib. 1. c. 8. de Rep.*

39 Jura civitatis, privilegia, statuta & beneficia civibus etiam communicantur, quę civitatem amplam & celebrem reddunt.

Vide Bodin. *lib. 1. c. 6. de Rep.* Heig. *part. 1. quæst. 23.* Zvvinger. *theat. vol. 28. tit. politiarum forma.* imò suburbiis, castris, pagis, eisdem subjectis communicantur. Los. *part. 3. c. 13. c. 15. num. 27. & seqq. de jure univers.* non verò peregrinis & extraneis, *Nehem. c. 2. 20.* ibi, Vobis non est pars aut jus. Choppin. *de doman. lib. 1. tit. 11. num. 5. 6.* arg. *l. 1. C. de hered. instit. l. 1. §. 2. de*

40 *legat. 3. Gen. c. 34. & c. 23. 4. 5.* Utuntur enim cives iisdem legibus, eâdem religione; *Deut. c. 16. & per tot. libru*

m Exod. Levit. Num. & Deut. Psal. 122. Ruth c. 1. & c. 2. linguâ, sermone, judicio, disciplinâ, morib. iisdem, numis, mensuris, ponderibus, ulnis iisdem, & similibus, nec tam singuli sibi, quàm omnes omnium similes sunt, *Jud. cap. 12. 5. 7. 9. Matth. c. 26. 73.* vide in *Exod. Levit. Num. & Deut.* Bod. *lib. 1. c. 6.* Quò refero 41
etiam jus territorii, αὐτονομίαν & usum regalium, aliaq; jura publica cũ jurisdictione & imperio, quæ civitas etiam agnoscens superiorem, suo proprio jure habere, & certis pactis superiori suo magistratui aliâs subesse potest, vel etiam prorsus libera, nullum præter Cæsarem superiorem agnoscens.

Mynsing. *cons. 13. n. 10.* Pacian. *lib. 2. c. 43. n. 16. de prob.* Henning. Gœden. *cons. 32. n. 5. & seqq.* Geil. *lib. 2. obs. 54. n. 10. & obs. 57. n. 7. & de arrest. c. 9.* Compilator *symphorem. in voto Meinz. contra Erfurt. n. 97. §. in provinciis.*

Personalia jura principum, civitates hæ habere 42
non possunt. Matth. Steph. *de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 7. & part. 2. c. 1.* neq; universalem jurisdictionem extra territorium, *l. ult. de jurisd.* In politia Judaica & aliorum populorum olim civitates suam autonomiam, politiam & regem proprium habuisse constat, *Gen. c. 14. c. 19.*

Huc etiam pertinent tribunalia judiciorum ci- 43
vitatis, qualia & Judaica politia habuit, *2. Chron. c. 19. Ruth. c. 4. Deut. c. 10. Deut. c. 16. 18.* Huc quoque refero jus & potestatem habitandi in civitate, domicilii & sedis constituendæ, familiam & res suas illuc transferendi, tabernamque ibidem habendi, in collegium & sodalitium suæ vocationi & professioni congruum se recipiendi, item jus commerciorum agitandorum, *Gen. d. c. 34.*

Huc refero potestatem utendi & fruendi omnibus juribus, commodis & beneficiis, quæ tota civitas omnibus civibus communia constituit, & communi consensu approbavit, arg. *Genes. cap. 23. cap. 3. 4.*

43 Potest enim quælibet civitas condere statuta circa ea, quæ pertinent ad rerum suarum administrationem, quæque ad artem & professionem suam, quæque negotia privata universitatis concernunt.

Los. *part. 3. c. 15. de jure univers. per l. ult. C. de jurisd. omn. jud. l. 1. quod cujusq; univers. nom.* Bartol. *in d. l. ult. C. de jurisd.* etiamsi aliâs jurisdictione careret, Los. *d. loc.*

Potest etiam quælibet universitas ex necessitate inevitabili, communi, vel majoris partis, aut eorum qui cives repræsentant, etiam sine superioris consensu, sibi collectas imponere.

Rosenthal. *lib. 1. conclus. 75. cap. 5. de feud. Dd. in l. 1. quod cujusq; univers.* Pet. Greg. *in syntag. jur. lib. 3. cap. 7.* Borch. & pleriq; Dd. *in c. unic. quæ sunt regal. num. 51. & seqq.* Wesenb. *consil. 27.*

Similiter huc refero disciplinam & regulam externarum actionum certam & consensu communi approbatam, quâ constitutum est, quid sit unicuiq; ætati, sexui, generi, & ordini hominum decorum & consentaneum.

44 Huc etiam pertinet jus suffragii in communibus negotiis & actionibus universitatem concernentibus tractandis & administrandis; item forma & modus gubernationis communis, quâ ex civium consensu à magistratu à se constituto civitas regitur & gubernatur secundùm leges à se approbatas.

Contrà,

Contrà, quando hæc jura communia universitati adimuntur, desinit esse universitas. 45

Sic Livius de Capuanis, Ne Senatus, ne plebis consilium, ne magistratus essent, sed sine consilio publico, sine imperio, & ut multitudo nullius rei causâ inter se socia inhabilis esset.

Similiter civitas esse desinit, quando privilegiis, dignitatibus & magistratibus suis privatur, muris, vallis, fossis & munitionibus suis denudatur, & aratro, igne & desolatione punitur.

Vid. Menoch. *cas. 598. arb. jud.* Farin. *quæst. 34. lib. 1. de indic. & tort.* Geil. *lib. 2. obs. 61.* Los. *part. 4. c. 1. n. 38. & seqq.* Pet. Greg. *lib. 35. cap. 1. Syntag. 2. Chro. c. 26. 18. & seqq. Deut. c. 13. 16. Judic. c. 21. c. 9. 15. 45. 2. Reg. c. 17. 6. c. 18. 11. c. 25. 9. 10. 11. Gen. c. 19. c. 34.*

Concordiæ studium inter cives est, quo inter cives amicitia, æquitas, justitia, pax, honestas conservatur, & si quælites inter cives oriuntur, hæ quàm primùm legitimè tolluntur, *Levit. c. 19. 1. Cor. c. 6. 1. 2. 3. 4. 5.* & summatim quæcunque ad caritatem inter illos colendam & bonum publ. conservandum inserviunt, curantur, Vid. *Psal. 122. & 123. Eph. 4. 2. Cor. c. 12. 20.* & discordiæ causæ præcaventur inter cives & vicinos. 46

Exemplo Abraham, *Gen. c. 13.* & Isaac, *Gen. c. 26. Psa. 133.* Ecce quàm bonum & quàm jucundum est, fratres habitare in unum: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usq; in seculum.

Hanc concordiam fovet & tuetur æquabilitas, cùm nimirum civi cuilibet pro dignitatis & status sui ratione & differentia, jus, libertas, honos suus relinquitur. 47

Civem enim oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neque summissum & abjectum, neque sese efferentem: tum in civitate ea velle, quæ tranquilla & honesta sunt. Contraria huic æquabilitati est æqualitas, quâ singuli cives in

omnibus illis, quæ dixi, inter se exæquantur. Unde certissima ἀταξία & rerum perturbatio.

48 Administratio & directio horum jurium & communicationis, quæ est in universitate, consensu ejusdem demandata est collegio senatus, *l.2.§. deinde. De origin. juris tit. de admimst. rer. civit.* cui in municipalibus civitatibus præest provinciæ præses, seu superior, vel nomine ipsius, illius vicarius.

Novell. *15.c.6.l.1. C. de defens. civit.* Matth. Stepha. *lib.2. part.2.c.2. de jurisd.* Nam regulariter municipia meri & mixti imperii sunt expertia. *l.1. & tot.tit. de decurion. l. defensores. C. de defens. civitat.* Hen. Gœden. *consil.31.num.1. Cravetta consil.338.num.1.per.l.pupillus. §. decuriones. de verbor. sign.* tantum jurisdictionis habent, quantum ipsis præses concessit. Mynsing. *respons.16. num.45.* latè Stephan. *d. c.2.n.13. 14.15.53. & seqq.* Losæus *c.2.n.66.67.* ubi limitat in negotiis iis, quæ respiciunt artem, vitæque genus. *per l.ult. de colleg.l.1. & tot.tit. quod cujusq; univers.*

49 In liberis verò civitatibus, senatus princeps, seu consul, qui regalia cum territorio habet, præsidet. Geil. *lib.2.obs.57.*

50 Facta ab hoc senatus collegio, censentur facta à tota universitate, quam collegium hoc repræsentat. Losæ. *c.3.n.47.48.* Roland. à valle *consil.40.vol.1.*

51 Penes hoc igitur senatus collegium est potestas peragendi & tractandi negotia universitatis; necnon cognoscendi & judicandi de omnibus illis, quæ ad universitatem pertinent, nimirum jus judiciorum habendorum, administratio publicarum caussarum civilium & ecclesiasticarum, munerum & officiorum politicorum cura & distributio, reddituũ publicorum collectio, ratio, custodia & dispensatio, jus legum ad ἀταξίαν & ἀυτάρκειαν pertinentium publicandarum, cura rerũ publicarũ, vindicta in delinquentes, censura morũ, custodia urbis, & si quæ sunt alia. Vid. Losæum *c.3.n.5. & seqq.*

Quod igitur Comes est in provincia, princeps seu 52
Dux in Ducatu, vel rex in regno, hoc in multis est collegium senatus in civitate. In quibusdam civitatibus provinciæ præses, comes aut princeps, senatus vel civitatis, tales præfectos seu præsides constituit, qui huic administrationi præsunt.

Novell. *15.c.6.tit. C. de defens. civit.* Vid. *tit. de offic. præfect. urb. tit. de offic. præsid.* Novell. *95. & 25.* Covarruvias latè *pract. quæst. c.4.n.3.4.5.* Losæus *part.1.c.2.* Matth. Stephan. *lib.2. part.2. c.2. de jurisdict.* Exemplum administrationis hujus præbent civitates Belgicæ in Brabantia, Flandria, Selandia, Hollandia, & Frisia, utraque Westphalia, Saxonia Alsatia, in Anglia, Gallia, Italia & Hispania. Vide Boër. de cust. clav. Hotom. cons. 5. Covarruv. *d. loc.* Meteran. *lib.14.*

CAPUT VII.

De juris provincialis communione.

SUMMARIA.

1 *Provincia quid sit.*
2 *Territorium provinciæ quid.*
3 *Juris communio inter provinciales.*
4 *Negotia symbioticorum provincialium.*
5 *Negotia sancta quæ.*
6 *Eaq; de Dei vera cognitione & ejusdem cultu.*
7 *Cultus Dei privatus, vel publicus.*
8 *Negotia civilia quæ.*
9 *Illa sunt specialia, & quæ.*
10 *Generalia quæ.*
11 *Privata paxis justitiæ politicæ.*
12 *Publica praxis ejusdem in quibus.*
13 *Functiones provinciales.*
14 *Negotii, seu functionis finis.* (civili.
15 *Functionum singularũ conspiratio & conjunctio in praxi*
16 *Unde multitudo functionum harum.*
17 *Functionum schola.*
18 *Functiones digniores quæ.*
19 *Requisita functionum quatuor, nu.20.21.22.23.24.25.*
26 *Functionis species.*
27 *Functio privata eaq; varia.*
28 *Functio publica.*

29 *Functio publica, privatarum exercitia disponit, ordinat & dirigit ad publicam plurimorum utilitatem.*
30 *Quibus functiones publicæ injungendæ.*
31 *Munus honorificum quid sit, & circa quæ versetur.*
32 *Quibus imponendum.*
33 *Oratores Reipubl. pernicioſi.*
34 *Qui præterea pernicioſi publici miniſtri: & nu. 35. 36. 37. 38. 39.*
40 *Electio publicarum perſonarum quæ utilis.*
41 *Originarii cives & incolæ præferendi extraneis.*
42 *Veſtitus officiariorum publicorum quis.*
43 *Ordine hæc munera deferenda.*
44 *Munera quotuplicia.*
45 *Munera ſecularia varia.*
46 *Gradus horum munerum quinam, & unde, & quinam egregii, ſpectabiles, excellentes, num. 47.*
48 *Magiſtratus intermedii varii.*
49 *Conſtituti cum imperio, vel ſine impero.*
50 *De cenſorum utilitate.*
51 *Cenſores Judæorum.*
52 *Cenſores mercium.*
53 *Eccleſiaſtici varii.*
54 *Militare officium perſonæ.*
55 *Humile officium quid.*
56 *Officiarii humiles qui.*
57 *Catalogus officiariorum inferiorum.*
58 *Præmiorum diſtributio & pœnarum.*
59 *Cura ſecuritatis provincialis.*
60 *Defenſio.*
61 *Collectatio.*
62 *Uſus commerciorum.*
63 *Monetæ uſus.*
64 *Publica bona provinciæ.*

1 HActenus de universitate, sequitur de provincia.

Provincia est, quæ complexu territorii sui plures pagos, oppida, castra & civitates, sub juris unius communione & administratione, consociatas & devinctas continet.

l. illi-

l. illicitas 6. §. qui universas. l. congruit 13. de offic. præſi. Loſ. *part. 1. c. 2. n. 7. 8.* Hier. de monte. *c. 3. fin. regund.* Vocatur etiã regio, districtus, diœceſis, universitas. Hier. *d. loc.*

Territorium provinciæ voco, quod fines & terminos provinciæ, intra quos jura illius exercentur, continet. 2

l. fin. de jurisd. l. 239. pupil. §. 2. de verb. ſignif. l. 3. §. non perpetua. de ſepulch. violat. l. cæterã. §. ſed ſi. de legat. 1. l. nulli. §. quòd ſi. C. de epiſc. & cleric. vid. Hieron. de Monte. *de finib. regund. c. 6.* aliâs etiam districtus, vel diœceſis vocatur. Hieron. de monte *d. loc. c. 7. & 12.* In politia Judaica vocabatur porta, terminus terræ, *Deut. c. 17. 2. 3. c. 16. 18. c. 19. 8. c. 21. 1. 2. 3. 2. Chron. c. 8. 18. Joh. c. 3. 22.*

Duo hîc nobis diſpicienda ſunt: Primum eſt de juris provincialis communione: Alterum de illius ad miniſtratione. *Hisce enim duobus, omnis de provincia doctrina politica abſolvitur.*

Juris communio eſt, quâ præſtatione & cõmunicatione negotiorum & rerum, omnia, quib. vita pia & juſta inter ſymbioticos provinciales colitur & conſervatur, pro indigentia & uſu provinciæ à ſingulis & univerſis provincialibus procurantur. 3

Hoc igitur jus eſt μεταδοτικὸν ſpectans βιάρκειαν, κοινωπραξίαν & αὐτάρκειαν provincialis conſociationis.

Negotia hæc provincialium ſymbioticorum ſunt ſancta, vel civilia.

Sancta negotia concernunt ea, quæ ad viam piã in conſociatione & ſymbioſi provinciali vivendam & colendam neceſſaria ſunt. 4

Pia vita requirit rectum de Deo ſenſum, & cultum ejusdem ſincerum. 5

Rectus de Deo ſenſus ex articulis fidei & ſcripturâ ſacrâ petendus eſt. 6

Joh. c. 17. v. 3. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. *Pſal. 100. 3. & Pſal. 119.*

Rectus Dei cultus hauriendus ex illis verbi divini regulis & exemplis, quæ vel Dei dilectionem vel charitatem in homines declarant & illustrant. *Luc.c.10.27.*

7 Verus & rectus Dei cultus est privatus, vel publicus.

Privatus internus consistit in fiducia, adoratione & gratiarum actione. *de hoc in præcepto 1.*

Externus cultus consistit in gestibus, & ritibus, quibus Deus colitur, *de quo in præcepto 2.* vel in sermone, *de quo in præcept.3.Decal.*

Publicus Dei cultus consistit in sanctificatione Sabbathi, in cœtu publico celebrata, *de quo in præcept.4.Decal.*

8 Negotia civilia sunt, quæ continent vitam justam in consociatione & symbiosi provinciali vivendam. *Tit.c.2.12.* Unde hæc continent omnia, quæ ad usum socialis vitæ pertinent, *1.Cor.c.6.3.* & symbioticus præstare tenetur: quæ sunt officia dilectionis, quibus suum cuique tribuit, & symbiotico non facit, quæ sibi fieri nollet, *Matth.c.22.7. Lev. c.19.* sed eundem diligit sicut seipsum, *Matth.c.22.* ipsique præstat bona, & à malis abstinet. *Psal.37.27. & Psal.34.15.Rom.c.7.18. & seqq.*

Officia hæc justitiæ proximo prestanda, sunt specialia, vel generalia.

9 Specialia, quæ concernunt eos qui superiores & inferiores inter se habentur, ut nimirū symbioticus tribuat honorem & præeminentiam verbis & factis, cui illa debentur, & contrà abstineat ab omni contemtu ejusdē, juxta præcept.5. Decalogi.

10 Generalia officia, quæ quilibet symbioticus symbiotico alii præstare tenetur, consistunt in defensione & conservatione propriæ & alterius vitæ absque omni læsione, juxta præcept.6. Item in colendâ mente, verbis & factis, castitate propriâ & symbiotici, sine omni impudicitiâ & scortatione, juxta præc.7. Item in facultatibus & bonis symbiotici defendendis, conservandis, non adimendis, lædendis, minuendis, ut habet præc.8. Item in famâ propriâ & alterius defendendâ & conservandâ, nō lædendâ, negligendáve ullo modo, ut habet præcept.9. Et hęc omnia & singula absque affectu concupiscentiæ eorum, quæ pertinent ad proximum nostrum, sed cum sufficientia & desiderio eorum quæ nostra sunt & ad gloriam Dei pertinent, ut habet mandatum 10. *de quibus infra c.10. & c.21.*

Praxis hujus justitiæ politicæ provincialis consistit in applicatione, & est duplex. Prior, quâ specialibus mediis, personis, loco & aliis circumstantiis accomodatis, officia hæc dilectionis symbiotici singuli inter se invicem exhibent & communicant: Altera, quâ universi provinciales sibi & singulis provinciæ incolis ad consociationis provincialis salutem, hęc officia utriusque tabulæ præstant & communicant. Illa praxis specialis privata inter provinciales, hæc generalis publica. 11

Posterioris generis officia ex communi symbioticorū provincialium consensu & syncretismo præstantur 1. in functionibus & ministeriis symbioticorum, ad consociationem provincialem necessariis & utilibus. 2. in distributione pœnarum & præmiorum, quâ disciplina in provincia conservatur. 3. in cura securitatis provincialis. 4. in defensione mutua provincialium contra vim & injuriam & in aversione incommodorum, atq; in auxilio, ope & 12

consilio, *Jos.c.1.14. & seqq.* 5.in collectatione & contributione ad usus & necessitates publicas provinciæ, Geil. *lib.2.obs.25. & Wes.cons.27. & 45.* 6.in commerciorum usu. 7.in usu linguæ & monetę ejusdem. 8.in publicorum bonorum provinciæ curâ.

13 Functio & ministerium est negotii ad vitam symbioticam provincialium necessarii & utilis administratio, & exercitium à personis, propter symbioticos in provinciali societate & symbiosi viventes, susceptum, quo symbioticorum infirmitati, insufficientiæ, indigentiæ & humanæ necessitati certum remedium & præsidium constituitur. *Nam ut singula corporis humani membra ad proprium suum munus, & tamen omnia ad universalem finem, scilicet ad corporis conservationem creata sunt: Sic & nostrûm quilibet ad proprium & singularem vitæ finem creatus est: omnes tamen ad Dei gloriam & aliorum salutem;* arg. *1. Cor.c.12.* Unde functio hæc negotium dicitur, à symbiotico propter symbioticum susceptum in labore illius consistens, quod corporis ministerio, animiq; curâ & vigilantiâ, peragitur & perficitur.

Negotium ejusmodi in symbiosi utile & necessarium dicitur, quod pertinet ad animæ vel corporis salutẽ, cutũ, ædificationémve, h.e. quo vel animus hominis disciplinâ, virtute, moribus, scientiaq; informatur & instruitur: vel quo corpus exercetur, ejusque vita in alimentis & vestitu curatur, juvatur, vel defenditur. Uno verbo, negotii hujus usus scopusque esse debet, ad vitam symbioticã ꝓvinciale necessariorum vel utiliũ procuratio, & noxiorum pernicioſorúmve aversio & amolitio. Vocatur aliâs officium, functio, vocatio, munúsve.

De

De utilitate & necessitate functionis ejusmodi constat etiam ex *Esa.c.3.3.4.5.6. Sirac.c.38.35. & seqq. & cap.2.c.10. cap.13.*

Negotiorum verò multitudo atque diversitas, 15
malitia hominum, vitæ hujus indigentia varia, & symbioticorum multitudo plures & varios publicos & privatos ministros & curatores postulant.
Exod.c.18.18. & seqq. Deut.c.1.9. & seqq. Num.c.11.16.17. 18. 1.Chron.c.2.13. & capp. seqq. §.1. in præmio Instit. iur.

Ut pascamur, frumentum, & quæ sunt alia ter- 16
ræ marisque esculenta, multorum manibus elaborantur, priusquam nobis pascendis fiunt idonea. Ut vestiamur, multorum operariorum industriæ, necessariò antecedunt, priusquam lana, aut quæcunq; alia materia, corpori nostro tegendo, vestem præbeat. Neque ulla est corporis pars, quæ non alicujus opificii labore & auxilio ad sui conservationem egeat. Animus hominis, quò est corpore sublimior & augustior, pluresque habet virtutes & disciplinas, quibus instruatur, eo quoque pluribus indiget magistris, à quibus ad eas percipiendas formetur.

Ad functiones hasce aptos & idoneos exhiben- 17
dos symbioticos, inserviunt scholæ & officinæ. In scholis homines symbiotici pii, eruditi, justi, temperantes, fortes, sapientésque efformantur & præparantur. In officinis omnis generis artifices mechanici & opifices instruuntur & efficiuntur..

Ex his ea functio, quâ magis symbiosis & salus 18
consociatorum juvatur & promovetur, habetur honoratior, dignior & præstantior.
Pet.Greg.Tolos. *lib.4.cap.6.n.9. & c.10. & lib.15.c.1. de Rep.* latiùs diximus *in convers.civil.lib.2.c.1. & seqq.*

In functionib. hisce priùs de requisitis, & post-

CA

ea de speciebus earum disp iciendum nobis est.

19 Requisita necessaria ad quamvis functionem sunt, quæ eandem Deo gratam, & symbioticis utilem reddunt, quæ sunt quatuor.

Primum requisitum est, ut quisque pro se eligat legitimam, licitam & honestam functionem, naturæ & viribus suis adcommodatam, quâ Deo, symbioticis, Reip. & sibi utilis esse possit.

Eph.c.4.28. Laboret operando manibus, quod bonum sit, ut habeat quod impertiat, cui opus fuerit. *Gen.c.3.19.* In sudore vultus tui manducabis panem tuum. *Psal.128.2.*

20 Licita & honesta functio dicitur, quæ inservit ordini ecclesiastico, vel seculari, nobilitatis, civitatis, aut paganorum, vel quæ spectat ad conservationem trium statuum & ordinum, nimirum ecclesiæ, Reip. seu politiæ, vel familiæ, *1.Cor.cap.11.*

21 Naturæ & viribus eligentis apta, conveniens & accommodata cognoscitur functio ex proprio eligentis sensu, experientiâ & judicio, quod sumitur ab inclinatione naturali, & donis à Deo datis. Inclinatio naturalis apparet ex interna affectione, delectatione, amore & sensu, quibus naturę instinctu trahitur ad hanc vel illam functionem, aut vitę genus, eoque delectatur. Hinc alii naturâ apti & nati ad gubernandum, alii ad obediendum, alii ad agriculturam, alii ad negotiationes, alii ad artificia, alii ad studia.

22 Dona necessaria ad vitæ genus cognoscuntur ex successu & experientia, quib. facilè quis intelligere potest, an sufficiens, par & idoneus esse possit ad officium munúsve obeundum, quo delectatur *Psal.131.1.* Non aggressus sum res magnas aut arduas suprà quàm conveniat mihi. *Sira.c.3.21.c.13.2.*

De

De utroque requisito si dubitet, aliorum judicio & discretione uti potest. Quod si quis idoneus est ad plures vocationes & functiones, tum optima eligenda est, *1.Cor.7.*

Alterum requisitum est, ut quilibet intra limites vocationis & officii sui se contineat, & propria functionis & vocationis suæ officia atque opera intelligat & sciat, quod cognosci potest ex eo, quòd sunt convenientia, apta, utilia, commoda & necessaria, sine quibus functio & vocatio expediri non potest. 23

1.Thess.4.11. Diligentiam adhibeatis, ut sitis quieti, agentes negotia & res vestras. & operemini manib. vestris. *1.Tim. c.4.14.* Ne negligito donum, quod in te est. *1.Pet.4.15.Joh. 21.21.22.1.Sam.6.19.Num.16. Eph.c.4.1.* Ambuletis ita, ut convenit vocationi, quâ vocati estis. *1.Cor.c.7.17.* Ut unumquemq; vocavit Dominus, ita ambulet. Sic Christus opera aliena à sua vocatione rejicit, *Luc.12.14. Et Psal.91.* ibi: Ut custodiant te in viis tuis. Alienis igitur, & ad functionem non pertinentibus negotiis immiscere se nemo debet, *Phil. 4.11.* Didici, in quibus sum, iis ipsis esse contentus. Polypragmosyne statui Reip. & ipsis polypragmonib. est pernicios issima, *2.Tim.2.4. 2.Thess.3.11.* quod Camerar. & Richter. exemplis historicis variis illustrant.

Tertium requisitum est, ut opera functionis & vocationis nostræ referantur ad gloriam Dei, & ad salutem ecclesiæ atque Reip. in qua vivimus. 24

Gal.c.5.13.Col.c.3.17. Quicquid feceritis sermone aut facto, in nomine Domini Jesu facite.

Quartum requisitum est fides & diligentia: unde fidus & diligens quisque in suo munere & officio dicitur. 25

Exemplum præbet Daniel, *Dan. cap.6.3.6.7.* Josephus. *Genes.cap.39.9.10.c.41.46. & sequentib. Roman.cap.12.7.8.* Qui præest cum diligentia &c. *Matth.cap.25.14.15.16.22.* ibi: Bene est, serve bone & fidelis: in exiguo fuisti fidelis &c.

Jer.cap.48.10. Maledictus, qui facit opus Jehovæ fraude. *1.Thes.c.3.6.* Qui non laborat, nec manducabit. Paulus monet, ut tempus redimamus; & Christus: Ambulate dum dies est. Videndus de hac re Perkinsus *in libello de vocatione hominis.*

26 Species functionis sunt duæ: Est enim illa privata, vel publica: utraque vestitus diversitate, quâ quælibet agnoscitur, distincta.

Pet.Greg.Tolos. *lib.9.c.19.syntag. & lib.4.c.11. de Repub. Exod.c.28.c.29.Levit.c.6.c.8.c.10.c.16. 1.Reg.c.10.5.Esth.c.6. 7.c.8.15.16.* Alexander Severus Imp. dicitur omnibus officiis genus vestium proprium dare voluisse, ut omnes dignitates à vestitu dignoscerentur, *Lamprid. in Alexand.* Extant de vestitu Imperii constitutiones, quamvis ex consuetudine, vel statuto cujusq; loci vestitus, tam quoad materiam, quàm quoad formam & usum pendeat. Vid. Zuing. *in theat. vol. 28.* & diximus *in civili conversat. lib.1. & 2.*

27 Functio privata est, quæ speciali privatæ consociationi & symbiosi inservit, & ad communem provincialium utilitatem & commodum dirigitur.

Hæc varia & diversa est pro natura cujusq; specialis & privatæ symbioticæ vitæ. Alia enim in consociatione privata conjugali, consanguineorum, collegarum, alia in oppidi, civitatisque consociatione publicâ. Harum functionum privatarum summa huc redit, ut quædam sit rustica, quædam mechanica, & quædam utrisque hisce inserviens.

Rustica est vel agricultura, vel pastoritia.

Mechanica est artificialis, operatoria, civilis magis. Utrique priori inserviens est mercatura.

De singulis sup. suo loco diximus. Hîc repetimus, quatenus privatæ ejusmodi functiones ad symbiosin provinciarium conferunt, & ad eam quoque necessariæ.

28 Functio publica est, quæ principaliter totius provinciæ negotiis inservit, quâque privatæ superiores

riores ad societatem civilem provincialem necessariæ; vinculo unionis, concordiæ & conjunctionis, ad salutem provinciæ atq; universorum & singulorum in ea viventium, diriguntur, & hoc modo ab interitu, cui aliâs subjectæ essent, conservantur. Vocatur munus publicum.

In hac igitur functione publica, singulæ privatæ plures & 29
diversæ functiones, earumque exercitium & usus conspirant, & in totius corporis provincialis salutem conveniunt, non secus atque ad mare omnia flumina refluunt. Unde publica munera directoria sunt privatorum officiorum quæ corrigunt, limitant, ampliant, dirigunt, & referunt privatas functiones ad salutem & usum communem universorum symbioticorum in provincia viventium. Quemadmodum igitur aures, oculi, manus & singula corporis humani membra, quæcunque suâ naturâ percipiunt & agunt, hæc communicant toti corpori, & omnibus membris illius, eaque usu ad salutem & commodum illorum referunt & applicant, ita ut damna & incommoda omnia corpori toti communicentur: Sic & in provinciali consociatione omnia illius ad membra omnes suas functiones & negotia illius salutè referre debent. Et ut membra corporis, nervis atque arteriis conjunguntur, atque ex ea conjunctione vitam communem hauriunt: ita & societas hæc provincionalis communi vinculo amoris, benevolentiæque erga Rempub. devincta esse debet, atque communi providentiâ & curâ conservanda & defendenda est.

Ad suscipiendum & administrandum hoc publicum munus & officium ii sunt eligendi, vel vocandi, qui secundùm requisita illa suprà posita quatuor, sunt idonei. 30

Exod.c.18. Nam, uti illorum, qui in navi vehuntur, maximè interest habere naucleros bonos, peritos, fidos & diligentes, sic & Reip. interest, aptos, idoneos, & fidos habere administratores & ministros. Qua in re non obstat sexus muliebris, quando functio, seu officium congruens sexui est. *tit.C.de mulier.* in quo loco munera sexui congruentia. *vel hon.agn.tit.C.quando mulier.tut.off.fung.potest.* De qua re in

utramque partem disputat Tolos. *lib.7.cap.11.de Rep.* Danæ. *lib.6.cap.3. Polit.* Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.13.* Lipsius *lib.2.cap.3.* Bodin. *lib.6.cap.5. de Repub.* Exempla hujus nota sunt in Debora *Jud.c.4.* in Semiramide, Nitocri Babyloniæ, Zenobia Palmyrenæ, Amalasuenta Gothorum, Elisabetha Britannorum, reginis.

Publicum officium est duplex, honorificum, vel humile. Exempla utriusq; extant *1.Chron.c.23. c.24.c.25. & seqq.* illud propriè munus, hoc propriè officium dicitur.

31 Honorificum munus est, quod circa animum hominis, mores, disciplinam & religionem, atque alia præstantiora societatis politicę bona, vel negotia occupatur, quod de Rep. imperio, judicio, consilio, benè meretur, quod pro salute universorum & singulorum civium vigilat atque laborat, vel in præcipuis & eximiis Reip. negotiis operam studiumq; ponit, *l.bene à Zenone. C. de quadr. præscript. Authent. habita. C. ne fil. pro patre.* Qualia n. hominum studia sunt & actiones, tales etiam eos animis esse existimamus, & splendidis ac præclaris negotiis deditos, splendidos ac præclaros esse præsumimus. Inprimis verò versatur hoc munus circa religionem, seu pietatem, & circa Rempub. seu justitiam.

Arg. *2.Chron.c.15.3.* Pet.Greg. *l.15.c.1.* vide Pacian. *de prob. l.2.c.26.c.27.* & Chassan. *de gloria mund.* Hoc quidam non rectè recusarunt, uti Moses, *Exod.c.4.* Gideon, *Jud.c.8.* Saul. *1.Sam.c.10.21.22.* siquidem sine illo Resp. consistere non potest, *Ex.c.18.18. & seqq. Deut.c.1.14. & seqq.1.Chron.c.23. & seqq.1.Pet.c.2.18. & seqq.1.Reg.c.10.5.* vid. Greg. *l.4.c.5.n.47. 48. & seqq.* & Melch. Jun. *l.1.pol.quæst.7.* ubi in utramq; partē examinat, allatis rationib. & exemplis. Deus puniturus populum suum, comminatur apud *Es.c.3.3.* se ab ipsis remoturum esse potentem & bellatorem, judicem & prophetam, sagacemq; & senem. *4.* Præfectum quinquagenis, & honorabilem

lem consiliariumq; ac peritum artificem, & intelligentem eloquentiæ. *3.* Daturus sum (inquit) pueros principes eorum, & facinorosi dominabuntur in eos. Davidis imperium celebre & felix fuit ob copiam virorum præclarorū, *1.Chron. cap.11.10. & sequentib.2. Sam. 23.* & Josaphati, *2.Chron. c.17.7.13.14. & seqq.* Solomonis, *1.Reg.10.* & Joas, *2.Reg.11.2.* Alexandri magni regis, ob Clitum, Parmenionem, Seleucum, Craterum & alios. Romanorum verò, ob Scipiones, Fabios, Cicer. & alios viros præstantiss. quorum operâ, studio, consilio & labore illi utebātur in Reip. administratione.

Hoc munus injungendum est iis, qui sunt idonei, & necessariis à Deo donis ad hoc instructi, & publicam utilitatem præferunt privatæ. 32

Gen.c.41.37. & seqq. Eccl.c.7.6. nō malis, ne potestas malitiæ conjuncta, nervos & robur affectibus malis addat. non imperitis & imparis facultatis, ne ex ignorantiâ eorum, & viriū imbecillitate Resp. damnum sentiat. Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas dirumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum, *Sirac.c.38. 36.37.26.27. & seqq. Ex.c.18.21. & seqq. Deut.c.23.23.c.1.13. Proverb.cap.2.6.8. Sira.c.10.5.23.26.33. & c.20. Prov.c.21. Gen.cap.41.39.40. & seqq. Daniel.c.1.19.c.6.3.4. Sap.c.8.10. 11.2. Arist.lib.2.pol.c.10.tit.C. de dignit.* Melch. Jun. *lib.1.pol. quæst.18. & seqq.* Simanca *de Rep.lib.5.c.6.* Vitæ itaque, doctrinæ, & morum diligenti inquisitione præcedente hoc munus est injungendum, *1.Tim.c.3.10.c.5.22. Deut. c.1.13. 14. Exod.c.18.25.* Pet. Greg. *lib.4.c.5.c.6. per tot. de Rep. l.sanctimus. 6. C. ad L. Jul. repetund.* Novell. *8.* & Nov. *161. §. nos autem.* Injungendum munus hoc etiam invitis & recusantibus. Mech. Jun. *lib.1. pol. quæst.8.* nisi excusationem justam adferant, *tit de vacat. & excus. mun.* Ultrò sese ingerentibus & ambientibus magistratus non conferendus est, Jun. *d. lib. 1.quæst.11.* aut largitionibus ementibus, nec spuriis, *Deut.c. 23.2.3.* adde tamen *Jud. cap.11. 1.Sam.c.22. 2.* Jun. *quæst.12. & 16.*

Oratoriæ naturæ in Rebusp. semper ferè sunt pertinaces, rixatrices & pugnatrices, ideoq; rebusp. exitiosę, quę eas bellis periculosis involvunt, popu- 33

lum ad rebellionem, disſenſiones & ſeditiones moventes: ſolent enim eſſe ingenio inquieto, turbulento, ambitioſo, & audaci.

Vid. Bodin. *lib. 4. c. 7. de Rep.* Georg Richt. *ax. 171.* Per. Greg. *lib. 23. c. 8. de Rep.* Camer. *2. oper. ſucci. c. 51.*

34 Pernicioſi quoque Reip. ſunt infidi, cupidi, & malæ conſcientiæ homines, item ambitioſi, qui ex ſociis & amicis reddunt inimicos, qui debebant eſſe ſocii & ſynergi conſiliorum & laborum publicorum. Sunt quoque inquieti, turbulenti & contentioſi.

Richt. *axiom. 362. & ſeqq.*

35 Avari, potentes, ſuſpecti, egeni, dejecto plerunque ſolent eſſe animo, & viles exiſtunt; ex quo fit, ut magiſtratum gerere neſciant, & ad parendum ſint apti.

36 Experientia quoque teſtatur, plerunq; eos, qui ex opificum progenie & ſordidâ plebe emergunt, atque ad dignitates altiores, vel ingenio ſuo, vel aliâ ſolertiâ, aſcendunt, multò inſolentiores & propemodum intolerabiliores, magnâ cum jactura Reip. eſſe ſolere, quàm qui bono genere, aut ſtirpe nobili, aut celebri ſunt geniti.

Vid. Richt. *axio. 390.* Camer. *2. oper. c. 52.* Bod. *lib. 9. c. 5. de Repub.*

37 De medio hominum genere ſumti ſunt optimi: neq; enim hi aliena concupiſcent, neque eorum bona cupientur ab aliis, ut accidit divitibus, & ideo ſine periculo degunt.

Latè Greg. *lib. 4. c. 5. num. 18.* qui tamen ibidem putat, neminem eſſe rejiciendum, qui vir probus ſit & fidelis, idque exemplis probat. Jun. *d. lib. 1. quæſt. polit. quæſt. 17. & ſeqq.*

38 Ambitioſa ingenia declinanda, quæ nunquam res

res magnas feliciter gerunt, ſi conjungantur. Sunt enim turbulenta, inquieta & contentioſa, quæ non manent intra metas ſuæ vocationis, ſed appetunt majora ſuo loco, & alios premere conantur.

Talis fuit Saul, Abſolon, Nebucadnezar, Sennacherib, Aman, Cleon, Alcibiades, C. Marius, Cn. Pompeius, C. Cæſar, Herodes, & complures alii.

Emptiones & cauponationes horum munerum Simoniacæ deteſtandæ ſunt. 39

Greg. *lib. 4. cap. 5. num. 27. 28. & c. 6.* per Novel. 8. Dion. Caſ. *lib. 54.* Caſſiod *lib. 9. epiſt. 9.* Junius *d. quæſt. 12.* Hinc enim fit, ut majore in honore atque pretio ſint divitiæ, quàm virtus, & ut tota civitas immoderato pecuniæ ſtudio ſit dedita. Simanc. *lib. 6. c. 17.* adde Vaſqui. *lib. 1. c. 42. illuſt. controv. & cap. 43. num. 7. 8. 9. 12. ubi diſtinguit.* Richt. *axiom. 28.*

Præſtantiſſima eſt in adminiſtratione Reip. magiſtratuum electio, quæ non gratiâ, non fortuitò, non ſuffragiis ignorantiæ, aut multitudinis, ſed conſultò per delectos & prudentes ex idoneis virtute præditis & ſapientioribus fit. Unde non bene conſulunt Reip. qui illiteratos, ruſticos, ignaros & imperitos homines eligunt & Reipub. præficiunt. 40

Nov. 82. Nam, quia hisce miniſteriis homines ſcientiis & diſciplina informantur, & mens eorum ad vitæ puritatem deducitur, & veluti virtutibus alitur, ideo neceſſe eſt, ut digniſſimi & maximè neceſſariis donis, rerum experientiâ, ſapientiâ, juſtitiâ, & pietate inſtructi, alieni ab avaritiâ & injuſtitiâ, hisce muneribus præficiantur, *Geneſ. c. 41. 38. 39. Deut. cap. 1. 13.* Exhibete homines ſapientes & prudentes & cognitos per tribus veſtras, & conſtituam illos primores veſtros. *& cap. 16. 9. 20. Exod. c. 18. 21. & ſequentib.* Greg. dicit *lib. 4. cap. 6. c. 8. num. 10. 11.* Quoties Deus vult politiam aliquam florere, dat ei viros heroïcos, eosque inſtruit

sapientiâ, virtute & felicitate. David habuit prophetam Nathan, Jasebeam, Eleasar, Abiasi, Benajam & alios, *1.Chron.c.11.c.12.* Alexander Clitum, Parmenionem, Seleucum, Craterum: politia Romana Scipionem, Fabium, Marcellum, & alios, ut dixi suprà.

41 Consultum quoque est, ut hæc munera potiùs incolis, indigenis & originariis civibus, quàm extraneis alienigenis deferantur.

Deut.d.c.1.13. & seqq. 1.Reg.c.9.21.22.23. 2.Chron.c.8. 22. 1.Chron.cap.26.29. & seqq.c.27.c.22.c.23.c.24. & seqq. Deut.17.15. Deut.c.23.3. Ne venito Hammonita in congregationē Jehovæ &c. Et Salomo honorifica munera inter regnicolas, extraneis exclusis, distribuit, *2.Chron.cap.8.20.21. 22.c.2.17.18. 1.Reg.c.9.22.c.1,7.8.9.10.l.17.§.4. ad municip.* Pet.Greg.*lib.4.cap.5.n.20. & seqq. & c.6.n.9.13.* Danæ. *lib. 6.c.3.pol.* Mynsin. *cent.4.obs.3.* Ord. Cam.*part.1.tit.4.* Patric.*lib.3. de Rep.tit.1.* qui exemplis illustrat, sicut & Meleh. Jun.*lib.1.pol.quæst.15.* Machiav.*lib.7.cap.26. de Rep.* Danæ. *lib.2.pol.in aphor.sacri.de peregrinis.* Antimach.*lib.1.theor.3.* ubi Machiav. refutat allatis exemplis: *& Lipsi.lib.3.pol.c.4.* Nam cùm talis, eadem gente, cui præpositus est, ortus sit, haud dubiè illum omnes, ut sui corporis, multò chariorem quàm externum, habebunt. Atque is populum, cui sponte acceptus & gratus est, facilimè obsequentem præstabit principi: siquidem vera tutaque obedientia, benevolentiâ magis, quàm vi, aut metu quæritur. Meliùs etiam hic se earum gentium, quib. præest, ingeniis accommodare potest, quàm peregrinus, humaniusq; idem subditos, utpote contetraneos suos, quàm extraneus, tractabit. Extraneis quoq; in Rep. plus credi, aut tribui, quàm intraneis, excitat livorem, quæstum & aversionem animorum. Et qui affectus, aut fides in Remp. alienā, in qua nec feritur nec metitur illis? itaq; omnia ad suum commodum, aut arbitrium principis referre solent. Nec etiam extranei possunt convenire cum morib. eorum, quib. præponuntur, nec facilè sæpè idioma subditorum intelligere, aut ab his intelligi. Iniquum quoque, ut extranei, qui nihil contribuerunt ad Remp. præferantur regnicolis æquè dignis, quæ res. odium parit in magistratum. Verendum quoque, ne alienigenæ reditus extra territorium Reip. transferant, & sæpe ad subsidia eorum qui regno bella moliuntur.

Solent

Solent etiam extranei & peregrini suspecti esse in Repub. ne proditione aliquâ patriæ, quæ eos excepit, insidientur: neque etiam populus omnino fidit extraneis. Vide exempla historica referentem Antimach.*d.loc.* & Pet.Greg.*lib.4.c.5.de Rep.* Jun.*d.loc.* & Patric. Quando verò extranei fideles, prudentes, ingenioſi, & Reip. nostrę utiles esse possunt, ad aliquam Reip. partem, atq; adeò in senatum etiam sunt admittendi. Hoc Claudius Imperator Romæ in senatu probavit. Sic & senatores multi advenæ Romæ sunt facti. Tacit. *lib.12.annal.* Peregrinos tamen ad senatum, vel consulatum noluerunt admittere, nisi post cladem Cannensem, Liv. *dec.ad.1.libr.8.* Venetiis, Genuæ, & in aliis Italiæ liberis urbibus nec non Argentorati, Norimbergæ, Augustæ, Francofordiæ, Magdeburgi, & aliis Germaniæ civitatibus, & Helvetiæ pagis, religiosissimè observatur hic mos, ne ad munia Reip. peregrini admittantur. Atq; hæc inter alias causa est belli Belgici. In quibusdam politiis promiscuè quivis idonei & apti ad hæc munera admittuntur. Josephus peregrinus à Pharaone in Ægypto ad Reip. administrationem & gubernacula assumitur, *Gen.c.41.* & Daniel propheta à rege Dario, *Dan.c.6.* & Mardochai ab Assuero, *Esth.c.9.* Lipsius verò dicit, usu compertum, externa consilia esse infausta plerumque. Sed hæc ita accipiēda sunt, ut quandoq; tamen ob justas causas incidentes, nulli patriæ suæ administratio facilè permittatur, *tot.tit. C.ut nulli pat.suæ administ. &c.* ubi Gothof. nimirum ob cognationes & amicitias domesticas civium, quibus judicia corrumpi solent: & quòd nullus propheta in patria, teste Christo, acceptus habeatur, sed facilè ob veterem consuetudinem & familiarem usum contemnatur. Vide Antimach. *theor.3.* qui exemplis illustrat præclaris. Greg.*lib.4.c.6.n.9. 10.* & Jun.*d.quæst.15. Vide inf.c.27.n.28.34.*

42 Vestitus gerentium ejusmodi munera splendidior vulgari esse debet, uti exemplis pobari potest, *Gen.c.41.42.43. Esth.c.4.2.3. Matth.c.11.8.* dixi in *Ethic. lib.2.* eisq; autoritas per superiorē conciliari debet. *Exod.c.19.9. Neh.c.7. Num.c.11.25.27. & seqq.c.27.19.20. 21. Gen.c.41.42. & seqq. Esth.c.6.* unde vestes apud Romanos prætextæ, regales, augurales, consulares, senatorię, equestres, plebeiæ. Pet.Greg.*lib.9.c.19.synt.* Wolfg.Laz.*lib.2.com.Reip. Rom.c.3. & seqq.*

43 Deferenda autem sunt hæc munera non promiscuè, sed secundùm ordinem, ut à minoribus per gradus ad majora perveniatur, non contrà. Arg. *1.Chron.c.23.20.* ubi Jun. & latiùs præcipiunt JCti, nec uni plura committantur. Greg. *lib.4.c.6.* Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.9.& 10.& 22.*

44 Honorificum munus est togatum, vel militare. *2.Sam.cap.9.2.3.4. c.20.23.24.25. 1 Reg.c.4.1.2.3. Num. c.8.24.25. Psal.122.5.* ubi Jun. *1.Chron.c.18.14.15.16. 2.Chron. c.19.8.11.* & passim in Jure civili.

Togatum munus dicitur, quod in toga, hoc est, tempore pacis administramus. quod rursum est sæculare, vel ecclesiasticum.

2.Sam.c.9.2.3.4. 1.Chron.c.18.14.& seqq.c.26.32. & latè *c.23.usq; ad c.28. 2.Chron.c.19.6.& seqq.*

45 Sæculare est, quo Reip. negotia mundana, ad vitæ hujus usum spectantia, procurantur & administrantur.

Deut.c.16.18. Exod.c.18.21.c.23.23. Lev.c.19.15.

Sęcularia munera varia & diversa sunt, pro usu & necessitate cujusq; Reip. plura quoque pro amplitudine politiæ cujusque, quorum quędam sine imperio, cum dignitate & honore administrantur.

Bodin. *lib.3. de Rep.*

Nam prout negotia Reip. & necessitas atq; utilitas requirit in quavis Rep. ita quoq; magistratus & ministri illius eliguntur, & ad singula negotia deputantur, ut melius singula curentur & expediantur.

Greg. *lib.4.c.5. de Rep.*

46 Gradus munerum horum esse solent. Nam quæ ex his melioribus & præstantioribus negotiis & laboribus occupantur, vel vacant, *l.unicuiq; C. de prox. sacr.* Scrin. *lib.12.l.contra. C. de re milit.* aut propiùs ad superioris

superioris dignitatem accedunt, ea quoq; digniora & excellentiora haberi solent.

2.Timoth.c.2. Ut in domo non tantùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam fictilia & lignea. Vide *Esth.c.1.14.15.c.6. 7.8. 1.Reg.c.10.5. Nehem.c.4.14.19.c.5.7. Exod.c.1.8.c.8.3.31. Genes.c.41.39.40.41.42. Esth.c.10.3.* Pet.Greg. *lib.4.c.6.& c.10. de Repub.* Pacian. *lib.2. de probat.c.26.num.70.& seqq.* Chassan. *in catal.gloriæ mundi, consid.25.part.4.* Quò majorem in genus humanum administrationem quis habet, eò dignior, sublimior & eminentior omni loco, sede, gloriâ & honore intelligitur, *l.2. C.ut dign. ord. conserv. l.fin. C. de decur.* Fernand. Vasq. *lib.1.in præfat.num.126.& seqq.* arg. *ad Gal.c.2.6.* ubi Piscat. Pacian. *lib.2.c.35.& seqq. de prob.* Vide Bornit. *de præm.c.5.* & diximus infrà.

Sæpe etiam horum munerum præstantia & prærogativa à judicio superioris & hominum opinione pendet. 47

Daniel.cap.2.48.c.5.7.29. dixi in *Ethic.lib.2.c.1.* & Vasq. *d.loc.n.135.& seqq.* docet, & *n.85.* Menoch. *lib.2.arb.cas.67.& seqq.* Unde etiam pro arbitrio judicis ex consideratione variâ, dicitur persona egregia, discreta, gravis, digna, spectabilis, clarissima, celebris, excellens, illustris. Vide Menoch. *lib. 2. cas.65.66.67.68.69.70. arb.jud.quast.* quâ personarum, ratione dignitatis, distinctionem licet etiam in sacris literis observare, *Esa.c.3.3.4.& seqq. 2.Reg.c.24.14.& seqq. Job.c.1.3. Actor.cap.13.c.17.4.12.c.5.34. 1.Cor.c.1.27.28. Marc.c.15.43. 2.Cor.5.13.9. Esa.c.2.9.11.12.17. Esth.c.6.11.* De muneribus sæcularibus in Rep. Israëlitica usitatis, refert Sigon. *de Rep. Hebr.lib.ult.& in Rep.* Athen. *lib.4.de Rep.* Athen. & Greg. latè, *lib.4.c.5.num.28.& seqq.*

Aristoteles magistratuum municipalium duo summa genera facit: unum necessarium, sine quo civitas consistere non potest: alterum minùs necessarium.

Prioris generis ipsi sunt ędiles cereales, inspectores rerum in foro venalium, emptionum & modestiæ. Nam mutuæ permutationes & commercia 48

causam dederunt, quare homines in civitates, tanquam cœtum communem, se contulerunt.

Tales etiam sunt præfecti urbis: præfecti operib. urbis publicis & privatis: curatores viarum & itinerum publicorum, portuum, murorum, *1. Chron. c. 23. 5. & c. 26. c. 27.* provisores & curatores publicæ sanitatis & munditici, & similes.

Vide *tit. de offic. præfect. urb. tit. de offic. præf.* Novell. *95. Nehem. c. 3. c. 4. c. 5.*

Tales sunt quoq; coactores, collectores, seu quęstores, qui reditus publicos cogunt, eosque in sumptus publicos distribuunt & erogant: item custodes urbis, judices, senatores, consiliarii, syndici, censores, & plures alii.

49 Atq; hi omnes constituti sunt cum imperio & jurisdictione aliquâ: vel sine potestate & imperio, sed tamen cum dignitate & honore, uti diximus.

50 De censorũ insigni utilitate, pauca ex Bodino hîc referã. Hi enim, non solùm publicè ærarii custodiã, sed etiam morũ castigationem obtinent sibi commissam, qui omnib. civibus seipsos, quasi normam bene temperanterq; vivendi & ad imitandũ & imitandum præbere debent, omniumq; mores ad virtutem & verũ decus conformare, quo nihil admirabilius in ulla civitate fieri posse, statuit Bod. *lib. 6. c. 1. de Rep.* Nam uti quisq; flagitiosam vitã ducit, ita in tabulis publicis notatur, ut eam notã ipsis judiciis formidabiliorẽ boni cives arbitrentur. Hac morũ censurâ neglectâ, mores civiũ corrumpi, & civitatẽ labefactari solere, experiẽtia testatur, uti corpora, quę medicinas vacuandis humoribus necessarias omiserunt. Non tamen publicorũ aut privatorũ criminum cognitionẽ suscipiebant censores. Hęc n. magistratuũ decretis ac sententiis siniebantur: sed omnis animadversio eorũ vitiorum erat, quæ nec legib. neq; magistratuũ judiciis, vindicabantur, & in nota magis, quàm judicatione consistebat, & ignominiã notato, nõ infamiã adferebat. Quanquã nec magistrat⁹ ulli tam accuratè scelera ulciscuntur, quin maxima pars publicã declinet animadversionẽ, ac leges ita perrumpat, ut bestiæ majores

jores araneorũ telas subtiles, quib. exiguas muscas irretiri videmus. Quis est, inquit, Seneca, qui se profitetur legib. omnibus innocentẽ? ut hoc ita sit, quàm angusta est innocentia ad legem bonũ esse. Quantò latius patet officiorum, quàm juris regula, quã multa pietas, humilitas, liberalitas, justitia, fides, exigunt, quæ extra tabulas publicas sunt. Hinc Bodinus laudes censurę describit, quòd sit civitatũ gubernatrix, virtutum omnium effectrix, bonorũ civium procreatrix, improborum expultrix. Hæc n. non modò flagitiorũ & improbitatũ robustiorum radices circumcidere, verùm etiam vitiorum fibras evellere, stirpes elidere, semina extinguere sola posse videtur. Apud Romanos autem, cujus nomen ab apparitore, aut accenso nomina citante, præteritum, vel omissum erat, hunc certum erat ex albo senatorum inductum esse à censoribus. Vid. Bod. *lib. 6. c. 1. in fin.* & Lipſ. *lib. 4. c. 11. in med. polit.* Dan. *lib. 6. c. 4. in fine.* Hodiè, ibidem ait Bodinus, qui in morum censurâ collegio sacro & verbi ministris, seu presbyterio non obtemperat, huic sacris interdicitur. Interdictiones aspernantem religionis procurator apud judicem persequitur, & reum agit impietatis, juxta *Matth. c. 18.*

Apud Judęos tales censores fuisse amicos & prophetas regis, quos vocabant, existimat Danæus, quos gravissimos, sanctissimos & liberrimos vitæ regis, & omnium civium censores fuisse arbitratur. 51

2. Samuel. cap. 12. ubi Samuel totius populi mores corruptos reprehendit. & *Esa. c. 1. Jerem. c. 1.* Ejusmodi censores per Esdram, *Esdr. cap. 10.* in populo Judaico constituti leguntur, Jonathan filius Asahel, Jehasia filius Tekua, Mesallam & Sathai Levitæ. Putant enim interpretes quidam id officium non temporarium, sed perpetuum fuisse. Græci habuerunt suos sophronistas, qui moribus juvenum erant præfecti: habuerunt quoq; Gynæcocosmos, qui in partũ modestas mulieres animadvertebant. Lacedæmonii habuerunt Ephoros, ipsorum regũ censores: Athenienses suos Thesmothetas, domi morũ inspectores, foris illos, quos nominabant episcopos. Romani nullo tẽpore geminis censorib. caruerunt.

Sunt etiam alii censores, qui certo rerum, hominum & singularum mercium generi inspi- 52

ciundo præficiuntur, uti sunt ædiles rerum venalium, curatores viarum publicarum, artificiorum inspectores, & plures alii, quorum usus ad commercia necessarius,& perquam publicè utilis.

Ecclesiasticum munus est, quo negotia ad salutis nostræ, & bonarum artium cognitionem pertinentia,administrantur.

53 Hic munus quidem est ecclesiasticum,at illius ordinatio & confirmatio politica.

Ecclesiastica munera varia & diversa sunt,prout cujusq; politiæ, ecclesiarumq; utilitas & ædificatio postulat.

2.Reg.c.17.26.& seqq.1.Chron.c.18.14.& seqq. cap.23.& seqq. 1.Chro.c.26.32.c.18.14. 2.Sam.c.8.15.& seq.c.9.2.Chro. c.17.7.& seqq.& c.19.1.Esd.cap.7. Pœnæ loco minatur prophetа futurum, quando Resp. hisce caritura est. *2.Chron. c.15.*

Horum etiam gradus esse solent. Sunt enim quidam pastores, quidam doctores, quidam prophetæ, quidam presbyteri, quidam diaconi.

Rom.c.12.Eph.c.4.1.Cor.c.9.7.10. & c.12.& passim alibi. Vide Bened. Aret. *in prob.tom.2.loc.62.* Zepper. *lib.2.c.1.de pol.eccl.fiast.* Hadrian. Saraviam. *de diverf.gradib.minist. evangelii.*

In veteri Testamento erant summ⁹ pontifex & sacerdotes, Levitæ,cantores, janitores, qui in 14 classes erant distributi. *1.Chron. 24.& seqq.* Ex his usque ad annum 20. fuerunt theorici, à quo tempore usque ad annum 30.fuerunt intermedii, occupati secundis officiis,& ministeriis:ab anno 30. verò ipso officio principali suo fungebantur. *Num.c.4.3.c. 8.24. 1.Chron.c.24.45.26.* ubi Jun. & post annum 50.rudonabantur, & reliquorũ juniorum se inspectores & informatores præstabant. *Num. cap.8.25.& seqq. 1.Chron. c.24. 26.& seqq.*

Hisce Deus extraordinariâ vocatione sæpè adjunxit prophetas, reformatores religionis & morum,quorum quidã ornati erant dono miraculorum edendorũ. Vid. Sigon. *lib.3. c.9.*

c.9.de Rep.Jud. Portò de munere & officio personarum ecclesiasticarum, nimirum pastorum & ministrorum ecclesiç, doctorum,inspectorum, œconomorum bonorum ecclesiasticorum, tradunt Theologi,& latè Zepper. *lib.2.pol.eccles.* & Aret. in *probl. tom.2.loc.62.* De personis ecclesiasticis in politia Judaica latè Sigon.*lib.3.de Rep.Hebr.* In Papatu hodie ordines ecclesiastici, secundùm munera imposita numerantur: Papa,seu Pontifex Roman⁹, Patriarchæ,Cardinales, Archiepiscopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistæ,Lectores,Psalmistæ,Decani,Parabolani.Omitto monachos, & infinitam reliquorum ecclesiasticorum Papisticorum turbam inutilem: de qua Aret. *d.loc.62.* Isid.*lib.7. c.de cleric.* Pet.Greg. *lib.13.synt.c.3.& seqq.* & alii, inprimis Pacian. *lib.2.c.26.27.c.28.& seqq.de prob.* Chassan.*in lib.de gloria mund.* Atque tales etiam jurisdictionis & potestatis sæcularis capaces esse Pontificii docent,sed contra scripturã, uti videre licet *Mat.c.20.25.Luc. c.22.25.* argum. *Rom.c.13.* & *1.Pet.c.5. Joh.cap.5. Joh.18.3. Luc.12.14. 2.Tim.cap.2.4.* vid. Pareum ad *Rom.cap.13.* in dubiis,adde his *1.Pet.cap.5.3. 1.Cor.c.12.12.28.29.* exempla extraordinaria vide in Mose, Davide,Samuele & aliis.

De Philosophis, Medicis, JCtis & Theologis vid. Pet. Greg. *lib.17.c.5.c.6.c.7.& seqq.de Rep.& L.18.& seqq.de rep.* & *lib.18.c.1.& seqq.* In his requiruntur doctrina, mores & diligentia.Doctrina sit sana, & sufficiens & utilis.Mores emendati,probi, exemplares. Diligentia fidelis & accurata Vid. Pet.Greg. *lib.18. cap.2.* adde *l.unic.C.de profess.in urb. Constant.Luc.c.24.19. 1.Tim.c.1.3.& seqq.*

Munus militare est,quod gerimus in militiâ armatâ, tempore belli. Unde milites, qui pro varietate loci, regionis & belli varii. Alii enim pedites, alii equites,alii classici, alii terrestres: Alii magistri & præpositi militum, veluti Imperator, Dux,præfecti legionum,præfecti cohortium, præfecti alarum, tribunus legionum, tribunus cohortium, scholarum, vexillationum. Item centuriones, quæstores exercitus, judices militares. Alii contrà præpositis subjecti. Militum quidam etiam ex ter- 4

ritorio Reip.& subditis,quidam ex peregrinis sunt collecti & conscripti,vel ex confederatis. Quidam tyrones, quidam veterani, quidam stationarii,præsidiarii, quidam in procinctu.

55 Humile officium, seu munus est, quo corpus hominis & vita illius sustentatur, juvatur & exercetur; seu quod honorificorum alicui inservit.

Fieri enim non facilè solet,ut parvis & vilibus rebus occupati, sublimes & generosos spiritus concipiant,arg. *Prov. c.26.1.2.& seqq.* & vicissim natura non fert, ut præclaris & splendidis negotiis dediti,animos pusillos habeant & abjectos. Sed tamen ideo hæc officia parva non sunt contemnenda. Melch. Jun. *lib.1. pol. quæst.9.* Nam in domo non tantùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam fictilia & lignea,ut ait Apost.2. *Timoth.c.2.*& in ædificatione tẽpli Hierosolymitani lapides, ligna, cæmentum & aliæ res viles tam erant necessariæ, quàm aurum, argentum, & lapilli pretiosi.

56 Ejusmodi officio funguntur censuales, scribæ, tabularii,notarii,numerarii, ponderatores, crithologi,apparitores, exactores, tutores, curatores,tabelliones, mensores, excubitores,vigiles,peræquatores,& plurimi alii in honorificis muneribus constitutis inservientes.

Vid. *Sirac.c.38.36.& seqq.1.Sam.c.8.12.& seqq.1.Chron. c.9.c.8.*latissimè in *lib.11.& 12.Cod.Just.*

57 Atque hactenus de primo jure αὐταρκείας: sequitur nunc de reliquis; de quibus breviter hîc,quantum rei natura postulat,agemus, latiùs verò,prout necesse est,infra *c.32.*dicturi. Ex his igitur sunt,prout ordine sequuntur.

58 Distributio præmiorum est,quâ illi, qui justitiã hanc politicam coluerunt, variis remunerationibus, præmiis & honoribus afficiuntur.

Distri-

Distributio pœnarum est, quâ non præstantes hanc politicam justitiam puniuntur variis pœnis.

Cura securitatis publicæ provincialis est, quâ 59
symbioticis provinciæ singulis & universis præstatur securitas & jus commeatus, seu salvi conductus, quod vocant, in toto provinciæ territorio eundi, commeandi & remeandi sine vitæ, corporis, famæ, aut bonorum læsione, vel offensione.

Defensio contra vim & injuriam est,quâ vis,in- 60
juria, pericula, incommoda quævis,communibus viribus & opera provincialium,ab universis & singulis arcentur.

Collectatio & contributio est,quâ quilibet pro- 61
vinciæ symbioticus, ad necessitates & usus publicos provinciæ,pecuniã vel bona propria alia, pro facultate & viribus suis communicat & contribuit.

Usus commerciorum est, quo mediis & modis 62
licitis,& in provincia approbatis,in territorio illius inter symbioticos provinciales, ea subsidia, quæ ad vitam hanc alimenta & vestimenta necessaria sunt, communicantur.

Communicationis hujus ratio duobus ferè mediis & modis perficitur,permutatione,seu conventione inter symbioticos negotiantes, & usu ejusdem ponderis, mensuræ, modii, trutinæ ulnęve in provincię territorio approbatæ.

Monetæ usus est,in provincia recepti & appro- 63
bati numismatis communicatio, permutationibus & conventionibus symbioticorum facta.

Linguæ ejusdem usus est, quo omnes symbioti-

ci provinciales, in vitæ ſocialis uſu, ad communicationem neceſſariorum & utilium, utuntur.

Linguarum idiomata cujusque ferè provinciæ ſingularia & diverſa eſſe, apparet ex *Eſth.c.7.9.10. Judic. c.12.5.6. Act.c.2.6.& ſeqq. Marc.c.14.70.* Nam Imperator poteſt quidem barbaris hominibus civitatem dare, vocabulis nominibusque barbaris non poteſt, ſed illa ab uſu civium provincialium ſumitur, qui mutari facilè nequit, *l. Labeo.§.1.2. de ſupel. legat.*

64 Publica bona provinciæ ſunt, quæ uſibus illius publicis inſerviunt, & in uſus neceſſitatesque ejusdem aſſervantur & curantur. Hæc ſingula αὐτάρκειας jura, quia in univerſali conſociatione ſunt pleniora & majora, ideo de illis hîc parciùs & ibi latiùs dicimus. Vid. *c.17.infra.*

CAPUT VIII.

De juris provincialis adminiſtratione.

SUMMARIA.

1 *Adminiſtratio juris provincialis quid.*
2 *Membra provinciæ ſunt illius ordines.*
3 *Cauſa horum ordinum conſtituendorum.*
4 *Ordinum provinciæ ſpecies.*
5 *Quæ curæ ordinibus commendata.*
6 *Ordo ſacer, vel eccleſiaſticus, ejusque ſubjectum.*
7 *Hujus officium.*
8 *Paræciæ provinciæ.*
9 *Paræcia quid.*
10 *Presbyterium quid.*
11 *Appellationes illius variæ.*
12 *Perſonæ presbyterii duorum generũ.*
12 *Qui paſtores.*
14 *Qui in ſpecie presbyteri.*
15 *Qui Diaconi.*
16 *Presbyterii cura & officium quotuplex.*
17 *De cura ſanæ doctrinæ Chriſtianæ.*

18 *Miniſtrorum vocatio quid poſtulet.*
19 *Miniſtri naminatio & examinatio ad quem pertineat.*
20 *Vitæ illius cenſura ad quem.*
21 *Magiſtratus officium in vocatione miniſtri.*
22 *Presbyterorum & Diaconorum vocatio.*
23 *Cenſura morum & diſciplinæ.*
24 *Poteſtas clavium.*
25 *Cura ſcholarum.*
26 *Earundem inſpectio & viſitatio.*
27 *Presbyterii præſides qui.*
28 *Horum officium ſpeciale in quibus conſiſtat.*
29 *Eorundem peculiaris functio in docendo, orando, & ſacramentis adminiſtrandis.*
30 *Variæ horum appellationes.*
31 *An harum rerum quoq; cura pertineat ad magiſtratum.*
32 *Magiſtratus quatenus miniſterio ſubjectus.*
33 *Claſſis eccleſiarum ex quibus conſtituenda.*
34 *Epiſcopus quis, & coëpiſcopi.*
35 *Plures claſſium præſides conſtituunt collegium ordinis eccleſiaſtici.*
36 *Conventus claſſium conſtituit ſynodum.*
37 *Ordinis eccleſiaſtici officium.*
38 *Viſitatio eccleſiarum quid & in quibus occupetur.*
39 *Synodus provincialis à quo & quando indicatur, & quid ac à quibus in illa agatur.*
40 *Ordo ſecularis quid & quotuplex.*
41 *Ordo nobilitatis.*
42 *Nobilitatis cura & officium.*
43 *Neceſſaria nobilitatis.*
44 *Gymnaſia nobilium & ornamenta.*
45 *Ordo civitatum & agrariorum.*
46 *Hujus ordinis cura.*
47 *Mercatores, agricolæ, artifices in hoc ordine, & horum ſubjecta.*
48 *Scholæ mechanicæ.*
49 *Ordinis cujusq; deputati.*
50 *Præfectus ordinum horum, ejusque variæ appellationes & officium in arduis.*
51 *Dux, Princeps, Marchio, Landgravius qui.*

52 *Causa præfecti constituendi.*
53 *Præsides provinciarum jura majestatis usurpant sine prv judicio sui superioris magistratus.*
54 *Reservata superiori quænam.*
55 *Constituentis major potestas & amplior.*
56 *Officium præsidis provincialis.*
57 *Juramentum subjectionis.*
58 *Quod in ecclesiasticis ejus officium & jus.*
59 *Quod in secularibus.*
60 *Functionum utilitas in provincia.*
61 *Præsidis officium est, justitiam administrare.*
62 *Dicasteria provincialia constituere & habere, & proclamata promulgare & edicta publicare.*
63 *Remedium & emendationem incommodorum quærere.*
64 *Indicere conventum.*
65 *In conventu proponere, rogare & concluſa confirmare.*
66 *Ordo quilibet, quale jus in conventu habeat.*
67 *Suffragia libera.*
68 *Jus concludendi penes quos.*
69 *Ordo non comparens, amittit pro illa vice suffragium suum.*
70 *Disparia suffragia ordinum.*
71 *Provinciæ divisio in certos districtus.*
72 *Principes tribuum apud Judæos.*
73 *Officium horum principum.*
74 *Dignitas & autoritas horum.*
75 *Conventus provincialis apud Judæos.*
76 *Politiarum diversarum provinciæ, earumq; præsides.*
77 *Mosaicæ politiæ ordines.*
78 *Ordo ecclesiasticus in politia Judaica ex quavis tribu.*
79 *Hujus officium, ubi & de Levitarum officiis variis in docendo & ministrando.*
80 *Ordo secularis in politia Judaica.*
81 *Hujus officium.*
82 *Provinciarum præsides apud Romanos.*
83 *Hi duplices.*
84 *Horum officium & mutatio: n. 85.*
86 *Ordines apud Romanos olim qui.*
87 *Ordines in politia Gallicana.*
88 *Ordines politiæ Germanicæ qui.*

89 Im-

89 *Immediatè imperio subjecti.*
90 *Mediatè subjecti.*
91 *Cui immediatè subjectus, & cui mediatè subditus rationem reddat.*
92 *Præfecto provinciæ non faciente officium in defendendis suis subditis, tum illi alii se submittere possunt.*

DE juris provincialis communione hucusque: Sequitur de illius administratione.

Administratio juris provincialis est, qua commodè & decenter juris provincialis usus & praxis tam generalis quàm specialis ad salutem provinciæ dirigitur. 1

Unde jus hoc prorsus est eutacticum & syntagmaticum, spectans eupraxiam & eunomiam.

Administratio hæc est duplex. Una, quam membra provinciæ habent: Altera, quam caput & præses provinciæ.

Membra provinciæ sunt ordines illius & status, quos vocant, sive majora collegia, in quę provinciales, ratione suæ professionis, vocationis & functionis, ex vitæ institutæ genere, & diversitate sunt distributi, ut in negotiis ecclesiasticis & civilibus quilibet status, seu ordo, inter sui generis homines de negotiis & jure provincialium, citra tamen ordinariæ jurisdictionis usurpationem & usum, sit solicitus: Germanicè vocantur die Stende der Landschaft. 2

Causa statuum horum ordinandorum est necessitas & utilitas provinciæ, uti declarat Jethro socer Mosis, *Exod. c. 18. 17. & seqq.* Non enim unus potest sufficere, & par esse administrandis publicis, iisque diversis, variis & multiplicibus negotiis provinciæ, nisi in partem oneris adsumat sibi ex quolibet hominum genere peritos, sapientes, & fortes viros. *d. c. 18. Deut. c. 1. 13. & seqq. 2. Chron. 19. Num. c. 11.* Neq; etiã omnia negotia publica provinciæ commodè ab omnibus promiscuè indistinctè tractari possunt. Sunt n. negotia quædam,

quæ non possunt suâ naturâ tractari nisi à peritis illorum negotiorum. Sed nec consilia in tanta variorum hominum, vitæ, & studii genere discrepantium diversitate inter se convenire possunt. Denique hac ratione etiam vestigia quædam libertatis provincialibus reservantur, dum omnes & singuli vident, se quoq; ad curam rerum publicarum admitti: unde amor & benevolentia atque cura communis inter provinciales conciliatur, dum omnes intelligunt, universorum & singulorum provincialium in quolibet vitæ genere curam exactam haberi, postulata eorundem de utilibus & necessariis ad vitam socialem procurandis, & incommodis atque noxiis avertendis audiri, iisque remedium, imò & auxilium contra potentiores, vel publicæ tranquillitatis turbatores, parata esse.

5 Ordo, seu status provinciæ est duplex, nimirũ sacer, vel civilis seu secularis; Germanicè der Geistlich vnd Weltlich stand. *Exo.c.17.9.* Adibis sacerdotes Leviticos, vel ad summum judicem. ubi Jun. & *v.12. & 2.Chron.c.19.5.6.8.11.* ubi Josaphat constituit alios præfectos in negotiis civilib. & alios in ecclesiasticis. Hesr. *c.7.25.* Hi ordines cum suo præside repræsentant totam provinciam. Horum consilio omnia graviora aguntur. His salus Reip. commendata. Hi errantem præsidem provinciæ monent, abutentem sua potestate corrigunt. Hi seductores adulatoresque præsidis sui puniunt. Vide Meteran. *lib.14. histor.*

6 Sacrum, vel ecclesiasticum ordinem repræsentat piorum, doctorum atque gravissimorum quorundam ex collegiis ecclesiasticorum hominum provinciæ, communi consensu electorum & constitutorum collegium, cui inspectio & cura doctrinæ, religionis & cultus divini, scholarum, bonorum ecclesiasticorum atq; pauperum, imò omnium negotiorum ecclesiasticorum & vitę sanctę cura in tota

tota provinciâ est demandata, ut horũ ministerio omnes sancti coalescant, atque unum corpus mysticum constituant.

Eph.c.5.12.13. ubi Jun. Est igitur horum ministerium præcipuus nervus, quo fideles in uno corpore cohærent, & omnia σύνταξις fiunt, *1.Cor.c.14.33. 1.Tim.c.3.14.15.* & diligentissima fit inquisitio & inspectio de omnibus scandalis, superstitionibus, blasphemiis & quibuscunque aliis professioni Christianæ contrariis, de bono & salutari ecclesiæ regimine conservando.

Unde hi collegæ ecclesiastici, episcopi vel inspectores, rectores, ductores rerum ecclesiasticarum provinciæ vocantur.

Hebr.c.13.7.17. Roman.c.12.8. Actor.c.20.28. 1.Thessal. c.5.12. ut dicetur infra *num.33. & seq.* Germani vocant den Lehrstand / statum ad docendum & animum hominis informandum & excolendũ destinatum & constitutum. Hunc ordinẽ in politia Judaica constituebat tribus Levitica. *Deut. c.10.8. cap.18.5. cap.33.10. 1.Chron.cap.15.2.* infra *n.78.79.*

Cura religionis & cultus divini hosce inspectores obligat, ut dispiciant & inquirant, an doctrina de Deo & salute nostra rectè & publicè doceatur in tota provincia & singulis illius partibus, & an Deus in tota provincia verè & sincerè, secundùm Dei verbum liberè & publicè colatur ab omnibus, ut corruptelæ, idololatriæ, superstitiones, atheismus, hæreses, schismata orta tollantur maturè, ne quid detrimenti religio pura quovis modo capiat, sed res ecclesiasticæ, seu negotia religionis bene administrentur. *Malach.c.1.5.6. & seqq.* infra *n.79. & n.37. & seqq.* 7

Quia verò ecclesiasticus ordo provinciæ hoc officium sibi demandatũ, per totam provinciam commodè & bene obire & peragere non potest, sine auxilio & ministerio aliorum, ideo prima ipsius 8

cura erit, ut provinciam in parœcias suas distribuat, & ut quælibet parœcia suum habeat bene constitutum presbyterium, *Tit.c.1.5.* ibi: Constituas oppidatim presbyteros, quod suam quamque parœciam repræsentet, ejusque autoritate & jure in administratione speciali negotiorum ecclesiasticorum illius parœciæ utatur.

11 Parœcia hîc nobis est, viciniæ alicujus, *1.Tim. c.4.14. cap.5.17.* aut plurium pagorum, aut oppidi, vel civitatis cujusdam provinciæ, ad exercitium cultus divini publicum habendum conventus, & separata ab aliis in rebus spiritualibus communio. *1. Corint.c.14.23.26.*

10 Presbyterium hoc, est collegium gravium & piorum hominum, à parœcis electorum, quibus cura & administratio rerum & negotiorũ ecclesiasticorum parœciæ alicujus, à tota ipsius ecclesia est commendata, ut eandem repræsentet, & communioni rerum spiritualium & temporalium, ad ædificationem & conservationem ecclesiæ necessariarũ præsit, *Eph.c.5.12.13.* easq; in domino, sine dominationis in clerum usurpatione, *1.Pet. cap.5.3. 2. Corinth.cap.1. 24. Matth.c.20. Marc. cap.10.* administret & procuret, *Tit. cap.15.6.7.23.*

11 Hoc presbyterium, ut vocat Paulus *1.Tim.c.4.14.* idem Paulus senatum vocat, Christus ecclesiam appellat, *Matth.c.18.17.* quia totam ecclesiam repræsentat, cujus quasi epitome quædam hoc collegium habetur. Ideo Moses à Deo jussus Israëlitas alloqui, eorũ seniores & gubernatores convocatos alloquitur: *Exod.c.12.c.13.c.15. & seqq.* & ab ecclesia fieri dicitur, *1.Cor.c.5.4.5.6.* q. à pluribus hisce, h.e. à presbyterio fit. *2. Cor.c.6.* Dicitur etiam hoc præesse & domi-

gubernare ecclesiam, *Rom.c.12.8. 1.Cor.c.12. 28. 1.Tim. c.5.1. Hebr. cap.13.7.17. 1.Pet. c.5.1. 2.3.* Novell. *123.* sed ut ministri non ut domini, *2.Cor.c.1.24.* Non quòd dominemur vestræ fidei, sed quòd administri simus vestri gaudii, *2.Cor.c.4.5.*

Judæi in veteri testamento nomine significante Synagogam nominabant, *Act.cap.4.5. & seqq. cap.9.21. Johan.c.9. 22.c.12.42.* hodie etiam Consistorium Senatusque ecclesiasticus appellatur.

Presbyterium hoc, seu senatus hic ecclesiasticus, 12
duobus hominum generibus constat, nimirum pastoribus seu ministris verbi, *1.Timoth.cap.5.17.* quibus laborantibus in sermone & doctrina, *1.Tim.c.5.17.* ministerium reconciliationis est demandatum, *2.Cor.c.5.18.* Deinde iis, quibus rerum ecclesiasticarum administratio est credita, seorsim à verbi & sacramentorum administratione, *1.Corinth.c.12.28. Ephes.cap.4.11.12.* ad compactionem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, qui presbyteri & diaconi in specie vocantur, *Act.c.11. 30.c.16.4.6. Phil.c.1.1. Act.c.6.1.2. & seqq.* Aliâs in genere omnes inservientes ecclesiæ, presbyteri dicuntur, *Actor. c.19.17.28.29. 1.Tim.c.4.14.c.5.17. 1.Pet.c.5.1.2.3. Actor.cap.20.17.28. c.21.18.* Vide Calvin. *lib.4. Inst.c.3. sect.8.*

Pastores & ministri verbi in iis, quæ ad fidem in 13
Christum excitandam & fovendam pertinent, inprimis occupantur, administrantes verbum, preces & sacramenta in cœtu fidelium, *1.Cor.c.14. 2.Cor.c.4. 2. Act.c.6.4.*

Presbyteris in specie cura eorum, quæ ad pœni- 14
tentiam in fratribus excitandam, & disciplinã conservandã instituta sunt, potissimùm incumbit, *1. ad*

Timoth.c.3.Act.c.14.12.Tit.c.1.5. qui ideò censurę morum præerant, unà cum episcopis, qui propriè presbyteri vocabantur. Calvin. *lib. 4. Inst. cap. 3.* sed & horum officium est, ut observent ministros, ut hi suum faciant officium, & indicent ministris errores, schismata, scandala, necessitates publicas, ad preces & pœnitentiam movente̅s.

15 Diaconi qui eleemosynis dispensandis, gerendæq; pauperum curæ ab ecclesia sunt præfecti, *Act. d.c.6.3.* præcipuè ea tractant, quæ charitatis propria sunt, *Act.c.6.2. & seqq.* bonorumq; ecclesiasticorum curam gerunt, de quib. *1.Tim.c.3.8.9.10.*

16 Conjunctim verò & simul ministri, presbyteri & Diaconi, seu collegium & presbyterium totum tractat & curat ea, quæ ad communionem sanctorum totius parœciæ pertinent, *Eph.c.4.11.12. 2. Cor. c.1.6.* quæ sunt: 1. de tuenda & promovenda doctrinæ cœlestis veritate. 2. de vocatione ministrorum verbi. 3. de censura morum. 4. de scholis puerorũ & juventutis. 5. de rituum & cerimoniarum honestate in Ecclesia Dei. 6. de ordine & εὐταξία. 7. de modo & tempore conventuũ habendorum. 8. de precibus, concionib. & sacramentis ecclesię. 9. de testificatione resipiscentię, castigatione ad sanctimoniam & pacem persequendam, colendam & retinendam: *Heb.c.12.14. Eph.c.4.12.16.* de diaconia & eleemosynarum administratione, *1.Tim.c.3. Tit. cap.1. cap.2.*

De quibus ecclesiæ causis in conventu suo inter se conferunt, deliberant & decernunt, *1.Cor.c.5.4. 2.Cor.c.2.6. Actor.c.4.5.6. & seqq.c.20.17.c.21.18. 1.Tim.*

cap.4.14. Galat.cap.2.2. 1.Timoth.cap.5.19. Ad hujus muneris sui expeditionem atque exercitium, seu usum, potestatem clavium à DEO presbyterium accepit, *Matth.cap.16.19.cap.18.18.* quibus regnum cælorum aperit & occludit, *Jerem.c.1.10. 2.Corinth. c.10.5. Matth.d.cap.18.* Conventus hic singulis septimanis ordinariè habebitur in loco solito & destinato.

Sana, orthodoxa, sincera & incorrupta doctrina de religione Christiana secundùm præscriptum verbi Dei promovenda, & ad posteros propaganda est. Hìc igitur ignari sunt erudiendi, & adversarii redarguendi; seductores, impostores, hæretici, pertinaces & pernicioſi in lucem protrahendi, atque magistratui indicandi, ac ab hoc expellendi. Visitatio etiam domestica usurpanda, & singuli domatim instituendi, uti Apostolus fecisse legitur *Actor.c.20.20.* 17

De errantium emendatione & reductione ad sanam doctrinam, in presbyterio deliberant, *Actor.c.4.5.6. & seqq. cap.9.2. Joh.c.9.22.c.12.42.c.16.2. Luc.c.12.11.c.21.12.* Vide infrà *num.79.*

Ministros verbi, collegium hoc *1.Timoth. cap. 4.14.cap.5.22. 2.Timoth.cap.2. 2.Tit.cap.1.5. Actor.cap. 14.22.* eligit & vocat, cum consensu & approbatione ecclesiæ, *Actor.cap.6.2. & sequente, cap.14.23.* cumque ipsis per suffragia creassent per singulas ecclesias presbyteros, *Actor.cap.1.21. & sequentib. 1.Timoth. cap. 4.14.* ibi: Quod datum est tibi cum impositione manuum presbyterii. Novell. *123. cap.1.* 18

In hac ministri electione, tria sunt conside-

randa: 1. nominatio ministri. 2. approbatio ecclesiæ. 3. confirmatio ministri.

19 Presbyterium nominat ministrum cum, quem pastores ecclesiæ orthodoxi examinarunt, atque in doctrina sanum & orthodoxum, in sacris literis satis eruditum, & ad populum docendum aptum & idoneum, habito examine duplici, per quæstiones & responsiones atque concionem publicam ab ordinando habendam, judicarunt, *2. Tim. cap. 2. 9. Tit. c. 1. 9.* Talem nominat presbyterium, *Act. c. 1. 1. Cor. c. 16. 3.*

20 Approbatio ministri pertinet ad ecclesiam: *Actor. d. cap. 6. 2. & sequentib. cap. 14. 23.* quæ priusquam approbet ordinandum, vitam illius probat & explorat, *1. Timoth. cap. 3. 10.* ibi: Explorentur priùs, & deinde ministrent, secundùm qualitates & dona, quæ Apostolus in tali ministro requirit, *1. Timoth cap. 3. 10. Tit. cap. 1. 5. 6.*

21 Hisce peractis, presbyteriũ de iis, quæ in causa hac peracta sunt, magistratum certum reddit, qui si ob causas justas ordinandum rejicit, presbyterium ad aliam novam electionem procedit; si approbat, sequitur proclamatio in publica concione dici dominicæ, quâ omnes monentur, ut, si quid contra vocati ministri vitam, vel doctrinam habent, id intra tempus præscriptum, uni ex magistratu, vel presbyterio indicent intra certum tempus præscriptum. Ad hoc tacentes, vel non contradicentes huic vocationi mini-

stri, habentur pro consentientibus, per ea quę tradunt *Dd. in l. qui tacet 142. de reg. jur.* Mascard *concluſ. 1218. & 1153. de probat.*

Ecclesiâ verò per majora suffragia contradicente, presbyterium ad novam aliam electionem procedit, eo, quo dictum est, modo.

Confirmatio vocati in doctrina & vita examinati ministri atque approbati, ita fit, ut vocatus toti ecclesiæ, die dominica post concionem publicam sistatur, ut illa vocationem & ministerium illius agnoscat, & coram illa vocatus, de partibus officii sui moneatur, & pro eo preces ab ecclesia publicè fiant. Quæ confirmatio olim, & hodie quibusdam in locis, externo impositionis manuum signo signiebatur, *1. Timoth. cap. 4. 14. cap. 5. 22. Actor. cap. 6. 2. cap. 14. 23. 2. Timoth. cap. 2. 2. Tit. cap. 1. 5.* Vide Calvin. *lib. 4. Instit. cap. 3. sect. 15. & cap. 4. sect. 12. 13. 14.* ubi probat, primitivam ecclesiam clericos elegisse ministros, eosque magistratui confirmandos obtulisse, qui à presbyterio acta rata & firma suâ autoritate esse juberet. In quibusdam ecclesiis ita confirmatus minister, postea juramentum magistratui de functione sua injunctâ fideliter & diligenter obeundâ præstat.

Hanc vocationis ministri formam observat ecclesia Genevensis & aliæ ecclesiæ reformatæ. Vid. Franciscum Junium *in libello de natura & administratione ecclesiæ Dei.* Aretius *problem. 63.*

Eadem forma observatur in vocatione presbyteri & diaconi. 22

1. Timoth. cap. 3. 10. Actor. cap. 6. 1. 2. & seqq. c. 20. 28. c. 13. 2. 2. Corinth. cap. 5. 18. excepto eo, quòd ecclesiæ publicè illi non sistantur, neq; examinentur. Calvin. *d. loco.* ubi horum officia describit. Formulam juramenti horum vide in *ordinat. eccles. Genevensis.*

In censura morum & disciplinæ ad collegi- 32
um presbyterii pertinente, singuli presbyteri in doctrinam, mores & vitam honestam singulorum

membrorum ecclesię inquirunt, *Matth.c.18. Act.c.12. 8.c.20.28.* atque alii aliorum sunt episcopi, Christi nomophylaces, omnia sincerè cum spiritu lenitatis & charitatis inter se facientes, quæ ad singulorum emendationem, & totius ecclesiæ bonum pertinere judicabunt, *Tit.c.1.& seqq.& epist.ad Timoth.utraque.* quò professioni Christianæ singulorum vita respondeat, & quò omnia scandala præcaveantur & tollantur, ne nomen Dei apud alios ob malam vitam Christianorum, malè audiat, sed ut alii audientes nostram piam & honestam conversationem, Deum laudent & glorificent.

24 Censura & disciplina ecclesiastica hæc presbyterio demandata, dicitur potestas clavium, *Matth. c.16.19.c.18.18.* quæ custos & sæpis ecclesiæ, conservatrix salutis, alimentum boni intellectus & magistra virtutis vocatur.

De forma & modo censuræ hujus exercendæ vide *ordin. eccles.Genevens.c.2.de consist.* Apud Judæos hanc quoque usitatam fuisse constat ex *Actis c.4.5.6.& seqq.c.9.2. Johan. c.9.22.c.12.42.c.16.2. Luc.c.12.11.c.21.12. Matth.cap.10.17.* Cæterùm, quia familia certa designata erat in politia Judaica, ex qua ecclesiæ ministri sumebãtur, *Ex.c.29.1.44.c.30.7.* Ideo magistratus illos ministros ordinabat ex divino mandato, *Levit.c.8. Num.c.20.28.c.25.13. 1.Reg.c.2.27.35.* quæ lex typica & ceremonialis fuit, atque in testamento novo sublata est. Vide *infrà hoc cap.n.79.*

Huc pertinet ecclesiarum cujusque parœciæ visitatio, quâ à magistratu quidam ex presbyterio ordinati, temporibus certis, singulas provinciæ ecclesias visitant, & inquisitione habitâ, examinant, an ecclesiæ pastor, novo docendi genere utatur contra doctrinam orthodoxam, an cum ædificatione doceat, & suo officio rectè fungatur, & honestè vivat. Redeuntes hi deputati, de omnibus quæ correctione indigent, magistratui referunt, ab eoque remedium petunt.

25 Scholarum, puerorum & puellarum curam habet

bet presbyterium, ut scilicet pueri & puellæ in iis informentur in rudimentis & fundamentis pietatis, & disciplinis liberalibus. Unde scholæ vulgares & vernaculæ, vel sublimiores, triviales, Academicæ.

Institutis scholis, collegium hoc, inspectione & 26
visitatione diligenti curat, ut præceptores & pædagogi officium suum diligenter & fideliter faciant, atque discipuli in pietate & bonis literis proficiant & incrementa capiant, quò ad scholas alias postea fiant idonei, & tandem organa salutaria ecclesiæ & Reipubl.

Nam juventutis honesta educatio, fundamentum & seminarium bonæ Reip. metitò dicitur. De reliquis presbyterii partibus ejusque functionibus, sunt consulendi theologi, inprimis Junius in libello de naturâ & administratione ecclesię Dei, & Zepperus *in lib.de polit.eccles.* & Calvin.*d.loc. in Inst.& ordinat.eccles.Genev.eccles.*

Collegio huic, seu presbyterio prædicto per vi- 27
ces alternatim, successivè præsunt ministri ecclesiæ sacris precibus, bonis consiliis & salutaribus admonitionibus. *1.Thess.c.5.12.* Rogamus vos fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant inter vos & præsunt vobis in Domino, & admonent vos. *13.* & eos supra modum charos ducatis propter opus ipsorum, & argum. *Act.cap.1.13.& seqq.Tit.c.1.5. 1.Timoth.c.5.22. 1.Pet.cap.5.1.2. Act.c.14.23.* Causas collegii proponunt, sententias symmistarum & presbyterorum collegarum rogant & colligunt, pronuntiant & collegii nomine interrogant, respondent, autoritate suâ totam actionem gubernant, quódque communi consilio decretum est, exsequuntur, non secus ac in collegiis sæcularibus accidit.

Unde κυβερνήτας, gubernatores dicti, *1.Tit.c.3.1.Cor.c.12.28. Tit.c.1.5.Rom.c.12.8.Hebr.c.13.17. 1.Pet.c.5.1.2.* Calvin. *lib.4. Inſtit.c.4.* exemplis primitivæ eccleſiæ hoc illuſtrat. Sic Joſaphat rex presbyteriis præpoſuit præfectos, *2.Chron.c.19.8. 11. Levit.c.10.*

In conſultationibus & concluſione presbyterii, non ex plurium collegarum ſententiis, ſed ex iis, quæ verbo Dei congruunt, ſtatuendum eſt. *Exod. c.23.2. Deut.c.5.31.c.12.8. Zach.c.12. Ezech.c.20.18.* Hîc igitur nequaquam ſuffragia ſunt numeranda, ſed ponderanda, atque ad verbum Dei, tanquam ad lydium lapidem & normam, examinanda.

29 Sed hi verbi & eccleſiæ miniſtri, præter curam & functionem, quam cum reliquis presbyteris communem habent, *Matth.c.18.* ſingularem & peculiarem ſuam functionem ſuſtinent & obeunt in parœciæ eccleſia, quæ duabus partibus ferè explicatur. I. publicâ prædicatione, inſtitutione & doctrinâ Legis & Evangelii, atque publicis precibus, *Matth.c.28.19. Epheſ.c.4.11. 1.Pet.c.5.2. Actor.c.20.20. & c.6.4.* Nos verò in precibus & ſermonis adminiſtratione perdurabimus. *1.Timoth.c.5.17. 2.Timoth.c.2.15.* II. ſacramentorum adminiſtratione & dispenſatione publicâ in eccleſia Dei, *Matth.c.28.19. Luc.c.22. 19. 1.Corinth.cap.9.16.c.11.24.25.* Quæ miniſtri hi facientes, dicuntur gregem Dei ſibi commiſſum ſacrâ & ſanâ doctrinâ paſcere, & ſigillis fidei confirmare.

30 Vocant verò hosce miniſtros ob officii ſui partes demandatas, prophetas, *1.Corinth.cap.14.32.* epiſcopos, *Actor.cap.20.28. Philip.c.1.1.* in verbo & doctrina laborantes, *1.Timoth.c.5.17. 1.Theſſ.c.5.12.* quibus datum eſt miniſterium reconciliationis, ſermo recon-

reconciliationis, quique Chriſti legatione funguntur, *2.Cor.c.5.18.19.20.* myſteriorum Dei dispenſatores, *1.Cor.c.4.1. 1.Timoth.c.3.16.* ποιμένας, *1.Tim. cap.3.2.* ductores, *Hebr.c.13.17.* paſtores, *Epheſ.c.4.11. Actor.c.20.* miniſtros, *Rom.c.15.16. 1.Cor.c.3.5.c.4.1.12.* teſtes Chriſti, *Actor.c.1.8.* epiſcopi, *1.Theſſ.c.5.12.* Aliquando etiam ſpeculatores, *Ezech.c.3.17.* plantatores, rigatores, lux mundi, ſal terræ, *Matth.cap.5.14.* clavem ſcientiæ cuſtodientes vocantur, aliisque honorificis titulis & elogiis honorantur & ornantur.

Curam & adminiſtrationem harum rerum & negotiorum eccleſiaſticorum, non ad ſecularem magiſtratum, ſed ad collegium horum presbyterorum pertinere, ex citatis locis ſcripturæ conſtat. 31

Quibus addo, *Actor.cap.18.14.15.16.* ubi Gallio noluit judicare de lege Dei, ejusque cultu. Adde *Deut. cap.17.9. & ſeqq.* Nam regnum Dei non eſt de hoc mundo, *Joh.c.18.* & aliis miniſtris ædificatur & conſervatur, *Epheſ. c.1.c.5. 1.Cor.c.12. 2.Chron.cap.19.5.6.7.c.26.7. Exod.cap.29.1.44. c.30.7. Deut.c.21.5.c.30.9.* Novell.*123.* aliâ quoque formâ & modo, quàm ſeculare imperium, regitur & adminiſtratur, *Matth.c.9. Mich.c.1. Jer.c.1.* nimirum gladio ſpirituali, verbo Dei, *Matth.c.13.* Atq; ut nullâ potentiâ humanâ inſtituitur, ſic nec deſtruitur, ſed æternum eſt, *1.Cor.c.15.*

Huic adminiſtrationi ſubjectus eſt etiam magiſtratus, quoad monitiones, cenſuras & alia quæ ad animæ ſalutem ſunt neceſſaria. 32

Ezech. cap.3.2.3. & ſeqq. 1.Theſſ. cap.5.12. Hebr. c.13.17. Luc.cap.10.16. Exempla veteris teſtamenti vide in Davide, *2.Sam.cap.12.c.24.* Hiskia, *2.Reg.c.20.19.* Aſa, *2.Chron.c.16.* Joſaphat, *2.Chron.c.20.* Jeroboam, *1.Reg.c.13.* Jehu, *1.Reg. c.16.* Achab, *1.Reg.c.21.* Ochozia, *2.Reg.c.1.* Menaſſe, *2.Reg. cap.21.*

Ergo usus ministerii & obedientia erga illud omnibus & singulis commendatur. Quæ distincta munera confundi non debent. Singula enim totum hominem requirunt.

Vide Zepper. *de polit.eccles.lib.3.c.13.14.*& Zanch. *in explic.præcept.4.loc.5.* Calvin.Jun. & Aret.*in cit.loc.suprà.*

33 Plures alicujus amplæ & populosæ civitatis, vel provinciæ parœciæ,earumque presbyteria, constituunt classem, seu corpus & conventum plurimarum ecclesiarum ejusdem civitatis, vel provinciæ, ad quem conventum graviores controversiæ, & quæstiones de doctrina & rebus ecclesiasticis incidentes,quæ à presbyterio decidi non possunt,decidendæ referuntur.

Act.c.15.2.3.4.5.6.7.& seqq. quod & apud Judæos fuit usitatũ,*Deut.c.17.8.9.10.Psal.122.5.* Cyprian.*lib.3.epist.8.lib.1. epist.3.* Euseb.*lib.5.c.16.* Novell.*123.c.10.& seqq.*

34 Huic classi qui præest, Episcopus seu Inspector ecclesiarum ejusdem classis dicitur, cui officii sui fideliter administrati, reliqui ejusdem classis ministri, rationem reddebant, *Novell.123.c.10.* Plurium classium inspectores coëpiscopi vocantur.

35 Ejusmodi classes,pro latitudine & magnitudine provinciæ & hominum multitudine, quandoque plures,quandoq; pauciores sunt. Plurium classium præsides, & coëpiscopi constituunt collegium ordinis ecclesiastici,quod diximus,cui qui præest, archiepiscopus vocatur,seu generalis superintendens

36 provinciæ. Conventus autem omnium & singularum provinciæ classium constituit synodum provincialem, *Novell.123.c.10.*

37 Ut verò omnes classes, & singularum classium parœciæ in provincia suum faciant officium,ordo ecclesiasticus dispiciet, inquiret & examinabit in visitationibus institutis, quod ter, vel quater, aut sæpiùs re postulante,singulis annis fieri poterit. Vide *d.Nov.123.c.10.*

In hisce igitur visitationibus inquisitionem & 38
examen instituet ordo ecclesiasticus, primùm de doctrina & vita presbyterorum: Deinde,num quid sit, quod emendationem requirat, atque auxilium magistratus postulet, cujus tum officium in hisce omnibus implorabit,& cujus rei gratiâ adjunctos habebit deputatos à magistratu officiarios, qui pro re natâ præsentibus necessitatibus cujusq; ecclesiæ remedia quærant,ne quid desit ad verum Dei cultum, neque etiam quid impedimenti relinquatur. De hæreticis,atheis,Judæis,Papistis,libertinis,anabaptistis tolerandis vel ejiciendis,atque aliis ad religionem pertinentibus in regno & provinciis,diximus latè *c.28. de administ.eccles.*

De doctrina,secundùm fidei articulos & sacram scripturam, inquisitionem & examen ordo ecclesiasticus instituet: de vita secundùm decalogum & legem Dei: de statu scholarum particularium cujusq; parœciæ & gymnasiorum in civitatibus: de dispensatione bonorum ecclesiasticorum,& si quæ sunt alia.

Vide lib. Zepp. *de polit. ecclesiast. & ordinat. eccles.Genev.*

Synodum provincialem ex monitu ordinis ec- 39
clesiastici præfectus provinciæ indicit.

Ios.cap.23.c.24. 1.Chron. c.23.c.28. Si hic præfectus à religione est alienus,ecclesiæ ministri curabunt, *Act.cap.11.1. cap.15.2. & seqq.* In qua synodo boni viri comparent,qui nomine parœciæ cujusque deputantur, *Actor.c.15.6.12.22.* qui inter se conferunt & concludunt,*d.c.15.* Sic itaque in hac synodo.

De hæresi erroréve in doctrina Christiana orthodoxa, vel de schismate in ceremoniis & ritibus ecclesiæ publica collatio, disquisitio & compositio, quantum fieri potest, instituitur, ne ex illis gangræna fiat, quę ulteriùs serpat, & totum corpus occupet & depascat, vel concordiam atque unitatem ecclesiarum dirimat. Quòd si hac ratione controversia componi non potest, defertur illa ad synodum generalem, seu comitia regni, de quibus infrà suo loco *c.33.*

40 Secularis ordo provinciæ est, cui consensu provincialium cura corporis, victus, amictus, & rerum, quæ ad usum vitæ, *1.Cor.c.6.3.4.* vel ad negotia vitæ, *2.Timoth.c.2.4.* provincialium pertinent, est injuncta, ut observet, si quid in negotiis politicis secundę tabulæ remedio, auxilio vel correctione opus habeat, quibus vel commoda provincię procurentur, vel incommoda provincialium avertantur. Germanicè der Weltliche Stand vocatur.

Ordo hic secularis & politicus est duplex, nimirum ordo nobilitatis, & ordo plebeius, scilicet civitatum & paganorum agrariorum. Unde status seculares tres prodeunt, nobilitatis, civitatum & agrariorum. Germanicè der Ritterstand/der Stättestand/vñ der Hausmans oder Baurenstand vocant.

Tertium ordinem agrariorum quædam provinciæ non agnoscunt, ut pleræq; provinciæ Belgicæ, Hollandia, Selandia, Westfrisia, Geldria, Groninga, status seu ordines dicit habent, nobilitatis & civitatum; ecclesiasticum ordinem non agnoscunt. Pet. Montanus in descriptione Belgii. Guicciardinus. Meteran. *lib.14.& 20.hist.* Sed putarem requirere negotiorum varietatem, & horum hominum in suis officiis peritiam, ut admittatur.

41 Nobilitatis ordo præcipuè ad defensionem atq; ad vim

ad vim ac injuriam provinciæ depellendam & amoliendam est constitutus.

Unde Germanicè vocari potest der Wehrstand/ status ad defensionem destinatus.

Cura igitur nobilitatis præcipua est, ut provincię 42
& patrię, tempore necessitatis & periculi, consilio & armis & scientiâ rei militaris inserviat. Hoc ut commodè possit, curabit nobiles provincię ad artes belli & scientiam rei militaris educari, atque in animi & corporis virtutib. heroicis, & scientiis, aliisq; exercitiis nobilitate dignis, excoli, quò ad egregia facta pro patria obeunda apti reddantur, & verè de εὐτεκνίᾳ & πολυτεκνίᾳ, similiter de bene meritis in Rempubl. & rebus præclarè gestis tum suis, tum majorum, seu parentum suorum, gloriari possint.

Ordo igitur hic iis omnibus, quæ ad bella requi- 43
runtur, uti armis, equo, facultatibus, & scientiâ rei militaris instructus esse debet.

Hinc gymnasia nobilium, in quibus illi exer- 44
centur equitatione, gladiatorio ludo, luctâ, certamine hastilium, & aliis corporis & animi exercitiis honestis & utilibus, quibus apti ad illa, quæ ab hoc ordine requiruntur, redduntur, de quibus *Munsterus in Chronologia.*

Habet verò quævis provincia sua peculiaria requisita & ornamenta nobilitatis, quibus æstimari cupit: habet etiam quævis suum externum cultum & habitum, quibus à plebeis discernitur: diximus in *lib. de conversat. civili.*

Curam habebit etiã hic ordo decentis splendoris, dignitatis & excellentiæ sui status, & insignium, atq; aliorum privilegiorum concessorum, conser-

vandorum, de qua re Tiraq. *in lib. de nobil.* & Chass. *in catal. glor. mund.*

45 Ordo civitatum & agrariorum plebeiorum, constitutus præcipuè est ad rerum in vita civili provinciæ necessariarum & utilium sufficientiam procurandam.

Unde vocatur der Nehrstand/ status ad victum & amictum curandum & comparandum destinatus, vel ad necessaria vitæ symbioticæ provinciali submiſtrandum constitutus.

46 Ordo igitur hic curam gerit, ne aliquid ex his, quæ ad vitam togatam secularem sunt necessaria & utilia, desit, inprimis utilia & necessaria officia vitæ socialis, quibus omnia quæ diximus, comparantur, de quibus vita carere non potest.

47 Atq; hæc officia trium sunt generum. In primo sunt mercatores & negotiatores. In altero sunt agricolæ & pastores: in ultimo opifices mechanici.

Mercatores necessaria & utilia, quibus caret provincia, important, & superflua illius exportant, atq; in civitatibus & agro vivunt.

Agricolæ & pastores comparant, colligunt & præparant, quæ ad victum & amictum sunt necessaria. Atq; hi extra civitates in agris, pagis atq; oppidis, nonnunquam etiam in urbibus sedem suam habent.

Opifices & artifices instrumenta ad negotia vitæ hujus socialis peragenda necessaria conficiunt, vel reliquis prioribus quasi inserviunt, ut usui vitæque hominum ea, quæ à prioribus duobus sunt producta, præparent aptaq; reddant. Atq; hi in urbibus præcipuè sedem suam habent.

48 Hinc scholæ mechanicę, in quibus omnis generis artifices & opifices informantur, & in collegiis cujusque

cujusque opificii, specimine edito, probantur, de quibus latiùs diximus cap. 7.

Ut igitur ecclesiasticus ordo homines pios, doctos, sapientes & bonos provinciæ exhibet: Sic politicus secularis ordo nobilitatis quidem, ut viros strenuos, militares & fortes, manu & consilio promptos, & rei militaris peritos exhibere provinciæ possit, curabit. Ordo verò plebeius, civitatum & paganorum, peritos, industrios, excellentes mercatores, agricolas & artifices, ut producere, & exhibere patriæ possit, studebit. Horum operâ, labore & industriâ ὠφέλεια in consociatione & symbiosi obtineri potest.

Deputati cujusque ordinis collegium constituunt, quod suum repræsentat ordinem, à quo cum mandato & instructione constituitur, ut ordinis sui peculiarem rationem & curam in negotiis vitæ socialis provincialis, quæ ordo ille tractat, habeat, & de iis in commune cum aliis consulat, deliberet & concludat. 49

Præfectus horum ordinum provincialium sacrorum & secularium est superior, cui administratio provinciæ & omnium provincialium, à regno, sub quo est provincia, vel cujus est membrũ, demãdata est, qui vocatur Dynasta, Eparchus, Satrapa, gubernator præses, rector, & moderator provinciæ. 50

l. 1. & tot tit. C. de offic. rect. provin. l. 1. l. 3. 5. 6. l. 13. de offic. præsid. Germanis præfectus ejusmodi cum subordinatis suis dicitur der Regierstand / status ad gubernandum destinatus, & ad in officio continendũ priores status. In politia Judaica, ad hoc officium sumebantur idonei ex tribu Judæ & Levi. *Gen. c. 49. 8. 9. 10. 1. Reg. c. 11. 36. Psal. 132. 17.* adde his *Deut. c. 17. 9. 10. 1. Chron. c. 23. 5. c. 26. 29. 30.* & ex singulis tribubus, ut infrà in fine ferè dicetur. Hodie in plerisque locis Europæ præfecti tales vocantur Comites, & cognomine provinciæ sibi demandatæ & commissæ, vel præcipui castri, aut metropolis provincialis utuntur, ut Comes Nassoviæ, Benthemiæ, Frisiæ, Schvvarzburgensis, Hanoviensis, Mansfeldensis, Oldenburgicus, Solmensis, Ortenburgensis,

Schauenburgenſis, Waldeccenſis, Witgenſtenenſis, Seinenſis, Eyſenbergenſis, & alii plurimi.

In negotiis arduis, concernentibus ſtatum totius provinciæ, nimirum belli, pacis, contributionum imponendarum, legum & decretorum generalium publicandorum, & aliis, præfectus hicce ſine conſenſu & conventu ordinum provinciæ, nihil aget. Exemplum præbent provinciæ Belgicæ: Meteran. *lib. 14. & 20. hiſtor.* cum his ordinibus pacem & concordiam præfectus colet, quo modo ſtatum ſuum firmum reddit.

51 Quandoque etiam plures provinciæ uni adminiſtrandæ demandantur, qui ideo Dux, Princeps, Marchio, vel Landgravius vocari ſolet. Atque tales Duces vel Comites, Cæſarem agnoſcentes ſuperiorem, pro præſidibus provinciarum (quos olim vocabant) haberi, uti & Epiſcopos, teſtatur Weſenb. *conſ. 27. n. 28.* ubi communem dicit per Jaſon. *in l. 1. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd. & in l. ſtipulat. 5. n. 10.* ubi & alii Dd. *de verb. oblig.* Gozadin. *conſ. 50.* diſſentit Paurmeiſter *lib. 2. cap. ult. num. 18. & ſeqq. de jurisd.* Aliquando etiam metropoli provinciæ præfectura & adminiſtratio talis eſt demandata.

Uti eſt Norimberga, Argentorarum, Antuerpia, Dantiſcum, Groninga, Brema, Ulma, Auguſta, Aquisgranum, Lubeca, Francofurtum, & complures civitates aliæ. Nam hodie provincia dicitur etiam quælibet civitas, quæ habet diſtinctum & ſeparatum regimen & territorium. Bart. *in l. unic. C. de metropol.* Beryt. *lib. 11.* Franc. Marc. *deciſ. 366. nu. 13. 14. vol. 1.* Loſæ. *part. 1. c. 2. de jure univerſ.* Hieron. de monte *de finib. reg. d. c. 4. n. 7.*

52 Cauſa conſtituendi hujus præſidis eſt neceſſitas & utilitas provinciæ. Non enim à pluribus, multò ab omnibus, negotia publica variorum & discrepantium ordinum provinciæ commodè, utiliter, imò rectè & diu adminiſtrari & gubernari poſſunt, ob discordiam, diſſenſionem & ſententiarum discrepantiam. Neceſſe igitur eſt, ut director & gubernator quidam conſtituatur, qui reliquos tum ordines tum ſingulos in officio contineat, *Proverb. c. 11.* Corruit populus, ubi nullus eſt gubernator. Et ſubditi ſunt quaſi oves ſine paſtore. *Num. c. 27.* Unde Paulus ait, magiſtratum in bonum & commodum ſubditorum eſſe ordinatum, *Rom. 13.* Vid. Greg. *de Rep. lib. 6. c. 1. & lib. 4. c. 5.* Covar. & Valſq. *in illuſt. controv.*

Hic præſes, provinciæ caput dicitur; quia ſicut reliquis corporis membris caput proſpicit, tum ſingulis, tum univerſis: ſic & hic præſes omnibus ſingulis & univerſis provincialibus.

Licet autem hi præſides, præfecti, vel rectores provinciarum ſuum ſuperiorem, ſummum regni magiſtratum, à quo ipſis hæc adminiſtratio & poteſtas conceditur, agnoſcant: tamen jura majeſtatis & principis in ſuo diſtrictu & territorio habent, & vicem ſummi principis obtinent, atque tantum in ſuo territorio poſſunt, quantum Imperator, ſeu ſummus magiſtratus in regno, ſuperioritate & præeminentiâ, & quibusdam aliis ſpecialiter exceptis, & ſummo magiſtratui conſtituenti reſervatis.

Uti eſt communis Dd. ſententia. Mynſing. *cent. 6. obſ. 99.* Covar. *pract. quæſt. c. 4. n. 1. & ſeqq.* Peregrin. *de jure fiſci. li. 1. tit. 3. num. 75. 76.* Roſenthal. *de feud. lib. 1. cap. 5. concluſ. 11. & 13. & ſeq.* Zaſ. *conſ. 1. lib. 1.* Roland à Vall. *conſil. 29. num. 26. vol. 1.* Weſenb. *conſ. 40. num. 44. & conſ. 27. num. 28.* Geil. *lib. 1. de pac. publ. cap. 6. num. 19. & lib. 2. obſ. 57. num. 7. 8.* ubi de *civitatibus imperialibus* idem dicit. Habet igitur talis præſes jus ſuperioritatis & regalia in ſuo territorio, ſed tamen absque præjudicio univerſalis jurisdictionis, quam princeps ſummus habet. Cravetta *conſ. 673. n. 15. & conſ. 128. n. 7.* quæ ſuprema & univerſalis jurisdictio eſt ipſa

forma & subſtantialis eſſentia majeſtatis regiæ. Covar. *pract. quæſt. c.4. num.1.* Carol. Molinæ. *in conſuet. Pariſ. §.21.gloſ. 4. n.16.17.18* quam rex à ſe abdicare non poteſt. Peregrin. *de jur. fiſci lib.1.tit.3.n.71.74.76.* Roſenthal. *lib.1.cap.5. concl.10. & 11.d.loc.*

54 Reſervari verò in tali conceſſione jura ſuperioritatis & præeminentiæ univerſalis concedenti, ita ut talis Dux, vel præſes provinciæ, à ſuo conſtituente, poteſtate, authoritate differat, teſtatur Modeſtin. Piſtor. *conſ.4.n.28.vol.1.* Mynſin. *d.loc.* Roland. à Valle *conſ.1.n.141.vol.1.* Roſenthal. *d.c.5.concluſ.10.* ubi addit, neque imperatorem ſibi parem poſſe conſtituere, & *concluſ.13. & ſeq.* Borcholt. *in cap. unic.* quæ ſunt regalia. *n.20.*

55 Nam conſtituens major eſt conſtituto, habetq; generalem poteſtatem in omnes provincias & regnum, *1.Reg.c.41. 20.Eſth.c.1.12.3.c.2.3.c.3.8.12.13.c.8.9.* Conſtitutus verò minor eſt conſtituente, habetque ſpecialem & limitatam, præſcriptam à conſtituente poteſtatem in provincia, eamque ex beneficio conſtituentis, cujus quaſi vices gerit, & abutens ſua hac poteſtate, à conſtituente privari eâ poteſt, non contrà.

Ideoque talis provinciæ præſes abſolutè αὐτόνομος, αὐτοτελὴς, καὶ αὐτόδικος, uti ſummus magiſtratus, dici minimè poteſt, ſed alium ſummum magiſtratum recognoſcit, à quo jus ſuum habet & inveſtituram, ſeu poſſeſſionem provinciæ petit. Roſenth. *lib.1.c.6.concluſ.1. & lib.2.concluſ.1. cap.10. infr.n.85.* Civitates, quæ non ſunt imperiales, loco privatorum habentur. *Leum qui vectigal. de verb. ſignif. l.nihil intereſt. ad S.C. Maced.* Geil. *d.loc.* Vide infra *cap.19.nu.5. & c.11.n.15.c.2.4n.35.*

56 Officium, & partes hujus præſidis provincialis ſunt, habere diligentem inſpectionē & curā negotiorum ſacrorū & ſecularium provincialiū, quò ea ad

ad gloriam Dei, & ad ſalutem totius provinciæ, & membrorum ſingulorum referantur & dirigantur. Thomas *lib.4. de regim. princ. c.23.* Tunc perfecta eſt civium congregatio, quando quilibet in ſuo ſtatu debitam habet diſpoſitionem & operationem, prout vocationis & functionis ſuæ natura & ratio poſtulat. Ad cujus muneris expeditionem, 57
poteſtatem & jurisdictionem ſupremam in provincia habet, & juramentum ſubjectionis, die erb vnd landshuldigung pflicht/ab omnibus provincialibus exigit.

Roſenthal. *de feud.part.1. c.6. concluſ.37.* Knich. *de jure territorii.c.3.n.155. & ſeqq.* quod poſteros & cohæredes obligat, adeò ut à præſtatione ejusmodi ſint immunes, Knichen. *d.loc.* & præſtatur, ob res ſeu bona atque perſonam ſubditi. Roſenth. *d.loc. concluſ.85.* Geil. *lib.2. obſ.15.n.7.* Matth. Stephan. *lib.2.part.1.c.7.n.212. & ſeqq. de jurisd.* Quod juramentum ſubditi præſidibus, non contrà hi ſubditis præſtant, niſi pactis vel conſuetudine aliud ſit receptum. Matth. Stephani *d. loc. n.250. & ſeqq.*

In ſacris functionibus providebit, ut ordo ſacer 58
& collegium eccleſiaſticorum cum fide & diligentia officium faciant, atque ad explicationem & expeditionem muneris ipſorū nihil deſit, aut obſtet.

Nam ſuprema inſpectio, cura & autoritas in perſonas & officium eccleſiaſticorum pertinet ad magiſtratum, ſeu præſidem provinciæ, quo ad defenſionem, conſervationem cultus divini, *Eſa.c.49.23. Judic.c.2.16.2. Chron.c.15.8.c.34.35.* & miniſtrorum correctionem. *2.Chron.c.19.8.9.10.11.Heſr.c. 7.24.25.* Functionis & miniſterii eccleſiaſtici exercitium pertinet ad perſonas eccleſiaſticas privatas.

In ſecularibus functionibus curabit, & operam 59
ſedulam dabit, ut exercitium earum provinciæ, & ſingulis membris illius ſit utile & ſalutare, omnisq; generis functiones neceſſariæ & utiles non deſint. Heſræ *c.7.26. 2.Chron.c.19.5.6.7.*

Nam primùm eâ ratione faciliùs parantur omnia quæ ad vitam, vestitum, copiam, habitationemq; hominum seu civium ejusdem regni & Reip. pertinent. Deinde extranei pelliciuntur, & invitantur ad nos, nostrasq; merces invisendas, & coëmendas. Unde diteſcunt non modò privati homines ſed etiam ipſum Reipub. corpus & ærarium: propterea quòd vectigalia, portoria, publiciq; reditus omnes augẽtur, hocq; modo provincia redditur abundantior & copioſior numero civium ac militum. Denique, quod maximum eſt, pauperes egeniq́ue cives, aut egenorum filii hac ratione mendici eſſe deſinunt, & ſublevantur, ne propter inopiam tumultuentur, aut res novas, vel furta moliantur. Nam pro captu ingenii unusquisque inſtituitur honeſto aliquo artificio vel arte, quâ poſſit ſe ſuamq; familiam, ſi quã habet, poſteà exhibere & ſuſtentare abſq; furto & maleficio. Eſt autẽ publica promiſcuaq; mendicitas, ſummum Reip. malum, quæ & otioſos homines facit, & ſcelerũ genus omne ſecum invehit, fovet & alit, ac proinde illa eſt ſeditionum ſæpe autor; & quocunque modo honeſtè & licitè ex benè morata civitate & Rep. fuganda eſt, *Deut. c. 15. 4. 5. 6.* Meliùs autem & honeſtiùs ejici ac ſanari iſta peſtis non poteſt, quàm ſi publica quædam artificia atq; opificia à Rep. inſtituantur, *Sirac. c. 29.* Quilibet annitatur, ut ſuum calleat artificiũ. *Eph. c. 4.* Laboret homo, laborando manibus ſuis, quod bonum eſt, & labore manuũ ſuarum vivat: *Pſal. 128. 2.* In quo officii atq; humanitatis genere excellunt Brabantini, Flandri, Hollandi, Selandi, & alii, qui publicas opificum officinas habent, easq; eximias, in quibus pauperes cives, aut civium liberi publicis ſumptibus erudiuntur: Danæ. *li. 4. c. 2. pol.* In ſumma, ſi quam è peregrinis pecuniam ad nos pertrahere honeſtâ viâ & ratione cupimus, ſi noſtram, quam illi commerciis ſuis asportant, ad nos retrahere volumus, ſi æruſcare alienas opes, easq́ue noſtras facere juſtè volumus, (quò & nos & provincia opulentior fiat) artificia opificiaq́ue publica ſint apud nos, ex quibus merces operaq́ue & operarii prodeant excellentes. Quemadmodum igitur illi, qui ad publica munera & officia deliguntur, informantur in ſcholis, ſic qui ad privatas functiones ſe conferunt, inſtituuntur in publicis officinis, vel à privatis ſuis magiſtris in quolibet artificii genere docentur & informantur, Boter. *lib. 8. de bona. poliț. inſtit.*

Deinde

Deinde officium præſidis hujus provincialis eſt, ſingulis privatis juſtitiam rectè adminiſtrare cum poteſtate & jure infligendi pœnas vitæ, corpori, bonis & famæ, vel remunerandi benefacientes. *Roman. c. 13.* in eoq́ue officio peritis, piis & bonis uti miniſtris. 61

Cujus rei gratiâ Dicaſteria provincialia conſtituuntur: nec non leges, quibus ſubditi vivant, præſcribuntur. Schrader. *de feud. part. 10. ſect. 8. num. 178.* & proclamata ac dicta publicantur. Knich. *de jure territorii c. 1. nu. 178. c. 3. n. 193. & ſeqq.* Talia dicaſteria ſeptem ſunt in regno Galliæ, à quibus provocare non licet. Vid. *c. 16. n. 10. infr.* 62

Deniq; officiũ illius eſt, inquirere de iis, quæ emẽndatione vel auxilio indigẽt, & ſtatũ provinciæ ſuæ exploratum & cognitum habere, querelas ordinum, & ſingulorum ſubditorum audire, iisq́ue cognitis, conventum provincialem ordinibus provinciæ indicere, in eoq́ue proponere deliberanda, conſultanda, quæ è re provinciæ eſſe exiſtimaverit, inprimis quando tributa vel collectæ ſubditis ſunt imponenda: Maſcard. *concl. 940.* Weſenb. *conſ. 45. n. 15. 10. 19.* Waremund. *de regn. ſubſid. & oner. ſubdit. c. 5.* Roſenthal. *de feud. part. 1. c. 5. concluſ. 74. & ſeqq.* Poſtea ea, quæ unanimiter, vel à majori ordinũ parte concluſa ſunt, confirmare, iisq́ue autoritatẽ & vim legis valituræ tribuere, & exſecutioni illa mandare, atque tandem conventum dimittere. 63 64 65

De ratione convocandi ordines & conventum indicendi, proponendi, rogandi & referendi ſingulorum ordinum ſententias, & dirigendi atque dimittendi conventum, vide quæ diximus *cap. 33.* de comitiis. De conventibus provinciarum Belgii, Hollandiæ, Selandiæ, Friſiæ, & aliarum, prolixè Meteranus *lib. 14. & 20. hiſtor.*

Ordo quilibet provinciæ hic unum habet votum, ſuffragiúmve, licet in eo plures plerumque 66

sint deputati, ordinem suum repræsentantes: & juxta præscriptum & commissionem suorum principalium agentes, quibus domum reversi gestorum à se rationem reddere tenentur: Ideoque quilibet ordo constituit membrum collegii hujus ordinum provinciæ, in quo quæstio à præside proposita examinatur & deciditur.

Exemplum de provinciis Hollandiæ, Selandiæ, & Frisiæ, vide apud Meteran. *lib. 14. & 20. histor. Belg.* & apud Ubbon. Emmiũ *in li. de jure & agro Gronting.* Simler. *de Repub. Helv.*

In consultatione igitur propositæ quæstionis quilibet ordo separatim illam in suo buleuterio examinat, & inter se deputati cujusque ordinis de sua sententia conveniunt, eamque statuunt, quam postea suo tempore, quando omnes ordines collegialiter sunt congregati, in communi buleuterio, cum reliquis ordinibus & membris provinciæ communicant. Vide *c. 33.*

67 Præses provinciæ, vel ejus officiarii & consiliarii in conventu provinciali comparentes, liberas singulorum sententias non impedient, vel coarctabunt, nec sunt supra ordines, iisq; in conventu nõ dominantur, & post rogatas & auditas singulorum sententias, suam quoq; præses addit, & dissentientes ordines in concordiam, si fieri potest, reducit. An verò solus præses dissentiens, decretum impedire possit, vide *c. 33. n. 19. 20. 80. 81.*

Potestas verò concludendi de iis, quæ à præside provinciæ sunt proposita, non est penes quemlibet ordinem, vel singulos, sed apud omnes ordines simul, & competit pluribus, ut universis, non ut singulis ordinibus, idq; in collegio, in præsentiâ & congregatione universorum, non seorsum in præsentia singulorum.

Bart.

Bart. *in l. 16. aut facta. de pœn.* Panorm. *in c. bona. de elect.* Felin. *in c. omnes. de constit.* Vant. *de null. ex defect. jurisd. n. 175. & seqq.* Bart. & Jas. *in l. si uni ex pluribus. de re judic.* Marant. *part. 4. dist. 5.* Bender *2. de re vis. concl. 4. n. 66. & seqq.* Quam ob causam unus ordo sine alio hîc concludere nequit de iis rebus, quæ ad omnes, ut universos collegas pertinent, prout *supra cap. de consoci. colleg. & c. de consociat. universit.* de collegarum & senatorum conclusione & decretis diximus, & *infra c. 33.* ubi plænè hæc.

Quod si unus ordo ad conventum indictum 69
vocatus non venerit, jus deliberandi & concludendi de propositis quæstionibus amittit, & contra eum, quæ sunt à præsentibus concluſa, & à præside confirmata, exsecutioni mandantur, non secus quàm si præsens fuisset, & in hæc consensisset.

Bodin. *lib. 3. c. 7. de Rep.* ubi tamen dicit, in iis quæ pondus habent & momentum, non satis esse omnes vocari, sed etiam duas ad summum partes adesse, etiamsi non omnes consentiant. Vid. *c. 33.* & Meteran. *lib. 14. & 20. histor.*

Concluſio autem, quando sunt disparia suffra- 70
gia, judicia, vel sententiæ præsentium collegarum, seu ordinum, fit secundùm plurium sententias, seu numerum & partem majorem suffragiorum in iis, quæ simul universos ordines concernunt, non quę seorsim singulos, eodem prorsus modo, quo in collegio & senatu fieri solere suprà monui.

Sed tamen in causa religionis pluralitas illa votorum locum non habet, uti nec illis, quæ seorsum singulos, ut dixi, non universos concernunt. *Bod. lib. 3. cap. 7. de Rep.*

Ad majorem εὐταξίαν & commoditatem utile 71
est, provinciam in districtus & limites determinatos esse distinctam, ut promtior, expeditior & paratior possit esse omnium usus & administratio.

Porro de administratione jurium provincialium ecclesiastica, vel civili, quomodo illa sit instituenda, licet cognoscere ex capite 28. & seqq. infra. Imitatur enim hæc administrationem regni & consociationis universalis. Similiter, quo-

modo negotia & res provincialium, tam publicæ, quàm hominum privatorum sint administrandę à præside provinciæ, licet colligere & videre ex *cap.37. infrà* de administratione civili rerum publ. & privat. quam hæc imitatur.

72 Provinciarum præsidibus in politia Hebræorum, similes erant principes tribuum.

Nam ut erant duodecim tribus populi Israëlitici, sic quoque terra promissa & regnum Hebræorum in 12. quasi provincias distribuebatur, quarum quilibet, qui præerat, princeps dicebatur suæ tribus, quã ducebat, regebat ac administrabat, *1.Chron. c.29.6.c.5.29. c.7.11. c.8.6.10.13.28.c.9.33. 34.c.15.5.& seqq.c.23. Num.c.1.1.2.3.& seqq.1.Chron.c.5.& seqq.* Hi principes vocantur à Græcis φύλαρχοι, ἀρχιφύλοι, ἄρχοντες, ἀρχηγοὶ τῶν φυλῶν, De sede, loco, regione, vel provinciâ cuique tribui adsignatâ, vid. *Jos.c.13.c.14.c.15.c.16.cap. 17.c.18.& seqq.* ubi etiam fines & territoria cujusq; regionis & provinciæ describuntur. Principes hosce tribuum Moses primùm constituit *Ex.c.18.19.& seqq. Deut.c.1.13.14.15.16.*
73 *c.11.18.c.19.12.c.21.2. Ruth.c.4.1.1. Reg.c.21.12.* Officium horum principum traditur quadruplex. I. Quòd summi magistratus consiliarii fuerũt. II. Quòd jus quiq; suis tribub. reddiderunt. III. Quòd se in rebus arduis unà cum summo magistratu obligarunt. IIII. Quòd in rebus concernentibus tribum suam, conventum indixerunt principibus familiarum singularum suæ tribus, & principibus civitatum itidem suæ tribus.

De primo officio extant testimonia *Num.c.30.* Locutus est Moses ad principes tribuũ filiorum Israël &c. *Deut.c.5.* Accessistis ad me omnes principes tribuũ &c. *& c.31.* Vocate ad me phylarchos vestros &c. *& c.29.* Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri & tribus &c. *1.Chron.28.* Congregavit rex omnes principes Israël, Duces tribuum &c. *1.Chron.c.12.c.27.16.& seqq.2.Chron.c.5.* Convocavit Salomo omnes seniores Israël, & omnes principes tribuum. *1.Reg.c.3.* Congregati sunt omnes seniores Israël cum principibus tribuum. *Esth.cap.1.c.4.12.c.7.9.10. Dan.*
74 *c.3.c.5.c.6.* Horum principum magnam dignitatem & autoritatem fuisse, patet ex Davidis testimonio in *Ps.113.6.7.& 1.Sam.*

1.Sã. c.2.8. dicentis: Suscitas à terra inopẽ, & de stercore erigis pauperem, ut colloces eum cum principibus, ut cũ principib. populi sedeat. De altero officio, jure immirum ab eis reddito provincialibus suis contribulibus, testimonia extant in *Psal.121.* Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini, quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David. *Ex.c.18.26.* ibi, Hi judicabunt populum omni tempore: Gravia verò negotia referebant ad Mosen, faciliora solùm judicantes. *Deut. c.1.16.* ibi: Audite illos, & quod justum est, judicate, sive civis sit, sive peregrinus. *Es.c.1.23.* Principes tui contumaces pupillo nõ dicunt jus, & causa viduæ non pervenit ad eos. *Esa.c.3.* Ipse Dominus veniet ad judicium cum senioribus populi, & cum principibus ejus. *& cap.32.* Ecce rex justus regnabit, & principes cum judicio imperabunt. Habuerunt autem singuli sedem suam, unde jus quisq; tribui suæ dixit. *Matth. c.19.* ibi, Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes 12. tribus Israël. De obligatione eorum unà cum rege, quod tertium officium horum diximus, extat Josuæ *cap.9.* Josua fecit fœdus cum Gibeonitis, jurans, simulque principes Synagogæ, id est, populi. Cùm 10. tribus à corpore politiæ Hebræorum essent avulsæ, & in Assyriam translatæ, Judæi tamen reliqui numerum 12. principum & 70. seniorum retinuerunt. *Hesr.cap.6.* seu *1.Esd. cap.6.* ubi Judæi Babylonâ reversi, 12. hircos juxta numerum tribuum 12. sacrificant pro peccatis, &c. *& 3. Esd.cap.3. cap. 4.* vid. Sigon. *lib.7.c.5.de Repub.Hebræ.* De conventu tribus, seu provin- 75
ciæ, quam illa obtinebat, & de convocatione contribulium, exrat testimonium *Judic.c.12.* ubi de conventu Ephraimitarum agitur. & Josu. *cap.19.* Erat quoque Senatus tribus cujusq;, de quo *2.Reg.c.23. 1.Sam.c.30.* De convocatione verò principum trib. vid. *Nũ.c.1.2.3.4.& seqq.c.6. Jos.c.22.13.14. c.24.c.23.2. Judic.c.11. Ruth.c.4. Mich.c.3.9.10.11.* Ante regum, judicũ, vel summi magistratus electionẽ, constat hosce phylarchos regiâ potestate fuisse præditos. arg. *Genes.cap.14. cap.34.c.36.c.38. Num.c.18. Exod.c.18.* ut rectè asserit Molinæus contra abusus Paparum. Sub Mose primùm principes hi sunt à populo electi, seu à qualibet tribu suus princeps, *Deut.cap.1.13.* Date, seu exhibete ex vobis viros sapientes,

prudentes & fortes ex tribubus vestris, ut constituam vobis eos principes,& seqq.

Præter Hebræorum gentẽ alia quoq; regna suas habuisse provincias,earũq; præsides,testantur historiæ sacræ. Sic Assuerus rex centum& viginti septem provincias habuit,ab India usque ad Æthiopiam. Harum provinciarum præsides & principes, dicitur ad convivium invitasse,& consuluisse de pœna contemptus commissi à regina Vasthi, *Esth. cap.1. & cap.4.12. c.2.c.3.8.12.13.c.8.9.* ubi cuique provinciæ sui præsides & principes à rege constituti dicuntur:*& c.7.9.10.* Ita & Nebucadnezar suos provinciarum regno suo subjectarum præsides habuit. *Dan.c.3.7.3.27.* & Balthasar rex, *Dan.c.5.1.2.10.* & Darius rex, *Dan.c.6.3.4.& seqq.* & Philistæorum rex suas provincias, earumque præsides habuit, *1.Sam.c.5.8.11.c.6.4.12.18.* Sic Germaniæ regnum dividitur in tot provincias, quot habet Comitatus, Ducatus, Marchionatus,Episcopatus, Abbatias. Sic & Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ,Daniæ, Poloniæ,Sueciæ regna,suas sub se habent provincias earumq; præsides,de quib.*c.8.*deEphoris*& c.33.*

77 Provinciæ,seu trib. politiæ Judaicæ, sua quoq; membra habebant, ordines nimirũ suos, quorũ duo genera fuerunt. Habuit enim quælibet trib.ordinem ecclesiasticum, & duos seculares ordines. Vide supra *cap.4.de consoc.collegarum.*

78 Ecclesiasticum ordinem constituerunt Levitæ in quavis tribu,*Exod.cap.29.1.44.c.30.7.Num.c.1.49.50.c.3.2.3.6.c.4. 21.c.18.6.7.21.22. Deut.c.21.5.c.30.9. 1.Sam.c.2.28.Malach. c.2.4.5.*Secularem ordinem alterum constituerunt principes familiarum singularum, alterum verò principes singularum civitatum.

79 De ecclesiastico ordine Levitarum in quavis tribu inde constat,quòd singulis tribubus Levitæ,qui Judæorum erant Ecclesiastici,*Num.c.1.49.*immisti fuerunt,uti probari potest ex testimoniis variis: *Num.c.18.20.21.& seqq. Deut.cap.10. v.19.c.18.v.2.5.c.18.5.c.33.10. 1.Chron. c.15.v.2. c.14.27.28.* ibi: Levita,qui est intra portas tuas,hoc est,intra territorium tuum.*c.6.54.& seqq.* Levitarum horum officium fuit, ferre arcam Dei,& illi ministrare,*1.Chron.c.15.2.16. & seqq.c.26. per tot.c.23. & seqq.*legem Dei publicè prælegere & explicare,Hest. *cap.7.per tot.*Nehem.*cap.8.per.tot.& cap.9. per tot. 2.Chron. c.17.7.8.9.* Unde legisperiti & eruditi in lege vocabantur,*Matth.c.13.c.23. Esræ c.7.10.11.Neh.c.8.2. & seqq.* & Rabbi tempore Christi appellabantur,*Joh.c.3.10.Matth. c.23.8. Marc.c.9.5.c.11.21. Joh.c.1.39.c.3.26.c.4.3.c.6.25.c.9. 2.c.11.8.* De religione disputabant & examinabant eos, qui novum doctrinæ genus sequebantur, *Joh.c.1.19.20.21. Act. c.4.3.6.7. Joh.c.9.22.c.12.42. Luc.c.12.11.c.21.12.* Quidam ex Levitis res ecclesiasticas curabant,*1.Chron.c.23.4.5. Mat. c.21.23.c.16.21.c.27.20.* Quidam separabant immundos à mundis,*Num.c.19.13.20.Deut.c.27.Hesr.c.13.c.10.8.2.Chrõ. c.23.19.* Quidam arcam Dei ferebant illiq; administrabant, *1. Chron.c.15.2.16.& seqq.c.26.per tot.c.23. & seqq.* Quidam templi diaconi & ministri erant.*Num.c.3. Deut.c.10.* Quidã pro populo precabantur.*Num.c.9.6.* Quidã erant archisynagogi in ecclesia & directores legisperitorum. *Marc.c.5.22. Luc.c.13.11. Act.c.13.15.c.18.8.*Quidam victimas & sacrificia pro populo offerebant.*Lev.c.10.9.Deut.c.17.8.9.10. 2.Chrõ. c.13.10.*Quidã erant janitores, quidam musici. vid. *1.Chron. c.23.c.24.c.25.c.26.*Porrò Levitę in omnib.judiciis judicantib.assidebant. *Deut.c.17.9.10.11.12. & 1.Chron.c.19.8.9. & seqq.*ex iisq; Levitis judices eligebantur, *1.Chron.c.23.c.26. 29.30.* Fuerunt igitur in singulis tribub.ecclesiastici,quibus cura religionis & cultus divini demandata erat, uti constat *Ex.c.3.c.4.c.5.& seqq.c.12.c.13.c.28.& seqq.* Inter quos Levitas,David postea ordines certos constituit,*1.Chron.c.6.31. 32.c.9.22.& seqq.c.15.c.16.& c.23.c.24.c.25.* ubi officia Levitarum latè describuntur, quæ duraverunt usq; ad Christi nativitatẽ,ut apparet ex *Luc.c.1.8.& seqq.* Ut præses collegii ecclesiastici in singulis civitatib.erat Archisynagogus, *Act. c.13.15. Num.c.4.34.Matth.c.9.18. Act.c.18.* sic in politia populi Israëlitici, principes sacerdotum, uti *1.Chron.c.2.3. & seqq.*dicitur. *2.Chron.c.36.14.Nehem.c.11.17.*

Secularem ordinem, ut dixi, constituebant principes familiarum singularum cujusq; tribus: & principes civitatum singularum. De principib. familiarum singularum cujusque trib.extat testimoniũ *Num.c.1.per tot. 1.Chrõ.c.1.c.2.c.23.& seqq.& Jos.c.7.v.14.& seqq.c.19.1.2. & seqq.c.36.Jos.c.18.11. Judic.c.17.7.1.Sam.c.10.19.20.*Græcis hi familiarũ principes vocãtur *πολεμάρχαι, δήμαρχοι, ἄρχοντες τῶν γενέσεων, ἄρχοντες τῶν πατρῶν & τῶν οἴκων.* Officium horum erat,ut familias, quibus præerant & quas illi repræsentabant,convocarent,& 80

ad eas referrent, quæ ad Rempubl. pertinerent, & duces illarum essent in bello, & ad consilia vel judicia à summo magistratu, vel principe tribus vocati essent. De relatione horum colligitur ex *Esdr. cap. 2. c. 5. Neh. c. 7.* quæ ad hoc ipsum allegat Sigon. *lib. 7. cap. 6. de. Rep. Hebræ.* De militari ductu horum, quòd hi tribuni militum fuerint, apparet ex *Num. c. 1. & 2. Chron. cap. 12. cap. 24. cap. 23.* & latè docet Sigon. *d. lib. 7. cap. 11.* De consilio horum, ad quod adhibebantur à regibus, vid. *2. Chron. c. 5. 25. & seqq.* De officio judicandi eorundem, *2. Chrō. c. 19. 8. 9. 10.* Nullum igitur amplius est dubium, principes familiarum cujusque tribus membrum extitisse. Sic civitatum singularum tribus cujusque principes membrum constituebant, uti apparet ex *Judic. cap. 9. 30. Jos. cap. 24. 1.* qui erant tribuni, centuriones, quinquagenatii & decuriones cujusque civitatis. *2. Chron. cap. 1. 2. Exod. cap. 18. vers. 21. 22. Deut. c. 1. 13. & seqq.* quos textus de hisce principibus accipio. Officium horum principum fuit, ut consiliis & judiciis civitatum præessent. In consiliis & senatu cùm erant, babebant jus convocandi senatum, eique proponendi ea, quæ ad Remp. civitatis, vel cives illius pertinebant; & jus deliberandi & concludendi cum collegis senatus. Hos etiam doctores & informatores judicum fuisse, tradit Sigon. ex *Deut. c. 16. v. 18. c. 1. c. 29.* & causas litigantium recepisse, & ad judicii tribunal detulisse, asserit ex *Esai. c. 1.* ibi: Principes omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causam viduæ non recipiunt. *Luc. c. 12.* ibi: Cùm vadis cū adversario ad principem &c. & ibi: Ne fortè te trahat ad judicem, *& seqq.* Sigon. *d. lib. 7. c. 6.* Tempore Christi Scribarum hoc officium videtur fuisse. Deniqs hos civitatum principes in consilium etiam à regibus adhibitos, probat Sigon. *ex Deut. cap. 29. c. 31. 1. Chron. c. 13. c. 38. 2. Chron. c. 1. c. 29. Jer. c. 36. c. 37. 2. Chron. c. 18.* In collegiis & conventibus publicis sententias & suffragia singulorum collecta fuisse, patet ex *Matth. cap. 26. cap. 27. Jerem. cap. 26. cap. 27.*

82 In politia Romana, si quæ provinciæ bello, vel alio modo imperio adjectæ erant, eæ suos habebant rectores, moderatores & præsides, quibus nominibus vocabantur, qui provincias gubernabant.

Hi

Hi provinciarum præsides erant duplices. Quosdam enim 83
Impp. ipsi in provincias populi Romani mittebant: quosdam senatus Romanus. Nam in principio monarchiæ, Impp. sibi quasdam provincias regendas reservabant: quasdam verò populo regendas concedebant. Suet. in Claudio, Dio in Aug. Has prætorias vocabant, quæ populo vectigales erant: illas verò præsidiales, quæ Cæsaris fisco æs pendebant. unde prædia tributaria, & stipendiaria dicta Theoph. *tit. de rer. divis. lib. 2. Instit. §. Sed etsi quis*; sibi Impp. reservabant illas provincias, quæ militiâ indigebant & custodiâ: populo pacatas tribuentes, vid. *Sigon. lib. 1. & 2. c. 27.*

Præsides hi temporales erant, atq; administrabant & re- 84
gebant unam, vel plures quandoque provincias. vid. *tit. C. de offic. vicar. tit. C. de rect. provinc. tit. C. de offic. præfect. August. tit. C. de offic. jurid. Alex. & tot. lib. 1. Cod. Just. tit. 26. usque ad finem.* Horum mentionem etiam divus Petrus videtur facere *1. Pet. cap. 2. 13. 14.* ibi: Sive regi, quasi præcellenti, sive præsidibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: & Lucas in *Act. cap. 24. cap. 25.* A populo præsides provinciarum missi, erant proconsules & populares magistratus. *tit. de offic. procons.* Usurpabant verò hi provinciarum præsides sibi eandem potestatem & jura, quæ magistratus urbani, ad quorum exemplum provinciales hi se adcommodabant in usu & exercitio jurisdictionis suæ, ita tamen, ut ingredientes in provinciam, eam usurparent, egredientes verò deponerent: Postea sub Impp. seqq. hi magistratus & præsides provinciales quidem manserunt, sed umbrā tantùm & insignia prioris potestatis habebant. Vid Sigon. *lib. 2. de antiq. Jur.* Ita *l. & lib. 1. & 2. de antiq. jure provinc.* Rosin. *tot. lib. 7. antiq. Roman.* Tempore Caroli magni, hi provinciarū præsides per- 85
petui & hæreditarii sunt facti. Paurmeist. *de jurisd. lib. 2. c. 10. n. 78.* Choppin. *de domanio Franc. tit. 6. n. 16. lib. 1.* Heigius *lib. 1. quæst. 2.* Pet. Greg. *lib. 6. c. 9. Syntagm.* Mat. Stephani *lib. 2. part. 1. c. 4. n. 1. 2. & seqq.* Sed tamē ita hi hæreditarii sunt facti, ut mortuo antecessore, hæres & successor illius à summo magistratu teneatur petere investituram, h. e. possessionē, sub pœna amissionis juris sui. *lib. 1. tit. 22. & lib. 2. tit. 32. de feud.* Cabot. *disp. lib. 1. c. 12.* ubi recenset exēpla. Rosenthal. *de feud.*

lib.1.c.6.concluſ.1.& ſeqq.& lib.2.c.10.concl.1. Apud Romanos olim tres ordines fuiſſe conſtat, quorum primus erat ſenatorius, intermedius equeſtris, & infimus plebeius. In priori ordine erant Senatores conſcripti, allecti & adſcripti. In altero nobiles & patricii. In ultimo omnes reliq; homines plebeii. Erant quandoq; etiã collegia uſitata, quæ de ſummâ rerum inter ſe deliberabant in comitiis centuriatis, tributis, vel curitatis: de quib. ſcriptores antiquitatum Romanarum plura, & attigi *ſup.c.4.* de conſociat. collegar. Apud Gallos olim duo ordines erant, Druidũ & equitum, quorum illi rebus divinis publicis & privatis vacabant, religiones interpretabantur, & adoleſcentes diſciplinæ cauſâ informabant: hi verò in bellis verſabantur. Hodie verò Gallia agnoſcit ordinem eccleſiaſticum, nobilium, & plebeiorum.

88 Hodie præſides provinciarum in politia Germanica duorum ſunt generum. Sunt n. quidam immediatè Imperio ſeu Cæſari ſubjecti, quidam verò mediatè. Utrique autem jure quaſi hæreditario ſibi jus adminiſtrationis vindicant, cùm apud Romanos ad tempus, vel ad vitam alienis provinciis præficerentur hujusmodi præſides, Weſen. *conſil.27.n.28.* Paurmeiſt. *d.loc.* Andr. Knich. *de jure territorii c.4.*

89 Immediatè Cæſari, ſeu Imperio Germanico ſubjecti ſunt, qui alium ſuperiorem quàm Cæſarem, non agnoſcunt. Talis verò provinciæ præſes pro ſtatu Romano Germanici Imperii agnoſcitur, & provincia pro mẽbro Imperii. I. quando matriculæ Imperii, ut ſtatus, eſt inſcripta. II. quando tanquam feudum & dignitas cum regalibus ab Imperio ſeu Imperatore illius immediatè accipitur. III. quando ad comitia & conventus Imperii, perinde atq; alii ſtatus, præſes provinciæ illius vocatus comparuit. IIII. quando ſeſſionem & ſuffragium in conſilio imperiali talis præſes habuit. V. quando indictiones, contributiones, & collectas Imperii pro ratâ ſuâ quolibet tempore ſolvit. Geil. *lib.1.obſ.21.n.9.* Atque talis præſes in ſua provincia jura majeſtatis regiæ uſurpat, licet regem ſuperiorem agnoſcat, ut ſuprà dixi.

90 Mediatè Imperio, ſeu politiæ Germanicæ illi provinciarum præſides ſubjecti ſunt, qui alium principem ſuperiorem qui Imperii Germanici eſt vaſallus, agnoſcunt, ab eoque provinciam, quam adminiſtrant, ſibi demandatam accepe-

perunt. Hosce vocant Landſchaften / in quos requiſita illa, de quibus ſuprà dixi, non cadunt, qui ſunt vaſalli ſuorum principum, quos dominos feudi agnoſcunt.

Prioris generis præſes immediatè imperio ſubjectus, ad- 91
miniſtrationis ſuæ rationem tenetur reddere imperatori, ſeu ſummo magiſtratui imperii, qui eundem poteſtate ſuâ crudeliter in ſubditos ſub umbra officii abutentem, vel tyrannidem exercentem, removere & privare conceſsâ jurisdictione poteſt, latè Fernand. Vaſq. *illuſt.controv.lib.1.c.8.n.17.& ſeqq.* Mynſing. *cent.5.obſ.8.* Boër. *deciſ.304.* Geil. *lib.1.obſ.17.* Poſterioris generis præſes rationes ſuæ adminiſtrationis tenetur reddere principi ſuo, à quo etiam tyrannicè & crudeliter ſubditos provinciales tractans judicatur & punitur. Vaſqui. *d.loc.* Quando verò tyrannus jure quis dici debeat, diſsero *in c.18.& c.38.*

Quòd ſi talis provinciæ præſes tempore neceſſitatis ſuos 92
ſubditos non protegit, vel auxilia illis ferre recuſat, tum illi ſe alii ſubmittere poſſunt. Gigas *de crim. læſæ majeſt.lib.1. quæſt.56.* Toming. *conſil.13 n.43.& ſeqq.* Felin. *in c.cum non liceat.n.12.8. conſid. de præſcript.* Decianus *lib.7. crim.c.49. n.27.& ſeqq.* Weſenb. *conſil.48.n.23.* Alciat. *in l.placet. n.11. C. de ſacr.ſanct.eccleſ.* Mynſ. *cent.6.obſ.2.* Alberic. *Gentil. de jure belli lib.1. cap.23.* Socin. *conſil.39.* Paul. Caſtrenſ. *in l.ex hoc jure. de juſtit.& jur.num.18.*

CAPUT IX.

De jure majeſtatis eccleſiaſtico.

SUMMARIA.

1 *Univerſalis publica conſociatio quid.*
2 *Hujus neceſſitas & utilitas.*
3 *Societatis hujus variæ appellationes.*
4 *Diſtinctio inter regnum & Rempubl.*
5 *Membra regni quænam.*
6 *Membrorum vicinitas utilis.*
7 *Vinculum univerſalis conſociationis quod.*
8 *Diverſa hominum & membrorum Reipublicæ conditio temperanda eſt remediis diverſis contrariis.*

9 *Populosa consociatio tuta & felix, tempore belli & pacis.*
10 *Vitia populosæ Reipubl.*
11 *Mediocris Respubl. optima.*
12 *Jus regni quid.*
13 *Ejus variæ appellationes.*
14 *Territorium regni quid.*
15 *Jus regni tria respicit.*
16 *Jus regni qualibet Respubl. habet.*
17 *Αὐτονομία & anima regni.*
18 *Jus regni universis membris competit.*
19 *Jus hoc individuum est & incommunicabile.*
20 *Bodini error de jure majestatis.*
21 *Nulla potestas absoluta, lege soluta, neque perpetua.*
22 *Potestas summa non regi, sed Reipublicæ competit.*
23 *Major potestas concedens, quàm concessa.*
24 *Majestas regis & regni.*
25 *Summa potestas quæ dicitur, quomodo definienda.*
26 *Appellationes regum variæ unde ortæ.*
27 *Universalis prima & summa quare dicatur.*
28 *Ad salutem animæ, religio: ad salutem corporis, cura vitæ hujus pertinet.*
29 *Jus regni in symbiotica communione & illius administratione consistens.*
30 *Communio symbiotica quid.*
31 *Hæc ecclesiastica, vel secularis.*
32 *Fundamenta bonæ Reipublicæ vel regni quænam.*
33 *Ecclesiastica communio quid.*
34 *Subjectum hujus & finis.*
35 *Cultus sincerus publicus regni.*
36 *Religionis exercitium publicum necessarium.*
37 *De religione & DEI cultu ex verbo DEI judicandum.*
38 *Scholarum usus necessarius.*
39 *Scholarum fructus, utilitas & finis.*
40 *Judæorum schola.*
41 *Defensio religionis & cultus divini.*
42 *Errantes in religione quatenus tolerandi.*
43 *Moderatio & discrimen inter errantes.*
44 *Qui non ferendi sint ob errores suos.*
45 *An omnibus secundùm suam religionem vivere permittendum.*

HActenus de publicâ, particulari & minore consociatione: sequitur nunc de universali, publicâ & majore.

Universalis, publica, major consociatio est, quâ civitates & provinciæ plures ad jus regni mutuâ communicatione rerum, operarum, mutuis virib. & sumptibus habendum, constituendum, exercendum & defendendum se obligant. 1

Nam sine hisce præsidiis & jure communicationis, vita pia & justa in symbiotica universali institui, coli & conservari nequit. 2

Arg. *1. Tim. c. 2. 2. Luc. c. 1. 74. & 75. Psal. 107. 7. 36. 1. Cor. c. 10. 31.* exempla vide *Jos. c. 24. Deut. cap. 26. 17. & seqq. c. 17. c. 28. c. 29. 2. Chron. c. 23. 16. c. 15. 12. & seqq. Neh. c. 10.* Plura pono infrà *c. 29.*

Unde societas vitæ mista, partim ex privata, naturali, necessaria, spontanea; partim ex publica, constituta atq; universalis vocatur cõsociatio, & ἐν πλάτει politia, imperiũ, regnum, respublica, populus in corpus unum, consensu plurium consociationum symbioticarum, & corporum specialium, seu corporum plurium consociatorum conjunctus, & sub uno jure collectus. 3

Argum. *l. 30. rer. de usucap. Genes. cap. 34. 20. 21. & seqq.* Nam familiæ, civitates & provinciæ naturâ suâ priùs quàm regna, quæ ex hisce sunt orta, exstiterunt. arg. *Gen. c. 25. 13. & seqq. c. 36. c. 10. 8. Esa. c. 1. 5. 6. & seqq.* Pleriq; alii distinguunt inter regnum & Rempub. illud regi monarchæ, hanc optimatibus polyarchis attribuentes; sed meo judicio non bene.

4 Nam & regni proprietas est populi, & administratio regis.

Sic & Cicero *lib.3.de Rep.* prout citatur ab August. *lib.2. de civit. Dei c.21.* Respub. ait, est res populi, cùm bene & justè geritur ab uno rege, sive à paucis optimatibus, sive ab universo populo. Imò & Respub. civitatis, & quælibet politia Respub. dicitur, uti Resp. Athenienſium, Lacedemoniorum, & Hebræorum & Romanorum, quorum pleriq; etiam ſuis regibus non caruerunt. Sic uſurpat etiam Pet. Greg. *lib.1.c.1. n.6.11.de Rep.* Ariſtot. aliter accipit *lib.3.polit.c.4.* Planè in jure vox Respub. promiſcuè accipitur, *tot.tit.C.de jure Reip. lib.1.* ubi Bartol. *l.bona civitatis.de verb.ſign. l.ſed etſi.§.1.de public.& vect.* modò pro toto & universo populo Romano, Novell.1. modò, p civitate Romana, *d.l.bona civit.* modò pro qualibet civitate, *l.eum qui vectigal.de verb.ſign.* modò pro quolibet municipio & caſtro, *l.ſed ſi.§.1.de public.& vect.* Loſ. *c.2.num.35.& ſeqq.part.1.de jure univerſ.& part.3.c.18.* Quàm variè accipiatur, vide in *l.2.3.& ſeqq.C.de reſt.milit.* & eorum, qui Reip. causâ abſunt, *l.5.mancip.C.de ſerv.fug. l.10.ſiquidem.C.de injur.l.3.C.qui pot.in pign.l.23.C.de evict.* Vide Jaſon. *in l.ut inter.num.15. C.de ſac.eccleſ.* ut prætream hîc plures textus. Planè etymologia Reip. & regni arguit, utrumque ſymbioticæ huic universali poſſe attribui: & quid obſtat, quò minùs eadem vox poſſit & propriè & tropicè uſurpari. Loſ. *d.c.2.part.1.& c.18.part.3.de jure univerſ.*

Hîc diſpiciendum nobis est primò de membris regni, deinde de jure regni.

5 Membra regni, ſeu ſymbioticæ universalis conſociationis hujus voco, non ſingulos homines, neque familias, vel collegia, prout in privata & publica particulari conſociatione, ſed civitates, provincias & regiones plures inter ſe de uno corpore ex conjunctione & communicatione mutuâ conſtituendo conſentientes.

Singuli ex hisce membris appellantur indigenæ, regnicolæ, filii regni, *Matth.c.8.12. Act.c.3.25. Eph.c.2. 10. Act.c.22.27.28.c.17.21.* quibus opponuntur peregrini,

grini, barbari, *Matth.c.17.15.26. Lev.c.19.33. Exod.c.12. 48. Johan.c.4.9. Deut.c.15. 2.3.4.5.12.c.25.17.* qui juris ſeu regni non ſunt capaces.

Johan.c.4.9. Matth.c.8.12. Neh.c.2.20. Gen.c.23.c.24.10. 21.22.c.19.9. Pet. Greg. *lib.4.c.4.de Rep.* Ariſt. *lib.7.c.6.polit. tit. C.non licere habit. metroc. loca ſua.lib.11.* Sed hi ſinguli cives, familiæ vel collegia non ſunt membra regni, ut nec tabulæ, clavi, paxilli, navis partes cenſentur, nec lapides, trabes, cæmenta, domus partes: ſed urbes, civitates amplæ, & provinciæ, uti navis membra ſunt prora, puppis, carina, & domus partes eſſentiales tectum, parietes & fundamentum ſeu ſolum.

Quò magis autem hæc membra Reip. ſunt vicina ſibi invicem, eò melior illius conditio, & operarum, auxiliorum, conſiliorumq; promptior & expeditior eſt communicatio. 6

Separati & diſſidentes pagi, urbes, regiones, provinciæ, vel oppida unius Reipub. mutuas operas & auxilia ſibi præſtare difficulter poſſunt ob interjectas, diſtinctas, diverſas, & ſæpe contrarias regiones & Resp. vel regna; & vires conjunctæ majores, quàm ſeparatæ, & ad reſiſtendum hoſtibus, & defendendum, aut vim illatam propulſandam magis idoneæ, atque internum & domeſticum robur contra invidiam & inſidias hoſtium præſens remedium præbet.

Quòd ſi tamen ſeparatæ ſint regiones Reip. unius, quæ per ſe ſint ſatis validæ & potentes: non refert, an cum longè diſſitis & remotis unam faciant Rempub. Nam tunc una alteri auxilium ferre poteſt. Nec una regio ſeparata ita facilè ſeditionem in toto regno movere poteſt, quin facilè reprimi poſſit ab altera. Nec ſerpit virus ſeditionis ita longè in membra ſeparata. Nam ſeparatio & remotio curſum confuſionis ſiſtit & moras interponit. Exemplum ſit Hiſpania, Belgium, regnum Portugalenſe, Caſtilianum, Neapolitanum, Siculum, quæ hodie unius imperio parent. Vide Boter. *lib.1.c.7. de bon.polit.conſtit.*

Vinculum hujus corporis & conſociationis eſt conſenſus & inter membra Reipub. fides data & ac- 7

cepta ultrò citróq;, hoc est, promissio tacita vel expressa de communicandis reb. & operis mutuis, auxilio, consilio & jurib. iisdē communib. prout utilitas & necessitas vitę socialis universālis in regno postulaverit, ad quam communicationem etiā inviti adiguntur. Quod tamen non impedit, quò minùs regni unius diversę provincię diverso jure speciali utantur, ut suprà in cap. de provinciis diximus. Hanc verò fidem Plato rectè dixit fundamentum hujus humanæ societatis esse, ejusdem verò pestem, perfidiam, quę fides vinculum est concordiæ inter tam discrepantia membra Reip.

Huc enim respicit tot diversorum hominum & ordinum promissio, ut singulorū actiones diversæ referantur ad Reipub. unius utilitatem & communionem, ut inferiores cū superiorib. juris quadam
8 æquabilitate contineantur. De qua re eleganter Greg. *Sicut*, ait, *ex cōtrariis elementis, siderūq; oppositis motib. mirā harmoniā temperat⁹ est mundus: ita diversis hominū studiis, gradib. ordinib. qualitatib. & conditionibus constat Resp. Et sicut ex diversi toni fidib. ad symmetriā intensis, sonus dulcissimus oritur & melodia suavis, gravib. mediis & acutis conjunctis; ita ex societate in Rep. imperantiū & obedientiū, divitum, pauperū, artificū, sedentariorum & id genus diversorum graduum & personarū statu, quàm suavissima oritur & conveniens, si ad concentū reducatur, symmetria, & efficitur concordia laudabilis, felix & penè divina & durabilior.* Ratio, quia ita quod uni voci deest, ex alia suppletur, & q; in uno tono excedit, ab alio temperatur. Similiter quoq; quod uni membro in Rep. deest, id ab alio suppletur: Atq; ut bona harmonia nasci non potest ex chordis unius toni, ac riderur, chordâ qui semper obertat eâdem: sic nec Resp. posset consistere, si omnes essent æquales. Non possent etiam esse divites omnes, nec societas posset subsistere, cùm sibi mutuò nollent obsequi aut inservire. Atq; si omnes essent æquales, singuli pro arbitrio vellent alios regere, & alii recusarent regi; hinc facilis esset discordia, & ex discordia dissolutio societatis; & si nullus esset gradus virtutis, nullus meritorū, sequeretur, ut ipsa æqualitas esset summa inæqualitas, ut ait Plato in 6. de legib.

legib. Greg. *d. loc.* Danæ. *lib. 2. c. 2. polit.* August. *lib. 2. de civ. Dei, c. 21.* Ac hujusmodi consociationem naturalem esse, ad eamq; homines naturâ & rectâ ratione ferri, latè docet Cov. *pract. quæst. c. 1. n. 2. 4.* & Arist. *lib. 3. polit. c. 10. & 11.* Greg. *lib. 6. c. 1. c. 2. de Rep. facit. l. 3. de just. & jur.*

Quò populosior autem est consociatio hæc, eò 9
est felicior & tutior.

Prov. c. 14. 28. 1. Reg. c. 3. Danæ. *lib. 2. c. 2. polit. Deut. c. 1. 10. 1. Chron. c. 21. 3. 2. Reg. c. 24. 3. & 1. Reg. c. 3. 7.* Ideo inter pœnas reputatur desolatio civitatis & regni, *Jer. Lam. cap. 1. 1. & v. 4.* Utile n. est & necessariū, multitudinē & copiam civium habere tempore belli & pacis. Tempore belli, ad sustinendā & reprimendam vim externā majorem. Pauci facilè & brevi lue pestis minuuntur atq; absumuntur. Unâ quoq; clade tota provincia exhauritur, nudatur & privatur omnibus viribus suis, ita ut præda facilè fiat & à potentiore occupetur, uti Spartanis accidit in pugna Leutrica: contrà Romanis, ob civium copiam & multitudinem, lues vel clades una, vel plures non nocuerūt, vel obstiterunt, quò minùs victores tandē existerint, uti demonstrant bellum Punicum 1. & 2. nec non contra Pyrrhum, Numantinos, & Spartanos bella gesta.

Tempore pacis multitudo populi ærarium auget tributis, vectigalibus, mulctarum compendiis, negotiationibus, commerciis & bonis suis. Denique populi multitudo etiam terram, quam inhabitat, reddit fertilem eamque excolit & ad varios diversosque usus socialis vitæ, atque ad vitæ subsidia comparanda, præparat & efformat, uti exemplum luculentum præbent Flandria, Hollandia, Frisia, & Galliæ quædam regiones. Contrà, ubi regiones & provinciæ quidem suâ naturâ sunt fertiles, illæ tamen ob incolarum paucitatem, ideo quòd non possint excoli, fiunt steriles. Exemplum præbent hodie cùm omnis Hispania tum regnum Granatense, quæ olim plures, quàm hodie, homines aluerunt, ut testatur Boter. *lib. 7. c. ult.* in quibus homines bellis & aliis cladibus & publicis calamitatibus interierunt, ita ut agricultura, opificia commerciaque necessaria & utilia non magnopere curentur, sed materiæ rudes ex illis locis in alia exportentur.

Sed tamen Respublica vel regiones amplæ populi copiâ 10
abun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abundantes suis etiam incommodis non carent, multisque vitiis sunt obnoxiæ. Nam à copia & hominum multitudine omnia facilè consumuntur atque exhauriuntur, & summa rerum caritas & penuria oritur. Neque plurimi tam facilè & benè reguntur, neq; concordia tam facilè inter plures servari potest, neq; εὐταξία & εὐνομία. Abundant. n. adulatoribus, divitiis & vitiis, dū in iis divitiæ virtuti, dona justitiæ, timidi fortibus, mali bonis præferuntur. Nam sicuti ferrum rubiginem suâ naturâ etiam generat, à qua paulatim absumitur, & sicuti maturi fructus vermes generant, à quibus consumuntur: sic & potentia & ampla imperia & populosa, vitia multa procreant, à quibus paulatim atteruntur. Experientia testatur, potentiâ parere confidentiam, confidētiam verò socordiam, & hanc contemptū, hunc autem autoritatis diminutionem, & hāc imperii privationem. Potentia quoque parit divitias, divitiæ voluptates, voluptas omnia vitia: & quando crescit potentia Reipub. minuitur fortitudo & virtus. Ita Romanum imperium sub Augusto in supremo gradu autoritatis & dignitatis fuit. Sub Tiberio verò inceperūt voluptates, & cupiditates virtutes suffocarūt, quæ eędem easdem sub Caligula, Claudio, Nerone funditus enecarunt. Et cùm sub Vespasiano primùm, deinde & sub Trajano ac Antoninis duobus virtutes se rursum, unaque secum imperii majestatem excitassent, mox tamen sub Domitiano, post Vespasianum Titumque & sub Cōmodo post reliquos virtutes iterum cum imperii gloria conciderunt.

11 Ex quibus concludere licet, Rempub. mediocrem posse optimam & constantem esse.

Hæc enim potest resistere vi externæ, nec subjecta est vitiis superioribus, quæ dixi, minusque laborat affectibus & motibus, avaritiâ, & ambitione, & quòd vicinorum potentiam suspectam habere cogitur, etiam cautior esse cogitur. Exemplo est Respubl. Romana, quæ cùm esset in statu mediocri, multis vitiis caruit; contrà cum in statu amplo, cum majori potentia & populi copia, uti tempore Marii, Syllæ, Pompeii, Julii Cæsaris, ut vitiis scatuit, ita gravissimis calamitatibus est jactata. At Resp. Venetorum, quia in mediocritate stetit, & legum severitate vitiorum licentiæ obviam ivit, diutissimè duravit, quod idem de Spartana quoque civitate dicere licet.

Atque ejusmodi sunt membra regni: jus illius 12
est, quo ad βιαρκείαν & διάταξίαν universalem in territorio regni constituendam, membra regni inter se tanquam unus populus, in unum corpus sub uno capite consociantur & devinciuntur.

Arg. 1. Sam. c. 8. 9. 10. 11. c. 10. 25. Cumque elocutus esset Samuel apud populum jus regni, & descripsisset in libro quodam, &c.

Appellatur etiam hoc jus regni jus majestatis, 13
hoc est, majoris status, seu potestatis, respectu illius juris, quod tribuitur civitati, vel provinciæ.

De varia majestatis significatione latè Bornitius *de majest. politica c. 1. & Dd. ad tit. ad L. Jul. majest.* Dicitur etiā summa rerum, imperium sacrum, & sublime jus. Clapmarius *lib. 1. cap. 10. de arcan. Rerump.* Bornit. *d. loc. c. 13.*

Territorium regni hîc est terminus & locus de- 14
scriptus, intra quem jus regni exercetur, sub se particularia territoria civitatum & provinciarum complectens.

l. 2. 239. pupillus. §. 2. de verb. sign. Gen. c. 26. 16. 27. & seqq. Num. c. 20. 17. & seqq. c. 21. 21. & seqq. Deut. c. 2. 27. 28. l. 5. de just. & jure. Dan. c. 6. 26. 27. c. 3. 29. Esther c. 1. 1. 2. 3. c. 8. 9. Act. c. 17. 26. 1. Reg. cap. 4. 1. 20. vocatur aliâs diœcesis, districtus, porta, & terra regni, seu politiæ, *Deut. c. 17. 2. & seqq. c. 19. 8. c. 21. 1. 2. & seqq. & c. 16. 11. 18. 2. Chro. c. 8. 18. Joh. c. 3. 22. Ruth c. 1.* territorium universale regni, Decian. *consil. 123. nu. 17. & seqq. vol. 3.* Zasius *cons. 16. n. 46. & seqq. vol. 2.* Matth. Stephani *de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 3. 4. & seqq.* Andr. Knichen *de sublimi & regio territorio, per tot.* Bornit. *de majest. politica c. 7.*

Hoc jus regni quod diximus, βιαρκείαν, διάτα- 15
ξίαν, & ταξίαν & εὐνομίαν universalis consociationis, sibi propositas habet, atque ad eas singulorum & universorum membrorum suorum actiones dirigit, iisque convenientia officia præscribit. Ideo po-

testas imperandi universalis dicitur, quæ aliam superiorem, vel parem, aut sociam non agnoscit.

l.uls.C.de legib. Novel.*164.l.7.C.de bon.quæ lib.1.Reg.c.4. 1.20.23.* Esther *c.1.1.2.3.c.3.8.12.13 .cap.8.9.c.2.3.* Rosenthal. *lib.1.cap.5. concl.10. de feud.*

Atque hoc supremum jurisdictionis universalis jus, est forma & substantialis essentia majestatis, seu majoris illius status, quem diximus, quo sublato, vel adempto, majestas illa concidit.

Covarruvias *pract.quæst.cap.4.num.1. & seqq.* Molin. *in consuet. Paris.§.1.glos.4. num.16.17.18. & glos.5. num.49.50.* Cravett. *cons.128.n.7. & cons.673.n.15.* Peregrin. *de jure fisci lib.1.tit.3.num.71.& seqq.* vid. *infr. cap.24.num.35. & seqq.* Unde populus αὐτόνομος, αὐτοτελὴς καὶ αὐτόδικος dicitur. Sic igitur in Republica seu symbiotica vita universali constituenda & conservanda inprimis est observandum, ut consociatio universalis & corpus politicum habeat sufficientiam universalem, propriam & plenam potentiam, αὐτεξουσίαν & domesticum robur, proprias facultates & vires, quibus sustentetur & innitatur, ut alium superiorem, cui aliquid debeat, aut à quo ea, quibus eget, exspectet, non agnoscat. Deinde necesse est ut αὐτοκλῶς ad confusionem & eversionem evitandam, certis necessariisque legibus gubernetur. Tale est imperium, seu regnum Germanorum, regnum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, & plura alia. Necesse igitur est, ut Resp. sit αὐτάρκης πρὸς τὸ εὖ ζῆν κατὰ τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν, alieno auxilio & ope non indigeat, neq; ab alio pendeat, sed contra vim & injuriam omnem se defendere, atque seipsam salvam, sartam tectamque conservare & præstare possit, quod est optimum & tutissimum regni fundamentum. Nam externa, adsumpta & mutuatitia potentia nunquam fida, utilis, vel constans est. Deficiunt enim, vel impediuntur auxiliatores, vel ab hoste tuo decipiuntur, vel fiunt hostes tui, vel proditores transfugæ, vel exploratores, uti exemplis probat Boterus *lib.9.de polit. bene constit.*

Juris

Juris hujus regni statuendi & se obligandi ad id, potestatem populus, seu membra regni consociata habent. 16

Ut probat Fernand. Vasq. *lib.1.c.47. illust. controv.* ex Bart. & aliis, *in l.omnes populi.de just. & jur.per l.1.de constit. princip.l.5.ex hoc jure.ibi, regna condita.l.9.omnes.ibi, partim suo proprio.de justit. & jur.l.si id.64. de condict. indeb.* Lancellot. *lib.1.c.2.§.1. in templo. omn.judic.* Castrens. *in d.l. ex hoc jure.* Atque in hac potestate disponendi, præscribendi, ordinandi, administrandi & constituendi, singula & omnia quæ consociationi universali sunt necessaria & utilia, (sine qua nullum regnum aut symbiotica universalis consistere potest) vinculum, anima & vitalis spiritus regni, ejusque 17 αὐτονομία, amplitudo, magnitudo & autoritas continetur. *arg.d.l.5.l.9.de just. & jur. Prov.c.29.4.14.* & latiùs *infra c. 29. & seqq.* Quamdiu igitur hoc jus in regno viget, & hoc corpus politicum regit, tamdiu illud vivit & bene habet, Novel.*105.c.2.c.4.* eo verò sublato, omnis illa vita symbiotica concidit, & vel incipit esse latrocinium, malorumque hominum congregatio, vel ex uno regno fiunt diversa plura alia regna, aut provinciæ. Rosenthal. *lib.1.de feud.c.5.concluss 10.& 11.*

Hoc jus regni, seu majestatis jus, non singulis, 18 sed conjunctim universis membris, & toti corpori consociato regni competit: ut enim non ab uno, sed universis simul membris universalis consociationis constitui potest, sic nec singulorum, sed universorum membrorum illud esse dicitur.

Ita & quod universitati debetur, singulis non debetur, *l.sicuti 7.§.1.quod cujusque univers.nom.* & quod universitas debet, non singuli debent. Unde sequitur, usum & proprietatem hujus juris non unius, neque singulorum, sed universorum membrorum regni esse, quæ communi consensu de illo disponere & constituere possunt, *l.5.ex hoc jure, ibi, regna cõstituta & cõdita.l.9.de just. & jur.* ubi Dd. Vasq. *lib.1.c.47. illust.controv.* & quod semel disposuerunt, id servare & præstare tenentur, nisi communi voluntate aliud placeat. Vid. Hotom. *de antiqu. jure regni Gallici, cap.19.cap.23.* & Vasq.

lib. 1. c. 47. Nam ut se habet totum corpus ad singulos cives, atque ut totum corpus cuilibet membro imperare idque cohibere & regere potest, ita populus cuilibet civi imperat: quæ similitudo tamen malè rejicitur à Vasquio.

19 Talis verò potestas regni, seu consociatorum corporum, una semper est, non plures potestates, sicuti una anima, non plures in corpore physico imperant. Administratores potestatis hujus plures esse possunt, ita ut singuli in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis adsumantur. Natta *consil. 636. n. 169.* Et singuli hi non habent penes se supremam potestatem, sed omnes simul unam agnoscunt in consociatorum corporum consensu & concordiâ.

Unde majestatis & regni jura individua, & incommunicabilia, atque connexa Jurisconsulti judicarunt, ita ut qui habet unum, etiam reliqua habeat. Roland. à Valle *cons. 1. 138. vol. 2.* Natta *cons. 640. & 636.* Molin. *in consuetud. Paris. tit. 1. de fiefs. 8. 3. glos. 4. num. 16. & seqq.* Covarr. *pract. quæst. c. 4.* alioquin duæ superioritates constituentur in uno imperio. Vide *cap. 39. nu. 33. 6.* Natta *d. loc.* cùm superioritas parem aut superiorem majoremque habere nequeat, Rosenthal. & Roland. *d. loc. Bod. lib. 1. c. 8. de Rep.* & latiùs dicemus c. ult. Bornit. *de majest. polit. c. 13. c. 14.* & imperium atque obsequium confundi non possint. Committi verò hæc jure possunt, ita ut alius in iis administrandis vices summi magistratus gerat. Bodin. *lib. 3. c. 2. de Repub.* Peregrin. *lib. 1. tit. 3. n. 72. de jure fisci.*

20 Huic sententiæ nostræ, quâ regno seu universali consociationi summa potestas tribuitur, contradicit Bod. *lib. 1. c. 8. de Repub.* ibi enim ille jus majestatis, quod regni jus appellavimus, dicit esse summam & perpetuam potestatem, nec lege, neque tempore definitâ, quas majestatis affectiones latè explicat Bornit. *lib. 1. de majest. polit.* Ego in eo, quo Bodinus hæc sensu accipit, nullum horum requisitū genuinū in jure hoc majestatis agnosco. Non n. est summa potestas, nō perpetua neque lege soluta. Summa non est, quia legem divi-
21 nam naturalemque superiorem agnoscit omnis humana potestas,

testas, *arg. Rom. c. 13.* ibi: Minister Dei est tibi in bonum. Si minister Dei est, ergo contra domini sui mandantis præscriptum nihil facere potest. Adde *Deut. c. 17. 18. Josu. c. 1. 7. 8. Psal. 119.* Absoluta verò summa, & legibus omnibus soluta potestas, tyrannis dicitur. Covarr. *lib. 3. variar. resolut. c. 6. n. 8.* Pinell. *in rubr. C. rescind. vendit. part. 1. c. 2. n. 25. 26.* Corras. *in Petit. l. frater à fratre. n. 71. de condit. indebit.* Bartol. *in l. Æmilius. colum. fin. de minor.* ubi dicit, magnum esse Cæsarem, sed majorem esse veritatem: Capic. *decision. 166. num. 12.* Pruckman. *in §. soluta potestas. c. 3.* Augustin. *de civit. Dei. l. 4. c. 4.* Remotâ, ait, justitiâ, quid sunt regna nisi magna latrocinia. In quo quidem nec Bodinus à nobis dissentit. Nam imperio juris divini & naturalis summam, quam vocat, potestatem non eximit. Quæstio igitur nobis est de civili lege & jure, an huic etiam imperium & fasces subjiciat, qui summam dicitur habere potestatem. Negat Bodin. & plurimi alii cum eodem. Erit igitur ex horum sententia summa potestas, quæ civili lege non est definita, sed illâ soluta: quod ego non dixerim. Nam lege civili potestatem solvere, est etiam aliquatenus naturalis & divinæ legis vinculis eandem exuere. Nulla enim est, nec esse potest, lex civilis, quæ non aliquid naturalis & divinæ æquitatis immutabilis habeat admistum. Nam si hæc prorsus discedit à sententia juris naturalis & divini, non lex dicenda est, sed nomine hoc prorsus indigna, *l. 6. jus. civile. de justit. & jur.* quæ neminem obligare potest contra æquitatem naturalem & divinam. *§. final. Institut. de jur. natur. gent. & civil.* ut latiùs dicitur à nobis infra *c. 18. & c. 19. c. 24. c. 37. c. 38.* Quod si igitur lex civilis generalis à principe lata, est æqua & justa, quis eundem ab obligatione istius legis solvere potest? jmò quæcunque volumus ut faciant nobis homines, hæc & nos iisdem facere teneri ex summi legislatoris sententia, *Matth. c. 7. & c. 23. Luc. c. 6.* & Cæsaris, seu Imperatoris, *in l. 4. digna vox. C. de leg. & tot. tit. quod quisq. juris in alium statuit, eodem & ipse ut atur. Colos. c. 3. in fin.* Quatenus verò lex illa civilis in quibusdam discedit à naturali æquitate, *d. l. 6. jus civile:* fateor, eum qui summam habet potestatem, nec superiorem nisi Deum & naturalem æquitatem & justitiam agnoscit, illâ lege non teneri, inprimis, quoad pœnæ in se ipsum exsecutionem faciendam; quamvis Bornitus indistinctè prin-

cipem legi civili subjiciat, quatenus αὐαλογικῶς ad illum accommodari potest. *c.10. de majest. polit. per l.23. de legat.3. Novell.105.c.2.l.5. digna. C.de legibus.* Paul. *lib.3. sent. tit.3. §.3.* Vid. *infr. cap. 19. num.8.9.10.11. & cap.18. num. 40. & seqq.*

22 Atque in hoc sensu acceptâ lege, solutâ summâ potestate, concedo in sententiam Bodini, Gregorii Tholosani, Cujacii, Donelli, Duareni, & aliorum JCtorum. Sed hanc summam potestatem nequaquam possum tribuere regi, aut optimatibus; quam sententiam tamen Bodinus acerrimè popugnare conatur, sed jure illa tantùm corpori universalis consociationis, nimirum Reip. vel regno, tanquam propria est adscribenda. Ab hoc corpore, post Deum, profluit omnis potestas legitima in hos, quos reges, optimatésve vocamus. *l.1. de constitut. princ.* quod multis probamus *infr.c.18.c.19.cap.30.& c.24.c.37.cap.38.* Corpus igitur hoc consociatũ, rex, princeps, optimatésve, superius agnoscunt, à quo iidem constituuntur, removentur, dejiciuntur & exauctorantur, sicuti latiùs probavimus in dictis locis. Quis verò summam dicet potestatem, quæ superiorem agnoscit aliam? Quod & Bodinus probat. Quis lege solvet eum, in quam ipsemet consensit, & ad cujus obedientiam se per modum contractus obligavit? *l.1.de leg.* Quis propriam potestatem absque lege & tempore definitam tribuet illi, quam habet, ab alio accepit, *l.1.§.1.* Qui mandatam jurisdictionem, ait JCtus, suscepit, proprium nihil habet, *de offic. ejus cui est mand. jurisd.* ac non potius affirmabit, talem fungi vice illius, qui dedit aut concessit potestatem, *l.16. solet. de jurisd. l.3. et si. de offic. ejus cui est mandat. jurisd.*

23 Quantacunque enim est potestas, quæ alii conceditur, semper tamen minor est ejus potestate, qui eandem concessit, & in ea præeminentia & superioritas concedentis reservata intelligitur, uti est communis Dd. sententia, uti *d.c.18.c. 19.c.24.c.37.c.38.* & Rosenthal. *lib.1.de feud. c.5. concluſ.10. & 11.* Peregrin. *de jure fisc. lib.1.tit.3.per tot.* probamus fusiùs. Unde efficitur, regem summam, perpetuam legeque solutam potestatem non habere, & per consequens, nec illius jura majestatis esse propria, quamvis eorundem administrationem & exercitium ex corporis consociati concessione habeat. Atque eatenus jura majestatis ceduntur, transferuntur,

feruntur, & transeunt in alium; nequaquam verò quoad proprietatem, quod & Bodinus defendit, *d.lib.1.c.8. de Rep. & c.7.præced.* ubi distinguit inter majestatẽ regni & regnantis. Quod si igitur etiam secundùm Bodinum duplex est 24
majestas regni & regis, quæro, utra ex hisce sit alterâ major & superior? Negari non potest, illam majorem esse, quæ alteram constituit, quæque immortalis est in subjecto suo, populo scilicet, & alteram minorem, quæ in unius persona consistit, & cum eadem moritur. Rex enim populum, non contrà populus regem repræsentat, ut infra *c.18.19.* latiùs explicamus. Major denique potestas & vires plurium, quàm unius. Unde fit, ut etiam summus monarcha rationẽ reddere teneatur administrationis suæ, neque pro libitu alienare vel minuere queat regni sui provincias, urbes, vel oppida, atque etiam exauctorari possit. de quibus latiùs infra *c.24.c.37. c.38.* Sed infert Bodinus: Inanis est potestas regis, & nomen regium inane futurum, si comitiorum ac populi jussis tenetur, & seditiosis hominibus ad res novandas materiam præbebit, atque hoc modo incipiet esse atistocratia vel democratia, quæ antè erat monarchia. Negamus hoc, & Bodini opinionem rationibus allatis in c.39. ubi de monarchæ potestate dicitur, refutamus. Omitto hîc latiùs definitionis Bodinianæ vitia & defectus examinare & excutere, quæ cuivis ex iis, quæ in vera definitione potestatis summæ, à qua cæteræ pendent, apparebunt.

Restat igitur, ut definiamus potestatem illam summam, 25
quam consociato corpori politico ex jure majestatis, ꝙ illud sibi soli vindicat, attribuimus, quæ nostro judicio petenda est ex causa & scopo consociationis universalis, utilitate scilicet & necessitate vitæ humanæ socialis, de qua latiùs diximus cap.18. Secundùm hanc igitur proprietas & natura impii & potestatis hæc erit, ut merâ utilitatem & commoditatem subditorum respiciat & curet, ut probat Fernandus Vasq. *illust. controv. lib.1.c.26.c.45.* Pruckman. *d.c.3.§. solutapotestas.* Quia nulla potestas est ad malum, sed tantùm ad bonum, non ad nocendum, sed ad consulendum, juvandum, & ad meram subditorum utilitatẽ, non ad imperantiũ libidinem vel commodum, ut dicit Vasquius. Unde Augustinus *lib.19. cap.15. de civitate Dei* dicit: Imperare nihil

aliud esse, quàm aliorum utilitatibus inservire, uti parentes liberis, & vir uxori imperant. Marius Salomon. *de principatu li.3.* Boter. *de incrē.urb.lib.1.c.1.* & satis probavimus infr. c.18. c.19. Secundùm hanc naturam, & essentialem proprietatem 26 imperii, administratores illius, principes & imperantes, in sactis & profanis literis vocantur pastores, salvatores, dii, ductores, defensores, tutores, curatores, parentes, reges, aliisque nominibus, quib. natura hujus imperii, quod descripsimus, significatur, ut diximus c.18.c.19. c.24.c.37. c.38. Quæ cùm ita sint, rectè ex natura & essentia imperii & potestatis summæ, jus majestatis, seu jus majoris potestatis, status & magnitudinis, quæ non nisi penes corpus consociatum politicum, quoad dominium, esse potest, definitur eo modo, quē in definitione expressimus, frustra reclamante Bodino & aliis cum eodem; quòd nimirum sit potestas præeminens & summa universalis disponendi de iis, quæ universaliter ad salutem curamque animæ & corporis membrorum regni, seu Reipub. pertinent. Quæ definitio cum suo definito est reciproca, semperque necessariò vera.

27 Universalis dicitur, præeminens, prima, atque summa, non quòd lege sit soluta, vel absoluta potestas, sed respectu potestatis subordinatæ particularis, specialis, quæ pendet, oritur, & fluit ab illa, & ad eam suo tempore refluit, & certis locis est alligata, qualis est, quæ universalibus administratoribus, vel specialibus provinciarum præsidibus est data, vicariis, delegatisq; administratoribus, procuratoribus & ministris eorundem, *l.1.& tot.tit.de offic.ejus cui est mand. jurisd.* qui omnes solū usum & exercitium potestatis, alieno beneficio, non proprietatem illius habent, uti dictum.

Jus hoc regni est duplex: Primum, quod ad salutem animæ: alterum, quod ad corporis curam pertinet.

28 Ad salutem animæ, religio in cognoscendo & colendo Deo: ad salutem corporis, cura vitæ hujus spectat.

1.Tim.c.2.2. Pro regibus, & quibusvis in eminentia constitutis, preces sunt fundendæ, ut tranquillam ac quietam vitam degamus sub iis cum omni pietate & veneratione. *Tit.*

Tit.c.2.12. Erudiens nos, ut abnegatâ omni impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in præsenti seculo. Temperanter, nimirum erga nos ipsos, justè erga proximum, piè erga Deum. *Luc.c.2.25.c.1.6. Joh.c.1.1.c.2.3.* In quibus locis pietas de prima, & justitia de secunda tabula accipitur. & Polybius *lib.6.* Ille, ait, Reip. status optabilis & firmus est, in quo & privatim sanctè innoxieque vivitur, & publicè justitia & clementia vigent.

Utrumque jus hoc, regni, de quo in genere diximus, consistit in symbiotica communione universali, & illius administratione. De symbiotica communione universali priore loco, & de illius administratione, posteriore loco dicturi sumus *c.18. & seqq.* 29

Communio symbiotica universalis est, quà à membris regni seu universalis cōsociationis omnia quæ ad eandem sunt necessaria & utilia, communicantur, & contraria removentur & tolluntur. 30

Ideoque vocari potest βιοτομικὸν, vitam curans, κοινωνικὸν, ad communionem pertinens, symbioticumve jus regni.

Communio symbiotica universalis regni est ecclesiastica, vel secularis. 31

Priori respondet religio & pietas, seu tota tabula prima, quæ animæ salutem & vitam æternam respicit. Posteriori respondet justitia, suum cuique tribuens, quæ est secunda seu altera tabula Decalogi, quæ corporis & vitæ hujus usum spectat. In illo ad gloriam Dei immediatè omnia sunt referenda: in hoc immediatè ad utilitatem & salutem populi consociati in unum corpus.

Hæc sunt duo fundamenta totius bonæ consociationis, 32 & ubi cœptum est ab illis declinari, regni seu consociationis universalis felicitas minuitur. *Psal.75.4.* Solutas columnas terræ erigam, hoc est, ut Junius ibidem explicat, statum regni & ecclesiæ, seu jura majestatis ecclesiastica & secularia, dissoluta & sublata per diuturnas clades Saulis, instaurabo; quæ jura vocat Columnas, id est, statumina & firmamenta regni. *Psal.82.5.* Ignorantibus & non animadvertentibus, in

tenebris indesinenter ambulantibus illis, dimoventur omnia fundamenta terræ. *2.Sam.c.23.3.* ubi Piscator. *Deut.c.17.8.& seqq. 1.Chron. c.26.30.32. 2.Chron.c.19.8o.1.11.* ubi in utroque loco per judicia vel negotium Jehovæ, & negotium regis, intelliguntur negotia regni ecclesiastica & secularia. *Prov.c.29.18. Deut.c.27.& c.28.* Exempla vide *1.Sam. c.12.14.15.25. 2.Chron.c.27. & c.28. & c.29.5. c.31.21.c.32. 27.c.33.11.c.34.25.c.36.5.* Ubi populus Dei incipiebat deflectere à via præceptisque Dei, continuò expertus est tyrannos, uti constat ex libris Josuæ & Judicum, & *1.Sam.c.2.c.3. c.12.1.Reg.c.9.4.5.6.* Sicuti & primus homo ob transgressionem suam imperium suum perdidit in creaturas, vel saltem illas rebelles, & sibi contrarias sensit: adde *1.Reg.c.11.Ezech. c.7. Deut.c.28. 1.Sam.c.12.*

Porrò de necessitate religionis in politia latè docet Dan. *lib.1.polit.Christ.* quam omnium primò & præcipuè gentes etiam, atque ethnici summa attentione coluerunt. Nam à religionis divinæ veneratione & metu pendent omnia opera caritatis de officiis proximo præstandis. Hinc Plato *lib.4. de Rep.* scitè ait, Primum & præcipuum fundamentum & vinculum humanæ societatis & benè constitutæ Reip. consistere in religione: alterum in justitiæ administratione. Accedit Lactant. *lib.de ira.c.1.* & Cic. *lib.de nat. deor.* de qua re fusiùs dicemus c. 28. de administrat. Eccles. & exemplis quibusdam illustrat id ipsum Tholos. *lib.22.c.3.4.& seqq.& lib.12.c.4.& lib.23.de Rep.*

33 Ecclesiastica communio regni est, quâ ea media, quæ sunt de regno Christi, secundùm ipsius voluntatem, in universalis hujus consociationis territorio publicè constituendo & conservando, ad gloriã Dei & regni salutem æternam, constituuntur, recipiuntur, & communicantur: *1.Sam. c.12.Deut.cap.13. Dan.c.6.26.& seqq. 2.Sam. c.23.3.Deut. c.17.18. Josu.c.1. 8.Psal.119.* Unde jus majestatis ecclesiasticum hieraticum regni vocatur, negotium Jehovæ: *1.Chron.c. 26.30.32. Deut.c.17.8.& seqq.2.Chron. c.19.8.& seqq.*

34 Agit ergo hoc jus communionis ecclesiasticum de

vitâ piâ intra fines territorii regni vivenda, quomodo in præsenti seculo Deum cognoscamus & colamus.

Tit.c.2.12.& Joh.c.17. Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum: adde *1.Sam.cap.12. Josu.c.1.8.c.24. 1.Reg.c.2.1.2.3.4.* ut per hanc communicationis ecclesiasticæ administrationem sancti coalescant in mysticum corpus, *Eph.cap.3.12.13.* & Deo reconcilientur justitiâ Christi induti, *1.Cor.c.1.* vid. *c.28.*

Hoc jus hieraticum, seu ecclesiasticum, in regni 35
territorio rectè instituitur, quando in singulis civitatibus & provinciis, seu regni membris, idem Dei cultus publicus, sincerus, secundùm Dei voluntatẽ instituitur, exercetur, conservatur, atq; generalis illius cura ab universali consociatione habetur.

De qua re *sup.c.8.de jure administrationis provinciæ* latè diximus: adde *Deut.cap.13. Josu.c.22. Dan.c.3.c.4.c.6. Hesr. cap.6.*

Religionis, & cultus Dei sinceri, sacris literis ap- 36
probari, in regni territorio, & omnibus ejus civitatib. & provinciis publicè introducendi, constituendi, & conservandi prima & præcipua cura est habenda, juxta illud *Matth.c.6.33. Quærite primùm regnum Dei &c.& c.7.24.25. Deut.c.4.9.c.6.7. Psc.78.5.6.* Nam initium sapientiæ timor Domini, *Psal.110. Psc. 119. Josu.c.24.14.15.16.19.& seqq. 2.Reg.c.11.17.* atque ad professionem hujus religionis & cultus divini omnia & singula regni membra obliganda.

Deut.cap.13.& cap.11.18.& sequentib.& cap.27.c.29. Judic.cap.19.cap.20. Josu.cap.22.cap.5. v.24.c.24. v.14.15. 16.17.& sequentib. ita ut professio & publicum exercitium religionis puræ liberum, ad præscriptum verbi Dei, sine impedimento & metu ullo, omnibus & singulis permittatur. vide Euseb. *in vita Constant.lib.4.* Theod. *Eccles.histor.*

lib.1.cap.9. Ruffin.*lib.2.cap.1. 2.Chron.cap.3.4.8.33.cap.31. 2.Reg.cap.10.per tot.cap.18.4.5.cap.23.4. & seqq. Jos.cap.22. 23. & seqq. Hesr.cap.7. per tot. Dan.cap.3.96. & seqq.* Pet. Mart. *1.Sam.cap.28.* Socrat.*hist.Eccles.lib.1.cap.9. Jos.c.22.* vid. *Constit.Imperii de anno 55. de pace religion.* Vid.*infr.c.28.*

37 Sed de vera & pura Dei religione cultuq;, non ex hominum, aut ex majori civium parte, numero vel suffragio, sed ex solo Dei verbo, juxta fidei analogiam, est constituendum.

Ex.c.23.2. Joh.c.5.39. Deut.12.8. Matth.c.15.9. Col.c.22. 23. Deut.5.32.c.6.1. & c.12.8.c.27.1. Joh.c.4.1. 1.Reg.c.13.1. adde historiam ex *Judic.c.17.c.2.3. & seqq. & 1.Chron.23. 24.25. 2.Pet.c.1.20.* neque in malo majores imitandi sunt, *Zach.c.1.4. Ezech.c.20.18. Psal.78.8. Am.c.2.4.*

38 Ad veram religionem conservandam, & ad posteros propagandam, mores & vitam civium informandam & artium liberalium cognitionem parandam, inserviunt publicæ scholæ, quæ aperiuntur in territorio Reipub. in singulis civitatibus & provinciis, ut in iis bonarum artium professores & doctores publicè doceant, barbeia & honores pro merito distribuant, & conferant suis auditoribus, nimirum insignia Magisterii, Licentiæ, Doctoratus, quæ vocant,

Arg.*l.2.§.pen.& ult.de orig.jur.§.respons.Inst. de jur.nat. gent. & civil.l.1. C. de offic.mag. offic. lib.1. tit.31.* Vide Pet. Greg.*lib.18.cap.5.6. & seqq.de Rep.* Cujac. *in l. univ. C. Decur.* & latè Chassan. *in part.10.catalog.glor.mundi.* Fulvium, Pacian.*lib.2.cap.41.num.48. & seqq.de probat.* Ferrar. Montan. *de feud.lib.5.c.2. & 7.* Rosenthal *de feud.c.2.concl.2. & c.5.quæst.3.lib.1.* Heig.*lib.2.quæst.* & Matth. Steph. *lib.ult. de jurisd.* Gasman. *in vita polit.* Keckerm. *in syst.pol.* & alios, qui de scholis aperiendis & conservandis libros ediderunt.

39 In his scholis scitè pietatis & virtutum semina juventuti ex sacris literis & artibus humanioribus liberalibus infunduntur, ut boni cives evadant, inprimis verò pii, fortes, justi, temperantes.

Aristot.*lib.7.pol.c.15. Deut.cap.6.5.6.cap.11.19. Ephes.cap. 6.4.* Patres, ne provocate ad iram liberos vestros, sed enutrite eos in doctrina & monitis Domini: ubi institutio, nutritio, & correptio, seu admonitio necessaria docetur: Sicut & *Prov.cap.13.24.c.19.18.* Qualis enim est educatio pueritiæ, talis futura est ætas virilis, *Proverb.c.22.6.* ubi Junius. Bona educatiõ facit viros bonos & præstantes, *Sap.c.8.19. Sirac. c.30.2. & c.42.5.*

Præterea in his scholis custoditur clavis scien- 39
tiæ & doctrinæ omnis, *Luc.c.11.52.* Ex his omnium dubiorum decisio & resolutio petitur, *Deut.c.17.* & in his via salutis ostenditur, *Joh.c.5.39. 2.Tim.c.2.* & quales schola exhibet, tales habitura est Respub. & Ecclesia moderatores & cives. *Latè Danæus lib.7. cap.ult.polit. Prov.c.22.6. ubi Jun.*

Tales scholę habebantur apud Judęos in synagogis, cõcio- 40
nibus & conventibus publicis, in quibus populus & adolescentes docebantur: *Ex.c.28.c.29. 2.Reg. c.4.38.c.6.1.c.2.3. 5.6.7.15.c.17.26. & seqq. 1.Reg.c.19.20.19. Act.c.22.3. Deut. cap.4.c.31.c.34.9.10.* & passim alibi. Hisce scholis inprimis doctrina de Deo ejusq; voluntate & salute nostrâ propagatur, & ad posteros transmittitur, *Deut.c.6.6.20.c.4.10.c.11. 19. Malach.c.2. Levit.c.10.11. Actor.cap.13.14. & seqq.cap.15. 2.c.19.8. Luc.cap.2.46.c.4.15.16.17. Matth.c.23.1.2.3. Luc. c.7.5.c.10.1. & seqq. Act.c.22.cap.6.9.c.19.8.9.c.17.2.c.13.23.* quibus in locis exempla scholarum & fructus occurrunt: quibus adde Zanchium *in explicatione præcepti 4. tom. ult.* certè urbes celebres & divites, ob concursum extraneorum, schola reddit. Hippolyt. à Collib. *de increm.urb. cap.11.*

Ad conservationem religionis, cultus divini & 41
ecclesiæ pertinet quoque defensio illorum contra omnes perturbatores & contemtores. *Argum.Psal. 2.10. & 104.118. & 101. Esa.cap.49.23.* Unde jus & potestas cultum Dei sincerum restituendi, *Jud.c.6.25. & seqq. & 1.Chron.cap.31. per tot. 2.Chron.c.31.per tot.*

cap.17. 2.Reg.c.17.26.27. c.17.7.8. Daniel.c.9.97.98. & seqq. à religione sincera alienos ex suo territorio expellendi. *Exod.c.23.32.33.c.34.12.13. Deut.c.7.7.2. & seqq.c.8.7.14. Judic.c.1.27. & seqq.* & cives, seu regnicolas etiam edictis publicis, imò & vi externâ ad colendum Deum compellendi.

Vide *2.Chron. cap. 15.12. 13.14. & c.34.33.cap.30.12. & seqq.cap.35.10.16. c.29.15.36.c.14.4.c.17.c.33.16. Nehem.c.10. per tot.Luc.cap.14.23. Deut.cap.13.12.* Si audieris de aliqua civitatum tuarum, quas Jehova Deus dat tibi ad habitandum illic, dicentes: *13.* Egressi homines nequissimi è medio tui, depulerunt habitatores civitatis suæ, dicendo, Eamus, colamus deos alienos, quos non noveratis. *14.* Ubi inquisiveris, & pervestigaveris, ac percunctatus fueris bene, si ecce vera certaque erit res illa, si commissa fuerit abominatio hæc in medio tui. *15.* Omnino percutito habitatores civitatis illius acie gladii: internecioni devoveto eam, & omnes qui erunt in ea, jumentáque ejus acie gladii &c. *Josu.c.22. 2.Reg.c.23.21.c.11.17. Daniel.c.3.29.* Quamobrem à me proponitur edictum, ut omnis populus, natio, aut lingua, quæ dictis erraverit contra Deum horum, Schadraci, Meschaci, & Hebednegonis, in membra lanietur, & domus ejus in sterquilinium redigatur, propterea quod non est Deus alius, qui possit eripere hoc modo. *30.* Tunc rex prosperari jussit illos in provincia Babyloniæ. *Dan.cap.4. 1.2. & sequentibus*, ubi edictum de colendo Deo Nebucadnezar omnibus suis subditis promulgat. *Dan.cap.6.26.* Tunc Darius rex scripsit omnibus populis, nationibus & linguis habitantibus in terra, Pax vestra multiplicetur: *27.* A me proponitur decretum, ut in toto dominatu regni mei tremant & timeant omnes à conspectu Dei Danielis: quia ipse est Deus vivens & stabilis in secula, & regnum ejus incorruptum, & dominatus ejus ad finem usque. *28.* Liberat, eripit, & facit signa ac miracula in cælo & terra: *& cap.29. Hesr. cap. 6. 11. cap.7.25.26.* Plura exempla recenset Tasin. *de pœnitent. & vitæ emendat.lib.3.cap.6.ex* Euseb. Socrate, Ruffino.

Defen-

Defendendi autem veri Dei cultores, & protegendi in regno, etiamsi numero pauciores sint & plures qui aliam profitentur religionem.

Nam pios qui ejicit ex regno, Deum ejicit; & contrà, qui illos recipit, Deũ recipit, *Matth.c.10.41.* Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui misit me. *41.* Qui recipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet &ç. Floruit regnum Ægypti, donec familiæ Jacob hospitium præbuit; & domus Obededom ob præsentiam arcæ Dei felix fuisse dicitur. Exemplum hac in re Nebucadnezaris, Cyri, & aliorum regum & populorum imitandum, qui veræ religionis exercitium concesserunt paucissimis inter medios idololatras versantibus, & ædificandi templi potestatem publico edicto fecerunt, *Esd.c.7.12. Dan.c.3.29.30.c.6. 26. & seqq.*

Non tamen schisma faciendum, & separationem ab ecclesia concedendam esse, existimandum est, ob errorem aliquem, vel causam sacramentariam, vel aliam; si modò fundamentum retinetur, etsi aliquæ humanæ opiniones assuantur. 42

2.Cor.c.3. ibi, Si quis ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum fiet. Dies declarabit &ç. si cujus opus conflagraverit, jacturam faciet, ipse autem servabitur, sed tanquam per ignem, *Rom.c.14.* Infirmum in fide assumite. Paulus agnovit pro fratribus accedentes ad idolothyta, *1.Cor.c.8.9.10.* & profanantes cœnam Domini, *1.Cor. c.11.* & errantes de resurrectione, *1.Cor.c.15. Gal.c.5.15.* Si alii alios mordetis & devoratis, videte, ne vicissim alii ab aliis consumamini. Vide Ursin. *tom.2.dispos.in fine.* & Bened. Aret. *in probl.tom.1.loc.9. & loc.58. & seqq.* Christus tulit infirmos & peccatores discipulos, rudes & ignaros, & errantes, *Actor.cap.1.6.7.c.10.11. & seqq. Joh.c.20.25. Luc.c.24.11.25.* & evangelium contulit reti, in quo non solùm pisces boni, sed & alia contrahuntur, & vetat ne zizania evellantur, *Matthæi c.13.47.* atque in domo magna vasa aurea, & quædam honorata & inhonorata, & fictilia habentur, *2.Timoth.c.2.*

Comparatur etiã horreo, in quo grana & paleę, *Matth.c.3. 12.c.22.1.* convivio, in quo boni & mali cõvivę, *Matth.c.22. 1. Luc.c.14.16.* decem virginibus, *Matth.c.25.1.* ovili, in quo oves & hirci, *Matth.c.25.32.* Vide latiùs *c.28.*

Moderatio tamen, *ut dicit Aretius*, hîc obſervanda.

43 Aliter cum autoribus ſchiſmatis, & his qui palàm præfracti ſunt, agendum eſt; aliter cum aliis, qui zelo pietatis, & ſimplici quodam ardore ſeducti ſunt. Peſſimè verò agitur, quando in minutiſſimis etiam omnium judiciorum confirmationem exigimus, ac niſi in omnibus ſubſcribatur, parata habeamus fulmina, hæreſes, ſectas, anathemata, imò carceres & mortes. Nam nullum unquam ingenium tam elimatum emerſit, cujus judicio omnium doctorum ſententiæ ſubſcriberent.

Ut latiùs probat Aretius *d.loc.58.* ubi ſtatuit, ſalvâ concordiâ præcipuorum articulorum fidei, in aliis non obſtare rebus Chriſtianis, diſſidere opinionibus.

44 Planè qui palàm & publicè ἄθεοι ſunt, non ſunt ferendi, qui ἀταξίαν inducunt, qui magiſtratum tollunt, qui bella non neceſſaria movent, qui aperta flagitia tuentur, qui articulos ad ſalutem neceſſarios negant, tollunt, aut in dubium vocant.

Lipſius *lib.4.c.2.3.& 4.polit.* aliter diſtinguit. Vide *c.28. infr.*

45 Non igitur permittendum eſt, ut omnes fruantur liberè ſuâ religione in totum Chriſtianæ contrariâ.

Ut enim Deus unus eſt, ſic una eſt formula rectè colendi Deum, quam Deus nobis propoſuit, & extra quam impoſſibile eſt Deo placere. Nulla enim eſt communio luci cum tenebris, Chriſto cum Belial. Et, Si Jehova Deus veſter eſt, quare non ſequimini eum? Violatores orthodoxæ religionis Deus atrociter puniri voluit, *Deut.c.13.12.& ſeqq.* ejuſdi rei causâ

causâ vindicem magiſtratum conſtituit, cui protectionem & defenſionem piorum commendavit, *Rom.c.13.* Ob religionis improbatæ exercitium conceſſum, reges puniti leguntur, uti Joas, *2.Reg.cap.12.3.* Azarias, *2.Reg.c.15.4. 1.Reg. c.18.21.* & pœnam comminantur Judæi Rubenitis, *Joſ.c.22.* Vide Aret. *d.loc.58.* Lipſ. *lib.4.c.2.& 3.polit.* Franciſc. Burchard. *de autonomia.* in qua & hîc expellendos arbitratur eos, qui diverſæ ſunt religionis ab orthodoxa, nimirum Mahumetanicæ, Arianicæ, Judaicæ, vel alterius ſimilis, idque ex locis ſcripturæ ſeqq. *Deut.cap.17.18.& c.10.c.11. Epheſ.c.4. Judic.c.6. 1.Sam.c.4.c.15. Pſal.138.& 25.& 118.& 68. 1.Reg. c.12.c.14.c.18. 2.Chron.c.19.c.24.c.25.c.29. Matth.c.22. Eſa. c.49. 1.Cor.c.12.* Pugnat enim hæc libertas cum fide, quam incertam reddit, & plures fides, atque plures eccleſias easque diverſas, idololatriam & impietatem introducit. Præterea diverſitas tollit unitatem, *Luc.c.12.* qui non eſt mecum, contra me eſt. Quatenus verò magiſtratus homines à verâ errantes religione in quibusdam in regno ſuo bonâ conſcientiâ tolerare poſſit, diſſeremus *cap.28. de adminiſtrat. eccleſ.*

CAPUT X.

De lege atq; ejus exſecutione.

1 *Secularis communio, ſeu jus majeſtatis ſeculare quid.*
2 *Generale jus hoc, quid ſit.*
3 *Promulgatio hujus juris.*
4 *Subjecta hujus juris.*
5 *Quæ præſtanda proximo.*
6 *Bona hominis varia.*
7 *Secunda tabula Decalogi complectitur bona hominis: nimirum honorem & præeminentiam, vitam corporis, caſtitatem, bona externa ejusdem, bonam famam & exiſtimationem.*
8 *Leges reſpiciunt ad utilitatem & neceſſitatem humanæ conſociationis.*
9 *Interpretatio legis cui competat.*
10 *Exſecutio legis quid ſit.*

11 *Potestas puniendi delinquentes, ejusq; utilitas & necessitas in Rep.*
12 *Potestas præmii conferendi.*

COmmunio symbiotica consociationis universalis ecclesiastica hucusq; est exposita: sequitur de seculari.

1 Secularis politica communio universalis regni est, quâ eadem media ad vitam eandem justam in consociatione universali degendam idonea & necessaria, inter membra regni communicantur: seu quæ tractat ea, quæ ad usum vitæ hujus, *1.Cor.c.6.3.* seu regni negotia publica spectant. Arg. *Tit.c.2.12. 1.Tim.c.2.2.* Unde jus majestatis seculare, negotium regis, *2.Chron.c.19.8. & seqq. 1.Chron.c.26.30.32. Deut. c.17.8. & seqq.*

Agit ergo hoc jus regni, seu jus majestatis seculare, de vita justa secundùm tabulam Decalogi posteriorem in symbiosi universali instituendam, quomodo scilicet justè in præsenti sæculo vivamus, ut dicit Apost. *Tit.c.2.12.* atque sic praxin tabulæ secundæ Decalogi hoc jus continet.

Hoc jus majestatis seculare est generale, vel speciale.

2 Generale est, quod singulis membris consociati corporis rationē & formam justè agendi & vivendi in hac symbiosi, in singulis & omnib. negotiis præscribit. Ideoq; singula consociationis universalis negotia ad jus hoc accommodanda & examinanda erunt. Arg. *Psal.119.v.97. & seq.*

Juris hujus generalis promulgatio & exsecutio hîc spectanda est.

3 Promulgatio juris hujus est, quâ illud pro regulâ & normâ omnium justarum actionum in symbiosi universali publicè agnoscitur & recipitur.

Deut.cap.31.12. ubi Moses jubetur legem promulgare, ut subditi audiant, discant, timeantque Jehovam, & observantes faciāt omnia verba legis hujus. De hac promulgatione Bodin. *lib.1.c.10.de Rep.* Greg. *lib.10.c.5. lib.7.c.20.* & Vasq. *illust. controv. lib.1.* Ex hac promulgatione membra consociata non secus quàm ex contractu obligantur, arg. *l.1. de leg.* ubi sponsio communis lex dicitur, quæ sponsio alibi vocatur promissio: *§.1.Inst.de verb.obl.* sicuti & conventio lex dicitur, *l.contr.23.de reg.jur.*

Lex verò & jus hoc est faciendorum vel omittendorum regula, singulis & universis regni membris, ad justæ vitę & consociationis universalis conservationem præscripta. 4

Hæc Senec. *lib.1.de clement.* dicitur vinculum, quo Resp. cohæret, & spiritus vitalis, quem civitas trahit, nihil ipsa per se futura, nisi onus & pręda, si mens illa subtrahatur; lucerna vitæ civilis, trutina justitiæ, custos libertatis, disciplinæ & pacis publicæ munimentum, infirmorum auxilium, potentum frænum, norma & directrix imperii. Vocari etiam potest jussio publica populi, & sponsio seu promissio regnicolarum de faciendis licitis, vel fugiendis illicitis: vel præceptum de vita politica in regno instituenda & colenda modo præscripto, de officiis civi vel proximo præstandis, & omittendis vetitis. Unde in Psalmis, aliisque scripturæ sacræ locis sæpe: Fac bonum, & à malo abstine. *Psal.37.27. Psal.119. Rom.7.18. & seqq. 1.Pet.c.2.11. Psal.34.15. Esd.c.1.16.* Hinc præcepta Decal. affirmativa vel negativa, jubentia & prohibentia, mandata vel interdicta.

Quando autem intelligimus, quæ à nobis sint proximo præstanda, facilè licet colligere fugienda & omittenda. 5

Sunt verò proximo in civili & sociali hac vita præstanda, quæ jure ipsi debentur, aut ipsius sunt, & ille possidet tanquam propria, uti primò vitam naturalem, corporis proprii incolumitatem & libertatem, cui contraria est exanimatio, cædes, læsio, vulneratio, percussio & coactio, servitus, vinculum, coërcitio. 6

Deinde proximus possidet existimationem, famam honestam, honorem & dignitatem, quæ altera hominis vita dicitur, & cui contraria est contumelia, infamia & contemtus. Atque huc quoq; refero castitatem corporis, cui contraria est omnis impuritas & scortatio: item hujus loci est jus familiæ & cognationis: item jus civitatis, quod alicui competit, de quibus suprà *cap.3.c.5.6.* & latissimè JCti.

Tertiò, homo habet bona externa, quibus utitur, fruitur. Huic usui contraria est omnis corruptio, læsio, deterioratio bonorum, possessionis quietæ turbatio, spoliatio, dejectio, & impedimentum creatum. Vide *c.37.n.99.100.& seqq.*

7 Atq; hæc officia proximo præstanda, leges istæ præscribent, ut illa facientes honestè vivamus; alios non lædamus, & suum cuiq; tribuamus; in summa, ut proximo nostro ea faciamus & præstemus, quæ nobis fieri vellemus, & contrà, *Matth.c.22.& c.7.12. Lev.19. Luc.c.13.24.* Nimirum, ut cui honor, auctoritas, dignitas & præeminentia, nec non familiæ jus competit; illi hæc tribuamus; & contrà eum non vilipendamus, contemnamus, *juxta præcept.Decal.5.* Cujus vita defendenda & conservanda est, illius corpus non lædatur, vulneretur, percutiatur, aut quovis modo inhumaniter tractetur, libertásve aut usus corporis minuatur vel adimatur, *juxta præcept.6.* Cujus castitas conservanda est, huic illâ scortatione, vel quovis alio modo non adimatur, *juxta præcept.7.* Cujus bona eorumque possessio, usus vel proprietas sunt conservanda, illa non lædantur, deteriorèntur vel adimantur, *juxta præc.8.* Cujus bona fama & existimatio est conservanda, illa conviciis mendaciisve aut facto illicito non adimatur, lædatur, minuatur, *juxta præcept.9.* Atq; hæc ita, ut quæ alterius sunt, nec cogitatione affectúve appetat, sed ea omnia & singula proximus noster possideat, illis utatur, fruatur, absque affectu concupiscentiæ nostræ & cupiditatis pravæ, *juxta præcept.ult.Decal.*

Aliæ quoque leges singulis & universis regnicolis præscribuntur, quibus lex Decalogi moralis explicatur, & propter varias incidentes circumstantias loci, temporis, rei & personarum, Reipub. adcommodatur. 8

Uti Moses post Decalogi promulgationem plurimas, quibus Decalogi leges explicavit, & Reipub. Judaicæ adcommodavit, addidit leges, *Deut.cap.6.c.7.c.8.& ccseqq. Exod. c.21.c.22.& seqq.* & passim alibi. Vide *c.21.*

Leges igitur ejusmodi in quibusdam à moralibus ob circumstantias recedere possunt, addendo iis aliquid, vel detrahendo, *l.6 de just.& jur.* sed non debent in totum juri naturali, seu morali æquitati contrariæ esse.

Arg. *§.pen. Inst.de jur.nat.gent.& civ.* Vide infrà *cap.21.* Quemadmodũ verò homines absq; societate mutuâ vivere nõ possunt, ita neq; societas ulla tuta vel diuturna esse potest absq; legibus, ut dicit Plato *lib.3.de leg.* Vide Arist. *lib.4.polit. c.4.* ubi dicit, Rempub. nullam esse, ubi leges non tenent imperium. Nam quod Deus est in mundo, quod in navi gubernator, quod in curru agitator & director, quod in choro præcentor, quod dux in exercitu, hoc est lex in civitate, sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec Resp. nec mundus stare potest. Lex secundùm Papin. est commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum, quæ sponte, vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio, cõmunis Reip. sponsio. Secundùm Martianum, est rerum humanarum & divinarum regina. Oportet autem eam esse præsidem & bonis & malis, & principem & ducem esse, & secundùm hoc regulam esse justorum & injustorum, & eorũ, quæ naturâ civilia sunt,

animantium: præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum, *l.1.l.2. de legib. Cic.1.de orat.* Docemur, ait, autoritate nutuque legum, domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Per legem oritur cognitio faciendorum & omittendorum, *Rom.c.3.20.* & in hac sapientia nostra, *Deut.c.4.& Psal.119.*

9 Potestas legis interpretandæ & explicandæ est, quâ concessum est de legis vera & genuina sententia dubitantibus, ex ratione legis & naturâ negotii respondere, pro varia rerum, personarum, temporis, loci, aliarumque circumstantiarum consideratione, & ita jura constituta hominum captui accommodare. Vide Vasq. *lib.1.c.25.c.26.illust.controv.* & reliquos JCtos, *& l.2. de orig.jur.*

10 Exsecutio legis ad disciplinæ publicæ externæ custodiam pertinet, estq; jus meritorum distribuendorum, hoc est, jus & facultas puniendi delinquentes, & bene agentes remunerandi, & justitiæ administratio quævis alia.

Psal.101. Deus enim requirit, ut bonis bene sit, & malis malè. *Rom.c.2.6.7. 2.Thess.c.1.6.* Et Deus non vult absolvere improbum, & sontem ullo modo justificare, *Num.c.14.18. Exod.c.34.7.c.23.7. Psal.5.7. & 7.12.* Quemadmodum autem anima corpus vivificat, quamdiu in eo est: sic & justitia Rempub. animat, & conservat vitam illius; ubi autem utraq; illa abest, etiam corpus resolvitur & Resp. *Eccles.c.10.* Propter injustitiam regna transferuntur, & crescentibus improbis crescit defectio, *Prov.c.29.10.* Vide Melch. Jun. *part.3.fol. quæst.105.106.107.* & infrà *c.29.*

11 Potestas puniendi delinquentes pro ratione delicti & circumstantiarum illius competit in hominis malefacientis vitam, corpus, famam, vel bona.

Hestæ cap.7.26. Nam præter hæc homo non habet, quæ ipsi adimi, vel lædi possint. Vasq. *lib.1. cap.11. per tot. illust. cont.*

Vide *Deut.cap.13.8.cap.19.13. Rom.c.13. Johan.cap.19. 10.11. Dan.cap.2.5.12.* Pet. Mart. *1.Reg.c.20.* Danæ. *lib.6.polit. c.3.* Pet. Gregor. *lib.9.c.1. de Repub.* De pœna verò vitæ, corporis, famæ, vel bonorum, exempla varia scriptura & *tit.de pœnis*, suppeditat. Hoc jus ad regalia pertinere, affirmat Cravetta *consil.128. per tot.* Roland. *consil.42: vol.2.* Publicè autem utile esse consociationi humanæ, delinquentes puniri constat, *l.ita vulneratus. ad l. Aquil.* Nam primò delinquens pœnâ illatâ corrigitur, & ad meliorem frugem perducitur, *1.Cor.c.5.5.* Deinde læso damnum illatum resarcitur pœnâ illatâ, ne ipse ad injuriæ vindictam rapiatur. Unde pœnæ dicuntur improborum fræna, flagella, proborum verò custodiæ & propugnacula. Tertiò aliorum quoq; causâ imponitur pœna, ut nimirum exemplo & metu pœnæ cæteri à peccatis abducantur & deterreantur, *Deut.cap.13.11. 1.Timoth.cap.2.2.c.5.19.20. 1.Corinth.c 10.6. & c.5. Rom.c.13.4.* atque ita socialis vita non turbetur, neque noxii alios inficiant, & ob metum delinquendi cupiditas coërceatur: qua de re latissimè dixi in Dicæolog. *cap. de pœn.* Nam ut fulmina paucorum periculo cadunt & omnium metu, ita pœnæ terrent latiùs, quàm nocent. Metus enim ad omnes eidem delicto obnoxios, pœna ad unum venit. Unde pœnæ dicuntur remedia, quibus morbi Reipub. profligantur & curantur. Quartò, pœna consistens in mulcta, bonorumve publicatione & ademptione, in regni usum convertitur. Gregor. *lib.9.c.1.n.32. de Repub.* Cùm enim per delictum Resp. lædatur, æquum est, ut etiam pœna illi applicetur, quæ ex maleficio contrahitur, *l.4.ex maleficio. de oblig.* Unde constat, ad pacem, disciplinam & tranquillitatem publicam in regno & Republ. conservandam, pœnarum irrogationem pertinere. Nam impunitas peccandi magna est illecebra, injuriæ & insolentiæ mater, radix impudentiæ, peccatorum nutrix, & licentia, quâ omnes deteriores redduntur. Deniq; pœnæ luitione ira Dei mitigatur, *Num.cap.25.7.8. Jos.cap.7. 26. 1.Sam. c.4. Jon. c.1.* & benedictionem ejusdem consequimur, *Deut.cap.19.13.* ibi; Tolles reatum, ut bene sit tibi. *Exod.cap.32.29.* ibi: Et daturus vobis Deus benedictionem. *Num.c.25.12.13. 1.Reg.c.2. 2.Reg.c.10.30. 2.Chron.c.19.3. Jer. cap.5.25.* Et justus unus est multis improbis præstantior:

Sirac.c.16.4.5. cujus causâ sæpè toti Reip. bene est, *Gen.c.18. 26.& seqq. Act.c.27.24. Esa.c.6.13.* ubi Piscator. *Prov.c.11.1. Jerem.c.5.1.*

De jure vitæ & necis in delinquentes competente, etiam extat apud *Joh.c.19.10.& seqq. Rom.c.13. Dan.c.2.5.12. Prov. c.16.14. Deut.c.13. Lev.c.18.& 20.* & passim alibi. De jure castigandi, fustigandi, aliisque corporalibus pœnis puniendi, pro maleficii quantitate & qualitate judicandum est: uti latiùs docent JCti. De pœna infamiæ, de confiscatione & publicatione bonorum, & mulctę irrogatione, similiter in libris JCtorum. Vide infrà *c.37.n.114.15.16.*

12 Huic potestati puniendi è regione respondet jus præmii conferendi. Nam ut pœna homines à vitiis deterret, *Rom.cap.13.3.4.5.6.* sic præmium virtutis & benefactorum amorem eorundem excitat, fovet & conservat.

Rom.c.2.6.7.10. 2.Sam.c.5.8. 1.Chron.c.11.6. Judic.cap.1. 12.13. Et sic æquum est, ut qui seminavit iniquitatem, molestiam metat, *Prov.cap.22.8. 2.Thess.c.1.6. Roman.c.2.6.7.* Contrà non iniquum erit, ut qui virtuti & honestati studuit, suorum benefactorum præmium & gloriam ferat. *Roman. d.c.13.1.2.3.4.c.3.6.7. Prov.c.11.18.21. Ezech.c.18.23. Heb. c.6.10. Deut.c.28. Psal.101.* Sed de lege hac plura suo loco inf. *c.21.c.29.c.37.*

CAPUT XI.

De majestatis jure speciali.

1 *Speciale majestatis secularis jus quid.*
2 *Requisita hujus.*
3 *Species ejusdem.*
4 *Prior species & ejus subjecta.*
5 *Commerciorum usus liber.*
6 *Quid sint commercia illa & illorum utilitas.*
7 *Commerciorum utilitas & necessitas.*
8 *Subjectum commerciorum.*

9 *Adqui-*

9 *Adquisitio dominii quid.*
10 *Adquisitio obligationis quid.*
11 *Contrahentium facta unde obligatio oritur.*
12 *Conservatio juris adquisiti.*
13 *Jus monetæ cudendæ.*
14 *Necessitas numi & rerum pretia.*
15 *Jus ponderum, mensurarum, trutinarum, ulnarum.*
16 *Jus linguæ præscribendæ.*
17 *Jus munerum constituendorum.*
18 *Munus quid.*
19 *Quid observandum in muneris impositione.*
20 *Munera realia & personalia.*
21 *Munerum utilitas & necessitas.*
22 *Sensus cap.8.1.Sam.& num.37.*
23 *Realia munera quid.*
24 *Requisita collationis.*
25 *Causa collationis.*
26 *Impedientia collationem.*
27 *Ex quibus rebus collatio facienda.*
28 *Quantum conferendum.*
29 *Ex his quæ juris publici.*
30 *Ex rebus minus necessariis.*
31 *Professio collationis.*
32 *Descriptio ejusq; forma & requisita.*
33 *Adaratio collationis.*
34 *Adarationi inservientia.*
35 *Æqualitas in taxatione quomodo observanda.*
36 *Discussor.*
37 *Modus collationis quis.*
38 *Quæ collationes invisæ.*
39 *Levis collatio quænam.*

DE jure regni, seu majestatis seculari generali hucusque, sequitur de speciali.

Speciale jus majestatis seculare est, quod ad succurrendum indigentiæ & necessitati universorum symbioticorum, & ad promovenda eorundem cõmoda, & ad avertenda incõmoda, singularia media ostendit & præscribit. 1

Nam, ut membrum corporis quodvis ad suum munus, & tamē omnia & singula membra ad unum finem, nempe ad conservationē totius corporis cōstituta & creata sunt: ita nostrūm quilibet ordinatus est ad propriam & singularem vitæ rationē, sed tamen omnes ad Dei gloriam & proximi salutē.

2 Speciale hoc jus debet esse æquum, bonum, utile, loco, tempori, atq; personis adcommodatū, uti diximus cap. præcedente, §. aliæ. Unde civile & proprium cujusq; politiæ dicitur. *l. 6. de just. & jur.*

Speciale hoc jus est duplex: Prius, & posterius.

3 Prius est, quod ordini ad necessitatē victus quærendi destinato inservit, & docet rationem communicandi commoda, & sustinendi onera in iis, quæ ad victum atq; subsidia ad eum necessaria subministranda, in consociatione universāli sunt comparata.

4 Prius hoc regni speciale jus consistit 1. in commerciis. 2. in moneta. 3. in linguæ dialecto. 4. in muneribus publicis regni. 5. in privilegiis & regalium concessione.

5 Primò itaque cura & jus commerciorum, contractuum & negotiationum publicarum terrestrium & nauticarum ordinandarum ad consociationem hanc universalem pertinent.

Harum ergo usus & exercitium liberum in territorio regni ex illius præscripto, permissione & legibus receptis pendet. Dicitur mercatus publicus.

Tessaur. *decis. 264. n. 2.* Menoch. *cons. 302.* Brisson. *select. antiq. c. 15. vid. tit. de nund. & tit. C. de commerc. & mercator. tit. C. de monopol. Genes. c. 34. 21. & seqq. c. 42. 34. 2. Chron. c. 9. 21. c. 1. 16. 1. Reg. c. 9. 26. 27. 28.*

6 Cōmercia ejusmodi sunt media, quibus illa, quibus egemus, ab aliis justo titulo & causâ consequi, & illa, quibus abundamus, cum aliis permutare possumus.

mus. Atque ita utile quoddam & necessarium humanæ inopiæ sublevandæ sunt subsidium, quo importantur necessaria in regionem regnúmve nostrum, & superflua exportantur nostro commodo. Medium quoque familiaritatis, & conjunctionis cum exteris contrahendæ, & rerum magnarum experientiæ comparandæ, commerciorum exercitium est.

Sine commerciis igitur commodè in hac sociali vita vivere non possumus. Sunt enim multa quibus in illa egemus, & sine quibus commodè nemo vivere potest: multa quoque quibus bono nostro, imò nec magno incommodo nostro carere possumus: & sicut corpus humanum salvum esse non potest sine mutua officiorum communicatione à membris facta, sic neque corpus Reipub. sine commerciis. Necessitas igitur & utilitas vitæ hujus permutationum modum & rationem excogitavit, quibus alteri possis dare & communicare id, quo ille eget, & carere sine incommodo, uti tu, non potest; & contrà ab eo accipere quod tibi utile vel necessarium. Bod. *lib. 3. de Rep. c. 8.* Aristot. *lib. 6. c. 4.* Simanca *de Rep. lib. 9. c. 28.* Occasione commerciorum, pax & concordia etiam inter vicinos conciliatur, *2. Chron. c. 2. c. 19. Act. c. 12. 20.* ibi, Pacem petebant, eò quòd aleretur regio ipsorum ex regis agro. 7

Hoc commerciorum jus consistit in adquirendis, amittendis & conservandis rebus ad vitam socialem utilibus, vel necessariis, *l. ult. de legib.* 8

Adquisitio verò hæc amissio & alienatio est, vel dominii, vel obligationis alicujus.

Dominii est, quâ jus aliquod in re, quoad commoda adquirenda, & incommoda illius sustinenda constituitur, vel amittitur, quod ex variis hominis factis fieri potest, nimirum rei apprehensione justâ licitáve, traditione, usucapione, successione testamentariâ, vel ab intestato & aliis, de quib. latè JCti. 9

Obligationis adquisitio vel amissio est, quâ 10

ex factis duorum, vel plurium contrahentium, oritur necessitas ad quid dandum, vel faciendum.

11 Contrahentium facta, sunt conventiones, vel maleficia. Conventiones variæ sunt, nimirum mutuum, commodatum, depositum, pignus, verborum stipulatio, emptio, venditio, locatio, conductio, mandatum, societas, aditio hæreditatis, negotiorum alienorum gestio, transactio, pactum de non petendo, acceptilatio, novatio, & id genus conventiones & contractus plures, *de quibus ex professo agunt ℐCti.* Maleficia sunt facta illicita, circa adquisitionem dominii vel obligationis commissa, *De quibus ℐCtus in libris juris. & infr. c. 32.*

12 Conservatio utriusque hujus juris dominii & obligationis consistit in judiciis & actionibus legitimis: *de quibus ℐCti.*

1 Jus alterum est monetæ, seu jus numismatis percutiendi & signandi, quod populi, seu regni approbatione per summum illius magistratum in materia publicè electa constituitur. *1. Mach. cap. 15. 5. 6. 7.* cum certo pondere, *Genes. cap. 23.* charactere & formâ publicâ, magistratus & regionis inscriptione & imagine, *Matth. c. 22. 17. 18. 20.* valore quoque & functione decreta adsignata, quibus hoc modo hominum commerciis & necessitati subveniatur.

Pet. Greg. *lib. 36. c. 2. Syntag. & lib. 9. c. 1. n. 31. de Rep.* Bodin. *li. 1. c. ult.* vid. *tit. C. de vet. nū. potest. lib. 11. l. 1. de contr. empt. & vend.* Nam si auri, argenti & monetæ inter homines & vicinos populos certa æstimatio non est, usus commerciorum
14 retineri non potest. Siquidem incertum monetæ publicæ pretium, omnia perturbat, ac difficilem cum aliis populis conversationem & cōmercia efficit, *arg. Genes. c. 23. 16.* Unde numus, mensura rerum commutandarum seu commerciorum,

rum, instrumentum & mediū dicitur. Et pretia rerum communiter statuuntur ex indigentia & necessitate, nec non ex illarum abundantia & penuria, aut ex labore & sumptibus in negotiationibus factis.

Eadem ferè est ratio ponderum, mensurarum, 15
modiorum, ulnarum, trutinarum, mensurarum, quorum similiter certam esse quantitatem necesse est ob commercia. *Deut. c. 25. 13. 14. 15.*

Jus tertium est linguæ & idiomatis cujusdam 16
in territorio introducendi.

Arg. Judic. c. 12. 5. 6. Mat. c. 26. 73. Act. c. 2. 6. & seqq. Marc. c. 14. 70. 1. Cor. c. 14. 11. Esd. c. 17. 23. & seqq. 2. Reg. c. 18. Bodin. *li. 1. c. ult. in fin. de Rep. Esth. c. 3. 12.* Pet. Greg. *de Rep. lib. 15. c. 3. & seqq.* Adeò verò sermonis usus in sociali vita hominib⁹ est necessarius, ut sine hoc nulla vitæ societas consistere possit, & nulla communio juris. Ideò sermonem, societatem humanam magna ex parte peperisse & conciliasse, quidam tradiderunt. Vid. Cicer. *lib. 1. offic.* & Arist. *lib. 2. polit.* Nam variorum ac diversorum, separatorumque regnorum in orbe terrarum constituendorum causa non ultima fuit, linguarum inter homines diversitas, & primi idiomatis confusio, *Genes. c. 11. 7. 8.* Ex diversitate etiam linguarum homines & cives cujusque politiæ, tanquam notâ quadam, agnoscuntur, *Jud. c. 12. 6. Marc. c. 14. 70.* ibi, Etenim Galilæus es, & locutio tua similis est. *Act. 2. 6.* ibi, Multitudo conturbata fuit, quòd audiret unusquisque suâ propriâ linguâ ipsos loquentes. Quāvis quandoque nationes & provinciæ variarum & diversarum linguarum in una Rep. sunt, *Esth. c. 3. 12. & seqq. Daniel. c. 3. c. 6.* Vid. Cæl. Rhodig. *lib. 22. c. 17.* Greg. *d. lib. 15. c. 3. c. 4. de Rep. infr. c. 32. n. 32. 33.*

Quartum jus est cura & potestas munerū admit- 17
tendorum & distribuendorum, quæ ab universali consociatione pendet.

Munus est officium impositum, quod civis, seu 18
municeps in regni territorio, ad utilitatem consociati corporis, ejusdem consensu vel permissione gerit.

Dicitur Varr. *lib.4. de latin. ling.* quòd muniendi causâ imperatum sit, à quo municipes, qui sunt munerum participes, uti sunt cives, *l.1. ad municip. l.228. municipes. de verb. signif.*

19 In distributione & impositione muneris, justitia distributiva servat convenientiam & analogiam personarum & munerum.

In personis considerat earundem facultates & vires, an injuncto muneri sufficere possint. In muneribus considerat formam & legem, secundùm quam quis muneribus fungi debet, *de quibus exactè JCti.*

20 Munera verò ejusmodi sunt duplicia: Realia, vel personalia. Duplex enim necessitas civi imponitur, scilicet rerum conferendarum ad utilitatem Reipub. vel operarum, ex quibus subsidia Remp. rectè administrandi & conservandi, pendent, quibusque publicæ necessitati & utilitati consulitur. Ex his enim subsidia & auxilia præstantur Reipub. & hæc in communem salutem impenduntur, sine quibus universalis consociatio aliâs interitura esset.

Unde ærarium dicitur nervus Reipub. & rerum bene gerendarum, asylum necessitatis, solatium indigentiæ, instrumentum virtutis, ornamentum pacis, subsidium belli, terror
21 hostium. Multa siquidem negotia præclara, absque pecuniæ infeliciter succedunt: & ob defectum præsentis pecuniæ, vel auxilii & subsidii, aut ob paupertatem & inopiam, à ditioribus Resp. facilè, vel armis, vel donis, inescatur, subjicitur vel vincitur. Ut igitur vita salusque Reip. imò omnia Reip. bona sarta tecta conserventur, erogationes Reip. nomine necessariò faciendæ, & ministeria & operæ civium & auxilia adhibenda sunt. Vid. Novel. 8. quæ inevitabilem necessitatem & præstationem vocat. & Novell. *161.* ad Reipub. conservationem necessariam. Vid. Bod. *lib.6. c.2. de arar.* Greg. *lib.*

lib.3. c.1. Aret. *tom.2. prob. loc.155.* Resp. n. instar navis æstimanda est, quæ omnium manibus, officio & bonis opus habet, ideoque in id incumbendum, non modò ne evertatur, sed ut in portum tutissimum sese recipiat: omnia ac singulorum consilia, opes, actiones eò dirigendæ, ut Resp. non servetur solùm, verùm etiam indies feliciter augeatur. Patric. *de Regn. lib.1.* Clapmar. *lib.5. de arcan. Rerumpub. c.12.* Thomas dicit, principes tributa recipere, quasi stipendia sui ministerii. Laborant enim de pace & quiete servanda in commune bonum. *Rom. c.13.* Sicuti ergo negotiorum gestori vel administratori, sumptus & impensæ in re domini factæ restituuntur, ita & principi illæ debentur. Unde *Tolos. lib.3. c.22. n.10.* 22
de Rep. motus, dixit, *c.8. 1. Sam.* accipiendum etiã de non tyranno, quando utilitate & necessitate regni exigentibus, illis juribus utatur, quam sententiam nobilis. JCtus Waremund. ab Erenberg *in lib. de regni subsidiis & oneribus subditorum* prolixè defendit cum Philippo Melanchthone. *vide infra cap.38. in fine.*

Realia munera sunt, quæ rei imponuntur propter rem, & possessorem rei comitantur, seu quæ erogatione & collatione patrimonii geruntur, ita ut ex possessionibus suis, post earundem professionem & æstimationem, aliquid municeps præstet, quod in Reipub. usus convertitur. Losæus *de jure univers. part.3. cap.9.* Marc. *decis.803. vol.1.* Greg. *lib. 3. cap.1. & seqq. de Rep.* Danæ. *lib.3. c.3. politic.* Vocari potest contributio & erogatio patrimonialis, pro necessitate Reipub. indicta, quæ res comitatur. 23

Bona ex collatione hâc percepta, Reipub. nervus dicuntur.

l.1. §. in causa. de quæst. vid. Leon. Novel. 52. & Justinian. Novel. 149. & 161. c.2. Greg. *lib.3. c.2. per l.10. vectigalia. de vect. & commiss.*

Collationis hujus requisita primò sunt dispicienda, posteà species ejusdem.

Requisita collationis necessaria sunt quatuor:

I. Causa ejusdem. II. Quibus in rebus potissimùm indicatur. III. Professio illius & descriptio. IV. Adæratio.

25 Causa collationis est evidens Reipub. necessitas & utilitas. Heig. *quæst.18.nu.6.part.1.* Roland. à Valle *cons.1.n.62. & seq. vol.2.* Quæ verò sit talis necessitas & utilitas, latiùs exponit Rosenthal *de feud. c.5. conclus.76. & seq. & 79.* ut omnes incolæ & regnicolæ intelligant, necessitati esse parendum.

Cic.lib.2.offic. Da operâ, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Quæ enim Resp. aut regnum sine tributis? Nec enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt. Hæc ornamenta pacis sunt, & subsidia belli. Hæc nervos esse imperii, semper duxerunt sapientes. *Tac.lib.4.hist.* Negotia Reip. quorum procurator & administrator est magistratus, exequenda sunt: Pro quo administrationis & executionis labore, remuneratio & sumptus necessarii eidem magistratui debentur, ut hæc negotia Reip. gerere & procurare sufficiat. Extra has duas causas, necessitatem Reip. & magistratus indigentiam & dignitatem, si quid superior exigit, fit & dicitur hirudo populi, lupus rapax, homicida pauperum & harpyia, atque ex populi lachrymis impinguatur. Absit igitur luxus, copia & abusus, atque privata habendi libido, quæ Rempub. veluti tabes occupat. Unde exterioribus membris Reip. tanquam corporis proprii exhaustis, tandem ventriculus sibi exitium & interitum adferat necesse est, sicut liene, cui fiscus comparari solet, intumescente, totum corpus languidum & morbosum redditur. Bod. *lib.6.c.2.de Rep.* Greg. *lib.3.c.2. & c.9. de Rep.*

26 Quapropter minimè veniendum est ad collationem populi, quamdiu aliunde haberi possunt, quæ necessitati populi & Reipub. sufficere queunt. Roland. à Valle *cons.1.nu.51.53.57.62.63.64.67. vol.2.* Heig. *quæst.18.* Vasq. *illust.q.lib.1.c.6.n.4.c.7.n.3.cap.8.* *Natta cons.487.num.1.2. lib.3.* Schurpf. *cons.59.lib.1.* Losæus

Losæus *d.part.3.c.9.* Marc. *decis.803.vol.1.* Rosenthal. *d.loc.conclus.79.c.5.* Wesenb. *consil.45.num.15.* nimirum I. Ex bonis fiscalibus, seu regni. II. Ex mulctarum & publicatorum bonorum compendiis. III. Ex bonis ereptitiis, vel vacantibus. IV. Ex rebus bello adquisitis. V. Ex rebus & bonis ex amicorum largitionibus acceptis, vel à sociis fœderatis. Hæc enim omnia bona Reip. sunt, quorum administrationem populus magistratui suo concessit, *ut infrà suo loco dicetur.*

Observandum hîc, si ex rebus propriis collatio 27
est facienda, quibusnam è rebus potissimùm collatio exigi debeat? Nimirum primò ex his, quæ minus nocere pauperibus possunt, non ex iis, quæ ad facilem victum pertinent.

Deinde ex eo, quod est minutum, non grave, 28
quod longo tempore sæpe collatum & recusum ærarium auget & conservat, ut tempore necessitatis paratum inveniatur, & à gravioribus novis collationibus relevet: vel ad majores usus sufficiens inveniatur, sine gravamine & oppressione pauperum, *Greg.lib.3.c.9. de Rep.*

Tertiò, his, quæ publici juris sunt, multò tutiùs 29
onera imponi possunt, quàm privatorum bonis. Pet. Greg. *lib.3.c.4. de Rep.* nimirum agris publicis, viis regiis publicis, fluminibus navigalibus, portui territorii.

Quartò, rebus minùs necessariis, quibus non 30
utimur ad quotidianum victum, rectiùs & tutiùs collationis necessitas imponitur, uti poculis aureis, argenteis, adquisitioni nobilitatis, rebus titulo lucrativo adquisitis, & similibus.

De alimentis vectigalia non esse solvenda, probare videtur text. *in l.201. de verb. sign. l. univers. 5. C. de vectigal.* Coler. *lib.2.cap.7. num.58. de aliment. per l.22. C. de sacros. eccles.* Gregor. *lib.3.cap.6. de Repub.* Tributum, quod imponitur rebus ad quotidianum victum pertinentibus, grave dicitur. Hanc ob causam collatio Deo gratissima, civitati pulcherrima, magistratui honestissima, plebi utilissima illa censetur, quæ imponitur iis rebus, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, ad luxum, quæ ad libidinem spectant, uti sunt aurea argenteáve supellex, pigmenta, innumerabilia vestium ornamenta, colores pretiosissimi, gemmę, margaritæ, cupediæ, cæteraque ejus generis; quæ quidem prohibenda non sunt; nec, si velis, possis. Sic sapientissima lex Augusti fuit: Qui, ut effusas utriusque sexus libidines coërceret, leges de maritandis ordinibus tulit, quibus eos, qui post annum 25. uxorem non duxissent, aut duxissent quidem, sed liberos non procreavissent, hæreditatum, quas crevissent, & legatorum, quæ sibi relicta essent, partem caducam in fiscum inferre coëgit. Eos verò, qui liberos plures cæteris haberent, ab oneribus quibusdam immunes esse jussit. Leges caducarias postea alii sustulerunt, *l.1. C. de infirmand. pœn. cœlibat. l. unic. C. de caduc. tollend.* Sanè rerum venalium, quæ ad luxum, quæ ad libidinem, quæque ad pompam comparantur, utilissima & honestissima est collatio, sicuti & earum rerum, quæ ad corruptelam civium invehuntur. Rerum verò civibus utilium & necessariarum, quæ ad vitam commodiùs & honestiùs degendam & ad victum cultumque apportantur, nulla aut sanè levissima vectigalia esse debebunt: quo mercatores ad eas res majore copia advehendas alliciantur. Aromatum verò, pellium Indicarũ, ferarum, eunuchorum, vestium sericarum, & id genus aliarum rerum inanium, de quibus in *l. interdum. §. species. de publican. & vectig.* indicendæ sunt collationes.

Tertium requisitum collationis, est professio ejusdem & descriptio.

31 Professio collationis est, quâ patrimonii, & nominis conferentis atq; erogantis apud magistratũ Reip. fit testificatio & denuntiatio, *Luc.c.2.v.1.2.3.4.* De-

Descriptio est, quâ singularum personarum 32
conferentium, & rerum collatarum nomen, & collationis sive erogationis modus & forma, secundùm factam adærationem in tabulis publicis scribitur, *Luc.2.2.3.* ex qua descriptione etiam ætas, ordo, conditio & numerus civium, & Reipub. potentia colligi possit.

Forma itaque descriptionis & professionis censualis habet consignatum nomen prædii, sive bonorum civis in qua civitate pagóve sint illa sita, & quos duos vicinos, proximósve fundos, prædiáve habeat. Arvum quot jugerum sit, vinea quot vites habeat, olivetum quot jugera, & quot arbores habeat, & pascua quot jugera, quot lacus piscatorios, portus, salinas habeat; sylva cædua quantæ latitudinis sit: & sic in aliis. item quam summam pecuniæ, servorum, pecudúmve numerum habeat.

Ætatem quoque conferentium, domesticos, uxorem, liberos, parentes, libertos, famulos, & horum singulorum, ætatem, habitationem & fortunas profiteri necesse est; item, horum ordinem, statum, conditionem, & vitæ genus: summa, singulatim res suas testatas facere quilibet cogitur.

Adde *Num.c.1.2. & seqq. cap.26.c.3.39.40. Ex.c.30.11. & seqq.* Pet. Greg. *l.3.c.4. de Rep.n.9. & seqq. & c.5.* Bod. *l.6.c.1. de Rep.* Hoc modo fit, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; discrimina in tabulas referantur: atq; ita quantum urbes gentesq; singulæ, numero militum, quantum pecuniâ valeant, monumenta extent, & deniq; ut æqualiter quotq; annis, vel necessitate postulante tributa conferantur. Descriptio ergo ejusmodi ad plenam Reip. notitiam conducit, eamque singulis annis fieri consultum & utile, ideo quòd migrationes, mortes, opum augmenta, aut imminutiones accidere soleant.

33 Quartum requisitum collationis, est adæratio, quæ nihil aliud est, quàm taxatio, censura, & æstimatio patrimonii, facultatúmque conferentium, pro ratione, portione, & quantitate, quâ quis bona possidet: *2.Reg.cap.23.35. 2.Chron.9.13.c.27. Num. cap.35.8.9.* ut eâ ratione Resp. suas opes & vires non ignoret, & secundùm eas se metiri possit. *1.Reg.10. 14.15.22.28.* vocatur censura, *teste Festo in verbo Censores.* de qua Bod. *lib.6.c.1.de Rep.* Pet. Greg. *lib.3.c.4. de Repub.*

34 Adærationi & taxationi inserviunt peræquatores & inspectores, qui prædiis & bonis in tabulis censoriis descriptis invicem adæquatis, taxationem emendant & moderantur, ut releventur bona, quibus gravissimum onus est adscriptum, & graventur, quæ sunt censita & adærata leviùs.

L.14.l.15.& C.de erog.milit.lib.12.l.unic. C. de collat.de nat.poss.lib.10.tit.C.de cens.& censitor.& peræquat.l.11. Bod. *d.lib.6.c.1.* ubi utilitates censuræ refert. de quib. etiam Plut. *in Catone maj.* & Liv *lib.4.& alii.*

Quando de mobilibus collatio præstatur, æquum est, ut juramento conferentium taxatio & æstimatio harum rerum constituatur: *uti fit in Germania, & aliis in locis.*

35 In taxatione, moderatione & adęratione hac per gratiam neque divites relevari, & plures eximi, neque pauperes iniquâ peræquatione gravari debent. Nemo etiam onera imposita adærata gravare, aut non imposita exigere debet, aut pro alterius bonis adærari: *Nov.43.* Ex onere tributi etiam eximendus est, qui rem censualem non ampliùs possidet: *l.4.de censibus.*

Quemadmodum autem valentissima quæque corpo-

corporis humani membra putres ac defluentes humores ad imbecilliora rejiciunt, & cùm eò pervenerint, apostema aut exanthema, ingenti cum totius corporis dolore, erumpere necesse est: Sic & illis contingere necesse est, quando facer & patricius ordo, fortunis & opibus locuples, miseros aratores, & opifices omni tributorum genere urgeri & opprimi patitur, quousque plebs assiduis oneribus gravata succumbit: tunc onus in nobilium ordinem rejici oportet. Bod. *d.loc.*

In curiales transferri potest onus universitatis prædiorum, non partis. Qui fundos fertiles, opimos & quęstuosos occupant, pro rata etiam portione infœcundos & steriles ex iisdē bonis suscipere coguntur, & defectū impositę collationis supplere.

Græci vocant ἐπιβολὴν adæquationem, & bona eadem ὁμόδουλα & ὁμόχωρα. vid. Nov. *128.& 168.l.9.l.10. C.de omni agro deser.* ubi Cujac. De moderatione & adæquatione collationum Imperii vid. *c.23.§. contributionum, infr.*

Collectoribus collatorum bonorum præfectus 36
est discussor, hoc est, cognitor & disceptator rationum fiscalium, qui λογοθέτης Græcis dicitur, & Latinis Inspector, vel quæstor. *l. ult. C. de discuss.* ubi Cujac.

Modus adærationis & quantitas collationis est 37
arbitraria ex arbitrio magistratus pendens, qui rationem subditorum, regionis, temporis & necessitatis publicæ habere debet, ut ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruant.

Ergo modus ex his duobus metiendus est. Primò ex facultate subditi, secundò ex necessitate Reipub. seu regni.

Supra modum itaq; sine causa urgente & necessitate sum-

mâ flagitante, onerari & gravari in taxatione non debent cives, aut in imponendis, aut exigendis erogationibus urgeri: pluris enim magistratui subditorum opulentia esse debet quàm reditus. *Nov.161.c.2.l.1. C. vectig.nova inst.non possit.* Atq; si ita acceperis *c.8.1.Sam.* etiam ad pios reges adcommodari potest, uti doctè ostendit magnificus & nobilissimus JCtus Warem. de Erenberg *de subsid. regni & oner.subdit.* contra quorundam Theologorum & JC*torum* opinionem.

38 Deinde per nimias exactiones provinciæ redduntur desertæ, & subditi exhauriuntur, & superior olera radicitus exscindens, detestabilis, invisus atq; odiosus redditur populo, arg. *1.Reg.cap.12.* vid. Pet. Greg. *lib.3.c.9.de Rep.* planè intolerabilis & impia est exactio & collatio, quę ita excedit laboris fructum, ut rebus malint possessores ipsis cedere, quàm pro illis impositam & taxatam erogationem præstare, quæque omnem prorsus spem victus parandi possessori adimit.

Adde *Exod.cap.22.25. Mich.cap.10. Amos cap.2.cap.5. Job.cap.10. Habacuc cap.3. Mich.c.3.1.* Quapropter dico, Audite jam primores Jacobi, & ductores domus Israëlis, an non vestrum est scire ipsum jus? 2. Osores sunt boni, & amantes mali, rapientes cutem eorum ab eis, & carnem eorũ ab ossibus ipsorum. 3. Et quod comedunt, est caro populi mei; & cutem eorum ab eis nudant, ac ossa eorũ diffringunt dividúntq;, ut quod est in olla; & velut carnem, quę est in lebete. *Ezech.c.45.v.9.10.* Sic dixit Dominus Deus, modum tantùm ponite principes Israëlitici, removete violentiam & oppressionẽ, auferte exactiones vestras à populo meo. Laudabile exemplũ Nehemiæ extat *Neh.c.5.15.* ubi dicit, Se non gravare populũ, sicuti antecessores ipsius fecerant. *Job c.3.21. c.39.10. Zach.c.9.8.l.unica.C.de superexaction.* De quib. iniquis exactionibus se innocentem protestatur Moses & Samuel. Hoc modo, quod Reipub. ærarium erat, illius fit spoliarium, cruentarumque prædarum receptaculum. Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere. Odimus hortulanum

num, qui à radice olera exscindit, & eum, qui pennas ira incidit, ut nequeant renasci. Hinc qui nimis emungit, elicit sanguinem. Absint igitur, quantum fieri potest, illa extrema, ne boves ipsos, mox agros, postremò corpora servitio aut pœnæ tradant, qui rem auferunt cum pulvisculo, cùm tamen exactio ejusmodi debeat tantùm esse delibatio bonorum, non diminutio. Gravis quoq; est provincialibus exactorum crudelitas & rapacitas: qui sæpe pro modico debito tributario ære ingentes facultates subditorum prædantur, & ita eos spoliant bonis misèrè, vel vexationibus, carceribus & impendiis onerant. Quibus principes obsistere debet. Vid. *Exod.c.22.25. Job c.3.21. Es.c.3.1.2. Luc.c.12.58. Nehem.cap.5. l. nemo. 2. de exact. tribut. lib.10. tit. C. de superexact. lib.10.*

Levis contrà collatio censetur illa, qua quis annuatim confert tantum, quantum uno die cum familia in victu consumere solet. Levis etiam censetur, quæ paulatim per partes fit, distinctis & diversis temporibus; quod valde tenuiores sublevat. Levis denique & illa censetur, quæ à benignis, humanis & æquis exactoribus exigitur, secundùm *l.33. bene de usur.* 39

CAPUT XII.

De collatione regni ordinaria.

SUMMARIA.

1 *Species collationis quæ.*
2 *Ordinaria collatio quæ.*
3 *Variæ collationum appellationes.*
4 *Ex quibus rebus ordinariæ collationes præstantur.*
5 *Primi generis collecta quanam.*
6 *Hæc obligat etiam forenses.*
7 *Canon frumentarius.*
8 *Canon metallicus.*

9 *Posterioris generis collatio ordinaria.*
10 *Pensiones pecuniariæ.*
11 *Ærario præfecti.*
12 *Thesauros cogere & reponere licet ad futuras necessitates.*
13 *Tributum quid, & unde dictum.*
14 *Romanorum collationes.*
15 *Salomonis contributiones.*
16 *Vectigal quid, & ejus ratio.* (gium.
17 *Ob quas causas solvatur vectigal isagogicum, vel exage-*
18 *Contributiones apud Romanos usitatæ.*
19 *In quibusdam regnis usitata pensitatio.*
20 *Hodie usitatus canon.*
21 Nachstewr.
22 *Indictiones.*

TAntum de requisitis collationis. Sequitur de speciebus ejusdem.

1 Species igitur collationis sunt duæ. Est enim quædam ordinaria, quædam extraordinaria.

2 Ordinaria est, quæ ex legis provisione certam quotannis semel vel sæpius etiam recurrentem & regularem habet præstationem, in ordinarios & quotidianos Reipub. usus & negotia impendendam ex bonis, quæ regnicola & possessor in territorio magistratus collectantis possidet. *l. fin. C. sine cens. & reliquis.* vid. Aret. *tom.2.loc.155.probl. Roman. cap.13.17.* Pet. Greg. *lib.3.c.2.de Rep.* Geil. *lib.2.obs.52. ex arbitrio Reip. vel consuetudine putat statuendum, an ordinaria vel extraordinaria sic contributio*, Rosenthal. *lib.1.c.5. concl.72. de feud.* Indictionem ideò vocant, quòd possessionibus, non personis indicta sit, item tributiones, intributiones, possessionum onera, munera rei cohærentia, functiones, necessitates statutas, annuam exactionem, publicam & fiscalem pensitationem; Cicero collectã vocat. Rosenthal. *d.c.72.* dissentit. Præ-

Præstantur hæ collationes ordinariæ, vel ex rebus, quæ nobis ex possessionibus & bonis nostris, in territorio collectantis magistratus sitis, proveniunt, aut loco pensionis de rebus non nascentibus in bonis. 4

Prioris generis collatio ordinaria est, quando quis ex fundo quem habet, magistratui annuatim tenetur dare certam & immutabilem pensionem, nimirum aliquot modios frumenti, aut dolia vini, vel quantitatem metalli, quod in prædio nasci consuevit, aut annonam, veluti panem, carnes, frumentum, ligna, métallum, lapides, sulphur, sales, margaritas & ejusmodi alia, quæ terra, seu prædium præstat, secundùm mensuram & quantitatem fundi, vel conventionem. 5

Arg. *1.Sam.c.8.11. & seqq.* Boter. *lib.7.c.4.* Tales erant fructuum primitiæ apud Judæos, *2.Chron.c.31.4.5.6. & seqq. Num.c.18.c.28.*

Ejusmodi præstatio & collatio etiam extraneis & forensibus civibus, qui prædia in territorio Reipub. possident, imponitur, licet censitoribus subjecti non sint. 6

Geil. *lib.2.obs.52. & seqq.* Planè in extraordinaria collatione, forenses collectari non possunt de suis possessionibus, nisi in proprio territorio, in quo etiam de bonis alibi sitis, collectari possunt. Rosenth. *lib.1.de feud.c.5.q.80.* Cacherã. *decis. Pedem.95.n.46.* Geil. *lib.2.obs.52. & seqq.* Mynsi. *cent.5.obs.22.*

Bona ex quib. olim apud Romanos talis collatio fiebat, vocabantur prædia tributaria, stipendiaria, vectigalia, prædia civilia, fiscalia, fundi emphyteutici, saltuenses, quales & apud Ægyptios fuisse, apparet *Gen.c.47.24. & seqq.* vid. *tit.C. de locat.præd.civil.lib.11.tit. C. de fundo patrim.tit.C. de collat. fund.patrim.* Cujac. *lib.7.obs.3. & 4.*

Pensio canónve frumẽtarius ex tritico, hordeo aliisq; fruméti generib. deferebatur in horrea Reip. 7

Tit.C.de canon.frum.urb.Roma.& tit.sequentib.lib.11.tit. C. de fund. patrim. & saltuens. Exempla hujus collationis vide *Deut.c.14.22.23.c.26.2.3.& seqq.Num.c.18.13. & seqq. Levit.c.27.30.& seqq.2.Chronic.c.31.11.12.13.14.1.Reg.c.10.*

8 Pensio ex metallifodinis præstanda, vocatur canon metallicus, auri, argenti, æris, ferri, ex loco, seu prædio, in quo effoditur ejusmodi materia, vel proventus lapicidinarum, *l.13.vendito.§.si venditor. commum.prædior.* salis vel marmoris.

Vid. *tit. C. de metal.& metal.lib.11. & Dd.in c.unico.qua sunt regal.in usib. feud.* Reditus rectè vocári potest.

9 Posterioris generis collatio ordinaria est, quam quis annuatim in numerata pecunia, aut aliis rebus mobilibus, pro æstimatione patrimonii & bonorum suorum, in recognitionem universalis territorii & dominii, quod ad Remp. pertinet, præstat. Vocatur hæc census & æstimatio patrimonii, quæ non nisi civibus & regnicolis in territorio regni imponi potest, atque augeri & minui pro quantitate & qualitate bonorum & patrimonii, ex quo datur.

Exempla hujus videre licet *Genes.cap.47.1.Reg.c.10.14. 2.Chron.9.13.c.27.Exod.c.30.Deut.c.26.*

10 Pensiones pecuniariæ & auratiæ referebantur in ærarium Reipub.

Tit.C.*de metallar.& metall.* Greg.Tolosan.*lib.3.c.3.de Repub.* cujusmodi & Judæos habuisse constat, *2.Chron.cap. 24.6. & seqq. 1.Reg.c.7.51.c.14.25. 2.Reg.c.12.18.11.c.14.14. c.24.13, 1.Chron.c.9.26.20. & seqq. Josu.c.6.24.* Bodin.*de Repub.c.2.lib.6.* Græci commune ærarium habebant in Delo: Macedones in oppido Quinta: Syracusani in Labdalo castro munito: Assyrii Susis: Cambyses in oppido Gaza: Babylonii, in Zeugnia urbe: Persæ in ædibus montanis munitis deponebant suos thesauros.

Ærario præficiuntur ponderatores & examinatores pecuniæ, numerarii, exactores & collectores, publicani, de quibus in *lib.12.Cod.* Reliquæ pensiones non pecuniariæ in horrea & ædes publicas referebantur, & ad usus publicos regni reservabantur. Exigit enim utilitas & necessitas Reipub. ex reditibus ordinariis thesauros cogere, & coactos repositosq; habere ad omnes Reipublicæ necessitates. Vide Pet.Greg.*lib.3.c.9.de Rep.* Bodin.*lib.c.2.de Rep.* Boter.*lib.7.c.3. 1.Chron.c.22.c.26.26.c.27.25. 1.Reg. c.14.26.c.7.51. 2.Reg.c.12.18. c.14.14.c.24.13. 1.Chron.c.9. 26.cap.26.20. & seqq. Esa.c.39.* arg.*l. si chorus 76. de legat.* non ad voluptatem regis & luxum, vel avaritiam. Ita accipe *Deut. c.17. in fine.* 11

Præcipuæ species collationis hujus sunt, tributum, salarium, vectigal & anomalę aliæ collationes, quarum præstatio inconstans & varia esse solet. 12

Tributum est pensio quædam in usum Reipub. præstanda, consistens in corporibus, veluti auro, argento, ære, equis, armis, vel vestibus. 13

Exempla hujus vide *Deut. cap. 20. 11. Jos.c.16.10.c.17.13. Judic.cap.1.28.33. Rom.c.13.6.7. Matth.c.22.21.c.17.27. Luc. c.2.1.2.3.4. Jos.c.7. 2.Reg.c.17. c.20.c.23.35.* Arist.*lib.1.polit. c.7.& lib.7.c.8.9.* & Aret.*tom.2.probl.loc.155.* Tributum ideo vocabatur apud Romanos, quòd à tribubus tributim hæc pecunia à singulis ex populo pro æstimatione patrimonii imperaretur: & attributum, quòd cuique certa pecunia adsignaretur præstanda, ut ait Varro; vel à tribuendo, quòd ex privato in publicum tribueretur: vel quòd militibus tribuebatur, *l.27.ager. de verb.sign.* Monter.*lib.un.decis.regni Aragon. decis.13.n.46. & seqq.* Cothman. *consil.11.* Gœdd. *in d.l. ager.* quos allegat Waremund.*d.c.3.de oneribus subdit.*

Apud Romanos olim classis prima majora quàm secunda, & hæc majora quàm tertia, quæ similiter majora quàm quarta, & ita deinceps, tributa præstabat, de qua re apud 14

Livium, Halicarn. Sigon. & alios scriptores Romanos. Greg. *lib. 3. c. 4.* Comnenus Imp. Orientis. *lib. 1. juris orientalis tit. Isaaci Comneni*, constituit ordinarium tributum pro vico, triginta fumibula habente, aureum unum, argenteos duos, arietem unum, hordei modios sex, vini mensuras sex, farinæ modios sex, gallinas triginta. Pro vico, qui 12. haberet fumibula, aurei bessem, argenteum, agnum dimidiatum, hordei modios quatuor, vini mensuras quatuor, gallinas viginti. Pro vico 10. fumibulorum argenteos quinq; , agnum unum, hordei modios duos, gallinas decem.

15 Summa census & tributi, quod annuatim Salomoni pendebatur, extat *1. Reg. c. 10. 14. & seqq. 2. Chron. cap. 9. 13. c. 27.* Variarum regionum annua tributa, eorumque quantitatem refert Greg. *lib. 3. c. 4. n. 13. & seqq. de Rep.* Salarium quotannis ab iis, qui in Reip. solo ædificarunt, præstatur, *tit. C. de diverſ. prædi. urb. & ruſtic. lib. 11. tit. 70.*

16 Vectigal propriè est id, quod ob invecta vel avecta, importata vel exportata, præstatur; sed largissimè est omne id, ex quo censum fiscus accipit: ut est vectigal portus, salinarum, metallorum, piscariorum, rerum venalium: imò omne id, quod non solùm Reipub. vel fisco ex fundis vectigalibus penditur, sed etiam quod ex rebus quæ væneunt, nimirum vino, oleo, frumento, sale, panno, ferro, cervisiâ, & pluribus aliis præstatur: *tot. tit. ſi ager vectigal. l. 1. de public. & vectig.*

1. Reg. c. 10. 15. 22. 28. Olim erat pars vigesima pretii, hodie plerunque octava, *l. 7. ex præſtatione. l. 8. C. de vectig. & commiſ.* quamvis ex consuetudine suam determinationem & quantitatem hodie accipiat, *l. pen. C. nov. vect. g. inſt. non poſſ. l. 4. §. 2. l. 9. §. 6. de vect. & commiſ.* Æquitas hujus collationis est, quòd in territorio nostro, & de nostris lucrum vel commodum adquiritur ab extraneo, qui exportat merces incolarum artificio, operâ, industriâ, laboréve paratas partásve, atq; rebus nostris res suas auget. Ideoque æquum est, ut solutione vectigalis hoc agnoscat, & gratum se præstet. Æquum etiâ est, ut extranei forenses nomine vectigalis plus pendant, quàm cives & incolæ. Rosenth. *c. 5. concl. 34. & 35.*

Solvitur

Solvitur quoq; vectigal ob res, sive merces provinciales, vel peregrinas importatas, vel exportatas ad peregrinos: unde etiam portorium, pedagium, quod vocant, vectigalia ripatica pro transitu riparum, & securitate itineris præstandâ. 17

Unde Germanis appellationes Brückengelt/ Stege vnd Wegegelt: & duplex vectigal, nauticũ vel vectorium: Nauticum ex re nauticâ, sive ex mercibus, quę aquâ advehuntur; Percipitur vectorium ex iis, quæ terrâ advehuntur. Vectigal pro invectis; Isagogicum pro evectis, exagogicum dicitur.

Sunt & plures aliæ species collationis hujus, quæ olim in usu fuerunt, & hodie apud quosdam receptæ.

Apud Romanos olim erat recepta collatio auri vicesimarii, quod ex vicesimis rerum exigebatur, ad ultimos casus & postremam populi Romani fortunam. Lex Julia de vicesima hæreditatum etiam fuit ab Augusto lata, ærarii locupletandi causâ, quam vicesimam hæredes extranei, vel legatarii non inopes pendebant fisco ex hæreditatibus, legatis vel donationibus sibi in testamentis relictis. Manumissi quoque vicesimam suarum fortunarum ærario solvebant: Livius *lib. 2.* Halicarnas. *lib. 5.* Bodin. *lib. 6. c. 2. in fin. de Rep.* vide *tit. C. de imponen. lucrativ. deſcriptione.* Greg. *lib. 3. c. 6. de Repub.* de utrâque vicesimâ vide in Schardii, Hotomanni & aliorum lexicis sub litera V, voce *Vicesima.* 18

Aurum quoque lustrale singulis lustris apud Romanos pendebatur, *tit. C. de luſtrali auri collat.* ubi Cujac. qui & coronarium aurum, quasi tributum ordinarium acceperunt, *tit. C. de auro coronar.* item χρυσάργυρον, id est, auti argenteum, ex auro falsificato, quod meritò improbatur, sicuti & tributum quod ex lotio, itemq; ex mercede meretricum, vel ex aliis sordibus penditur. Arg. *Deut. c. 23. 18. lib. 3. c. 6.* Bodin. *lib. 6. c. 2. in fin.*

Erat & tributum, quod quilibet mēdicus, meretrix, quævis repudiata, servus, libertúsve ærario pendebat, atq; etiam de mulo, de fimo, jumentis & canibus in urbe vel rure degentibus exigebatur. Homo, sive mas sive fœmina esset, numum argenteum pendebat, & tantundem bos, equus,

mulúsve: asinus autem & canis obolos sex. Gregor. *lib.3.c.3. num.9.* sed hoc extraordinarium rectiùs dicitur.

Erat quoque apud Romanos cloacarium, *l.7. & seqq. C. de aquæd. & exhibitio Majumæ. tot.tit. C. de Majum. lib.11.tit.60.* Item collatio specierum annonariarum, & erogatio militaris annonæ, *tit. C.de erog.milit.anno. lib.12. & tit. C.de annon.& tribut. tit. C.de excoct. & translat.milit. anno.& seqq.* Erat & canon ex sacris largitionib. *tit. C.de canon.largit.* Fiebat etiam ordinaria collatio ad spectacula ludorum & certaminum apud Romanos, *tit. C.de expens. publ.lud.lib.11.tit.C.de spectac.& scen.* item ad aquæductum purgandum, reficiendum & conservandum, *tit.C.de aquæduct.*

Erat & vectigal judiciarium olim apud Romanos, sicuti & hodie apud Gallos, quod exponere cogitur is, qui alteri litem intendit, quòd ab illo quem judicio superasset, recuperaturus erat, aut suæ temeritatis, si vinceretur, justam pœnam laturus. Vide Bodin. *lib.6.c.2. de Rep.* Varro *de latin.ling.* & Festum Pompeium.

19 In quibusdam regnis hodie alius canon competens ex molendinis, clibanis seu furnis, aut torcularibus receptus est, qui crescit & minuitur pro quantitate eorum, quæ moluntur, coquuntur aut premuntur. Petrus Gregor. *lib.3.c.2. num.14.de Republ.* item quæ jure dominii, pro modulo viventium, residentium aut colentium, rediguntur in jura dominicalia, aut ex laudemiis & venditionibus prædiorum, aut aliorum bonorum, quæ sub censu tenentur à principe. Quædam etiam debentur superiori pro feudorum transmutatione à personâ in personam aliam. Plures modos & formas extorquendi & imponendi tributi, tradit Petrus Greg. *lib.3.de Repub.cap.6.* & Warem. de Erenb. *in tract. de regni subsid.& onerib.subdit.c.4.* ubi necessitate jubente subditos conferre sæpè testatur varias præstationes: 1. Fruchtgelt/ex fundis in avena, hordeo, siligine. 2. Weingelt/de vino vectigal. 3. Berggelt/ex metallifodinis. 4. Reichsteur: Geil. *lib.2.obs.53.* 5. Landsteur pro patrimonii æstimatione. *Exod. cap.30.* 6. Forstgelt / Soldatengelt/ Pfluggelt/ Triftgelt/ Mahlschwein/ Mastgelt/ Trancksteur/ & quis enumeret omnes & singulas rationes harpyjarum istarũ, quib. populũ eviscerant & exhauriunt. Romanus Jupiter ex lupanariis & lenonibus

lenonibus suis vectigal colligit, *arg.l.27.sed etsi.de petit.hæred.* Pro aëris usũ, pro umbra etiam vectigal exactum legimus. Cujac. *li.10,obs.c.7.* Clapmar. *lib.5.c.14.* item tributũ de fenestris, tegulis, de corporis vitiis, de cadaveribus defunctorum, ex mercatura honorum. Vide Warem. *d.loc.* & Alex. ab Alex. *gen.dier.c.10.lib.4.* Renat. Choppin. *de doman.regis. lib.1.c.9.* Scip. Amirat. *lib.3.ducurs.8.*

Hodie etiã receptũ est, ut subditus ratione territorii, ex quo discedit in aliud, superiori suo magistratui aliquid ex bonis, quæ in territorio vendit, vel alienat, det & contribuat, quæ solet esse decima pars pretii: Germani vocant die Nachsteur vnd Abzug. Geil. *lib.2.observ.* 20

In quibusdam locis etiam peregrinorum hæreditates & legata fisco cedunt in totum, vel pro patte, vel extraneis hæredibus legata, donationes ob mortis causam, vel hæreditates relictæ. Bodin. *lib.6.c.2.& lib.1.c.6.in fine fere.per l.1. C.de hæred.instit.l.1. §.2.de legat.3.l.quidã.de pœn.l.neq.§.1. de milit. test. l.1.§.pen. de iis quæ pro non script.habent.* quod videtur sublatum *l.omnes.C. commun. de succes.* quamvis à peregrino relictum civi, fisco non applicetur. Apud quosdam etiam mercatura munerum & honorum recepta. Bod. *lib.6.c.2de Rep.* Greg. *d.lib.3.c.6.* quæ meritò improbatur, sicuti & monopolium & mercatura quæstuosa magistratus. 21

Sæpè etiam necessitas Reipub. cogit ordinarios proventus augere, indictiones & superindictiones imponere, inprimis tum, quando ærarium est exhaustum. Vide Rosenthal *de regalib. concl. 44. cap.5.* de quare in capite sequenti. 22

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPUT XIII.

De collatione extraordinaria.

1 *Extraordinaria contributio quid.*
2 *Causæ hujus.*
3 *Fit ex bonis, quæ quis in regno possidet.*
4 *Collatio universalis fit de bonis, tam in, quàm extra locum domicilii.*
5 *Specialis verò non fit extra territorium collectantis.*
6 *Jugatio quid.*
7 *Collatio per as & libram.*
8 *Collatio Belgica de rebus consumendis.*
9 *Capitatio quid.*
10 *Capitatio hodie usitata.*
11 *Collecta per sortilegia publica.*
12 *Hospitatio quid.*
13 *Parasanga quid.*
14 *Perangaria quid.*
15 *Extraordinariarum collationum quantitas.*
16 *Collatio ex bonis ecclesiasticis quando licita.*

HÆc de ordinaria collatione: sequitur de extraordinaria.

1 Extraordinaria collatio, seu contributio, est, quę ærario, ordinariâ collatione constitutâ, exhausto, personis principaliter contemplatione rerum, quas possident, modò major, modò minor, indicitur & imponitur ob necessitatem publicam incidentem, ad tempus certum, donec necessitas illa cessaverit. *l.239.§. munus. de V. S. l.1. l.18. de mun. & honor. l.122. de reg. jur.* ideoque hæc collatio propriè commoda civium & incolarũ concernit, non prædia, neque forenses. Natta *cons. 157. n.5. vol.1.* Geil. *lib.2. obs.52.* Rosenthal *cap.5. conclus.81. part.1. de feud. & concl.73.* Gabriel. *lib. 6. conclus.2. per l. rescripto. §. fin. l. præterea. §. patrimoniorum. de muner.* Nam imponitur ratione jurisdictionis in personam, tum quòd forenses, nec honores, nec commoda loci percipiant. Natta *consil.160. num.78.*

Causæ

Causæ necessarię hujus contributionis & collectarũ esse possunt, bellum motũ, domini, seu magistratus captivi redẽtio, pacis confirmatio: Magistratus electi inauguratio, refectio & reparatio vel extructio, publicarũ munitionum, viarũ, fluminum, põtium, murorũ, profectio magistratus longinqua necessaria, & si quæ sunt aliæ clades, calamitates repentinæ, & publicæ necessitates incidentes, totam Rempub. concernentes, non bona & res privatorũ. Rosenthal *d.loc. concl.73. & seqq.* Vid. Pet. Greg. *lib.3. de Rep.* Geil. *lib.2. obs.52.* Paris. *cons.25. vol.1.* Pet. Frider. *lib.2. de mandat. c.44.* Aret. *tom.2. prob. loc.155.* & exempla: *1. Reg. c.9. 15. 2. Reg. c.12. 4. & seqq. c.22. 4. 5. 6. c.23. 33. 35. c.15. 19. 2. Chrõ. c.24. 5. & seqq. c.34. 8. 9. 10. 1. Chron. c.29. 2. & seqq. c.12. 38. 39. 40. cap.16. 6. 7. Luc. c.2. Matth. cap.6. 2. Sam. cap.17. 27. 28. 1. Chron. c.12. 39. 40. c.28.*

Ejusmodi extraordinaria collectatio & collatio 3
fit respectu bonorum, quæ regnicola possidet in territorio regni, seu Reipub. necessitate incidente laborantis. Geil. *lib.2. obs.52. num.13.* Hac quoq; collectatione subditi ratione domicilii collectantur de omnibus suis bonis, ubicunque etiam extra territorium collectantis, sitis. Geil. *lib.2. obs.53.* idque quasi per modum capitationis: ideo possessores bonorum à magistratu, in cujus territorio bona subditi censiti sunt, molestari non debent. Geil. *d. loc. n.2.3.* Forensibus verò contributio hæc imponi nõ potest, etiã de bonis in territorio censitorũ sitis. Gabriel *lib.6. conclus.2. tit. de jure immun.* Mynsi. *cent.5. obs.2.* Rosenthal. *concl.80. c.5.* Natta *cons.103. n.7.* Cacherã. *de eis. 95. num.46.* Geil. *obs.51. lib.2. per l. rescripto. §. fin. l. præterea. §. patrimoniorum. de munerib. l. cùm nec. C. de incolis.* nisi talis contributio ad forensium commodum spectaret. Rosenthal. *d.c.5. conclus.81.* Soares. *liter. C. num.135.* vel consuetudine receptum contrarium esset. Rosenth. *d.loc. conc.82.*

Geil. *dict. observat.52. num. 17.* vel ſtatuto loci illud præceptum, Mynſ.*cent.5.obſ.22.*Roſenthal *d.c. 82.* vel in librum æſtimi bona forenſia ſint inſcripta. Mynſ.& Roſenth.*d. loc.* vel per privilegium obtineat. Roſenth.& Geil.*d.loc.*

4 Quòd ſi is, qui imponit collationem, habet generalem, ſeu univerſalem jurisdictionem, tum nō ſolùm pro his, quæ poſſidet incola in loco domicilii, ſed etiam pro bonis in alieno territorio ſitis, collectari poteſt. Roſenthal *de feud.lib.1.c.5.concl.8.* Tiraquel. *de primogen.q.46.n.19.per l.reſcripto.§. fin.l. munerum.§.patrimoniorum.de mun.l.unic.C. de mulier.* ita tamen, ne in duobus locis quis collectam de iisdem bonis ſolvere cogatur. Tiraquel. *de nobil. c.20. n.170.*Mynſ.*reſponſ.1.n.1.& ſeqq.* Geil.*d.obſ.53.n.3.*

5 Quòd ſi verò contributio imponitur ab illo, qui ſpecialem, limitatam & inferiorem habet jurisdictionem, tum extra territorium collectantis non extenditur.

Freder. *de mandat. lib.2. c.45.num.8.*Cothman. *conſil.11.* Sed tamē forenſes hisce contributionibus gravantur, quando publica utilitas & neceſſitas id poſtulat. Weſenb.*conſ.27.* Geil. *lib.2.obſ.52.n.15.16.24.*Loſæ.*cap.9.n.28. part.3. de jure univerſ.*vel quando id conſuetudine, ſtatuto, vel privilegio receptum eſt. Teſſaur.*deciſ.257.& 149.* Roland. à Valle *conſ. 32.vol.1.*Maſcard.*concl.1180. num.12.* quamvis Roſenth.dubiret.

Eſt verò collatio ejusmodi jugatio, per æs & libram, capitatio, hoſpitatio, & quædam aliæ aliis atque aliis temporibus & locis collationes receptæ & approbatæ.

6 Jugatio eſt collatio & contributio extraordinaria, pro magnitudine, numero & qualitate poſſeſſionum & jugerum impoſita & indicta; ut qui plura prædia poſſidet & habet, plus conferat & contribuat ad publicas neceſſitates incidentes.

Novel.

Novel.17. Bodin.*lib.6.cap.2.de Rep.* de qua latiùs JCti, & Greg.*lib.3.c.3.de Rep.*

Per æs & libram contributio fit pro viribus patrimonii. Natta *conſ.215.vol.1.* Geil.*lib.2.obſ.5.n.16.* 7

Eſt etiam hodie nonnullis in locis, præſertim in Belgio, uſitata contributio impoſita quibusdam rebus, quæ indies diſtrahuntur, venduntur & emuntur, uti vino omnis generis, cereviſiæ cujuscunque generis, frumento ad molendum & comminuendum molendinis oblato, carnibus, beſtiis, aceto, ſali, lignis, ſmegmati, panno, veſtibus pretioſis, & ſimilibus rebus, quarum uſus & commercium eſt frequens & quotidianum. Talis contributio tam civibus & ſubditis, quàm extraneis forenſibus, quibusvis emptorib. in foro & territorio noſtro emētibus, comparantibúsve res illas, quibus certa contributio eſt impoſita, incumbit. 8

Utilis hæc & neceſſaria eſt, quoties ſemper, ſeu quotidie præſenti pecuniâ eſt opus: atque illos potiſſimùm gravat, qui in territorio noſtro, vel ſplendidè vivere, vel commerciis & rerum permutationibus & mercaturâ res ſuas augere volunt, ſive ſint ſubditi, ſive extranei forenſes.

Capitatio, quæ Græcis ἐπικεφάλαιον, eſt, quæ viritim in ſingula perſonarum capita, quæ numerantur, non inſpectâ patrimonii quantitate, conſtituitur. *l.ætatē.l.ult.de cenſ.* Vocatur etiā capitalis illatio. Vide de hac *tit.C.de capit.civ.eximend.lib.11.*Geil.*lib.16. c.18.*Apud Romanos ſervi, fœminæ & opifices in numero nō cenſebantur in capitatione facienda, ut probat Bodin.*lib.6. c.7.*ex Plutarch.in *Romulo*, & Flori *epitome.59.& 27.*Ex cæteris civibus, ſi quis incenſus relinquebatur, civitatem & libertatem amiſiſſe dicebatur, ut refert Ulpian. *in fragment.* Vid.Gell.*d.lib.16.c.10.*Bornit. *de æar.lib.6. c.2.* 9

Ejusmodi capitatio apud Judæos quoque recepta fuiſſe videtur, ut patet ex *Exod.cap.30.11. & ſeqq.* ubi Jun. *in verſ.12.* probat, extraordinariam fuiſſe hanc collectam.

2.Chron.c.24. 2.Reg.c.12.Neh.cap.10.32.12.& seqq. 1.Chron. c.28. Num.c.1.2.& seqq.c.26.c.3.34.40. in quibus colligitur triplex descriptio personarum per Deum indicta. Prima fuit omniũ summa, nempe universæ congregationis filiorũ Israël. Altera primogenitorum à mense uno & suprà. Tertia à viginti annis & supra masculorum ad militiam. Ex hac descriptione diversâ, sumpta quoq; diversa capitatio, vel tributum juxta capita, non habitâ ratione facultatum, à Deo impositum. Textus in *Exod. cap.30.11. & seqq.* ita habet: Quando tuleris, ait, summam filiorum Israël, juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. 13. Hoc autem dabit omnis qui transit in numeratos, dimidium sicli, prout est siclus sacer. Viginti obolorum est hic siclus, dimidium sicli, oblationem Jehovæ. 14. Quisquis transit in numeratos à nato viginti annos & suprà, dato oblationem Jehovæ. 15. Qui dives est, ne augeto, & qui tenuis est, ne diminuito de dimidio sicli, dando oblationem Jehovæ, ad expiandum animas vestras. 16. Accipiens autem pecuniam istam expiationum à filiis Israëlis, repones eam ad ministerium tentorii conventus, eritque pro filiis Israëlis in monumentum coram Jehova ad expiandum animas vestras. At pro primogenitis stirpis Leviticæ & aliorum filiorum Israëlis à mense uno & supra, alia facta est censura & capitatio, de qua *Num.cap.3.44. & seqq.* Aliâs Levitæ non numerabantur: *Num.cap.1.47.48.49.50. & cap.2.33.* Ex his omnibus etiam probabile est, fœminas apud Judæos censeri non consuevisse, siquidem nulla harum in locis prædictis mentio habetur, sed tantùm marium ab anno 20. *Num.c.1.c.26. Exod.c.30.11. & seqq.*

10 Hodie quandoque apud nos alia quædam capitatio usitata est, qua non tantùm libera hominum, seu civium capita, sed etiam servorum, imò & fœminarum, atque etiam bestiarum singularum censentur.

Verbi gratiâ, ut mas duos albos, fœmina unum pendati similiter, servus famulus: & pro equo, mulo, asino, bove, vacca, ovibus & aliis brutis, certa pecunia pendatur ab ipsorum domino. Vid. Pet. Greg. *lib.3.c.5. de Rep.* Hodie hujus loci etiam in Ger-

in Germania tributũ Turcicũ, Türckensteur / item Kreyssteur / Römerzug. Ex hoc sæpè plus commodi collectores, & territoriorum domini accipiunt, quàm subsidii contra Turcam Imperator. Atque hæc collecta aliquando Statibus Imperii imponitur, aliquando verò viritim & capitatim fuit imposita subditis Imperii. Vide Reichsabscheid *de anno 1494.1500.1542.1548.* Vid. *cap.33.infra.* In quibusdam locis 11
collectæ etiam fiunt per sortes, sive sortilegia publica, offentliche Lotereyen, in quibus lucrum quod capitur, ad res pias, vel communem utilitatem confertur.

Hospitatio est hospitii præbitio, supervenientibus militibus, vel aliis personis facta: 12

1.Chron.c.12.3.9.40. Vid. *tit. C. de met.2.Sam.c.17.27. & seqq.c.19.33.* In hac nomen hospitaturi postibus domus adscribitur, quod sub pœna falsi non delendum, *d.tit.C.de metat.* Epidemetica sunt pretia, quibus se cives redimunt ab onere hospitum recipiendorum. Vid Novel. *129.& 134.*

Parasangæ, hoc est, cursorum, vel equorum, vel 13
hominum stationes, certis locis dispositæ, semperque die & noctu paratæ & commodæ, hujus loci esse videntur.

Quas Postas vocant. Vid. *tit.C. de curs.pub. ang.& perangar lib.12. l.fin.C. de fabricens.lib.11.* ubi Cujac. Borcholt. *de feud.c.ult.n.84.* Menoch. *cas.229.arb.jud.*

Similiter angariæ & perangariæ, navium plau- 14
strorúm ve præstationes, armorum transvectio.

Dd. *in c.unic. quæ sunt regal.l.ult.§. patrimon. de mun.& honor.l.2.C. de præpos.sacro.cubic.lib.12.* Sixtin. *de regal.c.15.* Quò referri possunt hominum propriorum in Germaniæ quibusdam locis operæ & servitia, seu jus operarum. Vide Husan. *de prop.hom.c.6.* Waremund. *d.loc.c.4.* & liberorum hominũ, quatenus respectu rei possessæ, vel subjectionis debentur. Rosenthal. *c.5.conclus.70. per l.2.C. de quib.muner.vel præstat se nem.lib.10.* Debent v. subditi certas operas, ut scilicet tot diebus in mense, aut anno, operas cum personis præstent, fodiant, triturent, metant, ligna cædant &c. vel cũ plaustris, navibus, vel jumentis serviant. & tum quacunque ratione illæ operæ debentur, ultra solitum gravari nullo modo

debent. *l.1.l.2. C.ne ruſtic. ad obſeq.lib.11.l.1. C.in quib.cauſ. colon.cenſ.domin.accuſ.poſſ.lib.11.* Roſenthal. *lib.1.c.5.concluſ. 71.num.3.* vel, inquam, debent incertas, quarum exactio magis ex arbitrio domini depẽdet, quæ ex arbitrio boni viri fieri debet, ne ſubditi ultra modum graventur, *d.text.* Geil. *lib. 2.obſ.62.num.12.13.* Roſenthal. *d. loc.num.4.* plures allegans. Non tamen cogendi ſubditi extra territorium aut locum conſuetum & habitationis, domini operas edere, vel longiùs evocandi. *per l. 21. operæ. de op. libert.* Roſenthal. *d. loc. num.5.* Neque novis, vel inſolitis ſervitiis & oneribus ſubditi à ſuo domino ſunt gravandi, vel priora augendi, Geil. *lib.1.obſerv. 17.num.3.* Vaſquius *illuſt.cont.lib. 1.c. 8.num. 16. & ſeqq. & c.37.num.82.*

15 Hodie domini territoriorum & magiſtratus à ſubditis ſuis collationes exigunt extraordinarias, ſed non ultra duplicationem cenſus annui ſibi debiti. Menoch. *caſ.178.lib.2.arb. judic. quæſt.* Boër. *quæſt. 133.* quod non damnãdum, modò id faciant ex probabili cauſa neceſſitatis, uti ex cauſa filiæ elocandæ, hoſtium propulſandorum, profectionis ultramarinæ, lytri præſtandi, vel alterius arbitrariæ cauſæ. Vid. Menoch. *d. lib. 2. caſ. 181. arb. judic. quæſt.* Boër. *d. loc.* Ferdin. Vaſq. *lib. 1. c. 7. qui filiæ dotandæ causâ collectionem non concedit.* Boër. *deciſ. 128. & ſeqq.* Roſenthal. *lib. 1. c. 5. concluſ. 74. de feud. & concluſ. 75. & ſeqq.* Epiſcopus quoq; ejusmodi collectas pro arbitrio judicis à ſuis ſubditis rectè exigit, juxta qualitatẽ annui reditus, expenſarumq; à ſe faciendarũ, quando ex propriis bonis non habet, quæ in hos uſus impendat. *Menoch. d. caſ. 178. & ſeqq.* Pet. Greg. *lib. 3. c. 6. de Rep.* Cauſas plures, ob quas ſubditos ſuos collectis gravare poſſit dominus, recenſet Roſenth. *concluſ. 76. & ſequentib. c. 5.*

16 In extrema neceſſitate ſubſidia etiam ex bonis

nis eccleſiaſticis ſumi poſſunt, ita nimirum, ut vel ex venditione horum pecunia conficiatur, vel ex eorundem fructibus & reditibus. Illud periculoſum, hoc verò tolerabilius & utilius.

Renatus Choppin. *de doman. reg. lib. 2.* Boter. *lib. 7. cap. 6.* illud exemplis regni Gallici & Hiſpanici probat: quibus & Belgarum exemplum addere licet. Modos conquirendæ pecuniæ varios in variis politiis uſitatos deſcribit Bornit. *de ærar. lib.* Tholoſ. *lib. 3. c. 6. de Rep.* ubi tẽpore neceſſitatis, vel ad ærarii exhauſti inopiam ſublevandam, quando ſubditi non poſſunt ſuppeditare, monopolium dicit licitum. Vide *infra c. 32.* Quin etiam extraordinaria contributio ex voluntate conferentium ordinaria & perpetua fieri poſſit, dubium non eſt. Roſenth. *concluſ. 73. n. 8.* Geil. *d. obſ. 53.*

CAPUT XIV.

De muneribus regni perſonalibus.

1 *Perſonalia munera quæ.*
2 *Horum utilitas & neceſſitas.*
3 *Species horum munerum perſonalium.*
4 *Miniſtri regni quinam.*
5 *Archivo regni præpoſitus cancellarius, libellorum ſupplicum magiſter, referendarius, ſecretarii & ſcribæ.*
6 *Conſiliarii regni, ordines, ſeu ſtatus regni.*
7 *Reditibus & bonis regni præpoſiti quæſtores, theſaurarii.*
8 *Rei militari præfectus Mareſchallus ejusq; miniſtri,*
9 *Imperii Germanici miniſtri ſunt Status illius, de quibus remiſſivè.*
10 *Summi magiſtratus miniſtri, Palatini conſiliarii, cancellarius, ſecretarius, quæſtores, theſaurarii & alii.*
11 *Qui olim Imperatoris miniſtri.*

DE regni muneribus realibus hucuſque, ſequitur de perſonalibus publicis muneribus regni.

Perſonalia munera publica regni, ſeu univerſalis conſociationis ſunt, quæ illi in adminiſtratione 1

publicorum regni negotiorum, labore & industriâ personæ, sub remuneratione debitâ, ad utilitatem & salutem communem corporum consociatorum præstantur. Negotiorum horum administratores, vocantur officiarii politiæ generales.

2. Personalia hæc munera publica regni cæteras privatas & publicas functiones singularum provinciarum dirigunt, gubernant & referunt ad salutem & utilitatem communem regni & omnium ejus membrorum, atque privatas & publicas functiones singulorum & universorum, toti universali consociationi utiles reddunt & salutares, vel saltem, ne illi noceant, impediunt.

Atque ut realia munera, res pecuniamque ad conservationem & defensionem universalis consociationis conferunt & communicant: sic personalia operas, auxilia, ministeria, consilia, industriam, laboresque communicant, quibus commoda & utilitates illius promoveantur, necessaria procurentur, & incommoda omnia avertantur. Unde summa horum munerum publicorum regni utilitas & necessitas apparet, quæ vincula & nervi sunt, quibus tot corporum diversorum consociatorum conjunctio continetur & conservatur, quæ sine illis statim dissolveretur & interiret. Hinc horum publicorum munerum dignitas & præstantia, quæ etiam realia munera universalis consociationis usibus adcommodat.

3. Munera hæc publica obeuntes sunt duorum generum. Sunt enim regni, universalisve consociationis ministri; vel summi magistratus.

4. Regni & universalis consociationis ministri sunt præsides & præfecti à toto populo archivo regni; vel rei militari, vel sunt à secretis & consiliis regni; vel sunt præfecti bonis reditibusque publicis. *2.Sam. cap.9. 1.Chron. cap.18.14.15. 2.Chron. cap. 34.*

Archi-

5. Archivo regni, seu universalis consociationis præpositus, vocatur regni Cancellarius.

Qualis in politia Judaica aliquando fuisse legitur Josaphatus, *2.Sam.c.9.2.c.20.14. 2.Reg.c.18.37. 1.Reg.c.4.1.* Hujus synergi sunt Vicecancellarius, libellorum supplicum magister, Referendarius, Secretarii, Scribæ.

6. Consiliarii regni sunt, qui consiliis suis Remp. juvant.

1.Chron. c.27.32.33.34. 2.Chron.cap.10.6.& seqq. 1.Reg. c.12. 2.Chron.c.34.15.18. Dan.c.3.2.3. Tales in plerisque regnis sunt qui vocantur ephori regni, seu principes, comites, ordines & status politiæ cujusque, de quibus *cap.18.infra.& cap.33.*

7. Reditibus & bonis publicis regni præpositi sunt quæstores, præfecti ærario, thesaurarii regni, qui colligunt pecunias & reditus regni, atque asservant in locis & ædibus publicis destinatis ad publicos regni usus.

Horum ministri varii sunt: *1.Chron.c.26.26.c.27.25.c.28. 1.2. 2.Chron.c.10.18. 1.Reg.c.12. 2.Chron.cap.34. Hesr.c.1.8. Dan.c.3.3.4.*

8. Rei militari præfectus regni est qui arma tractat, & negotiis militaribus bellicis præfectus est, eorumque curam gerit. *1.Chron.cap.18.14. & seqq.c. 27.* Marescallum vocant; cujus ministri varii sunt.

9. In politia Germanorum, regni Cancellarius ex septemviris est Moguntinus Archiepiscopus: regni verò Marescallus Dux Saxoniæ. Vid. *c.32.n.42.43.infr.*

Consiliarii Imperii Germanici sunt omnes Status illius & ordines ecclesiastici & seculares: de quorum officiis in bulla Caroli quarti Imperatoris, & nos passim suo in loco, inprimis *infra c.33.& c.18.& c.32.num.40.& seqq.*

Secretarius regni est, qui curam rerum in consilio regni tractatarum & omnium actorum gerit.

10 Summi magistratus ministri sunt ejusdem Palatini, consiliarii, *Hesr.c.7.14.15. 1.Reg.c.12.* censores, secretarii, scribæ, quæstores rerum & redituum ipsius, & plurimi alii. de quibus *in lib.11. & 12. Codicis Justiniani, & 1.Chron.c.27.c.28. 1.Reg.c.12.Hesr.c.7.6.10. 11.c.1.8. 2.Chron. c.10.18. c.34.* & *infra c.32.* latiùs dicemus, *n.39. & seqq.*

Hodie hi publici ministri distingui solent in regios, dominicos & municipiales, seu societatum specialium ministros. Priores immediatè à summo magistratu, reliqui mediatè ex permissione superioris eliguntur.

De talibus in politia Judaica vide *1.Chron.c.26.cap.27.25. c.28.* de quibus Sigon. *lib.de Rep. Hebræ.* de Athenensium ministris publicis *lib.4. de Rep. Athen.* & Pet. Greg. *lib.4.c.3. n.28 & seqq.de Rep.*

11 Officiales summi magistratus hi plerunq; sunt: I. Major domus, seu magister domus, cui totius domus imperatoriæ cura est demandata. Budæus *in tit.de offic.præfect.prætor.* II. Cancellarius magnus, habens cancellariæ, administrationem & morum atq; legum regimen. Budæ. *d.loc.* Lancellot. *in templo omn. judic.lib.1. cap.1.§.4.* III. Thesaurarius, cui pecuniæ administratio demandatur à principe. Budæ. *tit.de offic.quæst.* Lancell. *d.loc.* IV. Cubicularius, sive magnus Camerarius & admissionalis. Budæus *ad l.fin. de senator. tit. C.de præposit. sacri cubiculi. lib.12.* V. Pincerna. Budæus *in d.l.fin.* VI. Serreschallus, seu architriclinus, cui in palatio munus subministrandi dapes injungitur. *tit. C. de comit. præpos. & tribut. Schol.l.2.C. de domest. & protect.lib.12.* VII. Scutifer magnus seu protospatarius, armorum, equorum & stabuli curam gerens. *tit. C. de comitib.præp. & tribu.schol.* Lancellot. *d.loc.§.scutigeri.* quos

quos vocant Mareschallos. VIII. Spectabiles plures alii in summi magistratus palatio militantes & servientes, sunt, *tit. C.de offic.mag.offic.* uti magistri sacrorum scriniorum, *tit. C. de proxim. sacror. scrin. lib 12.* referendarii, primicerius, secundocerius, scriniarii, *l. 1. C. de mag. sacro. scrin.* Comites consistoriani, *tit. C. de comit. consistor. lib. 12.* Archiatri sacri palatii, *l. 1. C.de comitibus & arch.sacr.palat.* Silentiarii, hoc est, arcanorum principis conscii, *tit. C. de silent. & decur. eor. lib. 12.* Vide *infra cap.37. num. 16. 17. & sequentibus. & cap.32. num.39. & sequentibus.*

In politia Judaica censores erant liberrimi, gravissimi & & sanctissimi vitæ regis judices, reprehensores & monitores, & quandoq; Prophetæ, *2.Sam.c.12. Esa.cap.1. Jer.c.1. Esd.c.10.* Lacedæmonii suos habuerunt Ephoros: Athenienses suos nomotheras: Romani suos censores, de quibus *infrà cap.30.de censura* latiùs, *& sup.cap.7.*

CAPUT XV.

De privilegiis quorundam regnicolarum.

1 *Concessio privilegiorum.*
2 *Quatenus se extendat.*
3 *Privilegium personale.*
4 *Reale privilegium.*
5 *Immunitas & vacatio munerum.*
6 *Causa immunitatis justa.*
7
8 *Ex persona infirmitate inopia, vel meritis causa sumpta.*
Persona ecclesiastica à quibus muneribus immunitatem habeant.
9 *Qui sub personis ecclesiasticis comprehendantur.*
10 *Milites, & alii bene meriti de Republ.*
11 *Artifices quinam immunitatem habeant.*
12 *Ex gratia magistratus immunes.*
13 *Quando cessent hæc privilegia.*
14 *Regalia concessa.*

DE muneribus hucusq; dictum est: Sequitur de privilegiis & immunitatibus quibusdam regnicolis ab hisce muneribus concessis.

1 Privilegiorum concessio est, qua regnicolæ ex justa vel probabili causa remittitur aliquid in munerum præstatione, quod alii cives Reipub. præstare & communicare tenentur.

2 Regulariter à collectis universitas immunitatem concedere non potest, nisi in concilio generali.

Losæus *part.3.c.10. de jur. univ.* Roland.à Valle *consil.5. vol.5.* Rosenthal. *de feud. lib.1.cap.5.conclus.84.* Carol. Tapian. *in l.fin. de constit.princ.part.2.c.9.* Cacheran. *decis.95.*

3 Privilegium ejusmodi est personale, vel reale. Personale tantùm personam illius, cui concessum est, comprehendit, non extenditur ultra personam, vel rem. Geil. *lib.2.obs.2.n.14.* nec ad illius servos, familiam & similes, *l.196.privilegia. de regul.jur.* vid. Rosenth. *d.cap.5. concl.85.*

4 Reale contrà, quod hæredes, liberos, uxorem aliosq; conjunctos complectitur.

d.l.196. de qua re videndi sunt JCti. Menoch. *cas.572.arb. jud.quæst.* & Boër. *quæst.213.* & alii. Losæ. *cap.13.d.loc.* Carol. Tapia. in *l. fin. de constit.princ.*

Privilegium hoc, est duplex: scilicet immunitas, vel aliud jus singulare concessum.

5 Immunitas, est ἀλειτουργησία & vacatio munerum, qua municeps à muneribus suscipiendis & præstandis liberatur & excusatur, ab omnibus, vel quibusdam.

Vid. *tit. de jure immunit. & tit. de vacat. & excus. mun. Hesr. & c.7.24.1.Sam.c.17.25.Esth.c.2.18.*

6 Causæ immunitatis civi concedendæ justæ esse debent, ne ex illa alii releventur & alii opprimantur immeritò, & quorundam vacatio aliis sit afflictio,

Secundùm naturam enim est, ut qui commodum sentit in Rep. etiam pro rata parte onus sustineat, *l.secundùm 10. de reg.jur.* Cravetta *consil.945.* Matth. Stephani. *lib.2.part.1. c.1.n.107. & seqq.* Losæ. *c.9. & c.10.d.loc.*

7 Causæ immunitatis concedendæ justæ sumuntur ex infirmitate personæ, vel inopia, vel meritis illius.

Ex infirmitate personæ, causę immunitatis sunt ætas, sexus, valetudo, & corporis debilitas.

Ætas immunitatem præbet in muneribus personalibus, à quib. justam excusationem habent, infantes, minores 25, & majores 50 annis. *tit.C.qui se ætat.excus.*

Sexus muliebris, fœminas à publicis plerisque & virilibus officiis excusat.

Propter corporis valetudinem vel defectum excusantur à personalibus debiles & infirmi, quandiu morbus durat; uti muti, surdi, paralytici, cæci, furiosi, lymphatici, & similes.

Inopia & indigentia excusationem præbet pauperibus in muneribus realibus. Numerus liberorum à personalibus excusat. Vid. Cornel. Bening. *cas. de privileg. paupertatis*

Merita, immunitatis privilegium dant, ob dignitatem, vel occupationes Reipub. Losæus *cap.10. n.8. & seqq. d.loc.*

Ob dignitatem & honorum excusantur quidam à sordidis & humilibus muneribus personalibus. Vide Tiraquel. *de nobilitate.* Heigium *quæst.18.* Rosenthal *de feud.lib.1.c.5.conclus.*

8 Occupationes in Reip. negotiis, & bene merita

in eandem collata, jure excusationem præbent. Itaque hoc privilegio gaudent defensores Reip. personæ ecclesiasticæ & scholasticæ, quarum immunitates consistunt I. circa personalia, quæ industriâ animi & corporis operâ perficiuntur, ut sunt militia, custodiæ, vigiliæ, tutelæ &c. à quibus ab officio & literarum studiis avocantur. Novell. *83. in præfat.* II. circa sordida, ne iis eorum ministeriũ vilescat. Quamvis enim servitia & angarię rarione rei possessæ debeantur, ipsiq; rei inhęreant, ut ab illis nulla dignitas excuset, nec ullum privilegiũ: *l. sicut. l. ab his. de vacat. & excusat. l. fin. §. patrimoniorũ. de muner. & honor. l. 2. 3. 6. 9. C. de mun. patrimon. lib. 10.* tamen virtute nobiles viri eorumq; privilegiis gaudentes, uti Doctores, milites, clerici, medici & publici professores, ab angariis, veredis, milite seu hospite recipiendo, aliisq; extraordinariis collationib. & sordidis etiã patrimonii muneribus, singularib. privilegiis immunes sunt, Rosenthal *c. 5. concl. 72. lib. 1. de feud.* Tiraquell. *de nobilit. c. 20. n. 16.* Guido Papę *decis. 88.* nisi inevitabilis necessitas obstet. *tit. C. quibus muner. vel præstat. se nem. liceat excus.* Ros. *d. loc.* III. vel denique circa extraordinaria onera, quæ propter necessitatem præsentẽ exiguntur & post ea cessant, à quibus sublevantur, tum quòd pauperes ferè sunt, tum ut pro diligentiæ & laborum præmio eis talis cedat relaxatio.

L. 1. & 2. C. de episc. & cleric. latiùs de horum privilegiis scribit Horatius Lucius, *de privileg. scholar.* De personarum ecclesiasticarum immunitatib. apud Judæos videre licet *Num. c. 1. 47. 49. 50. c. 2. 33. 1. Chron. c. 23. 3. c. 9. 33. & 3. Heb. c. 8. 24. 25. & 1. Esr. c. 7. 24. c. 4. 13. & 1. Macch. c. 10. 29. 30. 31. 32. c. 11. 34. 35. 36. Gen. c. 47. 26.* argumento sumpto ex *1. Cor. cap. 9. v.* Quis militat propriis stipendiis unquam? quis plantat vineã & de fructu ejus non edit, aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? 8. Num secundùm hominẽ hæc dico? nonne etiam lex hæc dicit? 9. 10. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnũ est, si nos vestra carnalia messuerimus: 12. 13. 14. *Rom. c. 15. 27.* Placuit enim eis, & debitores illorũ sunt. Nam si spiritualia eorum bona gentes participarunt, debent etiam ipsæ in carnalibus eis ministrare. *Deut. c. 18. 1. & seqq. 1. Tim. cap. 5. 17. 18. 19. Matth. c. 10. 9. 10.* latè Pet. Greg. *lib. 3. c. 5. c. 7. & lib. 18. c. 7. de Rep.* Sed ut clerici ab omni obligatione naturali & civili à principe sint exempti, vel immunes & privilegiati omnino reddi possint, non est concedendum. Nã nec parens filium ab onere debito & obedientiâ, neq; maritus uxorem, neq; præceptor discipulum liberare potest, quia illa sunt juris naturalis immutabilis. Contrárium docent Pontificii.

Sub personis ecclesiasticis verò comprehendo etiam professores & doctores artiũ liberalium, qui se frequentes & utiles præbent, atq; ordinis decreto probati sunt: item sub hisce intelligo eorundem ministros & familiam, aliosq; omnes scholæ & ecclesiæ inservientes. 9

Rebuff. *de privil. scholar. priv. 166. n. 1. 4.* Menoch. *cas. 376. n. 8. lib. 2. arb. jud. per l. 1. ibi,* verumetiã hominib. eorundem. *C. de episc. & cler.* arg. *Esd. lib. 3. c. 8. 24. 25.* ubi quæ privilegia ecclesiasticis & sacerdotibus tribuuntur, etiam ad musicos, cantores, Nethinęos, janitores & reliquos Levitas pertinent. Et *1. Hesr. c. 7. 24. c. 4. 13. 1. Macch. c. 10. 29. 30. & seqq.* neq; in capitatione populi erant comprehensi. *Exod. c. 30. 12. & seqq. Num. c. 1. 47.* Vide Greg. *de Rep. lib. 3. c. 7. & lib. 13. c. 20. & lib. 8. c. 7.* Ratio sumi potest ex *2. Tim. c. 2. 4.* Nemo qui militat, hujus vitæ negotiis implicatur, ut ei placeat, à quo delectus est miles. Vide Pet. Mart. *Judic. c. 19.* qui à personalibus, non realibus patrimonialibus munerib. eosdem excusat. Alibi tamen ab omnibus immunitatem eos accepisse constat. Nov. *131. §. quod si. §. item quæcunq;. l. 53. C. de episc. & cler. Auth. habita.* ubi Dd. *C. ne fil. pro pat.* Greg. *d. lib. 18. c. 7. & lib. 3. c. 7. & lib. 13. c. 20.* Horat. Lucius *de privil. scholar.* per *Esd. c. 8. 24. 25. 1. Hesr. c. 7. 24. Exod. c. 30. 12. Lev. c. 27. 28. 30. Num. c. 18. 21. 30. 31. Deut. c. 27. 28.* Debent enim ali à laicis ecclesiastici, *Nũ. c. 35. Jos. c. 21.* Ideo Levitæ non numerabantur in capitatione, *Num. c. 1. 47. & seqq. c. 2. 33.* Vide *1. Chron. c. 23. 3. c. 24. 3.*

10 Huc refero etiam milites, qui ob belli occupationes plurima habent privilegia & beneficia, quæ vel commodum personis militum adferunt, vel in liberâ, non communibus juris civilis regulis subjectâ actione & dispositione consistunt. Vide Bocer. *de jure belli, lib. 1. cap. 19. & seqq.* ubi recensetur illa privilegia.

Sunt & alii, qui ob virtutes & bene merita sua in Rempub. collata, gaudent immunitatis privilegio; uti decuriones, senatores, consules, nobiles & illustres personæ & palatini principes, legati Reipub. de quibus JCti latiùs.

Adde *1. Sam. c. 17. 25.* Erit, ut qui virum illum percusserit, eum ditet rex divitiis magnis, & filiam suam det illi, & domum paternam ejus efficiat immunem in Israële: *Esd. c. 6. 11. Genes. c. 41. & Dan. c. 2.* Danæ. *lib. 2. c. 6. polit.* hinc rectè putat, nobilitatem oriri, sicuti Tiraquel. etiam de *nobilitate*. Quales heroës videntur fuisse appellati alibi, *2. Sam. cap. 2.* Cic. *pro Sest.* Omnes boni semper nobilitati favemus, & quia utile est Reip. nobiles esse homines dignos majoribus suis, & quia valere debet apud nos clarorum hominum bene de Repub. meritorum memoria, etiam mortuorum. Excubant enim pro Reipub. salute, vitam periculis exponunt militiæ, & sunt veluti membra principis, & subeunt curas publicas, quibus & prisci reges tribuerunt singularia privilegia: Gregor. *lib. 4. c. 2. n. 11. & seqq.* De privilegiis decurionum *tit. C. de decurion.* & Los. *part. 1. c. 3. d. loc.*

Apud Judæos dabatur etiam privilegium domum ædificanti, plantanti vineam, vel uxorem ducenti: de quo vide *Deut. c. 20. 5. 6. 7. Levit. c. 19. 9.* Iis qui continuò in opere suo versantur, sine intermissione rectè quoque privilegium datur, *1. Chron. c. 9. 33.* Asyla quoque inter privilegia referuntur, de quibus *Deut. c. 19. Jos. c. 20.*

11 Sed & artifices, quorum ars Reip. utilis est, à quibusdam muneribus excusationem habent; ut frumentarii, curatores exercitus, navicularii, apparitores & ministri principis, rustici.

Vide

Vide Renat. Choppin. *de privil. rust.* & similes, de quibus JCti. Monazontes & solitarii à personalibus non excusantur.

Sunt etiam quidam, qui ob solam magistratus 12
gratiam immunitate fruuntur.

Tit. C. de his qui à princ. vacat. accept. tit. C. de immunit. nemini conced. Carol. Tapia. *ad rubr. de constit. princ. cap. 4.* Matth. Steph. *lib. 2. part. 1. c. 1. memb. 2. n. 150. & seqq. de jurisd.* Dd. *in l. privilegia. de reg. jur.* Rosenthal. *c. 5. conclus. 85. lib. 1. de feud.* Cacheran. *decis. 95. n. 21.* Ad hoc autem, ut immunitas concessa valeat, tria requiruntur, nimirum quòd concedatur à principe, deinde ex justâ causâ, & denique ad tempus. Cacheran. *d. loc.* Felyn. *in c. accedentes. col. fin. concl. 8. & 9. ext. de præscript.* Civitas in sui præjudicium immunitatem concedere potest, & collectas pro immunibus præstare. Cach. *d. loc. n. 12.* Boër. *decis. 203.* sicuti & princeps. Boër. *d. loc. n. 3.* Rosenthal. *d. loc.* Invitis subditis exemptionis privilegium concedere non potest. Carol. Tap. *c. 9. part. 2. num. 37.* Vide *1. Sam. c. 17. 25. Hesr. & c. 7. 24. Esth. c. 2. 18. 1. Macch. c. 10. 29. 30. 31. cap. 14. 5. 6. c. 11. 34. & seqq.* Vide Bossi. *tit. de princip. & ejus privil. n. 136. & seqq.* latè Tiraq. *de nobilit.* & Pacian. *libr. 2. cap. 26. 27. de probat.* qui nobiles tamen ob imminentem necessitatem, & ab extraordinariis insolitis non excusantur, *l. 2. C. de quib. muner. nemini liceat se excus.* Heig. *quæst. 18. n. 25. & seqq.* Tessaur. *decis. 134. n. 10.* & Cach. *decis. 39. & 68. & 98.* Bodin. *lib. 1. c. 6.* Los. *d. loc.*

Ordo decurionum, vel communitas regulariter immunitatem à collectis & aliis oneribus concedere non potest. Los. *part. 3. cap. 10. cap. 11. de jure univers.* Rosenthal. *d. loc. conclus. 84.*

Observandum hîc, in extrema & summa Reip. 13
necessitate omnes immunitates & privilegia cessare & cassari. Nam propria commoda privata bonus civis non debet præferre publicæ utilitati & necessitati Reipublicæ.

De qua re latiùs JCti agunt. Adde *Nehem. cap. 3. 4. c. 5. 2. Reg. c. 15. 22.* ubi Piscator. Heig. *quæst. 18. num. 25. & seqq. lib. 1. per l. 1. C. de indict. lib. 10. l. 1. C. de vacat. muner. public.*

Carol. Tap. *de constit. princ. c. 4. n. 31.* Tessaur. *decis. 134. n. 10.* Rosenthal. *d. c. 5. conclus. 86.* Cacheran. *decis. 39. & 68. & 69.* Joseph. Ludovici *decis. 3.* Modestin. Pistoris *consil. 4. n. 24. & seqq. lib. 1.* Geil. *lib. 2. obs. 52. n. 26.* Mynsing. *cent. 4. obs. 70.* Roland. à Valle *consil. 1. n. 76. & seqq. vol. 2.* Los. *d. c. 10. n. 27.*

Simpliciter immunitate concessâ, regulariter à personalibus, non à patrimonialibus muneribus concessa intelligitur. Los. *d. c. 10. n. 13. per l. his onerib. de vacat. & excusat.* In dubio duntaxat extraordinaria remissa intelliguntur, *l. hi, qui muner. de vacat. & excus. muner.* Vide Rosen. *d. loc. conclus. 86.* Cacheran. *decis. 95. n. 50.* qui ibid. *n. 44.* addit: Onera extraordinaria, quę pro utilitate & necessitate publicâ indicuntur, ordinariis & merè patrimonialibus & realibus annumerari.

14 Huc pertinent etiam privilegia & regalia, quæ quibusdam conferuntur: ut sint Duces, Principes, Comites, Barones, nobiles. Quibus juribus & privilegiis privari possunt, & regalibus suis exui.

Vide auream bullam Caroli IV. *tit. 4. 5. 7. & c. unic. quis dicat.* Dux Marchio *in usib. feud.* & Dd. *in c. quæ sunt regal.* Geil. *lib. 1. de pac. publ. c. 6. & lib. 2. c. 4. n. 21. c. 3.* Chassan. *catalog. glor. mund.* Pacian. *lib. 2. de probat. c. 35. & seqq.* vide sup. *c. 8. circa finem.* Rosenthal. *de feud. lib. 2. concl. 1. & c. 5. conclus. 2. libr. 1.* Borcholt. *de feud. c. 4. num. 12.* Tiraq. *de nobilit. cap. 6.*

CAPUT XVI.

De protectione universalis consociationis.

1 *Protectio consociationis universalis quid, & in quibus consistat.*
2 *Auxilium, & in quibus id consistat.*
3 *Defensio, ejusq; necessitas & subjectum.*
4 *Defensio triplex.*
5 *Protectio singulorum membrorum regni.*
6 *Exempla & rationes hujus defensionis.*
7 *Auxilium tempore periculoso pestis, incendii, inundationis, belli.*

8 *Provocationis ultimæ beneficium.*
9 *Huic negotio inservientes.*
10 *Spirense consistorium.*
11 *Supremi tribunalis locus ubi.*
12 *Securitatis publicæ præstatio quid.*
13 *Quomodo omnibus præstanda, & contra quos.*
14 *Salva guardia quid.*
15 *Viarum publicarum refectio.*
16 *Belli susceptio.*
17 *Causæ justæ belli gerendi quæ & quot sint.*
18 *Jus pacis & transactionis ineundæ.*

HUcusq; dictum fuit de regni, seu majestatis jure priore, ad victus quærendi necessitatem destinato: sequitur de altero, quod ad protectionem consociationis, & symbiosis universalis pertinet.

Hoc igitur cum syncretismo & mutuâ conspiratione ab omnib. & singulis membris universalis consociationis, cuivis illius membro laboranti vel indigenti præstantur, omnia necessaria ad avertenda quævis incommoda, pericula, mala & nocitura, & ad avertendas, tollendas removendasq; omnes difficultates, impedimenta & obstacula universalis consociationis. Ideoq; alterum & posterius hoc jus inprimis ordinem ad protectionem & defensionem destinatum concernit. 1

Hoc jus protectionis consistit in auxilio, vel consilio.

Auxilium est, quo, operarum & rerum communicatione, membro consociationis hujus universalis laboranti & indigenti succurritur, idq; prompto auxilio juvatur. 2

Auxilium hoc consistit primò in defensione, deinde in cura bonorum ad consociationem universalem pertinentium.

3 Defensio est, quâ vis, injuria, pericula & incommoda quævis, communibus viribus & syncretismo à singulis corporis consociati membris depelluntur & arcentur.

Ob hanc causam Resp. compatari solet humani corporis membris, quæ inter se apta & colligata officium ac munus à naturâ sibi tributum, accuratissimè obeunt, mutuisque præsidiis & auxiliis ad universi corporis salutem procurandam incredibili consensu & concordiâ conspirant; quæ si dissiderent inter se, nec mutuas operas sibi præstarent, sed officia sua desererent, interitum corporis consequi necesse esset, quod exemplis illustrat Bodinus *lib.4.cap.5.de Rep. text. in 1.Cor. c.12.25.* Ut ne disidium sit in corpore, sed membra itidem solicita sint alia pro aliis. *& v.13.* Itaque si patitur unum membrũ, compatiuntur omnia. *& v.21.* Nec potest oculus dicere manui, Non est opus mihi te; nec caput potest dicere pedibus, Non est mihi vobis opus. 22. Imò potiùs quæ corporis membra infirmissima, necessaria sunt.

Defensio verò hæc consistit in conservatione juris & bonorum cujusque, atque in aversione injurię & omnium incommodorum, atq; è periculis & malis liberatione.

4 Defensio ejusmodi est triplex: 1. protectio singulorum membrorum consociatorum, quando provincia, civitas, pagus vel oppidum vim, injuriam patitur, vel in necessitatibus & indigentia sua auxilio opus habet. 2. Est commeatus & securitatis publicæ præstatio contra eos, qui usum commerciorum in territorio corporis consociati infestant, tollunt vel minuunt. 3. Belli susceptio.

5 Protectio singulorum regni membrorum est, quâ à toto Reip. corpore singulis aliis ipsius membris, defensio, patrocinium atq; cura, communibus viribus & consiliis præstatur contra pericula, calamitates, incõmoda, difficultates, injurias, læsiones, discordias, contentiones, membri laborantis, oppressive, aut læsi, atque in omnibus necessitatibus remedium promptum ipsis adfertur.

Exempla è sacris literis petita, vide *Jos. c.1.14.* Fœminæ 6
vestræ, parvuli vestri, & pecora vestra manebunt in hac terra, quam dedit vobis Moses cis Jordanem; at vos transite militari ordine ante fratres vestros, quotquot estis valentes robore, & adjuvate eos. *15.* Usquedum quietem largitus sit Jehova fratribus vestris, ut vobis &c. *Psal.122.9. Num.c.32.16. & seqq. Judic.c.8.5.6.7.8.14. & seqq.* ubi Gideon ob denegatum sibi hoc auxilium Succothas & Penuplitas punivit. *Judic.c.4.10.11.c.5.15.16.23.* ubi Debora commendat tribus illas, quæ auxilium in libertate patriæ vindicandâ tulerant, & reprehendit quasdam ob segnitiem & cessationem. Ita quoque cùm reliquæ tribus populi & politiæ Mosaicæ audirent de defectione & apostasiâ contribulium suorum & tribus Ruben, tribus Gad & dimidiæ tribus Manassis, curam illorum revocandorum ad verum Deum suscipiunt, conventu publico indicto & legatis missis, *Jos.c.22.* Sic & Benjaminitas ad officium reliquæ tribus reduxerunt, *Jud.c.20. & c.21.* ubi etiam consultant de hac tribu ab interitu & internecione conservanda. Sic & Jabeschitę communibus armis & auxilio populi liberati sunt à tyrannide Hammonitarum, *1.Sam. cap.11.1.2.3.4.5.6.7.* ibi: Quisquis non exibit post Saulem & Samuelem, sic fiet armento ejus, *& seqq. Judic.cap.6.34.35.* Hanc ob causam etiam Jephtha Ephramitas reprehendit, objiciendo illis negligentiam in non facto officio & defensione præstitâ, *Jud.c.12.1.2.3.* & Israëlitæ graviter puniverunt habitatores Jabes Gilhadis, quòd in communi bello & negotio deseruerant reliqua ejus Reipub. membra, *Judic.c.21.5. 11.12.* Et Saul in detrectantes juvare socios & membrum oppressum, pœnam constituit, *1.Sam.c.11.2.3.4.5.6.7.* Ita Josua Gibeonitas adsumtos in Rempub. defendit contra Adonizedeck & socios, *Jos.c.10.4. & seqq.* ita David quosvis cives à Saule tyranno ejectos & afflictos recipit & defendit, *1.Sam. cap.22.1.2.c.23.13.* Hodie in constitutionibus Imperii leges constitutę sunt de mutuo statuum Imperii auxilio prompto, tempore necessitatis ferendo. Vide *constitut.* latiùs *sub Imp. Carol.V. de pace publ.* diximus infrà *c.33.in §. porrò comitia.*

Cic.2. de legib. Resp. ait, nomen est universæ civitatis, pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua nostra omnia ponere & quasi consecrare debemus. Nam omnibus expedit, salvam esse Remp. cujus beneficiis maximè obligati sumus; ideoq; omnia ad illius salutem conferre debemus, cui nati & educati sumus. & *Cic. pro Rabir.* Boni, inquit, est magistratus, cùm auxilia Reip. labefactari videt & convelli, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisq; communibus, suam salutem posteriorem salute communi ducere. Idem docent JCti, Cagnolus & Decius *in l. culpâ caret. & l. nullum crimen. de reg. jur.* Vasq. *lib. 1. c. 41. n. 19. & c. 22. per l. ut vim. de just. & jure.* Et præceptum, Diliges proximum sicut teipsum. *1. Tim. c. 5. 8.* Non habens curam suorum domesticorum, infideli est deterior. Quod putant procedere tam in rerum, quàm personarum defensione.

7 In calamitatibus igitur, tempore pestis, morbi epidemici, vel famis, & penuriæ, discordiarum & disfidiorum, membrum quodvis Reip. alteri laboranti non deerit: sed gravi aliquâ calamitate affecto ex ærario publico privatoque, tum remissione, seu liberatione, aut sublevatione tributorũ succurret.

Sic Tiberius urbibus 12. Asiæ terræmotu succussis subvenit, Tacit. *lib. 12. annal.* Sic populus Israël tribui Benjamin afflictæ necessariarum rerum communicatione succurrit, *Judic. c. 21. 6. & seqq.*

Incommoda & pericula inundationum vel aquarum avertuntur, si in tempore aggeres construi curantur.

Incendiorum pericula præveniuntur custodiâ accuratâ demandatâ vigilibus & excubitoribus.

Incendiorum excitandorum, vel ortorum restinguendorum causâ constituuntur ministri, & instrumenta necessaria in tuto certo loco reponuntur.

Feræ, bestiæ noxiæ, lupi, ursi, apri, & similes venationibus tolluntur, fugantur, extirpantur.

Vita,

Vita, fama, res regnicolarum contra hostes, prædones, latrones ab injuriis, vi & periculis defenduntur.

Defensionis etiam quædam species est, ultimæ 8
provocationis beneficiũ concessum, quo licet illi, qui ab intermedio quodam magistratu, vel potentiore membro Reip. prætextu juris læsus est, ad totum corpus Reip. seu judicium & auxilium totius regni, pro gravamine illato à membro, tollendo, & errore corrigendo, appellare & provocare.

L. 1. §. & quidem. à quib. appell. non licet. Novell. *105. c. 2. §. 4.* Bodin. *lib. 2. c. 10. de Repub.* Pet. Greg. *de Rep. lib. 9. c. 1. n. 36. & seqq.* Ratio hujus juris appellandi ad Remp. est, quòd totum Reip. corpus sibi difficillimorum & arduorum negotiorum cognitionem & decisionem reservavit. *Exod. c. 18. 19. 22. 26. Deut. cap. 1. 17. & c. 17. Psal. 122. 5. 6. & seqq.* ne aliâs sub prætextu juris aliquod membrum Reip. iniquè innocentes opprimat. *Judic. c. 20.*

Provocationem quoque apud Romanos à regibus fuisse ad populum ex lege, refert Seneca *epist. 108.* Liv. *lib. 8.* Alex. ab Alex. *lib. 4. c. 6.* Quantâ, inquit, disciplinâ caruerint Romani, ne qui magistratus gererent, nimiâ licentiâ abuterentur, illud documento est, quòd pluribus legibus, plebisscitis & senatusconsultis præscripti fines magistratuũ, & potestas coarctata fuit, præcipuè cavendo, ne imperiosa illorum licentia extra gyrum rationis excederet. Ideo lex promulgata fuit, quâ cavebatur, ut à quocunq; magistratu ad populum provocandi cuivis potestas foret.

Huic cognitioni & defensioni præsunt & inser- 9
viunt regni, seu Reip. nomine, qui à toto populo ejusq; summo magistratu ad hoc cum potestate illorum sunt constituti, ut summo huic tribunali & prætorio præsint.

Vide Bodin. *lib. 1. c. 10.* in quarto jure majestatis. In politia Germanica tale tribunal summum est Camera Spirensis: Ordinat. Camer. *part. 2. tit. 27.* quæ est senatus totius Imperii, ut

vocatur in visitatione anni 70. §. Dann ob wol ꝛc. seu consistorium judicum Imperii, ut definit Paurmeist. *de jurisd. lib.2.c.5.num.4.* Tribunal hoc in anno 1495. à Maximiliano primo consilio & consensu ordinum Imperii institutum fuit. An cum hoc Cæsar habeat concurrentem jurisdictionem, vide Paurmeist. *d.lib.2.c.5.n.18.19.* Heig. *lib.1. quæst.9.* Rosenthal. *de feud.c.12. concl.1.* Schrad. *de feud.part.30.sect.2.* quos Paurmeist. *d.loc.num.32. & seqq.* refutare conatur, & Matth. Stephani *lib.2.part.2. 1.memb.* sed malè, meo judicio.

10 In Gallia sunt ejusmodi dicasteria seu senatus septem, ipsi Galli Parlamenta vocant, à quibus provocare non licet, & ad quos ab omnibus aliis judiciis appellatur. Sunt verò talia Parlamenta, Parisiense, Tholosanum, Rothomagense, Divionense, Burdegalense, Aquense in Provincia, & Gratianopolitanum in Delphinatu. His omnibus stipendia rex præbet. De causis & criminibus omnibus illi cognoscunt, & quod à singulis est definitum, ei est standum. Omnium autem latissimè patet, & amplissimam jurisdictionem habet Parisiense, in quod aliquando rex ipse venire solet. Præsunt in his Parlamentis senatores à toto regno constituti, qui regnum repræsentant. Guid. Pap. *quæst.29. & 423.* Joh. Montaig. *de parlament.* adde ordin. Camer. *part.1. tit.8.* ibique Cisner. ubi expressè dicuntur hi judices repræsentare omnes Imperii status & ordines, à quibus etiam judex, præses & assessores Camerales nominantur, & præficiuntur huic summo prætorio seu tribunali. Vide infrà *c.33.§. de nominatione, num.111. & seqq.* Ord. Camer. *part.1.tit.1. & c.17.n.61.* infrà *c.29.n.60.*

11 Consultum verò est, ut hoc supremum tribunal & auditorium constituatur in regni metropoli.

1.Reg.cap.7.4.5.6.7.8. cap.10.18. Psal.122. & 132. 1.Sam. cap.7.15.16. Deut. cap.17. 2.Chron.cap.19. In quo tribunali judicasse 70 seniores Israël, de quibus *Num. cap.11.* putat Sigonius *lib. 6. cap. 7. de Republ. Hebr.* unà cum summo magistratu & principibus tribuum & principum Levit. Vide *Jerem.cap.26. Matth.cap.26. 2.Chron.cap.19. Actor.cap.3. cap.4. c.5.* Exempla talis provocationis ad universalis consociationis corpus, seu ad regnum & populum, habes *1.Sam. cap.14.vers.45.46.* ubi populus Jonathan sententiæ capitali Saulis exemit. & *Jerem.cap.26.vers.10.11.16.c.38.5. & seqq.* ubi

ubi magistratus cogitur populi judicium sequi. Adde *Judic. c.20.c.21.c.18.19.20.21. & seqq. & Dan.c.6. Esth.c.1.* Profana exempla adfert Steph. Jun. Brut. *quæst.3. in vindic. contra tyran.* & Hotoman. *de antiq. jure regn. Gallici.* Dissentit Barclajus, cujus argumentis respondetur *in cap.18. & 19. infra.*

Sequitur de commeatus & securitatis publicæ præstatione, quâ membra & omnes omnino in territorio corporis consociati regni defenduntur & protegiuntur contra omnes qui territorium illud latrociniis, cædibus, direptione, spolitatione infestant, itineraque non tuta reddunt, atque usum commerciorum liberum, accessum & recessum aliorum adimunt, tollunt, impediunt, vel non securum faciunt. 12

Rosenth. *lib.1.c.5.conclus.21.* Peregrin. *de jure fisci. tit.n.21. 22. lib.1.*

Securitas igitur in territorio omnibus est præstanda, ut quivis in eo vivere, ire, ambulare, agere, res suas curare possit, sine alterius offensione, læsione, aut impedimento, ita ut tota regio, & quævis ejus partes, semper sint tutæ, pacatæ & liberæ; sine ullo periculi, aut vis & violentiæ metu. *l. congruit. de offic.præsid.l.1.§. quies. de offic. præfect.urb.* Sic itaq; hîc securitas præstatur contra humanæ vitæ hostes, exploratores, proditores, sicarios, prædones, latrones, insidiatores, direptores, spoliatores, quosvis vim inferentes, lædentes, vel vitam socialem & symbiosin institutam turbantes. 13

Deut.c.21.1.2.5.7.8. 2.Chron.c.15.5.6. Genes.c.33.15.c.26. 11.16.27.c.12.17.c.18.16.c.42.9. Psal.12.9. Psal.144. & 122.7. 8.9. Judic.c.11.19.20.21.22. Num.c.21.22.16.17. Deut.c.2.27. 28. Exod.c.18.27. Act.c.23.10.23.24.27.30. 2.Sam.c.14.9.10. & 1.Macch.c.12.4. 1.Reg.c.4.24. Et pax erat ei circumquaque ab omnibus lateribus suis. *25.* Adeò ut consideret Jehuda & Israël securè, quisque sub vite sua & sub ficu sua,

à Dane Berſebaum uſque omnibus diebus Salomonis. Hoc jus vulgo ſalvus conductus vocatur, & alio in loco jus commeatus & remeatus: *l. relegati 4. in fine. de pœn. l. 16. ſi quis. C. de Decur. tit. C. de com. lib. 12. l. 9. C. de prox. ſacroſcrin.* ubi Cujac. Roſenthal. *lib. 1. cap. 5. concl. 20. & ſeq. de feud.* Pet. Greg. *lib. 9. cap. 1. num. 21. de Repub.* Geil. *lib. 2. obſ. 64.* Farinac. *lib. 1. quæſt. 24. &* Menoch. *caſ. 336. arb. jud. lib. 2. & lib. 1. quæſt. 81.* Pruckman. *§. ſolutæ poteſtas. c. 4. memb. 2. effect. 5.* ubi in utramque partem disputat, & ad ea, quæ pro non ſervanda fide hoſti facinorosisve adferuntur, reſpondet.

14 Huc pertinet quoque, quæ vulgò dicitur ſalva guardia, quæ eſt protectio, defenſio, tutela cuſtodiáve bonorum, hominisve contra omnem vim, injuriam & læſionem præſtanda. *l. Sam. c. 22. 23. Gen. c. 12. 17. c. 26. de qua JCti latiùs.*

15 Hujus loci ſimiliter eſt refectio viarum publicarum ut itinera publica plana, pervia, commoda, nota & diſtincta ſerventur, quibus pedibus, equo, curru quævis importari & exportari commodè poſſint: Roſenth. *d. concluſ. 20. & 21.*

16 Belli ſuſceptio eſt, quâ juſta defenſio, vel offenſio & vindicta ſumitur ab illis, qui vel totum Reip. corpus, vel illius membrum aliquod læſerunt, vel injuria affecerunt. Huic annexa eſt poteſtas pacis ineundæ, & loca munita in ſua poteſtate habendi.

Sine bello enim publica tranquillitas, pax & diſciplina conſervari nequit. *Judic. c. 11. 8. 10. 11. & ſeqq. cap. 20. & 1. Reg. c. 20. 7. 8. Prov. c. 24. 6. l. 3. ad l. Jul. majeſt.* Novel. *85. tit. de pacis tenend. tit. C. ut arm. uſus inſcio princ.* Bod. *lib. 1. c. 10. de Rep.* Greg. Tolof. *lib. 11. c. 14. de Rep. & lib. 9. c. 1.* Bocer. *de jur. belli c. 4. c. 17.* Geil. *de pac. pub. 1. Macch. c. 14. 41. 42. 43. 2. Sam. c. 5. 9.* & habitans David in eo propugnaculo, vocavit illud civitatem Davidis &c.

17 Belli gerendi cauſa juſta eſt tum, quando priùs omnibus remediis aliis tentatis, pax, vel juſtitia aliter haberi non poteſt. *Deut. c. 20. 10. Num. c. 20. cap. 21. Jud. c. 11. 14. 15. 17. 18. Eſa. c. 1. 11.*

Cauſæ verò belli indicendi & gerendi juſtæ ſunt ſeptem: Prima, eſt repetitio rerum per violentiam ab alio populo ablatarum.

Judic. c. 11. 14. & ſeqq. 1. Sam. c. 30. 8. 18. 19. Geneſ. c. 14. 14. 15. 16. 1. Sam. d. cap. 30. ubi Martyr. *2. Sam. cap. 2. Judic. cap. 15. 3. 2. Reg. c. 14. 25.*

Secunda eſt defenſio & propulſatio vis illatæ ab alio.

Martyr. *d. loc. Judic. d. c. 11. 14. & ſeqq. 1. Sam. c. 14. 47. & ſeqq. 1. Sam. d. cap. 30. 2. Sam. cap. 10. 6. 7. 8. 9.* Covarr. *in c. peccatum. de reg. jur. in 6. part. 2. relect. §. 9. 1. Sam. cap. 23. 2. 34. 5.*

Tertia cauſa eſt, libertatis, privilegiorum & jurium ſuorum, pacis & tranquillitatis conſervandæ, & veræ religionis defendendæ neceſſitas.

Exod. c. 23. 1. Sam. cap. 11. & ſeqq. tot. lib. Judic. 2. Chron. cap. 12. 2. Reg. cap. 23. 1. Reg. c. 18. Dan. c. 3. 1. Macch. c. 2. Euſeb. Eccleſ. hiſt. cap. 9. Urſin. *exercit. Theol. lib. 2. diſpoſ. 44. & ſeqq.*

Quarta cauſa eſt, quando peregrinus populus transitum innoxium per ſuam provinciam denegat. *Num. cap. 20. & cap. 21.* ex nulla cauſa probabili: *Deut. cap. 2. 25. 26. & ſeqq.* Bocer. *de jur. bell. c. 17.* Covar. *d. loc.* Roſenth. *d. c. 21.*

Quinta cauſa eſt, quando ſubditi adverſus ſuum principem & dominum inſurgunt, fidem datam non ſervant, nec ei obedire volunt, etiamſi ſæpiùs admoniti fuerint. *2. Reg. cap. 20. Judic. 20. 2. Sam. c. 20. 6. 2. Reg. c. 17. 4. 2. Chron. c. 36. 13. Gen. c. 14. 5. 6. 2. Sam. c. 2. c. 3.* Bocer. & Covar. *d. loc.*

Sexta causa est contumacia, quando quis princeps, vel alius dominus aut civitas, judiciorum rigorem sæpiùs attentatum contumaciter spreverit, ut justitia aliter defendi & administrari non possit: *Judic.d.c.20.& c.21.Tholos.d.lib.11.c.21.*

Justa denique causa belli est, quando federa ab altera parte non impleta sunt, *1.Reg.c.22.3.& seqq.* & quando fides promissa præstandi, non servatur: *2.Reg.c.18.17.& seqq.* & quando tyrannis in subditos exercetur. *de qua re in cap.38.diximus.*

18 Juri belli indicendi & gerendi respondet jus pacis & transactionis ineundæ & controversiæ componendæ.

Bodin.*lib.1.c.10. de Rep.* Geil.*lib.2.obs.57.* de qua re suo loco, *c.35.in fin.infra.*

CAPUT XVII.

De cura bonorum corporis consociati.

1 *Bona Reipubl.*
2 *Cura bonorum horum qualis.*
3 *Custodia eorundem.*
4 *Ærarium Romanorum.*
5 *Arma Reipubl.*
6 *Armamentarium.*
7 *Propugnacula Reipubl.*
8 *Annona Reipubl.*
9 *Archivum regni.*
10 *Quæ custodiantur in archivis.*
11 *Archivum Judæorum.*
12 *Archivum Germanorum.*
13 *Bibliothecæ regni.*
14 *Bonorum immobilium cura.*
15 *Bona publica quot modis dicantur.*
16 *Bona publicata.*
17 *Bona ereptitia.*

18 Bona

18 *Bona vacantia.*
19 *Bona fiscalia.*
20 *Bona bello adquisita.*
21 *Bona ex amicorum largitionibus.*
22 *Bona alio titulo justo adquisita.*
23 *Monopolium quando Reipubl. concessum.*
24 *Pagi, oppida, civitates, regiones Resp. Comitatus, Ducatus, Episcopatus.*
25 *Confederatio quid.*
26 *Quæ considerandæ in confederatione.*
27 *Consociatio plena quid.*
28 *Quid conferat hæc.*
29 *Dedititii qui.*
30 *Non plena confederatio quid.*
31 *Cautelæ in confederationibus.*
32 *Federa scribuntur & confirmantur sigillis & juramento.*
33 *Leges confederatorum tres.*
34 *Prima agit de defensione mutua præstanda.*
35 *Hujus capita.*
36 *Secunda, de concordia in confederatos socios fovenda & conservanda.*
37 *Hujus capita.*
38 *Tertia agit de administratione communium jurium & negotiorum.*
39 *Quæ res inter socios communes.*
40 *Conventus sociorum confederatorum est ejus subjectum.*
41 *In confederatione non plena, tot Resp. quot socii.*
42 *Confirmatio horum federum usitata.*
43 *Exemplum federum.*
44 *Confraternitas.*
45 *Fiduciarii principes.*
46 *Clientelare jus.*
47 *Protectionis jus non tribuit jurisdictionem, quamvis periculosum.*
48 *Subditorum cum suo magistratu confederatio & transactio dubia, quomodo confirmanda.*
49 *Fœdus par & æquum quod dicatur.*
50 *Fœdus impar quod.*
51 *Deditiorum subjectio non est confederatio.*
52 *Federa temporalia, aut perpetua.*

53 *Fœdera quæ diuturna.*
54 *Consociatio augetur pluribus titulis & caussis.*
55 *Consilii communicatio.*
56 *Concilia œcumenica quæ.*
57 *Sunt illa regni epitome.*
58 *Jus deliberandi in illis.*
59 *Locus concilii.*
60 *Rationes concilii.*
61 *Concilia variorum populorum.*

TAntum de potectione & defensione corporis consociati, seu universalis consociationis; sequitur de cura bonorum ejusdem.

1 Bona Reipub. seu universalis hujus consociationis sunt, quæ ad usus illius destinata sunt.

Ezech. c. 45. & 46. Gen. c. 47. Renat. Choppin. *de doman. regis. lib. 1. tit. 1. arg. l. 3. §. ult. l. fiscus. §. ult. de jure fisci. l. cùm servus. §. constat. de legat. 1.* Si immobilia sunt bona, vocatur patrimonium coronæ, regni, Reip. vel fisci. Choppin. *d. loc.* Hæc Reip. bona longè differunt à bonis regis. Vid. *cap. 37. n. 59. 60. 61. & n. 2.*

2 Cura hæc bonorum Reipub. vel corporis consociati, est duplex. Prior, quâ diligenter & fideliter ea ad necessarios & utiles Reip. usus conservantur. Altera, quâ illa augentur & amplificantur.

Conservatio bonorum Reipub. est mobilium, aut immobilium.

3 Bonorum mobilium cura & custodia habetur ærario publico, vel aliis ædibus publicis: In illo pecunia, in his verò res aliæ, nimirum Reipub. arma, rés annonariæ, vel annales & documenta regni publica adservantur.

Pecunia corporis consociati continetur in ærario publico, in quo depositæ pecuniæ Reipub. asservantur, ex quocunque titulo illæ fuerint adquisitæ. Greg. Tholos. *lib. 3. c. 3. de Rep.*

Apud

Apud Romanos quadruplex ærarium fuisse constat. 4
Unum commune, in quo civium tributa, ac sociorum vectigalia, & præda Imperatorũ asservabantur, quibus bellorũ sumptus ordinarii sustinebantur. Alterũ, sanctius ærarium dictũ, in quo aurum vicesimarium ad ultimos Reip. casus servabatur. Tertium fuit, in quo pecunia belli Gallici causâ custodiebatur. Quartum fuit ærarium ab Augusto his tribus ptioribus additũ, quod militare dicebatur. De variis variarum gentium ærariis vide Greg. Tholos. *lib. 3. c. 3. de Rep.* De Judæorum ærario vide. *1. Reg. c. 7. 51. c. 14. 14. c. 23. 13. 2. Chrõ. c. 9. 26. c. 20. 20. & seqq. Josu. c. 6. 24.* quod fuit sacrum & ecclesiasticum ex eleemosynis, decimis, & primitiis: vel civile, quod vel militare ad bellum, vel politicum ad usum politiæ destinatum: utrumque ex contributionibus altisque Reip. redditibus colligebatur.

Hodie similem ærarii distinctionem retineri adhuc Venetiis, & in Galliis, testatur Daræ. *lib. 3. c. 3. pol.* & commendat. Consultum tamen est, quò thesauri publici, aurum vel argentum tutius asservetur, ut conflatum & contusum in lateres vel laminas liquefactum & fusum deponatur, quàm in moneta cusa. Vid. Greg. *lib. 3. c. 3. n. 8. 9.* Boter. *lib. 7. c. 9. de polit. rectè const.*

In ædibus publicis asservantur Reip. arma, annona, & documenta.

Arma Reipub. seu regni continentur & asser- 5
vantur in armamentario, quod jus Armandiæ in jure feudali dicitur, & eminentiam & majestatem arguit.

Novel. *85. de armis. tit. C. ut ãrmorum usus inscio princ. l. 1. l. 2. de vi publ.* Vid. Greg. *lib. 9. c. 1. num. 16. & seqq. de Rep. 1. Sam. c. 13. 19. 22. 2. Chron. c. 8. 18. 19. 20. & c. 17.* Vide Boter. *lib. 7. c. 1. & infr. c. 34. & seqq.*

Arma autem omnis generis comparata ad of- 6
fendendum & defendendum magnâ copiâ, ad milites, pedites & equites instruendos & armandos, ad bellum in omnibus Reip. necessitatibus asservanda sunt,

Exemplo clariss. Impp. *2. Chron. c. 8. 17. 18. c. 11. 12. & c. 17.*

12.c.16.4. Vid.infrà *c.34.* ſpecimen optimè inſtructi armamentarii hodie videre licet apud Venetos, ut teſtantur teſtes oculati plures.

7 Atque huc eriam pertinent publica regni propugnacula & munitiones, quæ ad regnum, ſeu conſociationem univerſalem pertinent, quibus utitur ad ſui defenſionem contra vim & bella hoſtium, & ad comprimendos hoſtes Reipub. internos. De quibus latiùs infra *in c.34. & ſeqq.*

8 Annona Reipub. ſeu regni continetur & aſſervatur in granariis, in horreis & ædibus annonariis, ad neceſſitates regni incidentes, tempore belli, vel caritatis.

Exemplo Pharaonis, *Gen.c.41.* Salomonis, *1.Reg.cap.9.* Joſaphat, *2.Chron.c.17.* Hiskiæ, *2.Chron.c.32.* Vid. *Joel.c.1. Eſa.c.3.* Vid. *infr.c.34.*

Annona hîc nobis eſt, quicquid ad vitam humanam ſuſtentandam eſt neceſſarium & utile, uti panis, caro, vinum, cereviſia, veſtes, omnis generis frumentum.

2. Chron.c.11.12. Dispones in eis anteceſſores, & apothecas cibi, olei, & vini; *& v.23. Joſu.c.1.11. Judic.c.20.10.* Solet verò reponi commeatus & annona ejusmodi in locis munitis, *2.Chron.c.11.23.c.17.13*, ubi Jun. *2.Reg.c.20.13. & ſeqq.* Romani totius anni commeatum in aceto, frumento, lardo atque hordeo & paleis ad uſum equorum, conditum habebant. Vide Greg. *lib.11.c.3. de Rep.*

9 Archivum publicum regni eſt, grammatophylacium; quo publica regni documenta, annales, hiſtoriæ rerum geſtarum, libri legum, ſtatutorum, privilegiorum & jurium regni, atque documenta alia cuſtodiuntur. Vocatur aliâs χαρτοφυλάκιον, camera, ſcrinium ſacrum, cancellaria, tabularium.

Extracta & deſumta ex hoc archivo inſtrumenta, probant; ut latiùs docent Juriſconſulti.

De

De archivis Imperii & aliorum, Rutgerus Ruland. *cap.4. lib.5. de commiſſar.*

Tutò autem cuſtodiri archiva, Reip. intereſt. Nam ubi deſunt illa, illic magnam quoque rerum perturbationem tandem ſequi neceſſe eſt, præſertim ſi de jure, aut finibus regionis, cum vicinis contendatur. Iſta igitur in quavis regni metropoli eſſe, conſultum eſt, in locis munitis, vel ſanctis. Vid. *1.Sam.c.10.25.* Cúmque elocutus eſſet Samuel jus regni, & deſcripſiſſet in quodam libro, collocavit eum coram Jehova, hoc eſt, in domo Dei ante arcam ipſius aſſervandum, cujus arcæ ſedes erat Hieroſolymis, quæ regni metropolis.

In archivis iſtis regni ſervantur & cuſtodiuntur 10
etiam regeſta, libri cenſuales, libri feudales, libri ſtatutorum, conſuetudinum in regno receptarum, libri exactionum, tributorum, decimarum, redituum, & indictionum publicarum, matricula imperii, ſeu regni, in qua nomina civitatum, provinciarum, vicorum, pagorum & oppidorum regni, item jura regni, *1.Sam.c.10 25.* annales rerum geſtarum, judiciorum Dei, federum, pacis initæ, finium territorii regni, continentur.

In politia Judaica ex archivis regni videntur ſumti libri 11
hiſtorici, ſacræ ſcripturæ omnes, imò in archivo libri authentici ſacræ ſcripturæ, & matriculæ genealogicę, depoſitæ videntur, uti apparet ex Nehemiæ & Eſdræ libris, itē Chronicorum & Regum. Ex archivis igitur & actis publicis quovis tempore informatio & inſtructio de rebus geſtis memoralibus, genealogiis nobilium familiarum, Reipub. terminis territorii atque de aliis pluribus, peti & ſumi poteſt. Vide exemplum *Eſth.c.2.23.c.6.1.2.* Facit huc *Pſal.78. & 95. & 105.106. & 136. 2.Chron.c.35.25.26.27. Heſr.c.5.17. cap.6.1.2.*

Ejusmodi archivum in politia Germanorum eſt penes 12
electorem Moguntinenſem, qui acta publica Imperii Germanici, quæ in comitiis, deputationibus, viſitationibus & aliis Imperii conventib. peraguntur, & matriculam Imperii,

in aula sua custodit, apud quem etiam eorundem editio petitur.

13 Huc refero etiam bibliothecas regni, quæ in metropoli conservantur,

Patric. *lib. 8. tit. 15.* Tholosan. *lib. 16. cap. 7. n. 9.* Castel. *lib. 3. part. 2. c. 13.*

14 Bonorum immobilium ad regnum pertinentium inspectio & cura, ex universalis consociationis arbitrio & consensu committitur curatoribus constitutis.

Bona hæc ad Rempub. pertinent tribus modis:

15 Primo modo, quando usus publicæ rei singulis privatis civibus regni separatim conceditur, ita ut eum qui priùs uti cœpit, alius superveniens impedire non possit in usu: *tit. ne quis in loco public. l. 24. fluminum. de dam. infect. tit. de fluminib. tit. ut in flum. public. navigar. l. 13. in fin. de injur. l. 7. de diverſ. & temp. præſcript. tit. de loc. publ. fruend.* latè Rosenth. *lib. 1. c. 5. concluſ. 23. & ſeqq. de feud.* cùm nihilominus proprietas harum rerum sit Reipub. & regni vel universorum, non singulorum membrorum regni; uti sunt navigabilia flumina publica regni, pascua publica, portus, viæ publicæ, regiæ, prætoriæ, consulares, loca publica, nemora, sylvæ publicæ, saltus hyberni, æstivi, vectigales fundi, prædia stipendiaria, fodinæ metallicæ, salinæ, aut salisfodinæ, thermæ, balnea, fontes, aquæductus, stagna, lacus, eluviones, paludes, littora, limites regni, maris aut fluminis dominiū. Vid. Marc. Ant. Peregr. *lib. 8. de aquis, poſt tract. de jure fiſc.* & Joh. Baptist. Aym. *de jure alluv.* Pet. Heig. *lib. 2. quæſt. ult.* Rosenth. *lib. 1. d. c. 5. concluſ. 88. & ſeqq. de feud. & concluſ. 23. & concluſ. 31.*

Secundò, res publica dicitur, cujus usus & proprietas

prietas nō singulis privatis separatim, sed toti corpori communis est, & nomine Reip. seu regni dispensatur & erogatur; uti est pecunia fiscalis & ærarii, collecta ex singulorum membrorum regni fortunis & bonis, ad conservandam utilitatem & dignitatem Reipubl. vel onera relevanda, ut vectigalia, pensitationes, collationes, in arca communi repositæ, vel aliæ res annonariæ, frumentariæ relatæ in horrea publica. Choppin. *lib. 1. tit. 14. 15.*

Tertiò publica dicitur res, quæ per consequentiam, non principaliter, populi utilitati inservit, uti opera & ministerium, quod in privatis officiis præstatur, sicuti tutela ac cura, JCtis dicitur.

Quartò publica res dicitur, quæ ad utilitatem & causam totius corporis populi pertinet, & per consequentiam in singulorum utilitatem redundat. Pet. Greg. *lib. 1. c. 1. de Rep.* uti armamentaria, archivū, prætoria, bona publicata, bona caduca, ereptitia, ἀκληρονόμητα, bona fiscalia, bona bello adquisita, & bona donata, vel alio justo titulo comparata.

Bona publicata, sunt bona delinquentis, quę ob 16
delictum civis in fiscum sunt redacta, & in usum Reipubl. seu regni conversa: *2. Sam. cap. 16. 4. 5. Auth. bona damnatorum. C. de bon. proſcript.* Renat. Choppin. *de doman. lib. 1. tit. 7. & ſeqq.* Rosenthal *de feud. lib. 1. c. 5. concl. 59.* Peregrin. *de jure fiſci. lib. 5. tit. 1.* Matth. Steph. *lib. 2. part. 1. c. 7. de jurisd.* Cujus generis etiam sunt bona damnatorum quorundam: *1. Reg. 6, 21. 15. 16.* & mulctæ, quæ à delinquentibus exiguntur, *c. unic. quæ ſunt regal.* & fructus jurisdictionis dicuntur. De quibus JCti latiùs. Peregrin. *d. loc. bona commiſſa. l. fin. de publican.* Rosenthal. *cap. 5. concluſ. 36.*

17 Bona ereptitia dicuntur, quæ ob delictum ab indignis successoribus hæredibus sunt ablata.

Tit. *de his, quibus ut indignis &c.* Vide Rosenthal *d.c.5. concluſ.55. & ſeqq.*

18 Bona vacantia, ἀκληρονόμητα, quoq; fisco conceduntur: *tit.C. de bon. vacant.* Peregrin. *de jure fiſci. tit.3. num.13. lib.4.* Bona vacantia hîc nobis sunt, quæ à nullo privato possidentur, uti sunt bona mortuorum sine hærede legitimo: bona perdita: bona pro derelictis habita: loca deserta & inculta, à nullo occupata in territorio Reipub. *tit.C. de omni agro deſert. lib.12.* Mascar. *concluſ.1189. n.34.* Menoch. *lib.3. præſumt.100.n.9.* Rosenthal *c.5.concl.52. & ſeqq. tit. quæ ſunt regal. ubi Dd.* Ejus generis quoque sunt caduca bona. *tit.C. de caduc.tollend.* Choppin. *d.lib.1. tit.7. & ſeqq.*

19 Bona fiscalia sunt, quæ ratione dignitatis & potestatis à subditis & regnicolis magistratui ad commodiorem Reipub. gubernationem sunt data pro impensis & sumptibus in communem societatem, & salutem subditorum faciendis: uti sunt bona regno conjuncta & incorporata, seu coronæ unita, quæ Reip. dos dicuntur, quæque magistratui alienare non licet: Greg. *lib.3.c.2.c.8. de Rep.* Hotoman. *quæſt. illuſt.1.* latè Choppin. *de doman. regis. lib.1.tit.5.* Heig *lib.1.quæſt.*

20 Bona in bello adquisita sunt prædæ & spolia ab hostibus capta; uti pecunia, agri, prædia, urbes, pagi, oppida, sylvæ, saltus, & res aliæ similes, quæ non duci, seu summo magistratui, sed regno adquiruntur.

De quibus *l. Lucius 11. de evict. l.15. item ſi. §. 2. de rei vind. Joſu.cap.6.24. Judic.c.11.15. & ſeqq.* ubi Petr. Martyr. *1.Sam.cap.8.2.6.14. Deut.c.20.10. & ſeqq.* Bod. *lib.6.c.2. de Repub.*

Republ. ubi exempla ex Livio & Plutarcho refert. Solebant tamen quandoq; Romani, victis populis & agri parte multatis, colonias egentium ac tenuiorum civium emittere, & eam agri partem illis adsignare; ex quo incredibilis tum utilitas, tum gloria Imperio nominique Romano accedebat. Plebs tenuiorum, quæ urbem onerabat, exhauriebatur, stirpes civium propagabantur, veteranis agri adsignabantur, & victi Romanorum moribus & legibus assuescebant, & coalescebant. Exempla refert Bodinus *d.loc.* David ex spoliis, auri talenta centum millia, argenti mille talentorum millia coëgisse legitur, *1.Chron.c.22.* Ezechias etiam hinc suos thesauros & opes collectas habuisse legitur, *Esa. cap.39.*

Bona ex amicorum largitionibus vel legatis accepta, Bodinus inter modos pecuniæ conficiendæ refert, *lib.6.c.2. de Rep.* sicuti & annuam pensionem, quæ à sociis civitatibus ex fœdere percipitur. Item auxilia & milites sociis missos. *d.c.2.* 21

Bona alio quovis titulo justo adquisita simili ratione universali consociationi, seu regno & Reip. adquiruntur propria, ac privatis aliis. Losæ. *de jure univerſ. part.5.c.1.* Choppin. *de doman. regis lib.1.tit.6.* 22

Atq; hîc etiam mercatura & monopolium licitum & honestum censetur, nimirum quando nomine totius regni exercetur: 1. quando commercia, ob non tuta itinera, vel pericula, vel privatorũ facultatibus, exerceri nequeunt. Ita Portugalense regnum mercaturam in Æthiopiam & Indiam aperuit. 2. quando exercitium commerciorum privati alicujus potentiam augeret & suspectam redderet. 3. quando utilitas & necessitas Reipub. tempore caritatis & inopiæ id postularet. Boter. *lib.8. de polit. rectè inſtit.* Vid. infra *c.32.n.9.n.21.22.* 23

Denique inter Reip. bona immobilia refero consociati corporis pagos, oppida, civitates, & regio- 24

nes, caſtella itē, Comitatus, Ducatus, Marchionatus, Baronatus, Epiſcopatus & ſimilia, ad eandem Remp. vel corpus univerſalis conſociationis pertinentia, quarum res, operæ, conſilia & auxilia ad corporis politici conſervationē communicantur.

De quibus *capitib. præced. 6. 7. 8.* diximus. Horum causâ fiſcali Imperii actio competit. Vid. Geil. *lib. 1. obſ. 21.* Renat. Choppin. *d. loc. tit. 2. & 3. lib. 1.* Unde Imperator, ſeu Cæſar utitur formulâ, in vnſer vnd des heiligē Reichs Statt ꝛc. quę notat Cæſaris protectionem & jurisdictionem; verba verò, des heiligen Reichs Statt notant proprietatem univerſitatis, cujus Cæſar eſt adminiſtrator, uti ſupra diximus.

Atque hæc de conſervatione & cuſtodia bonorum corporis conſociati; ſequitur, ut nunc etiam dicamus de eorundem auctione & amplificatione. quæ fit per confederationem, conſociationémve aliorum, vel per alios titulos & modos legitimos.

25 Conſociatio ejusmodi eſt, qua in communionem & ſocietatem corporis unius recipiuntur & conſociantur alia regna, provinciæ, civitates, pagi vel oppida, quibus corpus univerſalis conſociationis amplificatur, firmius & tutius redditur: *Novel. 105.* quod tamen ſine autoritate & conſenſu corporis ejusque adminiſtratoris fieri non poteſt.

Tholoſ. *lib. 11. cap. 11. num. 3. adde* Zuing. *theat. lib. 28. tit. politiarū forma.* & Alex. ab Alex. *lib. 4. genial. dier. c. 19. c. 22.*

26 In hac perſonæ confederandæ cauſa, forma & conditiones bene obſervandæ.

Perſonæ, tum ſuscipientis, tum recepti in fedus, eorum mores, potentia & ſtudia. Cauſa an juſta, vel minus: Forma & conditiones, ne ſint periculoſæ, vel captioſæ. Magna verò eſt differentia, an fedus contrahatur cum rege, an cum Republ. ſeu conſociatione univerſali. Hoc enim perpetuum,

um, illud temporale, ad mortem regis uſque durans. Cabot. *lib. 2. diſp. c. 14.*

Quos verò peregrinos & extraneos conſultum ſit recipere in conſociationis communionem, explicat Tholoſ. *lib. 4. c. 4. n. 14. & ſeqq.* Planè multitudo populi, gloria & robur regni dicitur, *1. Reg. c. 4. 20. 21. Prov. c. 14. 28.* In multitudine populi eſt decor regis &c.

Conſociatio ejusmodi extranei populi, vel corporis alterius, eſt duplex: plena ſcilicet, vel non-plena, ex parte & quadantenus facta.

Plena conſociatio & confederatio eſt, qua alie- 27
num regnum, ejusque regnicolæ, vel provincia, aut conſociatio univerſalis quævis alia, communicatis legibus fundamentalibus regni, & juribus majeſtatis, in plenum integrumque jus & communionem regni adſumuntur, cooptantur, & quaſi in unum idemque corpus conjunguntur & coaleſcunt, tanquam unius ejusdemque corporis membra.

Atque hoc jus federis ineundi ad majeſtatis capita referri, dubitandum non eſt. Novel. *105.* Gentilis *de jure belli cap. 3. lib. 1.* Fedus ejusmodi & confederatio apud Romanos fiebat per fecialem, cæremoniis ſolitis ſolemnibus, & jurejurando interveniente, & recitatis legibus conventis pro federe. Gregor. *d. loc.*

Itaque hisce confederatis communis eſt amici- 28
tia, jus hoſpitii, commerciorum, ut liceat in ſociorum fines ire, agere, negotiari, res rationesque contrahere, idque ſine vectigalis ullius ſolutione, aut certo vectigali, quod ex federe mercatoribus imperatur.

Bod. *lib. 5. c. 6.* Talis confederatio & communicatio majeſtatis jurium facta fuit inter Albanos & Romanos olim, teſte Livio, & alios populos, qui in communionem Regni & Reip. Romanæ fuerunt adſumpti. Ita à Judæis in ſocietatem regni

fuerunt recepti, Gibeonitæ, *Jos.c.9.* Idumæi, seu Edomitæ, & alii populi, *2.Sam.c.8.* & à Romanis olim Judæi, *1.Macch. cap.8.24.& seqq.* Alia exempla plura refert War.ab Erenb. *in meditam. prof ed.cap.2.& cap.4.* & Greg.*lib.11.cap.11.de Rep.* Bod.*lib.4.cap.1.* Sic & magnus Lituaniæ Ducatus conjunctus pari jure cum Polonia. Item Borussia cum eadem Polonia, Regnum Arelatense & Britannia minor, Galliæq; partes aliæ cum Franciâ, & Scotia hodie cum Anglia; Silesia Moraviaque cum regno Bohemiæ, Marchia nova Brandeburgensis cum veteri.

29 Atque ejusmodi confederati faciunt unum Reip. corpus, & eandem Remp.

Menoch.*cons.99.n.39.& 1.quæst.100.in fin.arb.jud.* Bod. *lib.4.c.1.& lib.5.c.6.*

Hisce confederatis adfines sunt, qui sunt deditii, qui subjiciuntur & recipiuntur in regnum, seu communionem Reip. ut sint subjecti.

Vid.Antimach.*lib.3.c.18.* Menoch.*lib.1.quæst.100.arb.jud.* Carol.Sig.*de antiq.jur.Ital.lib.1.c.1.* *1.Reg.c.13.16.* Tholos. *lib.11.c.11.lib.5.c.6. de Rep.* qui exempla recensent.

30 Non-plena confederatio est, qua diversæ provinciæ vel regna, salvo singulis suo majestatis jure, quoad auxilia mutua contra hostes ferenda, vel quoad fidē præstandam & pacem inter se & amicitiam colendam, vel quoad communes amicos, vel hostes communi sumptu habendos, ultrò citroque solemniter icto fedære, seu pacto inito, ad tempus certum, quod melius, vel incertum, se obligant.

l.7.§.1.de captiv.& postl.revers. Halicarn.*lib.1.* Tholos. *lib.11.c.11.n.9.* Bod.*lib.1.c.7.& lib.5.c.6. de Rep.& infrà 1.3. sub finem.*

In federibus ejusmodi contrahens & paciscens cautus esse debet, ne per ea rapiatur ad negotia injusta & pernicioſa, atque ruinâ socii confederati simul opprimatur.

Hœnon.*disp.polit.13.thes.4.* Melch.Jun.*quæst.74.part.2.* Richt.*axiom.polit.157.*

Ideoq; hîc ponderanda sunt 1. potentia confederandi socii. 2. fides & constantia confederandi socii ex anteactis. 3. similitudo morum. 4. æqua & honesta conditio inter confederatos, an ex fedære nihil, aut parum utilitatis, ad confederatum veniat. Melch.Jun.*quæst.74.* Bod.*lib.5.c.6.* Hœn.*d.loc.* Probantur confederationes, ex quib.non major ad unum, quàm alterum socium redit utilitas, vel periculum. latè Boterus *lib.8. de polit.instit.* 31

Federa & pacta hæc, quibus tales confederati devinciuntur inter se & conjunguntur, certis legibus pactis & conditionib. concipiuntur, atque stipulatâ manu, scripturis, sigillis, & quandoque juramentis confederatorum confirmantur. 32

Exempla plurima recensent Josias Siml. *lib.1.de Rep.Helv.* & Meteran.*in historia Belg.*

Leges ejusmodi confederatorū de trib. potissimùm agunt: 1. de defensione mutua contra vim & injuriam. 2. de concordia inter confederatos fovenda & conservanda. 3. de administratione communium jurium sociorum confederatorum. 33

I. De defensione mutua confederatorum contra vim & injuriam quamvis tam à socio, quàm ab exteris illatam, sunt ejusmodi leges: 34

Pro libertate, jure, privilegiis confederati defendendis, socius confederatus invocatus auxilium ferat quovis tempore, & socio laboranti συμμαχίᾳ & syncretismo mutuoque auxilio adsit, absque mora & dolo. 35

Socius confederatus, socio è suis finib. vim injuriámve inferri non patiatur, sed prohibeat, neq;

transitum hosti concedat, neque subditos contra socium militare permittat, & usum commerciorum liberum socio concedat.

Socius in territorio suo permittat socio confederato militem ex suis subditis, tempore necessitatis, conscribere.

Bella ex communi consensu sociorũ suscipiantur, gerantur, & pax voluntate eorundẽ sanciatur.

36 II. De concordia inter confederatos socios fovenda & conservanda, leges sequentes sunt.

37 Dissensiones, lites & discordiæ sociorum non bello, sed in comitiis, seu conventu publico sociorum, ex judicio confederatorum, vel à certis arbitris & bonis viris utrinque electis, componantur. Bello inter socios duos confederatos orto, tertius socius neutri patri se jungat, sed operam det paci componendæ. Bod. *lib. 5. c. 6. de Rep.*

De injuria illata socio à socio, cognoscant & statuant reliqui socii, quorum judicio damnatus pareat. Bodin. *d. loc.*

Confederatus cum alio, fedus sine voluntate vel scientia sociorum non ineat, neque se in alterius imperium tradat, neque pacem, neque induciias cum hoste, sine cæterorum voluntate, faciat; in pace verò, vel induciis talibus, socius comprehendatur.

Socius socio nullum bellum inferat, vel eum lædat, spoliet, damnúmve det. Secus si fiat, socii cæteri defensores & vindices sint. Bodin. *lib. 5. c. 6.*

Novis vectigalibus portoriisve socius non premat socium.

Scelerati, malefici, fugitivi in socii territorio depre-

deprehensi, ad locum delicti à sociis interpellatis mittantur, & ab altero proscripti, non recipiantur.

Cuiq; socio confederato jura majestatis, Reip. cõsuetudines, privilegia salva & illæsa permaneant.

Commeatus, publica securitas & commerciorũ usus sociis in agris sociorum & territoriis concedantur.

Federis renovatio, constituto definitoque tempore fiat.

III. Leges de administratione communium jurium confederatorum, sunt de rebus communibus & de conventu sociorum communi. 38

De rebus communibus sunt: In bello sociorum communi, sumptibus communibus gesto, occupata castella, urbes, agri, regiones, annui reditus, vectigalia, jurisdictiones, territoria, cedant omnibus sociis, atq; inter eos æquáliter distribuantur. 39

Adquisita verò bello sumptibus unius ex sociis, illi soli cedant.

Regiones, urbes, oppida, agri, communi bello & sumptibus parta, communi imperio aristocraticè regantur.

Federis violatores, tanquam perjuri & perfidi puniantur.

Conventus sociorum confederatorum communis est, in quo de rebus, vi confederationis ad omnes socios confederatos pertinentibus, earumq; annexis, ex communi sociorum decreto, secundùm omnium & singulorum, vel plurimorum sociorum sententias, statuitur. 40

Socius confederatus quilibet jus suffragii in conventu hoc habeat.

Conventus hic sociorum ad socii unius, vel

plurium petitionem indicatur & convocetur ab illo, cui illud ex ſociis communi conſenſu eſt injunctum: idq; in loco & tempore conſtitutis & deſtinatis, cum indicio rei ſive negotii, de quo agendum eſt. Vide infrà *c.33. cis finem.*

Seſſio & locus inter confederatos ſocios ex communi conſenſu conſtitutus & receptus obſervetur.

In conventu ejusmodi confederatorum agitur de pace vel bello, de ratione belli gerendi, vel de legatione ad exteros, de reſponſo legatis exteris dando, de gubernatione communium provinciarum oppidorumve, atq; de illorum querelis, gravaminibus & appellationibus, vel de controverſiis inter ſocios ortis componendis, & de ſalute atque tranquillitate omnium & ſingulorum confederatorum ſociorum.

41 In hac confederatione non-plena tot ſunt regna & principes, ſeu Resp. quot ſunt ſocii. Nam non coëunt hîc in unum Reip. corpus confederati, ſed ſinguli ſeparatam Rempubl. & territorium, & jura majeſtatis uſurpant, ut populus ſingulorum ſociorum maneat αὐτόνομος, αὐτοτελὴς καὶ αὐτόδικος, tantum communicans cum ſociis, quantũ inter ipſos eſt conventum. Bodin. *lib.1.c.7.*

42 Hęc fœdera aliquando affinitate, obſidibus, fidejuſſoribus, vel demolitione munitionis, vel alio modo confirmantur, vel vindice potentiore conſtituto ſanciuntur, datâ ei poteſtate in perfidos vel perjuros animadvertendi. Bodin. *lib.5.c.6. de Rep.*

43 Ejusmodi eſt fœdus Danicum & Holſaticum: Fœdus inter Venetos, Florentinos, & Pontificem Romanum; fœdus inter Anglum & Gallum: fœdus inter Pontificem Romanum, Hiſpanum & Sabaudum: inter civitates Anſaticas: fœdus inter Helve-

Helvetiorum pagos, quos vocant: confœderatio inter provincias Belgicas, & earundem cum rege Galliæ, Angliæ & Daniæ nuper contracta: & plura alia refert Warem. ab Erenb. *d.loc.* & Bodin. *lib.5.cap.6. de Repub.* Apud Romanos olim ejusmodi ſocios & confœderatos etiam fuiſſe, hiſtoriæ teſtantur apud Liv. *lib.9. lib.43. & 48. decad.4. l.7. de capt. & poſtl. reverſ.* de iſtis fœderib. exempla etiam in ſacra hiſtoria extant: *Gen.c.21.c.14.13.c.34. Joſ.c.9.15. 2.Sam.c.3.12.21. 1.Reg.cap.5.12. 1.Reg. c.35.19. 2.Chron.c.16.3. 1.Reg.c.20.34. c.2.c.29.24. Oſe.c.12.1. Joſ.c.9. 1.Reg.c.15. 2.Sam.c.3. 1.Reg. c.3.* Vide infrà *de fœderib.c.31. in fine.*

Adfinis huic eſt confœderatio, quam confraternitatem vocant, Erbverbrüderung. 44

Teſſaur. *deciſ.225. num.12. l.ſodales. de colleg.* qualis inter Saxonem & Landgravium eſſe dicitur & nonnullos alios, atque olim inter regem Ungariæ & Auſtriacum: item inter Bohemum & Auſtriacum: quæ tamen confœderatio inter illos qui ſuperiorem agnoſcunt, non valet, niſi illius conſenſus interveniat, ut notat Geil. *lib.2.obſ.* exempla recenſet Cabotius *lib.2.diſput.c.12.* & conſenſus ſubditorum, ſeu ordinum Reipubl. Vide infrà *c.37.n.51.& ſeqq.*

Hujus loci ſunt quoque, qui provinciã aliquam, vel certam partem regni, tanquam vaſalli & fiduciarii principes, à ſuperiore tenent, in cęteris autem jura majeſtatis ſibi uſurpant. 45

Bodin. *lib.1.c.9. de Repub.* uti rex Daniæ & rex Hiſpaniæ, qui quasdam provincias feudales à Cæſare recognoſcunt, quem tamen in reliquis ſuis provinciis & regnis ſuperiorem non agnoſcunt. Vide Bod. *d.loc.*

Similes quoque confœderatæ civitates liberæ, & earum cives αὐτόνομοι καὶ αὐτόδικοι; vide Valer. *lib.5. c.2.* Pet. Fab. Semeſt. *c.7.* aut principes, vel domini fiduciarii, qui ſe ad tempus certum, vel indefinitum, jure clientelari, protectionis ergò, Reipub. & politiæ alicui certo ſtipendio addicunt. vide Bod. *lib.1.cap.9. & lib.5.c.6. de Rep. tit.C. de domeſt. & protect.* 46

lib.12. Geil. *lib.2.obſ.54.* & ſe committunt in protectionem alterius contra vim & injuriam aliorum, retinentes propriam poteſtatem & libertatem, & priorem dominum, tantùm quoad pacta conventa alium recognoſcentes. Vide Geil. *lib.2.obſerv.54.* Mynſ. *conſ.13.n.10. & cent.6.obſ.2.*

47 Hi ergo ob protectionem, non eximuntur à jurisdictione ſui domini.

Pet.Frid. *lib.2.de mandat.c.14.* Pet.Greg. *lib.11.cap.11.n.6.* Geil. *d.loc.n.3.4.* Licet plerique fateantur, ejusmodi jus clientelare valde eſſe periculoſum, niſi bene clientum libertati caveatur. Ideoque Pet.Frid. in eo requirit 1. juſtam cauſam, nimirum, quòd ordinarius magiſtratus non poſſit, vel nolit defendere, vel iniquè gravet ſuos ſubditos. 2. ut proximè ſuperior magiſtratus clientis, protector conſtituatur, niſi fortè ob juſtas cauſas alius ſit eligendus. Quando igitur proprius magiſtratus poteſt & vult tales defendere, jus protectionis minimè conceditur. Vide Pet.Frid. *d.loc.* Coler. *in c. cùm non liceat.n.9.& ſeqq.extra de præſcript.* Nattam *conſ.446.n.6.* Diſſentit Weſenb. *conſ.48.n.23.part.1.* ubi ait, ſubditos defenſionis cauſâ undecunq; petere poſſe defenſionem. Mynſing. *cent.6.obſ.2.* Geil. *d.obſ.54.num.4.* & quando oppreſſis non ſuccurrit ſuperior, licitè aliunde auxilium petere illi poſſunt, & illi ſe ſubmittere. Gigas *de crim.læſ.majeſt.lib.1. quæſt.56.* Toming. *conſil.13.num.43.& ſeqq.* vide ſuprà *c.8. num.ult.*

De cautionibus, quibus clientum libertati proſpicitur & conſulitur, latè Bodin. *lib.5.c.6.* inter quas excellit illa, quâ brevi tempore patrocinium concluditur, & munitiones clientum in poteſtatem protectoris non veniunt.

48 Subditorum cum ſuo magiſtratu pactio inita difficulter ſervatur, ideoq; datis fidejuſſoribus, vel vindicibus potentioribus, cum poteſtate in perfidũ animadvertendi conſtituta; vel propugnaculi, munitionisve unius, vel pluriũ deditione, aut præſidio militari

conſtituto: vel conceſsâ licentiâ ab obligatione parendi, reſiliendi, & arma contra magiſtratum ſumendi, confirmanda eſt: Bodin. *lib.5.c.6.*

Apud Romanos olim fœderatus populus dicebatur, cum quo populus Romanus amicitiam coierat per fecialem, ſolenni precatione adhibitâ, ſociusque Romani populi appellabatur. Menoch. *lib.1.arb. quæſt.100.* Sigon. *lib.1.de antiq.jure Italiæ.c.1.* Habebant enim Romani quosdam amicos, quosdam in tutelam & protectionem recipiebant.

Fedus ejusmodi non-plenum, quod diximus, 49
Romanis erat duplex. Primum, erat par & æquum, veram utraque ex parte æqualitatem habens, quò pares, æquo federe in pacem & amicitiam venirent, ita ut populus neuter altero eſſet ſuperior, in quo uterque confederatus ſuæ majeſtatis dignitatem imminutam conſervat, licet auxilia mutua, impenſę & ſumptus utrinq; imparia ſint. Menoch. *d.loc. per l. non dubito 7.de capt.& poſtlim. reverſ.* Greg. *d.loc.* Bodin. *lib.5.c.6.*

Alterum fedus erat impar, quo unus populus al- 50
tero ſuperior erat. Menoch. *d.quæſt. 100.nu.13.per d.l. non dubito 7* quo alter alterius majeſtatem comiter conſervabat, & hoſtes atque amicos eosdem habebat, mutuam protectionem & defenſionem tribuens, non ſubjectionem, nec jurisdictionem, nec imperium alteri in alterum conſtituens: Menoch. *d.loc.* eleganter. Roland. à Val. *conſ.1.n.47.vol.1.* Greg. *d.loc.* Bod. *lib.1.cap.9.de Rep.*

Qui autem in federe alterum populum ſuperiorem agnoſcunt, ii vel tributum indictum, aut penſionem dependere ſolent, vel ab omni penſione tributóve immunes ſunt. *Bod. lib.5. cap.6.* utrique verò ſuperiorem obſervant, ita ut in omnibus

actionibus & conſeſſibus ille primas obtineat, *arg. d.l. non dubito.* & princeps confederatorum dicatur.

51 Tertium fedus quibusdam eſt deditiorum, qui revera non in federe, ſed in ditione eſſe dicebantur, in poteſtate alterius, & ſubjecti: ideoque revera hęc non eſt confederatio.

Exemplo ſunt Capuani, de quibus Liv. *dec. 1.* Ita Menoch. ex Liv. & Sigon. *d. locis.* Tholoſ. *d. loc. nu. 5. 6. 1. Sam. c. 13. 19.* Formulā deditionis ponit Greg. Tholoſ. *d. loc.* & exempla: adde *Joſu. c. 9. 25. & c. 16. 17. Judic. c. 1. 1. Macch. c. 1. c. 4.*

Hisce adfines ſunt qui jure belli fiunt ſubditi victoris. *Tholoſ. d. loc.* Superiores deditii, ſponte adhuc arma tenentes, ceſſerunt conditionibus pro pace imperatis ex arbitrio ſuperiorum, nullam ſibi reſervantes poteſtatem, ſed ſe, & omnia ſua dedentes. Hi ſubacti, ſine ulla deditione in poteſtatem armis venerunt.

52 Quædam etiam federa ſunt temporalia, quædam perpetua.

53 Quando in federe ſociorum non æqualiter intereſt utriusque, & par non eſt ratio defenſionis, periculi, damni, auxilii & belli, ſed alterutrius forte majus periculum & intereſſe vertitur, non ſunt diuturna federa, nec utilia, aut felicia ob inæqualitatem & imparitatem.

Boter. *lib. 8. c. 13. de polit. rectè inſt.* Bod. *lib. 3. c. 6. de Rep.* qua de re ſuo loco infrà *c. 31.*

54 Aliis titulis & cauſis legitimis conſociatio univerſalis augetur, nimirum I. ſucceſſione teſtamentariâ, quâ ab aliis corpus conſociatum, hæres & ſucceſſor inſtituitur, vel ipſi legata relinquuntur, vel ſucceſſione ab inteſtato, quâ adminiſtratores ipſius, vel provinciarum præſides, hæredes ditionis, provinciæ, regni vel civitatis, aut oppidi

pidi alicujus, fiunt & domini. II. donationibus & largitionibus aliorum, ut paulò antè diximus. III. bello legitimo, *ut paulò antè & ſup. cap. 15. dictum.* IIII. emptione. V. matrimonio adminiſtratorum Reip. univerſalium.

Steph. Jun. Brut. *in vindic. contra tyran.* Quâ felicitate floruit noſtro ſeculo familia Auſtriaca, quæ per matrimonia, plura regna & provincias ſub imperium ſuum conjunxit; Bohemiam, Belgium, Burgundiam, Hiſpaniarum regna, Neapolitanum, Siculum, Mediolanū, quædam Indiæ orientalis, plura etiam occidentalis regna, ita ut hæc familia hodie latiſſimè dominetur. Ita Poloni regnum Polonicum valde auxerunt eo ipſo, quòd vicinos quosdam principes potentes pro regibus elegerint. De hisce titulis augendi imperii latiùs Boter. *lib. 8. de polit. rectè inſtituend.* ubi exemplis hiſtoricis rem illuſtrat, & Renat. Choppin. *de doman. regis, lib. 1.*

Atque hæc de communicatione auxilii: ſequitur de conſilii communicatione, quæ à membris corporis conſociati, in conciliis œcumenicis & generalibus conſociationis univerſalis, præſtatur. 55

Concilia illa œcumenica generalia regni, ſeu corporis conſociati, ſunt membrorum illius convocatorum conventus, in quo de Repub. ejusque utilitate & commodis, & de remediis communibus vel ſpecialibus, malis communibus vel ſingularibus adhibendis deliberatur, & conſiliorum communicatione pro ſalute communi aliquid concluditur & decernitur. 56

In his itaque conciliis & comitiis generalibus totius conſociationis univerſalis, regni ſeu Reip. negotia illius ardua, difficilia & gravia tractantur, examinantur & concluduntur, uti ſunt negotia & cauſæ totum Imperium politiámve, vel membra illius concernentes de legibus fundamentalibus

politiæ, de juribus majestatis, de contributionibus & collectis indicendis. Heig. *lib.1 quæst.18.n.6.* Bod. *lib.1.c.8.de Rep.*& de aliis, quæ communem deliberationem & consensum totius politiæ postulant.

57 Concilia igitur & comitia hæc, politiæ vel regni sunt epitome, ad quam omnia publica regni negotia referuntur, & à membris regni discussa & examinata deciduntur.

58 Jus deliberandi, consultandi & examinandi singula, regni & Reip. membra habent. Jus decidendi verò est penes suffragia & sententias plurimorum membrorum.

Arg. *Jud.c.8.1.c.20.21.* Vide Alex. ab Alex. *lib.4.c.10.*& *lib.1.c.17.gen.dier.*& *infr.c.33.*

59 Horum conciliorum celebrandorum & habendorum causâ, ædes amplæ, seu curia regni in metropoli illius constitui solet.

Psalm.122.3.4.5.6.7. Deut.c.17.8.9.10.11.12. Psalm.87.2. 3. Amos c.7.13. 2.Sam.c.5.9.1.Reg.c.7.1.2.3.4.7. cap.10.18.19. 1.Chron.c.28.c.29. Vid. *infr.c.33.*

60 Rationes horum Comitiorum sunt: Primò quod omnes tangit, ab omnibus etiam peragi æquum est; & quod omnium facultates, vires, auxilia & sanguinem requirit, id quoqi eorundem consensu communi fieri debet. Unde minus odii, si malè negocium susceptum cesserit, atque benevolentia & favor populi, qui in publicarum rerum tractatione nõ excluditur. Deinde meliùs causa à pluribus examinari, & quod à plurib. quæritur, inveniri faciliùs potest, cùm plures plura sciant, & minùs falli possint. Tertiò, quia sunt quædam negotia, quæ non possunt nisi à populo in talibus comitiis tractari. Quartò, qui sunt in magna potentia, horum comitiorum metu, in quo liberè omnium postulata audiuntur, in officio contineri & corrigi possunt. Denique hoc modo libertas quædam populo relicta supereſt, atque administratores publici, rationes suæ administrationis reddere, & populum, seu universalem consociationem, dominum suum, à quo sunt constituti, agnoscere coguntur. Vid. *infr. cap.33.*

Ejusmodi comitia in politia Romana olim erant curiata, 61
centuriata, vel tributa, in quibus populus Romanus suffragia ferebat centuriatim, curiatim, vel tributim. Vide Gell. *lib.13.c.13.*& *lib.15.c.27.* Alex. ab Alex. *lib.4.c.3.* Sigon. *lib.1. c.17. de antiq.jure civ.Rom.* Joh. Rosin. de *antiq.Roma.infra c.33.*

In politia Judaica comitiorum, conciliorum & conventuum publicorum tria erant genera: Unum, quando omnes tribus Israël conveniebant, qui erant conventus universales regni. Alterum, quando unius tribus familiæ omnes qui erant conventus provinciales, de quib. sup. cap. de provinc. Tertium, quando civitatis alicujus cives universi convocabantur. Unde comitia & conventus Judæorum erant universales, vel particulares. Universales conventus rectè concilia, seu comitia dicuntur, in quibus omnes tribus 12. Israël congregabantur. De hisce comitiis vide *Exod.cap.35.1.2. Num. c.27.2.19.c.10. Deut.c.9. Jos. cap.23. 1.Sam.7. 2.Sam.cap.13. 2.Chron.c.15. 1.Reg.c.18.19.*& *seqq.c.11. Judic.c.20.c.21. Jer. c.26.c.37. 1.Chron.c.28.c.29.* De conventibus tribuum singularum vide *Josu c.19. Judic. c.12.* & diximus *sup.c.8.§.provinciarum.n.62.c.16.n.10.* De synodis & conventibus civitatum singulatum vide *2.Chron.c.30. 1.Reg.c.8. Act.c.19.* vide Sigon. *lib.6.c.3. de Rep. Hebr.* Erat quoque senatus universi populi, senatus tribuum singularum, & senatus civitatum singularum. Senatus universi populi erat 70. seniorum conventus, de quo *Num.c.11.* Congrega mihi 70. de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd seniores populi sint &c. *Jos.cap. 23. Jud. cap.21.1. 1.Reg. cap.7. 2.Chron.cap.1. Luc. cap.12.* De senioribus singularum tribuum, vide *2.Reg.c.23.*& *1.Sam.c. 30.* de senioribus civitatum, *Judic.c.11.c.8. Ruth.c.4.* Sigon. *d.lib.6.c.4.* In Germanorum comitiis omnes Status Imperii, de communibus regni negotiis & causis statuunt & decernunt. Vide bullam Caroli quarti Imp. Ejusmodi constitutiones Imperii editæ extant. In regno Galliæ talia comitia usitata etiam olim fuisse, refert Cæsar *lib.5.*& *6. de bello Gal.* & Sueton. *in Julio Cæs.c.30.* latè Hotoman. *lib.1. de antiquo jure regni Gallici.* Tholosan. *lib.24.c.4.c.5. de Rep.*& *lib.47. cap. 25.* & *seqq. Syntag.* Tribus verò de causis publicum concilium generale in Gallia cogi solitum, refert Antimach. *lib.1. theor.1.* Primò, cùm regni moderator designandus

erat ordinum suffragiis. Deinde cùm regni status corrigendus erat, & remedia quærenda. Tertiò, quoties populo certa pecunia tributi nomine imperanda erat; uti exemplis pluribus allatis probat Antimach. &. Tholos. *d. cap. 5.* Cominæ. *in histor. lib. 10.* Apud Græcos quoque, & alios populos concilia hæc usitata fuisse, multis probat Tolos. *d. locis.* In regno Britannico talia sunt, quæ vocant parlamentaria comitia, de quib. Thomas Smith, *in libel. de Rep. & administratione Anglorum. lib. 2. c. 2.* ita ait, Parlamentaria comitia veteres leges jubent esse irritas, novas inducunt, præsentibus juxta ac futuris modum constituunt, jura & possessiones hominum privatorum commutant, spurios natalibus restituunt, cultum divinum sanctionibus corroborant: pondera & mensuras variant: jus in regno succedenti præscribunt: incerti juris controversias dirimunt: ubi nihil lege cautum fuit, censum agunt: capitationes & vectigalia indicunt: delictorum gratiam faciunt: afflictas, & majorum sceleribus perditas familias erigunt: vitæ necisque potestatem in eos obtinent, quos ad hujusmodi disquisitiones princeps avocaverit. Atque ut breviter concludam, quicquid in centuriatis Comitiis, aut in tribunitiis populus Romanus efficere potuit, id omne in comitiis Anglicanis, tanquam in cœtu, principem populumque repræsentante, commodè transigitur. Interesse enim in illo conventu omnes intelliguntur, cujuscunque amplitudinis, status, aut dignitatis princeps, aut plebs fuerit, sive per teipsum hoc fiat, sive per procuratorem. Nam omnibus peræquè gratum esse oportet, quidquid ex senatusconsulto parlamentario profectum est, ut quod pro imperio & potestate decernat serenissimorum principum majestas, Episcopi, regulique, Equites, & cives, qui eò à provinciis & municipiis ablegat plebem referunt. Et hactenus Thomas Smithus JCtus & eques Anglicanus *in d. lib. 2. de Repub. Anglor.* qui *cap. 2.* addit, nullam promulgationem decreti, constitutionis aut edicti parlamentarii vim sortiri donec non parlamentaria buleuteria assensum præburerint. De processu horum conciliorum habendorum latiùs *infra cap. 33.*

CAPUT

CAPUT XVIII.

De ephoris, eorumque officio.

1 *Administratio juris symbiotici universalis consociationis.*
2 *Dicitur vinculum consociationis.*
3 *Ministri administrantes hoc jus, à membris regni eliguntur.*
4 *Appellationes eorundem ab officio desumptæ.*
5 *Eligentium partes.*
6 *Electorum partes.*
7 *Finis horum, communis Reipub. salus.*
8 *Rex propter regnum, non contrà.*
9 *Populus absolutam dominandi potestatem non dedit magistratui.*
10 *Causa constituti administratoris in consociatione universali.*
11 *Populus est instar pupilli, administrator instar tutoris.*
12 *Curator Reipub. repræsentat populum.*
13 *Administrator non est proprietarius Reipub.*
14 *Subditi singuli inferiores suo administratore.*
15 *Curator rerum publicarum magistratus, ante susceptam & post ademptam administrationem est privatus & similis reliquis.*
16 *Causa constituendi administratoris necessitas & utilitas vitæ socialis.*
17 *Universitas per se non est idonea ad gubernandum.*
18 *A quo director & administrator rerum publ. constituendus.*
19 *Deus populo Israëlitico suos dedit gubernatores.*
20 *Deus autor hujus rei.*
21 *Imago gubernationis in creaturis irrationalibus.*
22 *Imperium est naturale.*
23 *Pœna divina est, carere magistratu.*
24 *Anarchia pugnat cum natura.*
25 *Potestas administrandi Rempub. unde.*
26 *Consociationem repræsentat magistratus.*
27 *Major potestas universorum, quàm unius.*

28 Quæ potestas in administratores translata.
29 Proprietas imperii apud populum remanet.
30 Quale dominium rector habeat.
31 Quæ potestas diuturnior.
32 Justa & legitima administratio quæ.
33 Respubl. navi comparatur, & rector illius nauclero.
34 Duo substantialia requisita administrationis hujus, procuratio utilium, & aversio incommodorum.
35 In sua administratione Deum & leges agnoscere debent superiorem.
36 Magistratus legibus alligatus est.
37 Remotâ justitiâ, consociationes nullæ sunt.
38 Impossibilia jure dicuntur, quæ pugnant cum honestate.
39 Absoluta & legibus soluta potestas nulla est.
40 Potestas curatorum Reipub. quænam & quanta.
41 Limites administrationis excedentes, desinunt magistratus & ministri Dei esse.
42 Quando excedere dicuntur limites suæ potestatis.
43 Ratio denegatæ absolutæ potestatis & detrectandæ obedientiæ.
44 Curatores hi Dei vasalli & ministri sunt.
45 Subditi, Dei hæreditas & populus sunt.
46 Magistratus executor legis.
47 Qualitates administratorum horum.
48 Ephori quinam.
49 Variæ illorum appellationes.
50 Ephori pedes & fundamenta societatis universalis.
51 Horum officia.
52 Horum honorificæ appellationes.
53 Ephoros aliæ politiæ agnoscunt.
54 Pericula cui politiæ subjecta, quæ caret ephoris.
55 Horum actiones Reipub. salutares.
56 Horum potestas unde.
57 Ephori Germaniæ, repræsentant populum.
58 Consensus societatis universalis, ephorum constituit.
59 Electio ephororum qualis & cujus.
60 Quinam ephori eligendi, & pauci.
61 Juramentum ephororum.

62 Collegium

62 Collegium ephororum per majorem suffragiorum partem decernit.
63 Officium ephororum in quinq; consistens.
64 Primum, in constituendo rectore regni.
65 Alterum, continere eundem intra limites.
66 Consilium & auxilium eorundem.
67 Consilium in quibus negotiis dent.
68 Decreta iniqua summi magistratus mitigant.
69 Error Bodini hac in re refutatur.
70 Ephori non sunt paris potestatis cum rege.
71 Universorum major potestas, quàm unius.
72 Potestas per plures melius expedit negotia.
73 Ephori universi rege superiores, singuli illo inferiores.
74 Princeps summus regno ipso est minor.
75 Ephororum potestas prior est regis potestate.
76 Generales ephori Germaniæ.
77 Ephororum horum conventus.
78 Cæsar ex horum consilio & consensu decernit.
79 Cæsar coram Palatino electore conveniri potest.
80 Rex Galliæ coram parlamento Lutetiano.
81 Ephori sine regis officium facientis consensu nil agent.
82 Ephororum querela de regis impedimento, sibi in officii demandati functione creato.
83 Ephori jura populi defendere tenentur.
84 Magistratum abutentem suo jure, impedire debent.
85 Resistentes tyrannidi regis ephori, non dicuntur rebellare.
86 Rege inepto ad regni administrationem, vel tempore interregni, ephori curatorem regni constituunt.
87 Tempore interregni, iidem illius sunt rectores imperii.
88 Tyrannum regem exauctorare possunt.
89 Defendere tenentur summum magistratum contra vim & injuriam aliorum.
90 Jus ephororum in suas provincias.
91 Mutua censura & observatio inter regem & ephoros utilis.
92 Tutoris, an pupilli major potestas, & populi major, quàm regis, contra Barclajum.
93 Rex quomodo dicatur super populum constitutus.

94 *Directio & administratio regis limitata est, non plena.*
95 *Quando rex propriè præsit Respub. eaq; superior dici possit.*
96 *Majores rege sunt leges & ephori.*
97 *Sensus c.8. Ecclesiast.*
98 *Quibus in casibus major minori subjiciatur.*
99 *In quibus rectè rex præesse dicatur.*
100 *Quomodo Cardinales Pontificem, & Monachi Abbatem constituant, & removeant.*
101 *Inepti & inhabiles, indigni officio suo.*
102 *Jus regni perpetuum, jus regis temporale.*
103 *Causâ, ob quam jus in reges translatum, cessante, & collatis ademptis, rex fit privatus.*
104 *Aliud jus populi, aliud regis.*
105 *Mariti potestas & obligatio conjugalis quousq; duret.*
106 *Omnis potestas suos habet terminos & fines.*
107 *Ephori perpetui, vel temporales.*
108 *Ephori ecclesiastici qui.*
109 *Ephori seculares qui.*
110 *Ephori generales & speciales quinam in diversis politiis.*
111 *Speciales ephori quinam.*
112 *Specialis ephori officium & potestas.*
113 *Mutuus inter ordines generales & speciales syncretismus & censura libera.*
114 *Speciales Judæorum ephori.*
115 *Speciales ephori Germanorum.*
116 *Qui Duces.*
117 *Qui Marchiones.*
118 *Qui Comites.*
119 *Qui Barones.*
120 *Qui Prælati.*
121 *Civitates imperiales.*
122 *Speciales ephori regni Gallici, & aliorum.*
123 *Quinam sint loco ephororum, quando Respub. hisce caret.*
124 *An jus ephororum populo adimi, vel præscribi possit.*

HActenus de jure communionis universalis consociationis, sequitur nunc de juris hujus administratione.

Admi-

Administratio hujus juris est, quâ ad membrorum singulorum & universorum regni salutem jura communionis universalis symbioticæ à certis ministris regni publicis diriguntur, rectè administrantur & dispensantur. 1

Unde jus ἐπιμελητικὸν ad curam gerendam aptum vocari potest; vel jus διατακτικὸν ad bonam ordinationem pertinens.

Est igitur administratio hæc vinculum, quo Respub. cohæret & spiritus illius vitalis, quo functiones variæ & diversæ humanæ consociationis diriguntur, ordinantur & referuntur ad universorum salutem. Unde constat, talem administratorem non obire, vel administrare functiones illas, sed tantùm ordinare easdem, constituere & dirigere, idque imperando, jubendo, vetando, impediendo. *Deut. c.1.18. Exod. c.4.12.15.16. c.16.33.34. c.18.13.14. & seqq. c.19.7.8.10.* 2

Ministri hi regni publici ad bene rectèque universalis consociationis corpus, ejusque jura curandum, administrandum, gubernandum & conservandum, ab unitis & consociatis corporibus, seu membris regni eliguntur, & cum potestate atque autoritate necessariâ instruuntur, & ad hoc fide jurisjurandi adstringuntur. 3

Unde custodes, præsides & propugnatores Reipub. dicuntur, atque prudentes & diligentes juris & legis exsecutores. 4

Posse verò quamlibet universitatem tales administratores constituere, latè probat Losæus *de jure univ. part.1. c.3. per l.2. §. post. orignem. de orig. jur. tit. C. de admin. rer. public. lib.11. l.3. prohibere. §.3. planè.* quod vi aut clam, ubi curator Reipub. dicitur. Lancell. *in temp. omn. judic. cap.2. §.1. lib.1.* Vasq. *lib.1. c.47. illust. controv.* Dd. *in l.5. ex hoc jure. de justit. & jure. & infra n.8.9. & seqq.*

In hac igitur ministrorum horum publicorum electione & constitutione aliæ sunt partes eligentium, & aliæ ministrorum horum electorum.

Eligentium partes sunt, certis legibus & conditionibus deferre, imponere, & demandare jurium regni curam, gubernationem & administrationem ministris idoneis, eosque fide juramenti regno obligare.

6 Ministrorum electorum partes sunt, suscipere sibi demandatam curam & administrationē eâ lege, qua est delata, ad consociatæ multitudinis utilitatem & salutem.

Rom.c.13.4. ibi: Est minister Dei tibi in bonum, &c. Ideo rectores, gubernatores, directores, administratores, regentes, pastores, duces, salvatores, patres vocantur, aliisque honorificis elogiis ornantur; de quibus *cap seq.*

7 Constat igitur, hîc nomine populi universi, seu à corpore universalis consociationis demandari ministris & curatoribus electis potestatem administrandi Rempubl. & jura illius ex conventione mandati, ita ut administratione hac demandata Reip. prosint, non noceant, omnesque suas cogitationes, studia, labores, operam, curam, diligentiam, omnes suas divitias, bona, vires & facultates eò referant, ut inserviant utilitati & saluti corporis consociati politici, non verò eâ spretâ privata commoda sectentur: *l. imperialis. C. de nupt. Novel. 8. in prime. tit. de prohib. feud. alien. per Feder.* Pruckman. *in §. soluta potestas. c. 3. n. 31. & seqq.* latè Osorius *lib. 4. de regis instit. Jer. cap. 22. cap. 23. Ezech. cap. 34. Mich. cap. 3. Esa. cap. 3. 14. & seqq. Psal. 72. & Psal. 82.* latè Vasq. *lib. 1. cap. 44. num. 6. & cap. 1. cap. 42. illust. controv.* Covarr. *in cap. peccatum. part. 2. §. 9. n. 8. de reg. jur. in 6.* Zoannet. *de imp. Rom. n. 156. & seqq.* Cic. *lib. 1. offic.* Ut civium utilitatem sic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant, oblitì commodorum suorum &c. atque ut tutela, sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est, *l. bene à Zenone. C. de quadr. præscript. l. 3. de offic. præfect. vigil. l. 8. C. de legib. l. præ-*

cipimus 34. C. de apellat. l. 20. C. de nupt. cap 1. de prohi. feud. alien. per Feder. Contrarium agens, dicitur communis utilitatis eversor, perfidus & Dei contemptor. Osor. *d. loc.* Unde scitè gubernatores & magistratus hi comparantur navarchis & navis gubernatoribus: Resp. verò navi, populus autem domino navis. Navis causâ gubernator à domino navis constituitur, qui ne navis aberret, vel ad cautes deferatur, sed rectum cursum teneat, ad clavū sedet, cui hoc agenti cæteti qui sunt in navi, obtemperant. Quam communē omnium Theologorum, Jurisconsultorum, & Philosophorū sententiam esse testatur Vasq. *d. lib. 1. c. 1. & c. 42.* & probat idipsum text ad *Rō. c. 13. 4.* ibi, Dei enim minister est tibi in bonum: & *1. Cor. c. 12. & 1. Tim. c. 5.* ibi: Si quis suorum, maximè domesticorum, curā non habet, fidem negavit, & infideli est deterior. Nec enim Resp. vel regnum est propter regē, sed rex & quivis alius magistratus propter regnum & politiam. latè Vasqu. *d. locis.* Nam populus, naturâ & tēpore prior, potior, & superior est suis gubernatoribus. Danæ *lib. 1. pol. c. 4.* Sicuti omnis constituens prior & superior est à se constituto. Nec est verosimile, cives universos, seu populum, se sua auctoritate penitus voluisse spoliare, & transferre in alium sine exceptione, sine consilio & ratione, quod necesse non erat effecisse, ut princeps corruptioni & pravitati obnoxius, majorem universis haberet potestatē, fœtus parente, rivus origine esset præstantior. Nam populus primò se in corpus quoddā certis legibus consociavit, jura necessaria & utilia ad hanc consociationem sibi constituit, eorumque administrationem, qua ipse populus nullo modo fungi potest, postea ministris & rectoribus à se electis demandavit, atque in eos ad munetis sui expeditionem necessariam auctoritatem & potestatem transtulit, gladioque ad eam rem illos accinxit, iisque se regendum curandúmque commisit. *l. 2. §. deinde quia. de origin. jur.* quia difficulter plebs convenire cœpit, populus certè multò difficiliùs in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam Reipubl. ad senatum deduxit. *d. tit.* Lofæus *part. 1. c. 1.* Ideo ejusmodi administratores & curatores totum populum repræsentant, & factum eorundem universitatis reputatur: Losæ. *d. cap. 1. num. 47. 48. 65. 102. 103. per alleg. ibid. c. 18.* Marc. *decis. 780. n. 4. vol. 1. per l. 6. §. si decurio-*

nes. quod cujusque univ. Pruckman. *d.* §. *soluta potestas. c.4. memb.2. effect.2.* Quam ob causam hîc universi, non singuli cives & regnicolæ, instar pupilli, minorisve sunt. *l.3. Remp. C. de jure Reip. lib.11. l.4. Resp. C. quib. ex caus. major. l.1. C. de offic. ejus qui vic. alic. jud. vel præsid. l.22. in fin. ex quib. caus. maj. l.9. de appell.* & ministri cõstituti instar tutoris, gerentes & repræsentãtes personam totius populi. Losæus *d. part.3. c.18. de jure universit. & cap.1. n.47. 48. 65. 102.* Nam sicut pupillus, licet dominus sit rerum suarum, quas curandas & administrandas tutori dedit, non potest sine autoritate & consensu tutoris aliquid agere, seq; obligare, sic nec populus sine authoritate & consensu suorum administratorum & rectorum, jura regni, seu Reip. licet horum dominus, proprietarius & usufructuarius sit, administrare potest. & quod juris tutor in rebus & persona pupillaribus habet, hoc etiam ministri Reipubl. in regnicolas universos, eorumque bona & jura ferè sibi usurpant. Ratione constitutionis & juris supremi atq; proprietatis, universi subditi & regni membra domini sunt horum rectorum & ministrorũ; procuratores verò & tutores ac rectores hi, sunt istorum famuli & ministri. Extra constitutionem hanc & ratione administrationis demandatæ, & à populo acceptæ, ipsi regnicolæ singuli, per se, sunt subditi & famuli suorum administratorum & rectorum, illisq; ad demandatum munus suum exsequendum & peragendum inserviunt, operas, obsequia & facultates suas impendendo: & ipsi administratores horum subditorũ singulorum, quasi domini & tutores procuratoresq; dicuntur, quos tamen non servorum, aut mancipiorum, sed suorum fratrum loco habere tenentur: *Deut. c.17.20. & 1. Chron. c.28.2. Deut. c.1.16. 1. Reg. c.4.5. 1. Chron. c.13.1.2. 1. Reg. cap.9.22.* & *Johan. c.8.33.* ubi Judæi gloriantur, se nunquã servos ullius fuisse. Ante susceptam, & post depositam hanc administrationem, talis rector & administrator par & similis est reliquis privatis hominibus: jura majestatis verò ut à corpore consociato inceperunt, sic individuè & inseparabiliter illi adhærent, nec in alium transferri possunt. Nam parem sibi, vel majorem se constituere non possunt reges, Rosenthal. *c.5. concl.10. & 11. lib.1. feud.* Heig. *quæst.4. num.25. & seqq. part.1.* Hanc verò ministrorum & gubernatorum Reip. constitutionem & electionem, summa universalis consociationis hujus utilitas & necessitas suasit. Non enim hæc negotiorum variorum & diversorum universitas & multitudo, in quib. societas hæc tot urbium, provinciarúmq; consistit, à singulis, vel omnib. regnicolis commodè curari & gubernari potest. Communio quoq; discordias parit, qua etiam res magnæ dissipantur & dilabuntur. Nemo etiam pluribus, iisq; inter se dissidentibus, & sententiis variantibus dominis obtemperare potest, neque omnes & singuli ad imperandum apti & idonei. Necessitate igitur, & utilitate inducimur, ut, quia aliter non possumus, neque melius & utilius remedium inveniri potest, ad hoc confugiamus, ut quibusdam idoneis rectoribus hanc curam commendemus, quam singulis promiscuè, aut universis concedere pernicioſum & periculosum esset. Unde horum ministrorum Reipubl. constitutio dicitur à recta ratione & jure gentium profecta & inventa: *l.5. ex hoc jure.* ibi: Discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, *de justit. & jur.* ob utilitatem nimirum & commodum regnicolarum & corporis politici: Aristoteles *lib.1. polit. cap.2.* Covar. *lib.1. pract. quæst. cap.1. num.2.4.* Vasq. *lib.1. quæst. illust. in præfat. num.105. & sequentib. & cap.21. num.23. & seqq.* Rom. *c.13.* ibi: Minister Dei est in bonum & commodum tuum, ut præmio bonos, & malos pœnis afficiat. Quomodo enim societas hæc, quam humano generi necessariam diximus, homines potuisset gubernare, hostes avertere & repellere, maleficorum & malorum audaciam cohibere, nisi magistratibus & rectorib. suam tribueret facultatem, sibiq; judices ac duces constitueret, quib. multitudo ipsa, totiusque congregationis homines subessent & obediret. Cives quippe sine ordine & capite minimè ea providere possunt, quę totius communitatis utilitati & saluti expediunt. Ideo ubi nullus est magistratus, ibi neq; veri Dei agnitio & cultus, neque justitia viget. Vide exemplũ *Judic. c.18.1.5.7.14. & c.19.1. c.17. 6. c.21.25.* sed quilibet sibi fingit cultum Dei pro arbitrio. *Judic. c.18.17.* & quilibet pro arbitrio vivit, *d. c.18.15. & seqq. & c.21.25.* ubi Piscator. Ut igitur tutela inventa fuit ad tuendum eum, qui se per ætatem tueri non potest, ut ait Jurisconsultus, sic & regni ministri hi publici ad tuendum eos, qui vel per ætatem, senium, vel per sexum, vel per imbecillitatem, vel per discordiam, aut multitudinem, vel per impotentiã, aut aliam ob causam sese adversus potentiores tueri

non possunt, constituti sunt, humanis necessitatibus id exigentibus, ut dicit Fernand. Vasquius *in præfatione n.120. illust. controv. & c.21.num.23. & sequentib. argum. d.l.5.l.9. de justit. & jure.* Sicuti in quavis civili societate necessarium est, esse gubernatorem & directorem quendam, qui ejus curam habeat, reliquosque in officio contineat, *d.l.5. & c. in apibus 7.9.1.c. cum non liceat. de præscript. Proverb. cap. 11.* Corruit populus; ubi nullus gubernator, & homines sunt sicut oves absque pastore. *Num.cap.27.* Simanca *de Rep.lib. 5.c.1. & 2.* Patric. *de regn.lib.1.tit.10. & 11.* Aretius *tom.2. probl.loco 153.* Vid. *sup.cap.1. ubi monui.* & Rossæum *de justa Reip. Christ. in reges imp.auth.lib.1.c.1.* Hotom. *de jure reg.*
18 Gall. *lib.1.c.19.c.23.* Hujus verò civilis societatis & Reip. rector & administrator ab alio quàm ab ipsamet Rep. constitui non potest justè & absq; tyrannide. Nã jure naturali omnes homines sunt æquales. *l.quod attinet. de reg.jur.* & nullius jurisdictioni subjecti, nisi ex suo consensu & facto voluntario, quo se imperio alieno subjiciant, & in aliũ jura sua transferãt, quæ nec alius sine titulo justo à domino eorundẽ accepto sibi vindicare potest. Vasq. *d.lib.1.c.20.n.24. & seqq. illust. quæst. & c.41.n.40.41.c.42.n.5. & in præfat.n.105. & seqq. per l.5. ex hoc. ibi, Discretæ gentes, regna condita. l.9. de just. & jur.* Covar. *1. pract. quæst.c.1.n.2.4. 1.Pet.c.2.13.* ubi humanam ordinationẽ, vocat magistratus constitutionem, quod bene notandum: *Rom.c.13.* Nec enim in principio generis humani fuerunt imperia, aut regna, neque horum rectores, quæ tamen postea necessitate postulante ab ipsomet populo sunt constituta. Vasqu. *d. c. 41. per d.l.5. & l.9.* adeò ut etiam in India hujus rei, apud Ethnicos exempla videamus, ut historici referunt. Quamvis populi Israëlitici hac in
19 re pecularis quædam ratio fuit. Nam eum Deus ex Ægypto eductum per Moysen primùm, deinde per Josuam, mox per excitatos ad eam rem judices longâ serie per annos circiter 400 ipse velut rex ejus mirabilier gubernavit. Denique poscente populo, indignabundus regẽ Saulẽ ei dedit, immediatè à se per ministerũ prophetæ designatum electumq;, atq; eo ob peccata rejecto, Davidem pari ratione substituit, hujusq; posteros suâ voce in regni possessione confirmavit. Nec tamen hæc sic facta ab eo sunt, ut populi consensus & approbatio in his regib. designandis, atq; in possessionẽ mittendis, excluderetur: quin imò sic administrata res est, ut à populo

quoq; eligi, & accipere jus regis viderentur. Quod ex historia 20
sacra cuivis volenti eam inspicere, & cum diligentiâ legere, potest esse manifestum. Vide *Deut.c.33. Judic.c.17.6.c.18.1. Jos.c.1.17.18.* Deum verò optimum maximum hanc constituendi & eligendi potestatem & necessitatem imposuisse universitati politicæ, vel constat ex *Deut.cap.16.18.* Judices & moderatores constituito tibi in singulis portis tuis, quas Jehova Deus tuus dat tibi per tribus tuas, qui judicent populum judicio justo. & *Deut.c.17.14.* ibi, Statuam super me regem, *v.15.* Tantùm super te statuito regem &c. *2.Sam.c.5.3. 1.Reg.c.1.v.34.40. c.12.1.2. c.6.* quam tamen ordinationem politici magistratus Deus sibi passim adscribit. *Proverb.c.8.* Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. *1.Pet.cap.2.* Estote subditi dominis vestris, sive regi, quasi præexcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefacientium, laudem verò bonorum. *Roman.c.13.* Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita esto. Non est enim potestas, nisi à Deo. Et quæ potestates sunt, à Deo sunt ordinatæ. Itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit. Omnibus igitur gentibus Deum ab ipso naturæ jure liberam fecisse potestatem sibi principes, reges, magistratúsve constituendi, hinc colligi potest, adeò ut quælibet Respub. divinitus naturæ lumine erudita, civilem potestatem, quam habet, possit in alium, vel alios transferre, qui regum, principum, consulum, aut aliorum magistratuũ titulis ipsius communitatis regimen suscipiant. Ita Covar. *d.c.1.n.2.4.* & Vasq. *lib.1.in præf.n.105. & seqq. & c.20.c.41.*
Atque hujus dominationis & gubernationis politicæ simili- 21
tudinem quandam & imaginem natura in aliis creaturis expressit. Nam quemadmodum in uno corpore physico membrorũ concordiâ & colligatione mens actiones omnes suas exerit & perficit, & unico spiritu eadem membra colligat, ita & unum imperium cum potestate unius, vel plurium unitorum, in Rep. regit & imperat membris convenientiâ, & leges dicit, concordiam firmat, & humanæ societati necessaria exsequitur, cõmunicat concordiâ, actiones & amicitias convenientib. præceptis regit, quæ vel natura, vel necessitas suadet per se inviolata conservare. Deus etiam, cùm mundum condidisset, tanquam universitatis dominus, singulis & quibuscunque creaturis proprios & sui generis principes statuit, etiam arboribus, fontibus & fluminibus, & reliquis

22 quæ fecit. Sic enim & apes regem suũ agnoscunt & sequuntur, grues ordinis ductorem habent,& balæna suum rectorem & ductorem agnoscit. Sed & angelis constituit angelum principem,avibus avem,bestiis bestia,hominibus hominem. In homine etiam dominatur animus in corpus, mens in appetitum. In elementis unum in mixtis dominetur necesse est. Sic igitur imperare,regere,subjici,regi & gubernari,consentanea sunt juri naturæ,divino & humano. Greg.*lib.6.c.1. & lib.20.c.1.de Repub.* Fernand.Vasq.*d.lib.1.in præfat.n.106. & seqq.per alleg.ibid.* ita,ut nisi aliqua symmetria subordinationis colligaretur, & certis legibus subjectionis & regiminis temperaretur, mundus confusione suâ brevi tempore consumendus esset. *Judic.c.17.6.c.ult. in fin. Esa.c.3.* Ordo enim necessarius in omnibus,adeò ut conservatio & duratio rerum omniũ consistat in ordinationis & subjectionis concordia, & æquali diversorum hominum temperamento & harmoniâ,ex ἀταξία verò & anarchia,confusio & calamitas proveniat, quâ Deus hanc,quam diximus,consociationem
23 quandoque punire solet. *2.Chron.cap.15.* Transierunt dies multi in Israële absque vero Deo,absque sacerdote,absque doctore,absq; lege. In tempore illo non erit pax egredienti & ingredienti &c. *Lament.Jer.c.2.c.3.Esa.c.3.3.*Potentem & bellatorem,judicem & prophetam, sagacemque & senem. 4.Præfectum quinquagenis & honorabilem consiliariumq; ac peritum artificem, & intelligentem eloquentiæ tollam. *Judic.17.6.* In dieb.illis non erat rex in Israël,sed unusquisq; quod sibi rectum videbatur,faciebat. *Prov.c.11.* Ubi non est gubernator,populus corruit. Vide Greg.Tol.*lib.6.c.1.n.1.2. 3.4.8.9. de Rep.* Nam ferocia & superbia effrænis,opus habet directore & gubernatore,ne eâ seipsum homo perdat,&
24 sibi omnia licere putet,*Psal.9.21.& Ps.83.* Quæ cùm ita sint, rectè concludo, anarchiâ pugnare cum rectâ ratione & jure naturali, & ideo damnandam. arg.*Roman.c.13.1. 1.Pet.c.2. Tit.c.3. 1.Tim.c.2.* Baruch *c.1.11. Judic.c.21.25.*Temporibus illis non erat rex in Israële,quisq; quod rectum videbatur in oculis suis,faciebat.*& c.17.16.c.18.c.19.1. Jud.c.1.8.* Dominatum verò rejiciunt, & dignitates probris incessunt. Greg. Tolos.*lib.6.* Vide infrà *c.19.n.22.& seqq.*

25 Ab hac ministrorum horum electione & demandati officii susceptione,potestas administrandi regni

regni jura, provenit. Vide Lupold. de Babenberg *de jure regni c.6. & 16.*

Ejusmodi universalis hujus symbiosis ac regni 26
administratores & rectores, universalis consociationis corpus,seu totum & universum populum, à quo cõstituti sunt,repræsentant,Losæus *de jure universitat.part.1.c.1.n.47.48.65.102.per allegat.* ejusque personam gerunt in iis, quæ Reipub.seu regni nomine faciunt, atq; minores autoritate & potestate habentur illis,à quibus sunt constituti,& suam potestatem acceperunt.

Quantumcunque enim est imperium & jus quod alteri conceditur,minùs tamen semper est eo,quod concedens sibi reservavit. Negari quoque non potest,majorem semper po- 27
testatem & vires esse universorum, vel corporis,quàm unius hominis vel membri. At singulis regni membris hi administratores superiores autoritate & potestate rectè dicuntur.

Transfertur verò in hosce administratores & 28
rectores à membris universalis consociationis sola potestas,secundùm justas leges administrandi & regendi corpus & jura universalis hujus consociationis;proprietatem verò horum jurium & superiori- 29
tatem tales gubernatores minimè habent, sed penes corpus politicæ hujus consociationis illa manent.

M.Ant.Peregrin. *de jure fisci. lib.1. tit.3. num.74.* Covar. *pract.quæst.c.4. num.1.* Molinæ. *in consuetud.Parisiens.tit.1. gloss.5.& gloss.6.* Unde formula Imperatori Germanorum u- 30
sitata in decretis,constitutionib.& rescriptis, Vns vnd dem heiligen Reich ꝛc. Item, In vnser vnd des heiligen Reichs statt ꝛc. Ubi in verbo Vns dominium protectionis & generalis jurisdictionis,quam hic rector habet,notatur;in verbis verò des Reichs statt/dominium universitatis exprimitur. Paurmeist.*lib.1.c.19.num.7.8. de jurisd.* Marius Salom. *tract.de princip.* Peregrin. *lib.1.tit.3.n.74. de jure fisci.* Vide infrà *c.37.num.2.& 60.61.*Vide Covar.*in c.peccatum.part.2.*

§.9.n.8.de reg.jur.in 6. Molinæ.*in consuetu. Paris.tit.1.§.3.4. num.17.* Hieron.à mont.*finium.regund.c.96.n.9.* Cujac.*lib.15. obs.in fine.* Ideo scitè Aristot.*lib.5.polit.c.11.* Quò minor potestas eorum est, qui imperant, eò diuturnius stabiliusq; est & stat imperium. Nam legibus certis circumscripta potestas, in subditorum perniciem sese non effert, luxuriat, aut in tyrannidem degenerat.

31

32 Justa, legitima & salutaris administratio hæc dicitur, quæ quærit & procurat salutaria & commoda singulorum & universorum membrorum regni; & contrà, quę omnia incommoda & mala eorundem avertit, ab injuriis & vi illatâ defendit, atq; omnes administrationis suę actiones secũdũ leges instituit.

Hoc agens, minister Dei dicitur, *Rom.c.13.4.6.* Contrà, quando hæc administrationis legitimæ natura mutatur, tyrannica dicitur. Pet.Greg.Tholos.*lib.9.c.2.* & infr.*c.38.* Quâ

33 ob causam hi administratores gubernatoribus navis, Resp. verò navi, populus domino navis comparari solet. Navis causâ gubernator à domino navis constituitur, qui, ne ipsa ad cautes deferatur vel frangatur, aut non rectum cursum teneat, ad clavũ sedet, cui hoc agenti, cæteri qui sunt in navi, inserviunt & obtemperant, prout & suprà diximus, & infrà *c.38.n.133.& seqq.*

34 Duo hæc substantialia administrationis justæ requisita in procuratione utilium & commodorũ publicorum, & contrà incommodorum aversione, atq; legum observatione satis probari possunt. Prius quidem ex iis, quæ suprà copiosè adduximus, inprimis ex *Rom.c.13.4.* Dei enim magistratus minister est, tuo bono. *Jer.c.22.3.* Sic ait Jehova: Exercete jus & justitiam, & eripite eum qui rapinam patitur è manu oppressoris, & peregrino, pupillo ac viduę ne vim faciatis, ne violentiâ utamini, & sanguinẽ innocentẽ ne effundatis in loco isto: *4.5. Et v.13.* Væ ædificanti domum suam injustitiâ, & cœnacula sua injuriâ, amici sui servitutem exigenti gratis, & mercedem operis ejus non danti ei. *14.15.16.& seqq. Et Jer.c.23.* Vę pastoribus, qui perdunt & dispergunt gregem pascui mei, dictũ Jehovæ. 2. Idcirco sic ait Jehova, Deus Israëlis, contra illos pastores, qui pascunt populum meum, Vos dispergitis oves meas, & dispellitis eas, nõ autem visitatis eas: Ecce, ego animadversurus sum in vos malignitatẽ actionum vestrarũ, dictum Jehovæ, *& seqq. Jes.c.3.14.15.* Jehova ad judicium advenit cõtra seniores populi sui, & principes ejus: at vos depavistis hanc vineam, rapina pauperis est in domibus vestris. *16.* Quid vobis est, quòd conteritis populum meũ, & faciem pauperum commolitis. *Mich.c.3.1.* Quapropter audite jam primores Jacobi, & ductores domus Israëlis, annon vestrũ est scire ipsum jus? 2. Osores sunt boni, & amantes mali, rapientes cutem istorũ ab eis, & carnem eorũ ab ossibus ipsorum. 3. Et quod comedũt, caro est populi mei, & cutem eorũ ab eis nudant, ac ossa eorum diffringunt, dividuntq; : ut quod est in olla, & velut carnem quæ est in lebete. *9.* Audite jam hoc primores domus Jacobi, & ductores dom^{s} Israëlis, qui abominantur jus & quicquid est rectum, pervertunt. *10.* Quisquis ædificat Tsijonẽ cædib. & Ierusalem iniquitate. *11.* Quorum primores munere judicant: *12. Ezech.c.34.3.* Adipem comeditis, & lanã induitis, quod optimũ est, mactatis: gregẽ non pascitis. *4.* Morbo affectas non confirmatis, ægrotamq; non curatis, & confractã non obligatis, ac depulsam nõ reducitis, pereuntemq; non requiritis, sed vi dominamini in eas, & per sævitiam. *5.* Adeò, ut dispergantur destitutæ pastore, & sunt cibo omnib. bestiis agri dispersæ. *6.7.8.* Eò quòd grex meus est diteptioni, & sunt oves gregis mei cibo omnibus bestiis agri, destitutæ pastore, & non reposcentibus pastoribus meis gregem meum: pascunt enim pastores seipsos, gregem autem meum non pascunt: *9.10.& seqq.* quib. adde *Psal.72.1.2.3.& seqq. Psal.75.3.4.11. Psal.82.1.2.3.4.5. Ps.101.* ubi officium pastorum seu regum describitur, & partim colligitur à contrario sensũ. Novell.*85.* ibi, Studemus omnes subjectos nostros, quorũ regimen credidit nobis Deus, illæsos & sine calumnia custodire. Fusiùs hæc infrà *c.24.& c.27.& seqq.* tractamus.

Alterum, quòd tales administratores secundùm leges administrare debeant, easq; superiores agnoscere, probo ex *Deut.* 35
17.20. Ne recedat ab hoc præcepto, *& seqq. Jos.c.1.8. Psal.119. per tot. 1.Sam.c.12.15.& seqq.* Vide infr. *c.21.n.16.* Nam si Dei minister est, *Rom.c.13.4.6.* necesse est, ut contra domini sui voluntatẽ nihil agat, ne ex ministro adversarius fiat, & mandati fines excedat. Marant.*dict.1.n.16.& seqq.l.2.de legib.* ubi JCtus ait; Lex est omnium divinarum atque humanarum rerum regina. Oportet enim eam esse præsidem bonis & malis, & principem & ducem, & secundùm hoc regulam esse

justorum & injustorum, præceptricem quidē faciendorum, prohibitricem verò non faciendorum, & ibi, ad cujus præscriptum omnes vitam instituere debent, quia est inventum ac munus Dei: decretum prudentium hominum: coërcitio eorum, quæ sponte vel ignorantiâ committuntur: Communis sponsio civitatis, *l.4.C.de legib.* Digna vox est majestate
36 regnantis, legibus se alligatum principem profiteri, adeò de autoritate juris nostra pendet autoritas, & revera majus imperio est, submittere legibus principatum. Apollonius Thyaneus ad Domitianum: Si leges tibi non putaveris imperare, ipse non imperabis. Plato *dialog.4. de legib.* Interitum, ait, paratum illi civitati video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt. Arist. *lib.3.polit.c.11.* Eandem sen-
37 tentiam confirmat Augustinus *de civit.Dei cap.4.* Remotâ justitiâ nihil aliud sunt regna, quàm magna latrocinia. *Agapet. ad Justin.* Non est princeps supra leges, sed leges supra principem, optimique principis nota illa, ex legum bonarum
38 præscripto velle vivere. Quæcunque contraria sunt primæ Decalogi tabulæ pietati, & secundæ tabulæ justitiæ, ea nec facere nos posse existimandum est, *l.15.filius. de condit. instit. l.ubi 188.de regul.jur.l.1. C.si adverſ.vendit.l.3. C.si minor.& major. tot. tit. C. si contra jus vel utilitatem public.* Nam contra leges aliquid posse, non est potestatis, sed impotentiæ nota. Ostendit enim talis eo ipso, quòd non possit facere,
39 quæ erant ipsi facienda. Unde & quæ dicitur absoluta & plenissima potestas principi concessa, nulla est, nec esse potest, ut rectè Covar. *lib.3. variar.resolut. cap.6. num.8.* Vasq. *lib.1. illust.controv.c.26.n.22.* Pinell. *in l.2.c.2. rub. C.de rescind. vendit.c.2.* Cravetta *de antiquit.temp.part.1. §. non omitto.* Coras. *in l.frater à fratre.n.71. de condict.indebiti.* Capic. *dec. cis.166.num.12.* Pruckman. latè *c.3.§.soluta potestas.* Connan. *lib.1.c.8.n.3.* Paris de Puteo *tract. de synd. rub. de excess. reg. n.30.* Coras. *libr.2. miscell.c.25.* Tessaur. *decis.91.* Vasq. *lib.3. illust.controv.c.26.n.22.* Ideo tales administratores suæ administrationis rationem reddere tenentur. Los. *d.part.3.cap. ult.* & infrà dicetur. Vide *c.24.n.36.& seqq.c.37.n.43.& seqq. c.38.n.129.& seqq. & n.30.& seqq.*

40 Potestas igitur hæc administrandi, quam hi ministri & rectores ab universali consociatione constituti

stituti habent, ad utilitatem & salutem subditorum est alligata, & certis cancellis, Decalogi scil. legibus, & consociationis universalis judicio justo circumscripta, non infinita & absoluta.

Covar. *var.resol.c.6. n.8.lib.3.* ita ut instar legis animatæ vel vivæ ipsi administrarores sint. *Deut.c.17.6.17.18.19.* Eritq; penes eum (exemplum legis) & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Jehovam Deum suum, observare omnia verba hujus legis, & statuta ista faciendo. *v.20.* ibi: Ne recedat ab hoc præcepto, *& seqq. Jos.cap.1.8.* vide *Deut. c.31.26.1.Sam.c.12.15.16.17. Psal.119.per tot.Rom.c.13.* Magistratus dicitur minister Dei: minister autem domini sui mandantis voluntatē tanquam legem & finem præscriptum habet, neq; fines mandati excedere debet. Novell. *de jurisd. §. fin.* custodes legum vocat. Norma ergo & regula, ad quam directio & administratio hæc est instituenda, est Decalogus. Sic itaq; justa administratio & directio nihil aliud est, quàm legis exsecutio.

Hos limites non licet administratoribus transi- 41
lire. Fines verò demandatæ sibi administrationis excedentes desinunt ministri Dei esse, & universalis consociationis, atq; fiunt privati, quibus obedientia in illis, quibus suę potestatis limites excedunt, non debetur.

Exod.c.1.17. Act.c.4.19. 1.Sam.c.12.16.26. Marant. *disp.1. n.16.& seqq.* Vide infrà *c.38.num.30.& seqq.* Danæ. *lib.6.c.3.* Steph. Jun. Brut. *in vindic.contra tyran. quæst.1.* latè Horom. *lib.1.de antiq.jure regni Gallici.c.23.& præced.* Tholos. *lib.9. c.1.& lib.7.c.20.de Rep.* Vasq. *lib.1.cap.1.c.42.& c.44. illust. controv.* Pruckman. *d.c.3.* Marius Salomonius *in l.princeps. de legib.* Pinell. & Covar. *dd.locis.* Notā tyranni dicunt esse, quando hac absolutâ potestate uterentur; Quam plenitudinem potestatis, plenitudinem tempestatis vocat Cravetta *de antiquit.temp.part.1.§. non omitto. n.4. & consil.241.* Vasq. *illust.controv.c.1.n.20.* Pruckman. *d.loc.n.3.c.3.*

Excedunt autem hi administratores potestatis 42
sibi concessæ limites & metas, primùm, quando

fieri, vel omitti mandant, quæ à Deo prohibentur, aut jubentur in prima Decalogi tabula: deinde cùm prohibent aut jubent aliquid, quod fieri aut omitti non potest, quin violetur sancta charitas. Illa mandata absolutè impia, hæc iniqua vocantur. Denique suæ potestatis limites transgrediuntur, quando in administratione demandata propriam & privatam, non communem utilitatem & salutem universalis consociationis quærunt. *Jerem.c.22.c.23. Ezech.cap.34. Mich.c.3.* ubi Piscator. Vasq. *lib.1.c.1. & c.26.n.22.c.42.c.44.n.6. illust.controv.* arg. *Rom.c.13.4. 1.Tim.c.5.8.*

Exempla hujus rei extant *Exod.c.1.15.16.17.* Sed timuerunt obstetrices illæ Deum ipsum, neq; fecerunt quemadmodum edixerat eis rex Ægypti. nam vivos conservabant natos, *v.18.19.20.21.22.* Tale fuit edictum Oziæ, *2.Chron. c.26.16.& seqq.* Nebucadnezaris jubentis adorare imaginē à se erectam, *Dan.c.3.* impii magistratus in *Actis Apost.c.4. 19.* Davidis, *2.Sam.c.24.* Jezabelis impiæ, *1.Reg.c.18.* Oseæ, *c.5.11.* Opprimitur Ephrajim, conteritur judicio, quia impiū mandatum sequitur. Achabi impii de vinea Nabothi, *1.Reg. c.21.* Ideoque rectè Abdias prophetas non occidit, & obstetrices infantes recèns natos, & Daniel statuam non adoravit. Moses protestatur, se in administratione sua has leges non excessisse, nullius asinum aut bovem accepisse, sed jus rectè & bonâ fide, secundùm Dei legem administrasse, *Num.c.16. 15.* uti & Samuel, *1.Sam.c.12.* & David in *Psal.119.* petit ad legem Dei se informari: & Salomo *1.Reg.cap.2.3.* adde *Esth. c.1.16.*

43 Ratio detrectandæ obedientiæ, nec non potestatis absolutæ denegatæ his administratoribus, est vocatio ipsorum generalis & specialis, quâ tanquam Christiani homines in baptismo aliud, seu contrarium Deo promiserunt, & præstare tenentur. Deinde, tantam potestatem ipsi administratores non habent, neq; enim quis ipsis jurisdictionem & potestatem peccandi dedit: neq; Resp. administratores sibi constituendo, seipsam sui servandi facultate spoliavit, hancque direptioni administratorū exposuit. At verò quam potestatem populus

populus non habuit, eam in suos administratores transferre non potuit. Quam igitur potestatē & jus illi non acceperunt, neq; habent, illo etiam uti non possunt, neq; debent. Deniq; Dei potentiam & imperium administratorum improbitas tollere vel minuere, aut his se eximere non potest Est enim Dei potestas & jurisdictio infinita, qui creavit cælum & terram, ideoq; jure horum dominus & proprietarius est, quicunq; verò terram inhabitant, illius coloni, vasalli & emphy- 44
teutæ, clientes & beneficiarii: *Psal.24.* Domini est terra, & plenitudo ejus. *Esa.c.66.1.* idq; jure creationis & conservationis, *d.Psal.24.* Ideoq; Deus rex regum, & dominus dominantium dicitur, *1.Reg.c.8.* Cujus beneficio reges regnant, *Proverb.cap.8. v.15. Dan.cap.2. v.21. cap.4.14.* & quorum solium Dei solium dicitur, *2.Chron.cap.9. v.8.* & subditi 45
magistratus Dei hæreditas dicuntur, *1.Sam.cap.10. vers.1. 2.Reg. cap.20.5. 1.Reg.cap.3. vers.8.9. Deut.c.29.vers.10.11. cap.4.20. Psal.53.4. Mich. cap.3.3.* & magistratus administrator istius hæreditatis, & dux populi Dei, *1.Sam.cap.9. v.16. cap.10.11. 2.Reg. cap.20.5.* Sunt igitur Dei vicarii & ministri magistratus, *Roman.c.13.* ibi, Nulla est potestas, nisi à Deo, *v.4.* Dei enim minister est tibi in bonum. 6. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum inservientes, & cui rationem administrationis suæ reddere tenentur. *Sap.cap.6.4.5. Psal.82. 5.6.7.* Unde Vasq. *lib.1.c.15. illust.controv.* rectè concludit, 46
principem etiam ex plenitudine potestatis, non posse contra vel supra jus aliquid facere, cùm non sit superior jure, sed juris custos, minister & exsecutor, & latiùs de eâdem re *c.45. d.lib.1.* & eleganter Covar. *lib.3.resol.c.6.n.8.* Pinell. *d.part.1. n.25.c.2.in rub.C. de rescind.vend.* qui plurimos allegat. Marius Salomon. *tract.de princip.* Pruckman. *d.c.3.* vide infrà *c.21.n.16.* Cravetta *de antiq.temp.part.1.§.non omitto.per tot.*

In ipsis administratoribus & directoribus denique exigimus amorem & facultatem. Amorem 47
erga consociationē, quæ ei committitur, ut omnes labores ei sint leviores. Facultatem gubernandi & administrandi, ne ex insufficientiâ ipsius Respub. detrimentum accipiat. Arist. *lib.5.c.9.* quam bonorum consiliariorum copia supplere potest.

Administratores universalis hujus consociationis sunt duorum generum: sunt enim ephori, vel magistratus summus. *Deut.c.33.4.*

48 Ephori sunt, quibus populi in corpus politicum consociati consensu demandata est summa Reip. seu universalis consociationis, ut repræsentantes eandem, arg. *l.aliud 160.§.1. de reg.jur.l.22. mortuo. de fidej. l.11.14. ad munic.l.3.1.4. quod cujusq; univ. Jos.c.24.* potestate & jure illius utantur in magistratu summo constituendo, coque ope, consilio, in negotiis corporis consociati, juvando, nec non in ejusdem licentiâ coërcendâ & impediendâ, in causis iniquis & Reip. pernicioſis, & eodem intra limites officii continendo, & denique in providendo & curando omnibus modis, ne Resp. quid detrimenti capiat privatis studiis, odiis, facto, omissione vel cessatione summi magistratus. *Nũ.c.11.16. & seqq. Deut.c.33.4.5.*

49 Ephori hi ratione officii injuncti & dignitatis suæ, ab aliis vocantur patricii, seniores, *Num.c.11.16. 17. 2.Sam.c.3.17.c.5.3. Deut. c. 23.1. 1.Reg.c.8.1. & seqq. 2.Chron.c.32.3. Jerem.c.36.12.20.* principes, *Jon.c.3.8. Daniel.c.3. Esth.c.1.3.11.14.16.18.21. 1.Reg.c.8.1.c.20.7.8. 2.Reg.c.10.1. 2.Chron.c.36.14.18.Esa.c.1.23. 1.Chron.c.22. 20.c.23.1. Jer.c.26.10.11.16. & seqq.c.37.c.38. Mich.c.3.1.9. 11.* Status, & regni primores, officiarii regni, pacti inter magistratum summum & populum iniți vindices, custodes & defensores justitiæ & juris, quibus magistratum summũ subjiciunt, & parere coguntur, item censores summi magistratus, inspectores, consiliarii regni, censores honoris regii, Heig. *lib.1. c.4.n.51.* & fratres summi magistratus, *1.Chron.c.28.2. 1.Reg.c.4.5. Deut.c.1.16.* De his etiam Alex. ab Alex. *lib. 6.c.24.* Zvving. *lib.28.theat.*

Ex hisce

Ex hisce liquet, hos ephoros, quasi pedes & fundamenta societatis illius universalis, & regni esse, quibus illud tempore interregni, vel periculi, vel quando magistratus ad imperium est ineptus, aut suâ potestate abutitur, sustinetur & conservatur, ne fiat obnoxia periculis, mutationibus, tumultibus, seditionibus, proditionibus, vel ab hostibus occupetur, ut dicit Boterus *lib.4.c.3. de polit. constituend.* Hi enim 51
corpori politico caput constituunt, hi regem, seu summum magistratum legi & justitiæ subjiciunt: & legem, seu Deum, dominum & imperatorem constituunt, quando jugum & imperium legis & Dei rex abjicit & detrectat: & ex Dei ministro Diaboli instrumentum se facit. Hi cum superiori magistratu pondus & onus populi portare dicũtur, *Num.c.11.16. & seqq.* In aurea bulla Caroli quarti Imp. electores, qui sunt generales ephori imperii & regni Germanici, vocantur colũnę & baſes imperii Germanici, *in c.3. & c.12.* & pars corporis 52
Cæsaris, *in c.24.* columnæ & latera imperii, *in c.26.* quorũ consilio & operâ majestas imperii salva, sarta tecta huc usq; conservata, ut dicit Heig. *lib.1.q.3.n.2. & 73.* qui plurimorum necessitatibus relevandis Cæsareæ sublimitati sic assistunt, ut in partem solicitudinis constituti sint. *cap.ult.* vide librum Sing. Schardii. *de orig. elector.* Alia regna tales ephoros quoque agnoverunt, atq; ideo perpetua magis & felicia 53
fuerunt, uti Imperium Persicum, Græcum, Romanum, & Gallicum, Britannicum, Danicum, Polonicum. Heig. *d.loc. quæst.4.* Tessaur. *polit. apotelesm.6. & 10.11. & seqq.* Pancirol. *in notit. imper. oriental. cap.62. & 71.* Nam hæc politiarum 54
natura est, ut facillimè degenerent, imò convertantur, & ex una in aliam speciem transeant, nisi illis custodes, quibus intra limites suos administratores & reges coërceantur & retineantur, ponantur, quibus eorum petulantia, licentia, insolentia, luxuria & superbia cohibeatur. Unde à summis periculis ac mutationib. à suis Ephoris & ordinibus sæpè politiæ liberatæ fuerunt. Hi n. summi magistratus iniquas actiones 55
aut tyrannidem vel tollunt, vel antevertunt, aut segnitiê illius suâ vigilantiâ & diligentiâ supplent, & omnibus modis curant ac vident, ne Resp. actionibus regis, quid detrimenti capiat. Quod nisi fecerint, ipsi tenentur, & meritò proditores Reip. esse dicuntur, inprimis quando colludunt, vel connivent ad iniquas vel impias regis actiones. Exempla politiæ Belgi-

cæ & rationes adducit Meteranus *lib.14.historiar.* Hi communicatione opum, facultatum, laborum & consiliorum suorum, principem reddunt potentem & sapientem. Hi eundem contra omnia pericula & difficultates defendunt, atq; statum Reip. salvum, sartum tectum conservant. A quibus, si cum illis princeps discordias & inimicitias exercet, quæ auxilia, consilia & defensionē expectare potest? Quomodo etiam consociatio & politia consistere potest, in quâ privati se suis ordinibus opponunt, suosque curatores & de-
56 fensores rejiciunt. Nam hisce Ephoris populus se tutò credidit, suasque actiones omnes in eos transtulit, ita ut, quod hi faciunt, totus populus facere videatur. *l.160.de reg. jur.* idque fit ob utilitatem & necessitatem. Esset enim difficillimum, ut ait Covarruv. *d.c.1.n.4.* suffragia omnium civium, & eorum, qui alicujus Reip. partes sunt, à singulis exigere, idcirco convenit, plebis multitudinem per ejus optimates negotia publica ita expedire, ut absque tumultibus & seditionibus tutò à Repub. negotia illius peragantur. Suffragia igitur horum optimatum, eâ lege censenda sunt, quâ omnium civium consensus, quem referunt, censeretur. *& item eorum 6.§.si decuriones. quod cujusq; univers.nom. l.3. l.4.d.tit.* Ideoque *in l.14. municipes. ad municipal.* dicitur rectè, quòd municipes intelligantur scire, quod sciunt hi quibus summa Reip. est commissa, & quod illi egerunt, hoc habeatur, quasi ab omnibus sit actum. *l.19. quod majore.d. tit.* & ad omnes pertinere. *l.aliud 160.§.1.de reg.jur.d.l.3.l.4.*
57 *quod cujusque univers.* Quâ ratione, ait Covarruv. septem illi Germaniæ principes, quib. facultas delata est Christiani orbis Imperatorem eligendi, populum ipsum & Christianam communitatem, quæ ab ipso Imperatore gubernanda est, omnino repræsentant, ejusque vicariâ utuntur potestate, vicesque in ea electione gerunt. Unde fit, ait, quòd electio Imperatoris ad septemviros Germaniæ, ut ad collegium, non ut ad singulos pertineat. Quemadmodum optimè probat Lupoldus *lib.1.de jurib. Romani Imperii cap.6.* Panormitanus *in c.venerabilem.colum.4.* & ibi Cardinal. *in §. verum. de elect.* Johan. Cirier *lib.2.de primigenit.quæst.12.* Castald. *in tractat.de Imperat. quæst.11.15.* Pacian. *lib.2. de prob. c.35.*
58 *& seqq.* Hinc constat, ad justitiam principatus cuilibet satis esse, quòd ipsius societatis consensus per optimates hunc in modum

in modum sit præstitus; tametsi non negaverim, olim Romę aliter in populi comitiis suffragia præstita fuisse ad consulū electionem, & postea Impp. Augustos ac Cæsares ab exercitu militari electos quandoque extitisse, licet electio hæc minimè censeretur justa, nisi senatus populiq́ue Romani comprobatio accessisset. Huc usque Covarruvias.

Eliguntur aūt & constituuntur ejusmodi Ephori consensu totius populi, tributim, centuriatim, 59
curiatim, vel viritim, vel sorte, secundùm cujusque regni naturam, vel consuetudinē, hoc est, suffragiis totius populi, de ephoro constituendo, collectis per centurias, tribus, vel collegia, in quæ populus est distributus, vel, inquam, viritim, per singulorum capita & suffragia, vel sorte.

Tholos. *lib.7.c.4.c.14.c.15. de Rep. Num. c.11.16. & seqq.* ubi describitur electio optimatum in politia Israëlitica. Posse verò universitatem cum aliis contrahere, constat ex *l.1.§.si autem.ad S.C.Trebell.* Losæ. *part.3.c.2.* atq; sibi administratores & curatores constituere. *l.6.§. si decuriones quod cujusque univ.nom.* Losæ. *de jure univ.part.1.c.3.* Naturale enim jus, & naturæ jurisq; conditor Deus, cuiq; populo plenam tribuit, liberamq; sui gubernandi facultatē. *l.5.de just. & jur.*

Quandoque etiam princeps, vel summus magistratus, aut optimates habent potestatem ephori eligendi, vel in locum demortui substituendi alium, idque ex populi concessione & beneficio.

Moses ex Dei mandato constituit 70. seniores, *Num.c.11. 24.25.* Nam nominatio & constitutio ephori meritò inter regalia refertur, quorum administratio principi est concessa à populo, seu universali consociatione.

Eligendi autem illi, qui magnam habent poten- 60
tiam & opes, ut custodes publicæ salutis, majorem amorem, desiderium & curam pro Repub. gerant, quam salvam esse ipsorum maximè interest. Vid. *infr.c.32.n.44.45.*

Pauci verò ex plurimis eligendi. Nam nihil ad seditiosorum hominum factiones & civilia bella declinanda utilius, quàm multitudini, principum & magistratuum creationem eripere, & paucissimis communicare. Bodin. *lib. 6. c. 5. de Repub.*

61 Electi ephori jurant, se utilitatem regni, seu universalis illius consociationis, vel Reip. curaturos, & partes officii demandati fideliter & diligenter factutos.

Xenophon refert *in politia Lacedæm.* reges & Ephoros singulis mensibus mutuò jurare consuevisse: Ephoros pro civitate, reges pro se ipsis. Regum jusjurandum fuisse, se ex legum scriptarum præscripto regnaturos: ephororum autem & civitatis, se regnum firmum & stabile reddituros, si rex jusjurandum servaret. Vide Cragium *lib. 2. c. 4. de Rep. Lacedæm.* De juramento Electorum in politia Germanica docet *Bulla Caroli IIII. Imper.* Heig. *lib. 1. quæst. 1. & 4.*

62 Collegium ephororum, quæcunque ratione officii expedit, illa collegialiter per majorem partem suffragiorum concludit: *1. Reg. c. 16. 23. 24.* Fulv. Pacian. *lib. 2. c. 35. nu. 30. 31. de probat.* Covarruv. *d. loc.* Ideoque & electio illi, non ut singulis, sed ut collegio competit. *Aurea bulla Caroli IV. tit. 2. §. præstito deniq;* Petr. de Andlo. *lib. 2. cap. 3. de Imp. Rom.* Leopold. *de jurib. regni & Imp. Rom. c. 6.* Pacian. & Covar. *d. loc. 1. Reg. c. 16. 23. 24.* ubi major & potior pars populi in rege eligendo vincit; & hoc modo collegium illud (non singuli de collegio,) repræsentat universalem consociationem, seu politiam, & majorem potestatem & autoritatem, quam summus magistratus habet, uti omnes saniores Politici, JCti & Theologi docent.

63 Officium horum ephororum quinque potissimùm capitibus continetur. Primum est, ut constituant

stituant generalem summum magistratum. Alterum est, ut intra fines & limites officii sui eundem contineant, & sint custodes, defensores ac vindices libertatis & reliquorum jurium, quæ populus in ummum magistratum non transtulit, sed sibi reservavit. Tertium est, ut constituant summo magistratui, ad Reipub. administrationem inepto, vel tempore interregni, curatorem, ad obeundam Reip. administrationem, donec alius summus magistratus eligatur. Quartum officium illorum est, ut removeant magistratum summum tyrannum. Quintum est in summi magistratus defensione, & jurium illius; In quibus singulis peragendis ephoris omnia & singula, sine quibus officii sui partes expedire nequeunt, demãdata esse censentur. *l. 2. de jurisd. omn. jud. l. ult. §. 1. de offic. ejus cui est mand. jurisd.*

Primum igitur officium ephororum est in summo magistratu & rectore generali consociationis universalis constituendo. Ad hoc enim ephori à populo universo consociationis universalis potestatem & autoritatem publicam acceperunt, ut nomine ipsius talem rectorem & administratorem eligant: de qua re dicetur latiùs *in cap. seq.* vide Heigium *lib. 1. quæst. 4. n. 50. 51.* 64

Alterum ephororum officium est, ut eundem à se constitutum summum magistratum & administratorem generalem intra limites præscriptæ & demandatæ administrationis suæ universalis contineant, ne quid detrimenti Respub. & universalis consociatio capiat, aut jura illius vel etiam regis, seu magistratus summi lædantur, vel minuantur, sed semper salva sarta, tecta maneant. 65

Heig. *lib.1.q.3. nu.1.2.73.* qui *quæst.4.n.50.* dicit, ideò frequenter ad eosdem pro oppressorum sublevatione curri, & de violatione jurium Imperii querelas ad eosdem deferri. Nihil enim aptius ad Imperii jus conservandum, quàm moderatio potestatis per alios facta, qua in terminis suis continetur. Nam magna potestas se intra terminos sine coercitione aliquâ & moderatione aliis demandatâ, continere non potest. Osori. *lib.8. de reg. instit.* Meteran. *lib.14.*

66 Quam ob causam ephori habent potestatem consilio & auxilio juvandi generalem summum magistratum, monendi & corrigendi eundem, Decalogum legis divinæ, aut leges regni & majestatis jura violantem; atque ideò jus gladii, muneris injuncti expediendi causâ, acceperunt.

Stephan. Jun. Brut. *de vindic. contra tyran. quæst.3.* Hotoman. *lib.1. de antiq. jure regni Gallici, cap.12. & seqq. 1. Chrō. c.22.20. c.28. c.29. c.24.* Obrecht *in thesib. de bello. thes.161.* Ursin. *lib.3. dispos. c.44. & c.ult.* Danæ. *lib. 6. polit. c.2. & 3.* Casman. *c.10. polit.* Pareus *in explic. c. 13. ad Rom. in dubiis.* Johan. Marian. *lib.1. cap.8. de rege.* Meteran. *lib.14. & 20. historiar.*

67 Consilium dant in omnibus & gravioribus negotiis publicis totius regni, idq; in concilio & conventu ordinum omnium totius regni convocato & indicto, in quo tractentur, deliberentur & decidantur ardua Reip. negotia.

Psalm.75.3. Psalm.122.2. Sam.c.3.17.18. c.5.1.2.3. 2. Chron. c.24.17.18. c.32.2.3. Rex Ezechias iniit consilium cum principibus suis & dynastis suis. *Nehē. c.7.5.* Sine quorū consilio & voluntate ardua, quorū labefactatione Respub. detrimentum caperet, perficere non debet. Latè Pruckman. *ſ. soluta potestas. effect.3.n.7. cap.4.* per Valascum *in l. imperium. num. 199. de jurisd.* Abbat. *in c. gestis. num.3. ext. de cler. non resid.* Jason. *in prælud. fendor. num.79.* Bald. & Jas. *in l. placet. C. de sacros. eccl. vid. infr. c.33. num.20.* Peregrin. *lib.1. tit.3. num. 79. de jure fisc.* Bald. *in l.8. C. de legibus.* Hoc modo ephori ejusmodi sunt consiliarii summi magistratus in negotiis arduis. Fernand. Vasq. *lib.1. cap.23. controv. illust. per l.8.*

l.8. humanū. C. de legib. l. proximè. de his quæ in testam. delent. l. placet. C. de sacros. eccles. Auth. habita. C. ne fil. pro patre. l. fin. C. de legation. lib.10. per Dd. ibidem allegat. Panormitan. *in cap.1. de offic. legat. & in c. causam. de judic.* Johan. de monte. *in tract. de author. regii consil.* Anton. de Rosellis *in tract. de concil. in rubr. generale conc. l ū.* quamvis contrariam opinionē communem dicat Vasquius, quam per consuetudinē limitandam & corrigendam putat, *num.3.4.* M. Ant. peregrin. *de jur. fisc. lib.1. tit.3. n.80. vide c.33. num.20. infra. & c.27. num.34. & seqq.* Negotiorum verò horum administratio & exsecutio ad ipsum magistratum generalem pertinet, vel hanc illo negligente, si ita necessitas & utilitas regni postulet, ad ephoros. uti exemplis suprà *c.8. de provinc.* sub finem probavimus, & latiùs dicemus infra. Consilium ordinū longè firmius, ait Antimachiavellus. est præsidium ac propugnaculum Reipub. quàm principum duntaxat ac consiliariorum aliquot cœtus. Possunt enim illi corrumpi, de statu mentis deturbari; publici verò consilii corpus, quod consistit in ordinibus, & ex prudentissimis & lectissimis totius regni viris est conflatum, nec imbecillitati, nec impotentiæ animi, aut captivitati est obnoxium. illos, ut privatos, partim temporum, partim sui quemque casus absumunt. Regni ac Reip. universitas est immortalis, ob perpetuas hominum hominibus mortuis succedentium vices: *l.76. proponebatur. de judic. l.7. quod cujusque universit. nom.* De consultatione horum ephorum exempla extant *Deut. c.23.1.* Præcepit autem Moses & seniores Israël (qui illorum Ephori) populo, dicentes: Custodite omnia mandata quæ præcipio vobis hodie: *Deut. cap.33.45. Josuæ c.24. 1. Chron.13.1.* Deinde iniit consilium David cum chiliarchis & centurionibus, omnibusque antecessoribus. 2. Et dixit David toti congregationi Israëlis, Si bonum & à Jehova Deo nostro videtur esse, dimittamus passim ad fratres nostros, qui reliqui sunt per omnes regiones: & 4. Dixerunt autem tota congregatio illa, faciendum ita esse. Nam recta videbatur res illa in oculis totius populi. *& seqq. 1. Reg. cap.8.1.* Tunc congregari jussit Salomo seniores Israëlis, & omnes primores tribuū, & principes paternarū familiarum cum Israëlitis ad regē Salomonē Jerusalē, ut deducerent arcā federis Jehovę. *& v.2. & seqq. & c.20.7.* Itaq; rex Israëlis vocatis omnib. seniorib. regionis

dixit: Agnoscite, quæso, & videte illum quærere malum. & *v.8.* Dixerunt verò omnes illi seniores & totus populus ei, Ne auscultato, neq; adquiescito. *1.Reg.c.18.19.& seqq.Esth. cap.1.13.* Quapropter dicente rege sapientibus noscentibus tempora. (nam sic negotium regis exponebatur, omnibus noscentibus jura & judicia) *14.* Et propinquo sibi Charschene, Schetari, Admathæ, Tarschischo, Meresо, Marsenæ, Memucani, septem principibus Persidis & Mediæ videntibus faciem regis, sedentib. primis in regno. *15.* Ex jure, quid faciendum reginæ Vasthi, eò quòd non fecit edictum regis Assueri, per aulicos imperatum, & *v.seqq.& 21.* Cumque bona videretur hæc res in oculis regis & principum, fecit rex secundùm sententiam Memucanis. *Proverb.c.24.6.* Exemplum vide *Gen.c.24.8.9.10.& seqq. 1.Reg.c.12.6.7. 1.Chron. c.28.1.2.3.4.c.29.1. 1.Samuel.c.14. v.45.38.39.* ubi populus Jonathan capitali sententiæ Saulis exemit. *Jer.c.26.10.11.16.* Tunc dixerunt principes illi, omnesque Seniores populi sacerdotibus & prophetis, Nullum est in viro hoc crimen capitale, quũ nomine Jehovæ Dei nostri sit allocutus nos. & *v. 17.19.20.& seqq.& c.37.c.38.4.* Dixerũt principes regi, Morte quæsumus afficiatur vir iste. *5.* Quibus dixit rex Tzidkia: Ecce est in manu vestra: nam minimè is est rex, qui possit contradicere quidquam. *6.& seqq. 25.* Quòd si audientes principes, me locutum esse tecum, venient ad te, edixerintque tibi, Indica jam nobis, quid locutus es apud regem, ne celato nos, & te nõ afficiemus morte, quod item dixerit tibi rex. *26.27. 2.Chron.c.32.3.* Iniit consiliũ cum principib. suis & dynastis suis &c. *Hesræ c.10.4.5.6.7.8.9.10. Neh.c.5.& c.8.* Ephron Hethæus inconsulto populo, jus sepulchri Abrahamo non audet vendere, *Genes.c.23.* Neque Hemor rex Sichem cum Jacobo fedus facere audet sine populi voluntate, *Gen.cap.34.* vide Steph. Jun. Brut. *de vindic.contra tyran. quæst.3.* Bonavent. Cornel. Bertram *de politia Judaic.c.11.* Hotom. *de antiq.jure regni Gall. c.12. & seqq. inprimis c.14.* ubi exempla refert. *& c.18.c.21.c.22.* argum. *Prov.c.24.6.* De consilio statuum & ordinum imperii Germanici, quod Cæsari dant in decretis & constitutionibus sanciendis & promulgandis, constat ex *recess. Imperii de anno. 1497.1500.1512. 1521.1529.1548.1551.1555.* & aliis plurimis diximus *c.33.n.20.& c.27.n.43.44.c.29.n.58.*

Unde

Unde ephororum horum esse dicitur, injustis decretis magistratus supremi intercedere, eaque mitigare suis consiliis, vel impedire, quando saluti communi & legibus consociationis hujus universalis sunt contraria: sine quorum approbatione constitutio, vel decretum summi magistratus generale, non valet. 68

L. 8. human. C. de leg. l. 2. de decet. ab ordin. fac. Scribit Hotoman. *de antiq. jure regni Gall.* & Antimach. Renat. Choppin. *de doman. regis.* itemq; Steph. Jun. Brut. *quæst.3. de vind. contra tyran.* tantam horum ephororũ esse authoritatem & potestatem in Gallię regno, ut literę regis nisi à Secretario regni subscribantur, & rescripta à cancellario regni obsignentur, nullam habeant autoritatem, & alia negotia concernentia regnum, nõ nisi consultis & approbantib. ephoris seu optimatibus regni, gesta valeant. Unde constat, magno in errore esse Bodinũ, qui absolutam & omnimodam potestatem regi Galliæ tribuit, & nullos penè optimates agnoscit, sed per eorundem potestatem, regiam majestatem & potestatem tolli existimat, vel collegam accipere: quem errorem notat etiam Heig. *part.1.quæst.2.n.22.& seqq.* Unde etiam Dd. statuunt, principem non teneri ex contractu, qui subditis nocet, qui ideo invitis subditis non tenet. Hostiens. *in c.dilecti. de major. & obed.* Panormitan. *in c.novit. de judic.* exemplis illustrat Cabotius *lib.2.disp.c.12.* Vid. *inf.c.33. n.20.& sup.n.67.* Nam licet rex, vel imperator regalia Ducibus Comitibúsve Imperii seu regni vasallis, optimatibúsve concedat, semper tamen Imperii superioritas & præeminentia reservata intelligitur. Unde fit, ut tales optimates regis collegæ, aut paris cum eodem potestatis, minimè censeri possint. Nam his optimatibus specialis & restricta potestas & administratio est data. Rex verò, seu summus magistratus, generalem in singulos etiam optimates habet potestatem, majestatem & præeminentiam, à cujus potestate & administratione omnia pendent. Heig. *part.1.quæst.2.n.22.& seqq.& quæst.9.* Rosenthal *de feud. part.1. cap.5. concl.5.* Quantũ enim cumque sit imperium, quod alteri tribuitur, minus tamen est semper eo, quod concedens sibi reservavit, 69 70

uti communis Dd. est sententia. Nam supremus non potest
71 sibi parem constituere. Rosenth. *d loc. c. 5. concl. 10.* Et universi majorem habent potentiam uno homine, qui quicquid habet ultra alios homines, id ab universis accepit. Neq; etiã regis potestas ideò diminuta dici potest, quòd optimates & Ephori hi, etiam quandam usurpent potestatem, uti nõ infirmior est manus, quod in digitos est disecta, sed ad agendum sit agilior. Sic enim potestas à pluribus explicata, & negotia in Rep.
72 73 multis communicata, faciliùs expediuntur. Deinde hi ephori universi quidem magistratu summo sunt superiores, quatenus repræsentantes populũ ejus nomine collegialiter quid agunt: singuli verò separatim isto magistratu sunt inferiores, *1. Sam. cap. 14. 45. 46. Jer. c. 38. 4. 5. 19. c. 37. 15. 16. 17. 18. 19.* Fernand. Vasqu. *lib. 1. illust. controv. cap. 43. num. 2. 3. 5.* Plinius
74 *in panegyric. in Trajan.* Princeps summus est jurejurando, velut illius officiarius, Reipubl. obstrictus, ac ipsâ tota Republ. seu regno minor est. Julius Cæsar *lib. 5. & 7. de bello Gallico* testatur, ea tum fuisse regum Galliæ imperia, ut non minùs populus jure convocatus, in regem quàm rex in populum, autoritatis haberet. Sic & synodus, concilium, capitulum, universitas, superior est episcopo, pontifice, actore,
75 vel syndico suo. Vide Stephan. Jun. Brutum *in vindic contra tyrannos.* Hisce ephoris priùs, quàm magistratui, Reip. summa à populo commissa potestas. Quod igitur in tales ephoros prius est collatum, hoc postea alii magistratui dari nõ potuit: Stephan. Jun. Brutus *d. loc.* Hotom. *d. loc.* Vasq. *lib.*
76 *1. cap. 43. num. 5.* In politia Germanorum septemviri electores, qui Imperii Germanici generales sunt Ephori, in bulla Caroli quarti *cap. 16.* dicuntur assistere sublimitati Cæ-
77 sareæ, & in partem solicitudinis constituti. Jubentur quoque hi annuos conventus de publicis Imperii Germanici deliberationib. habere, *c. 12.* & dicuntur votum, seu jus suffragii in publicis deliberationibus de Imperii negotiis habere, *c. 20.*
78 *& c. 12.* Unde in comitiis Imperii, clausula finalis & principium decretorum habet, quod Cæsar ex consilio, consensu & voluntate statuum Imperii decreverit. Vid. constit. Imperii. Ita Fridericus Imp. in constitut. de incendiariis concludit, se cum principum & procerum Imperii voluntate decrevisse &c. Præterea Cæsar Imperator electus in formulâ & arti-

articulis juramenti sui jurat, se jura & privilegia ordinum non violaturum, se conventus electorum non impediturũ, se sine consensu & consilio ordinum, bellum non suscepturum, aut pacem initurum, neq; peregrinum militem in Germaniam deducturum, neq; imperii conventum, aut vectigal, vel tributum, nisi de consensu Electorum indicturum, & alia plura, de quibus in cap. de regni commissione latiùs. Imò Cæsar 79
ipse coram principe Palatino conveniri potest secundùm *auream bullam Caroli 4. Imperat. c. 5.* In Galliæ quoque regno coram ordinib. in senatu Lutetiano contra regem experiundi & agendi potestas conceditur. Quòd si etiam rex Galliæ 80
quid cum vicinis principibus paciscatur, vel si quod bellum est gerendum, aut pax facienda, hunc senatum Lutetianum autorẽ fieri oportet, & in ejus acta omnia quæ ad Remp. pertinent, referri, quæ non priùs rata sunt, quàm ab eo senatu fuerint comprobata. In Belgio Ordines hoc jus usurparunt semper in suos principes, teste Meterano *lib. 14. histor.* In aliis bene constitutis politiis, in Comitiis regni, communi procerum consilio de gravibus & arduis regni negotiis decreta & constitutiones fiunt, uti dicetur *infrà cap. 34. sub finem ferè.*

Sed & ipsi optimates sine consensu & approba- 81
tione summi magistratus, officium suum facientis, in Reip. negotiis nihil facient. arg. *cap. 45. 16. 17. c. 47. 1. c. 50. 4. 5.* arg. *1. Chron. c. 22. 20. c. 29.*

De negata verò vel omissa à summo magistratu, 82
consultatione, & sui vocatione, quilibet ephorus conqueri potest.

Judic. c. 8. 1. Sed dixerunt viri Ephraimitæ, quæ est res hæc, quam fecisti non vocando nos, cum proficisceretis ad pugnã contra Midianitas? contenderuntq; cum eo valde. *& v. seq. & c. 12. 1. 2. 3. 4. 2. Sam. c. 19. 44. 1. Reg. c. 12. 15. 16.*

Sed paucis etiam videamus de potestate & autori- 83
tate ephoris concessa in defendendis jurib. populi, seu universalis consociationis, quæ ipsa in summũ magistratũ non transtulit, sed sibi reservavit. Nam horum reservatorum jurium curam & defensionẽ,

consociatio illa universalis ephoris suis demandavit contra omnes violatores, turbatores & spoliatores, etiam ipsum summum magistratum: *cujus rei exempla præbent bella Belgica, & in his per 40. annos contra regem Hispaniarum gesta.*

84 Unde officium ephororum est, non solùm judicare, an magistratus summus munere suo functus sit, sive non: sed etiam tyrannidi magistratus summi, abutentis juribus majestatis, & corpori Reip. jus suum violantis, aut adimere volentis, resistere, eamque impedire.

Ita Theologi & JCti asserunt. Ex illis est Zach. Ursin. *in exercitat. theolog. lib. 2. exercit. 44.* Danæ. *lib. 6. polit. c. 3. & pag. 456. & lib. 3. c. 6.* Joh. Calvin. *lib. 4. Inst. c. 20. sect. 24. & seqq.* Petrus Martyr *in lib. Judic. c. 3.* David Pareus *c. 13. ad Rom. in dub.* Rosæus *de justa Reipub. Christ. in reges impios auth. c. 2.* Johan. Marian. *de rege lib. 1. c. 7.* Ex his sunt Franc. Hotoman. *lib. 1. de antiq. jure regni Gall. c. 12. & seqq.* Franciscus Zoan. *part. 3. n. 28. & seqq. & n. 95. & seqq. de tripart. defens. per alleg. ibid.* Fernand. Vasqu. *illust. controv. lib. 1. præfat. n. 102. & seqq.* Bossius *de principe & privileg. ejus. n. 55. & seqq.* Molynæ. *in consuetud. Parisiens. tit. 1. §. 1. glos. 7. n. 9.* Paurmeist. *lib. 1. cap. 21. n. 19. 42. de jurisd.* Paris de Puteo *in tract. syndic. rub. de excess. reg. c. 3. per tot.* Farinac. *de crim. læs. & maj. quæst. 112. n. 24.* Philadelph. *in dialog. 2. de reb. Gall. Autor libelli de jure magistratus in subditos.* Steph. Jun. Brut. *de vind. cont. tyr.* Argumenta adducunt *ex l. 2. §. exactis. de orig. jur. & d. l. 2. §. cùm placuisset.* Cic. *lib. 5. Tusc. quæst.* ibi, Nulla enim societas nobis cum tyrannis est, sed summa potiùs distractio; neque est contra naturam, spoliare eum, quem honestum est necare. & *lib. 3. offic.* ibi, Non se obstrinxit scelere, qui tyrannum occidit. arg. *l. minimè. de relig. & sum. fun. l. 3. §. lex. ad l. Jul. maj. l. 1. ibi, Sed hoc tempore. cum l. seqq. de his, qui sunt sui vel alieni juris.* Zoã. *par. 3. n. 95. & seq. 100. & seqq.* arg. *l. quod semel. de decr. ab ordin. faciend. l. est ejus nolle. de reg. jur. l. 15. potest. de adqu. her. text. notab. in Nov. 15. de defensor. civit. & in §. jusjurandum. ibi. ut inde sit cura privatio, unde etiam datur.* Huc facit illud Trajani dictum

dictum ad præfectũ prætorio, qui cùm gladium ab Imperatore acciperet, audivit, Hoc gladio pro me utere, si justè imperavero; contra me, si injustè. Neq; consociatio universalis administratores, seu reges constituendo, se ipsam sui servandi facultate spoliare voluit, aut potuit, neq; tali rectori suo leges violandi potestatem dedit, aut dare potuit.

Resistentes verò ephori tyrannidi summi magistratus, qui corpus consociationis universalis suo jure spoliare aut privare conatur, vel juribus majestatis abutitur, non ideo à communione regni & jurium illius recedere, sed abusum illorum improbare, & summi magistratus peccatorum communicationem & approbationem vitare dicuntur. 85

Farinac. *de crim. læs. majest. quæst. 112. n. 24. per alleg. ibid.* Longè igitur aliud est, à regno, & aliud, à rege impio tyranno, qui incepit esse privatus, & rex esse desiit, secedere & deficere. Ita Libnenses deficientes à rege Joram, *2. Reg. c. 8. 22.* non leguntur à politia Judaica defeciisse, *2. Reg. c. 15. 8.* de qua re latiùs 38.

Tertium officium horum optimatum est, magistratui summo capto, absenti, furioso, fatuo, minori, prodigo, vel aliis morbis, aut impedimentis ad administrationem inepto, inutili effecto, tutores, curatores, aut procuratores regni constituere, & adjungere. 86

Lancellot. *in tẽpl. om. judic. lib. 1. c. 2. §. 1.* Martin. Laudens. *de princ. quæst. 162. & 380.* Vide exemplum *2. Reg. c. 10. 5. 6. 7. c. 12. c. 15. 5. 1. Reg. c. 22. 48.* Ita in regno Galliæ, regibus furiosis, vel minoribus, aut alio modo ad gubernationem regni ineptis, curatores ordinatos à regni Statibus ex historicis probat Hotom. *in libell. de antiq. jure regni Galli.* Pet. Greg. *lib. 24. c. 5. & lib. 26. c. 5. de Rep.* Froissard. *lib. 2. c. 58. & 60. & lib. 3. cap. 134. & lib. 4. cap. 44. & lib. 1. cap. 107. & 171.* plurima exempla recensent. Vincent. Cabot. *lib. 1. disp. c. 18.* Renatus Choppin. *de doman. regis lib. 3. titulo 5.* dicit,

hodie regni procurationem à rege, vel ordinibus regni, dari viduæ, matri pupilli regii, quæ finitur quando pupillus regius annum ætatis 14. implevit. Sed malè, meo judicio, ob legem Salicam, quæ fœminam à regni administratione repellit, quamvis Cabotio id non videatur. In Belgio quoque ab ordinibus talibus suis principibus constitutos curatores tradit Meteran. *lib.14. & 20. histor.* Nam Respubl. & cura universalis consociationis summo magistratui commissa & commendata est, ut supremo ac præcipuo illius tutori. Ephoris verò, ut consiliariis fidis & defensoribus juris, populo in corpus regni unito competentis; tanquam contutoribus, inspectoribus, & observatorib. regis, quibus imputatur unius tutoris gerentis factum, quod nec cùm deberent & possent, illum suspectum fecerint, vel removendum curaverint: nempe, si cum iis administrationem non communicet, si non ex fide tutelam gerat, dolum admittat &c. aut negligentiæ alterius accusari possit. Vid. Steph. Jun. Brut. *quæst.1. de vindic. contra tyran. l.3. de susp.tutor. l.14. l.27. de administ.tutor.* Videbit igitur quilibet ephorus, ut si quid detrimenti Respubl. accepit, ille fecerit, quod facere ex officio debuit. Adde Hott. *de antiq. jure regni Gallici cap.29.25.* Datur itaque talis curator ex ephoris 1. quando rex nescit regnum defendere. 2. quando est negligens. 3. perdita nescit recuperare. 4. quando nescit justitiam administrare & pacem colere. 5. quando demens est. 6. quando quovis alio modo est inhabilis. Lancellot. *d.loc.num.15.* Bertach. *in repertorio in voce regnum & rex.* Jason *in l.cum quis.num.4. l.de procurat.* Abbas *in c. cum vigesimum. de officio delegati,* ubi etiam Felinus.

87 Huic adfine est, quod iidem Ephori tempore interregni sint rectores & procuratores regni & universalis consociationis, qui habent jus imperii administrandi & vices summi rectoris & magistratus generalis gerendi, donec summus magistratus electus & constitutus fuerit.

Sic in politia Germanorum, Cæsare mortuo, tempore interregni, imperii administrandi potestas concessa est duobus electoribus septemviris Imperii, Palatino & Saxoni, qui vices Imperatoris quilibet in certis Imperii partibus tempore

pore interregni gerunt, ut habet aurea bulla Caroli quarti Imp. In aliis politiis hæ partes ephoris plerumque omnibus, vel uni præcipuo demandatæ sunt. Idem de politia Belgica refert Meteran. *lib.14. historiar.* Hesra, cùm rex in politia Judaica non esset, ex principum & seniorem consilio politiæ administrationē suscepit, *Hesr. cap.10.4.5.6. & seqq.* & Nehemias quoque, *Nehem.c.5.14.15.* adde *1.Reg.cap.22.48.* & soli ephori tempore interregni apud Judæos imperarunt: *Judic.cap.21.16.17.20.22.* vid. *cap.19.num.ult.*

Quartum optimatum officium est, resistere juribus majestatis abutenti magistratui superiori; eumque jura & leges regni spernentem & violantem, tyrannidemque exercentem removere & exauctorare. Quod quando, quomodo & ratione fieri debeat, dicemus *infra cap.38.* 88

Quintum deniq; ephororum officium est, in defensione summi magistratus, ejusq; jurium, contra conjurationes & ambitiones subditorum, insidiatorum, contra superbiam nobilium, potentiorum factiones, seditiones, contra abutentes potestate regiâ, seu summi magistratus, eam minuentes, adimentes, impedientes, vim vel injuriam illi inferentes. 89

Quam ob causam Ephori Lacedæmoniorum jurabant, se regnum firmum & stabile reddituros regi, si ille jusjurandum servaret. Cragius *lib.2.c.4. de Rep. Lacedæm.* David rex ab his reductus, *2.Sam.c.19.10. & seqq.* & contra seditiosos defensus, *2.Sam.c.20.* & Saulis contemptus vindicatus, *1.Sam. c.21.12.* Tale officium ephororum agnovit Jehu rex, *2.Reg. cap.10.1.2.3.4.5.6.* & Nebucadnezar, *Daniel c.4.34.35.36.* à quibus David, ut dixi, defenditur, *1.Chron.cap.12.* Unde *in bulla aurea Caroli 4. Imp.* electores Imperii ad tutandam majestatem Imperii, tanquam fulcra illius dicuntur constituti, *in tit. 2. 3. 24. & ult.* Heigius *quæst.5. part.1. quæst.* In Galliæ regno pares Franciæ judicia in delinquentes potentiores exercent. Philip. Honor. *part.2. apotelesm.54. thesaur. polit.* Ephoris Lacedæm. comparat Heigius Electores

Germaniæ, *d.part.1.quæst.4.num.6.7.* & Wesenb. *consil.46. num.2.* Henning. Gœden. *consil.11.*

90 Jus hoc, quod diximus ephoros habere tanquam ephoros, in imperii, seu regni universi, administratione, longè differt ab illo jure, quod hi habent in provinciarum & locorum certorum possessione, tanquam Duces, principes, comitésve certæ regionis, vel provinciæ. illud n. est generale, hoc speciale restrictũ, *de quo c.8. sup. n.48. & seqq. & præced. per tot.*

91 Observandum hîc, ut ephororum officium est curare, ne summùs magistratus degeneret, faciẽdo, aut omittendo, quod non oportet: sic etiam summi magistratus officiũ est, curare, ne quis ephororũ suo imperio limitato, in suorum subditorum vel regni perniciem abutatur. Hęc mutua inter regem & status, seu ephoros, correctio, censura & observatio, regni statum salvum, sartum & tectum conservat, atq; eundem ab omnibus periculis, malis, & incommodis liberat.

Judic.c.20.c.21. Osorius *lib.8. de regis instit.* Oportet, ait, ut sit regnum optimorum hominum potestate & multitudinis libertate temperatum, ut neq; ii, qui plurimum autoritate valent, tenues homines, vel infimi potentib. invideant, illorumq; imperium detrectent. Sic fiet, ut alii aliorum ope & auxilio firmentur, omnesq; inter se vinculo societatis indissolubili constringantur. Vid. *infra num.113.*

92 Hoc jure, quod ephoris in summum magistratum competere diximus, spoliare eos & Remp. conatur Barclajus *lib. 4.c.10. & lib.6. de regno & regali potestate.* ubi id totum in regem translatum & à populo remissum, imò alienum putat. Cujus argumenta paucis referam & refutabo, priusquam ad species ephororum accedam. Tutoris, ait Barclajus, & curatoris potestas, major est quàm pupilli minorisve. Ergo etiam regis, qui Reip. curator est, major est potestas, quàm populi, aut ephororum, populum repræsentantium. Contrà ego regero: regulariter domini, qui curatorem rerum & negotiorum

gotiorum suorum constituit major est autoritas & potestas, quàm constituti curatoris. Ergo major autoritas & potestas ephororum populiq;, qui regem constituerunt, quàm regis constituti. Quod verissimum. Quòd verò contra regulam illam, tutor & curator majorem, quàm pupillus minórve, autoritatem & potestatem habeant, id accidit ob defectum voluntatis & judicii pupilli, qui in illa ætate constitutus, voluntatem legitimam & sufficientem habere non potest; quam tamen, postquam ad legitimam ætatem pervenit, recipit & habet, sicut alius quivis dominus in rerum suarum dispositione habet, *l.21. in re. C. mandat.*

Pupilli igitur personam tutor refert, eamq; integrat in vitę actionibus, ad personę & rerum pupilliarum administrationem pertinentibus. Naturam curæ, tutelæ & cujusvis alterius administrationis perpendentes & examinantes, fateri cogimur, has administrationis species, præ se ferre servitutem, & ministerium quoddam, quod tales administratores pupillis, qui illorum opera, auxilio & consilio indigent, præstant & exhibent. Sunt itaque tales administratores id quod sunt, propter pupillos, minores, aliósve, quorum negotia administrant, non verò pupilli, minores & alii propter suos administratores, §. *1.2.3. Instit. de mandat.* Originẽ quoq; administrationis & causam indagantes, reperiemus, ex mandato domini illam descendere. Mandans verò, vel injungens alii rerum suarum procurationem, est instar imperantis, rogantísve; suscipiens verò talem administrationem, instar obtemperantis, inservientis & officium suum alteri præstantis. Jam quæro, cujus sit major autoritas & potestas, mandantis, injungentis, an mandatarii, administratoris, ministri, suscipientis? Sed dicit Barclajus, constituentes alios sub se, intelliguntur majores & potiores esse constituto, uti Potiphar Josephum, Nebucadnezar Danielem, Darius præfectos constituens sub se, 93
illis majores autoritate & potestate meritò dicuntur. Verùm populus regem supra se constituit, non sub se, *Deut.cap.17.* ibi: Constituam super me regem &c. *1.Samuel.cap.8.* ibi: Rex erit super nos. *& c.10.* ibi: Sed regẽ constitue super nos. *& 1.Reg.cap.19.* ibi: Unges regem super Israël. Unde præesse & subjici sunt contraria, quæ eidem regi, simul, secundùm idem, & ad idem, tribui non possunt: quæ est contrariorum

natura & proprietas. Hoc argumentum Barclajus valde urget. Sed malè. Nam rex ſuper negotia aliena, nimirum ſuper populi & univerſalis conſociationis conſtituitur, quorum illi adminiſtratio, directio, gubernatio & cura eſt conceſſa, *1. Reg. c. 4. 1. 20. 23. Eſth. c. 1. 1. 2. 3. c. 2. 3. c. 3. 8. 12. 13. c. 8. 9.* nō verò conſtituitur ſuper jus proprietatis illorū negotiorū, exemplo tutoris curatorisve, qui ſuper negotia ſui pupilli minorisve cōſtituitur; item exemplo ſervi, miniſtri, procuratorisve, quem dominus ſuper negotia ſua conſtituit, qui tamē ideo majorem autoritatē & poteſtatem quàm dominus conſtituens, nō haber. Sic ergo & populus, ſeu univerſalis conſociatio, regem ſuper negotia ſua conſtituit directorem, gubernatorē & curatorē, ſed ſub ſe nihilominus conſtituit, h. e. certis conditionib. & modis ſeipſum populus regi regendum commiſit, & certis conditionibus poteſtatem & autoritatem in regem degene-
94 rantem retinuit. Directio & adminiſtratio hæc, non eſt plena abſoluta & liberrima, ad ſubditorum detrimentum & interitum, ſed ad ſalutem & certis legibus limitata & circumſcripta. Vaſquius *lib. 1. cap. 1. cap. 2. cap. 8. cap. 45. illuſt. contr. per alleg. ibid.* Quas, quando rex, rector & gubernator ejusmodi excedit, non amplius ſuper negotia populi conſtitutus, neque ſubditi ſub ipſo, vel ipſi ſubeſſe dici poſſunt, ut docui in hoc *c. 18. de ephoris.* Singuli ſubditi ſub rege ſunt; univerſi verò ſupra regem, qui non ſit gulorum, ſed univerſorum negotia adminiſtrat. Tyrannicè adminiſtrans, non tam dirigere & curare, quàm perdere dicitur: Ergo præeſt rex, & ſubjicitur. Præeſt ſingulis, rectè adminiſtrando, quatenus legis eſt exſecutor, cuſtos & miniſter. Sic ergo, propriè loquendo, lex omnibus & ſingulis præeſt, ſuperior eſt, & ſupra
95 omnes, quam omnes & ſinguli ſuperiorem agnoſcunt. Rex verò ſecundùm legem Rempubl. gubernans, eidem præeſt & ſuperior Rep. eſt, ideo quòd ex legis ſuperioris præſidentis præſcripto imperat. Ergo contra legis præſcriptum imperans, legi fit obnoxius, & ſuperior eſſe deſinit; quo caſu incipit ſubeſſe legis exſecutoribus. Unde fit, ut ſubſit univerſis, tyrannidem exercens, & poteſtate ſua abutens, & deſinat eſſe rex & perſona publica, & fiat privatus, quomodo notoriè iniquè procedenti & agenti reſiſtere licet
96 cuivis, ut ſupra diximus. Par porro, ait, in parem non habet imperium. Ergo magiſtratus anteceſſorum ſuorum decretis, non obligatur. Imò, inquam ego, DEUS, jus naturale

& gentium, atque ephori, ſeu regnum, rege ſunt majores, in eumque imperium obtinent, *Deut. cap. 17. 15. & ſeqq. 1. Sam. cap. 12. 15. & ſeqq. Ezech. cap. 34. l. digna vox. C. de legib. l. ex imperfecto. C. de teſtam.* Deinde obligatio, quam princeps tempore initiationis præſtitit, eundem obligat, *Deut. c. 17. 16. 17. 2. Reg. c. 23. 2. 3. & ſeqq. 2. Chron. c. 34. 31. 32.* Nec dici poteſt, par eſſe, qui nondum fuit princeps, anteceſſore ſuo vivente. Pruckman. *d. cap. 3. num. 159.* Neque obſtat, quòd ſibi nemo imperare poteſt, *l. pen. de recept.* & ſeipſum punire, quod nec hic fieri dicitur. Neque *cap. 8. 1.* 97
2. 3. eccleſiaſt. obſtat, quia ibi in *v. 1.* agitur de moderando obſequio regi debito, ſecundùm verbum Dei. *& verſ. 3.* ibi: Et quis dicat ei, Quid facis? & *verſ. præced. 2.* ibi: Nam quicquid volet, facturus eſt: quia de libidine & arbitratu regis improbi, non verbis exaſperandi vel acerbandi loquitur, ut ibidem rectè Junius explicat. Nec abſurdum eſt, aut cum 98
natura pugnat, regem majorem, inferiori etiam ſubjici. Sic enim poteſt ſe, qui eſt major, vel æqualis, jurisdictioni alterius ſubjicere, *l. 14. eſt receptum. de jurisd.* Ita partes litigantes poſſunt in longè ſe inferiores compromittere, *l. 6. quin etiam. de receptis arbit.* & inferiores judicare in cauſa ſuperiorum, *d. l. 6.* Sic Cæſar in cauſis, quas alii ipſi movent, Comitem Palatinum electorem, judicem habet, ut docet aurea bulla Caroli quarti. Et rex Galliæ Parlamenti Pariſienſis judicium ſubit: & principes Imperii Germanici, ſecundùm auſtregas aliorum principum, comitum, vel etiam ſuorum conſiliariorum judiciis ſubſunt, ut dicit ordinat. Cameræ *part. 2.* Matth. Steph. *libr. 2. part. 2. memb. 3.* Regem quoque ſe minori, vel æquali ſubjicere poſſe, contendit Bartol. *in l. receptum. de jurisd. omn. jud.* Bertachin. *in repertorio in voc. rex.* Præſunt ergo hi, Cæſar, rex & princeps, ſecundùm quid, & ſubſunt ſecundùm quid, non ſecundùm idem, & ad idem, & eodem tempore præſunt & ſubſunt. Præeſt 99
rex, & dominatur in iis, in quibus dominandi & gubernandi poteſtatem accepit, non in iis, quæ ephororum poteſtati & judicio ſunt reſervata. Præeſt, donec legitimè, juſtè & piè gubernat & adminiſtrat, hoc eſt, quouſq; non deſinit eſſe adminiſtrator, quod fit, quando non curat, ſed perdit, dilapidat & perimit, & lex animata eſſe deſinit, ſicut paſtor deſinit eſſe paſtor, qui oves deglubit, dilaniat & perdit. Pergit Barclajus,

atq; ab exemplis argumentū deducit. Nam sic ait, cardinales pontificem, clerici episcopum, monachi abbatē constituunt super se. Unde illi inferiores, hi verò superiores & potestate & autoritate sunt. Illi imperio & potestate carent: hi habent.
101 Sed tales, pontifex, episcopus, abbas, quilibet à suis constituentibus ex justis causis removeri, & potestate suâ privari possunt. Quid enim, si pontifex, episcopus, vel abbas talis, fiat hæreticus, aut alio modo ad officium suspectus vel inhabilis? Jura canonica tales à dignitate & officii demandati administratione arcendos esse pronuntiant: Lancellot. *in templo omnium judic. libr. 2.* Sæpeque tales è dignitate & officio suo dejectos fuisse, historiæ testantur, & praxis docet. Quis enim cum ecclesiæ detrimento, & salutis hominum damno & jacturâ, tales inhabiles, hæreticos, schismaticos, magos, ineptos, vitam turpissimam viventes, nihilque minùs quàm officii demandati partes curantes, non suas oves pascentes, sed deglubentes, ampliùs ferret? Si in furorem, vel alium morbum animi vel corporis incidant, ut inde inepti & inhabiles omnino fiant, an ecclesia aliis ministris gubernanda, non committenda? An ita in horum potestatem, curam & protectionem ecclesia venit, ut iis viventibus nunquam alii committi possit? An major & potior ratio, autoritas & potestas illis in casibus, pontificis, episcopi, vel abbatis hominis unius, quàm ecclesiæ, cardinalium & monachorum? An unius major potestas, quàm plurium? Nemo dicet. An his in casibus jus majus, potius & pinguius unius pontificis, episcopi vel abbatis, quàm totius ecclesiæ omnium cardinalium vel monachorum? Nec hoc quis affirmabit. Nam quicquid juris, potestatis & autoritatis habent tales sacri antistites, non ipsorum proprium est, neque à seipsis habent, sed ab ecclesia, collegio cardinalium & monachorum acceperunt, quod officium suum deponentes, vel morientes, in manus ecclesiæ, capituli, collegiive, à quibus
102 constituti sunt, resignant, atque ita dominis suis restituunt, ita ut tales antistites, tantùm usufructuarii, collegia verò ejusmodi, proprietarii juris istius esse videantur. Unde efficitur, antistitum horum jus esse temporale, collegiorum verò istorum perpetuum & immortale, prout etiam collegia illa, ob perpetuam surrogationem in locum decedentium personarum, immortalia esse existimantur, *l. proponebatur. de judic.*

de judic. Ad hanc rationem, regum officium & administrationem exigentes, non dissimilem illius affectionem & naturam inveniemus. Consistit enim regis jus in fide & diligenti administratione & cura Reipubl. sibi à populo 103
demandata. Ob hanc causam populus in eum tantum autoritatis & potestatis, quantum sufficere arbitratur, transfert. Communicatione & collatione, seu contributione singulorum è populo, rex fit dives & potens: consilius suorum fit sapiens, auxilio suorum subditorum, viribus, robore & potentiâ excellit. Hæc si populus regi adimit, rursus fit imbecillis, egenus, inops & privatus. Divitias hasce, potentiam, sapientiam & autoritatem rex possidet, iisque utitur fruitur tanquam usufructuarius. Rege mortuo, vel alio legitimo modo, solio regali adempto, hæc, quæ dixi, regis jura ad populum redeunt, tanquam ad suum proprietarium, qui postea, prout visum fuerit è Republicâ esse, 104
de eis disponit. Aliud ergo jus regis, & aliud jus populi est. Illud temporale & personale, hoc perpetuum manet: illud minus, hoc majus est: illud est precarium ex contractu mandati regi datum & susceptum, hoc est proprium & incom- 105
municabile, uti disseruimus in Politicis. Maritus, præterea ait, ab uxore constitutus super eandem, superior illa est. Ergo etiam rex Reipubl. & regno superior. Maritus eam, quam habet superioritatem & potestatem in uxorem, ex conjugio habet, *1. Corinth. cap. 11. Genes. cap. 2.* Sed ad tempus & sub conditione, nimirum donec matrimonium durat, neque adulterio, vel desertione, vel morte est dissolutum, *1. Corinth. cap. 7.* Nam matrimonio dissoluto, omnis illa potestas maritalis, quam in uxorem usurpabat, extinguitur, *Roman. cap. 7. 1. 2. 3.* Desertioni huic, quam dixi, æquiparatur sævitia conjugis intolerabilis, quâ facit, ut conjunx sibi cohabitare non possit, Beza *in tract. de divort. & repud.* Ob talem sævitiam insanabilem & periculum vitæ, vel valetudinis, Theologi dissolutionem matrimonii & divortium concedunt, idque autoritate scripturæ sacræ tuentur. Quare etiam non pari ratione divortium inter regem & Rempublicam concedendum, ob intolerabilem regis tyrannidem insanabilem, quâ omnem secum cohabitationem & consociationem honestam tollit? Nullum vinculum matrimonio arctius esse existimatur, divinâ autoritate indissolubili san-

citum, *Matth. cap. 19.* & tamen ob prædictas causas solvitur. Quare non similiter vinculum inter magistratum & sub-
106 ditos ob causas æquè graves solvendum esset? Omnis potestas certis cancellis & legibus est limitata, nulla absoluta, infinita, effrænis, arbitraria, exlex, sed quælibet potestas legibus, juri & æquitati alligata. Item omnis potestas civilis ut legitimis modis constituitur, ita etiam tollitur & extinguitur. Falsum præterea est, quod Barclajus *libr. 4. cap. 25.* dicit, universa scilicet negotia Reipub. demandata esse regi. Nam negotium electionis, constitutionis, defensionis regiæ, negotium resistendi tyrannidi, atque plura alia, quæ hoc capite ephoris demandantur, regi committi non possunt.

Atque hæc hactenus de officio ephororum, atque refutatione eorum, quæ à Barclajo contra eorundem potestatem adferuntur: sequitur nunc, ut de speciebus ephororum dicamus.

107 Ephori igitur sunt perpetui, hæreditarii ex consensu universalis consociationis facti, vel temporales.

Perpetui ita sibi commissum habent hoc munus, ut etiam ad hæredes suos id transferant. Temporales contrà ad certum præscriptum tempus hoc officium gerunt, atque illo effluxo deponunt.

Ut olim apud Romanos provinciarum rectores & præsides, quos vel imperatores, vel senatus in provincias mittebant. Vide Sigon. *de antiq. jure provinc.* Paurmeist. *de jurisd. lib. 2. c. ult.*

108 Deinde ephori & status, seu ordines ejusmodi regni sunt duorum generum. Sunt enim ecclesiastici, vel seculares.

Ecclesiastici sunt, qui ex personis ecclesiasticis sunt constituti, & rerum ecclesiasticarum curam gerunt.

109 Seculares, qui rerum publicarum scientiam & curam habent. Atq; hi rursum sunt nobiles, vel plebeii.

Nobiles

Nobiles sunt ex ordine nobilitatis delecti.

Plebeii sunt ex reliquis regni pagis, civitatis, oppidis ve desumpti.

Omnes verò hi ephori & ordines regni in duas species distribuuntur. Sunt enim generales, vel speciales.

Generales ephori sunt, quibus totius regni & o- 110
mnium provinciarum ejus tutela & cura vel inspectio est demandata, uti sunt senatus imperii, consiliarii regni, syndici, regni cancellarius & similes.

Ejusmodi generales optimates & ephori in regno Israëlitico fuerunt 70. seniores. *Num. cap. 11. 16.* Dixit ergo Johova Mosi, Congrega mihi 70. viros è senioribus Israëlis, quos nostri esse seniores populi & moderatores ejus, & adsumptos adducito eos ad tentorium conventus, ut sistant se ibi tecum. *17.* Tum descendens loquar tecum ibi, & seponam de spiritu, qui est super te, ponamq; in eis: Sic portabũt onus populi, neq; portabis tu solus. *Deut. c. 27. 1. Judic. c. 21. 16. & seqq. Josuæ cap. 24. 1. Hesræ c. 8. 29. c. 9. 2. Nehemiæ cap. 4. 14. cap. 5. 7. cap. 10. Esd. c. 2. 1. Reg. c. 8. 1. cap. 20. 7. 8. Deut. cap. 23. 1.*

In Imperio Romano primo in Democratia fuerunt tribuni plebis, qui consularem potestatẽ reprimebant, ne imperio abuterentur consules, nimiæque ferociæ & audaciæ assuescerent. Alex. ab Alexan. *genial. dier. lib. 1. c. 3. lib. 4. c. 6. & lib. 5. c. 2. lib. 6. c. 24.* Postea generales ephori erant senatores Romani in monarchia Romana, uti Xenophon, Aristoteles, Plutarchus & alii testantur.

In politia Germanorum generales ejusmodi ephori sunt electores, seu septemviri Imperii, ex quibus tres sunt Ecclesiastici, & quatuor seculares. Ecclesiastici sunt, Mogunti nensis Archiepiscopus, Imperii Archicancellarius; item Archiepiscopus Colonienſis, & archiepiscopus Trevirensis, seculares sunt, Rex Bohemiæ, Princeps Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Dux Brandenbur-

genſis. Heigius *lib.1.quæſt.3.* Pacian. *de probation.lib.2.c.35. nu.25.* Schard. *de origin.elector. Aurea bulla Caroli IV. Imp.*

Ex his elector Palatinus in cauſis adverſus Imperatorem inſtitutis, ex aurea bulla Caroli quarti Imp. competens eſt judex. Idē Palatinus & Saxonicus princeps tempore interregni, Imperii curatores & vicarii ſunt. In hoc collegio electorum, jus convocandi collegas electores habet Moguntinus Archiepiſcopus & elector, Imperii per Germaniam Archicancellarius. Hic quoque habet jus proponendi & ſententias collegarum ſuorum rogandi. Vid. auream bullam *c.4.c. 7.c.12.c.20.* In regno Galliæ, Philippus Honorius, *theſaur. polit. part.2. apoteleſ.54.* cum aliis hiſtoricis, conſtituit tres ordines: eccleſiaſticum, nobilitatis & populi. Galliæ optimates generales, vel ſpeciales ſunt. Generales Galliæ optimates ſunt Cancellarius Franciæ, principes Franciæ è ſanguine regio ex patribus ſuis orti, Major palatii, qui hodie Comes Itabuli dicitur, Mareſchallus, Amiralis, magnus referendarius, Quæſtores, & alii à ſenatu Lutetiano recepti. Speciales Galliæ optimates & ephori ſunt pares Franciæ, quos vocant, ſeni eccleſiaſtici & totidem ſeculares. Eccleſiaſtici ſunt Archiepiſcopus Rhemenſis, Laudunenſis, Lingonenſis, Belvacenſis, Cathalaunenſis, & Noviomenſis, omnes Archiepiſcopi. Seculares ſunt: Dux Burgundiæ, Normanniæ, & Aquitaniæ, omnes Duces: Comes Flandrię, Tholoſę & Campaniæ, tres Comites. Sleidan. in deſcript. Galliæ, & latè Renatus Choppin. *lib.3.tit.7. de doman. regis*, ubi vocat duodecim viros Galliæ, hos optimates, quorum etiam meminit Budæus *in l. ult. de ſenatoribus.* Horum officium eſſe dicitur, ut regis inaugurationi præſint, & inſignibus imperii Gallici in conventu publico eum ornent, atque ut judicium in delinquentes potentiores, vel principes Francię exerceant, ut dicit Honorius *d. apoteleſ.54.* atque alia omnia faciant, quæ ephoris ratione officii injuncta eſſe diximus. Sed hodie reges Galliæ patrimonio ſuo conjunxerunt, & à multis annis tenent Normanniam, Aquitaniam, Guiennam, ſeu Campaniam, Tholoſanam ditionem, & Burgundiam. Sola Flandria à Carolo V. Imp. exēpta eſt à fide, qua olim Galliæ regno fuit obſtricta. Tempore Caroli Magni tales ephoros & primores in Gallia fuiſſe, teſtatur Abbas Urſpergenſis, quorū conſilio in concilio publico Ludovicus rex creat⁹ eſt: Idem

Idē Aimonius, Sigisbertus & Regino in Chron. teſtantur in locis diverſis. Aimonius *lib.4.c.67.c.94.c.109. lib.5.c.17.* Licet verò hodie non ſint illi pares veteres, tamen cùm aliquid ſolemne agitur, evocantur alii principes, qui ſint ipſorum loco. Eccleſiaſtici optimates Galliæ adhuc hodie immoti permanent. *Sleidan in deſcript. Galliæ Cominæi hiſtoriis adjectâ.* Ordo nobilitatis & ordo civitatum adhuc in comitiis Gallicis convocantur. Vid. *infra cap.33.num.111.*

Ità & regnum Britannicum, ſeu Anglicanum, ſuos habet optimates & ephoros, qui in comitiis eorundem jus ſuffragii habent, & ad ea convocantur, uti Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Epiſcopi, Abbates, privilegiati, regni provinciæ, & civitates privilegiatæ, qui partim ſunt eccleſiaſtici & partim ſeculares. Vid. Thom. Smith. *lib.2. de Rep. Angl. infra c.33. n.114.* Sic & regnum Polonicum ſuos habet ephoros & oprimates, ut Archiepiſcopos, Epiſcopos, Palatinos, quos Waiuodas vocant, Caſtellanos majores & minores, Capitaneum Samogitiæ, & officiales regni. Vide Martin. Cromer. *lib.2. de Repub. Polon. & infra cap.33. num.119.*

Belgium habet tres ordines: eccleſiaſticum, nobilitatis, & civitatum majorum. Eccleſiaſticum ordinem conſtituunt Epiſcopi, Abbates, & Prælati: Nobilitatis ordinem verò Duces, Principes, Marchgravii, Comites, & Barones. Majores civitates per ſuos conſules & ſyndicos ordinem conſtituunt. Guicciardin. *in deſcript. generali Belgii.*

Sic & regnum Hungariæ, Sueciæ & Daniæ ſuos habent ephoros & optimates, partim eccleſiaſticos, partim ſeculares. Item regnum Hiſpaniæ & alia omnia Europæ regna: de quibus, regnorum & populorum ſingulorum ſcriptores ſunt conſulendi & legendi.

Spartani olim duas habuerunt familias, ex quibus reges creabant, quibus adjungebant Ephoros & inſpectores, quibus licuit regem damnare, ſi abuteretur officio ſuo, quod accidit Pauſaniæ. Vid. Cragium de Repub. Lacedæmon. quales q̄ꝙ reges Babyloniæ habuiſſe leguntur, *Dan.c.3.3.4. 27.c.5.c.6. Eſth.c.1.c.3.c.4.* & Philiſtæorum, *1. Sam.c.5.8.11. c.6.4.12.*

Speciales ephori ſunt, qui provinciæ, regionis, 111

vel partis certæ regni, tutelam & curam susceperunt, & immediatè summum magistratum, seu Remp. pro suo superiori agnoscunt, & Imperii matriculæ sunt inscripti, quales sunt Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Castellani, nobiles regni, & civitates imperiales, quas in Germania vocant, & similes à provinciis sibi demandatis nominati. *Vid sup. c. 8.*

Immediatè, dixi, agnoscunt suum superiorem Rempublicam, seu universalem consociationem illam.

Cujus sunt ephori; ideò, quod sint etiam quidam Duces, Comites, nobiles, civitates, quæ quidē mediatè subsūt summo Reip. magistratui, sed immediatè suis Principibus, Ducibus, vel Comitibus, intermediis magistratibus, illis, qui sunt status, seu ordines & Ephori Reipub. seu regni: Sed hi mediatè subjecti Comites, vel civitates, non sunt status, vel ordines regni. de quibus *capit. 8. in fine* diximus. Matth. Stephani *lib. 2. part. 1. c. 4.*

112 Specialis ephorus quilibet, in provincia suæ curæ & fidei commissa, eam potestatem & jus habet, quod summus magistratus in toto regno; Geil. *lib. 1. c. 6. n. 10. 11. de pace publ. & lib. 2. obs. 57. nu. 7. 8.* Wesenb. *consil. 40. num. 44.* & exercet in suo territorio, quæ imperatori in signum Imperialis coronæ reservata sunt. Boër. *decis. 242. n. 2.* Wesenb. *consil. 27. num. 29.* dissentit Paurmeister, Waremundus & Rosenthal. paucis exceptis, qui in rebus atque negotiis arduis, totam provinciam concernentibus, peculiare concilium provinciale senatorum, statuum & primorum suæ provinciæ convocabit, in quo ardua negotia communi deliberatione tractentur & decernantur.

Vide

Vid. *sup. c. 18. num. 67. & 69. Josu. cap. 19.* ubi Danitæ bellum gesserunt. & *Judic. cap. 12.* ubi Ephraimitę conventū egerunt. *2. Macch. 1. c. 14.* Sig. *lib. 6. c. 3. de Rep. Hebr.* adde *2. Reg. cap. 23. & 1. Sam. c. 30. Judic. cap. 11. c. 8. Ruth. c. 4.* ubi tribunum & civitatis seniorum & principum fit mentio. Danæ. *lib. 6. c. 4. polit. & c. 3.*

Consultum est, ut hi ordines generales & spe- 113
ciales, & rursum speciales inter se, certis modis & rationibus devinciantur, & à se invicem pendeant, atque alius alterius ope & consilio opus habeat.

Deinde, ut quilibet ordo intra suas contineatur metas, ne alium lædere possit, atque certa habeat remedia, quibus alter adversus alterius injurias tutus esse possit: ut nimirum ecclesiastici ordinis ambitio, equestris ordinis insolentia, atque plebeii ordinis licentia, coërceantur, & injuriæ alterius in alium præcaveantur.

Unde quædam temperata & mutua Reip. gubernandæ ratio existit, tantopere à philosophis laudata, quæ publicæ tranquillitatis custos & humanæ societatis vinculum. Vide *sup. num. 91. hoc capite. & c. 37. n. 63. 64. 65. 66.*

Speciales ephori apud Judæos erant Duces & principes 114
tribuum singularum, *Mich. cap. 3. 9. 10. 11.* item Judices, principes & præfecti singularum urbium. *Josu. c. 23. 2.* Accidit, ut vocaret Josua totum Israëlem, seniores ejus & primores ejus, judicesque ejus ac moderatores ejus, dicerétque eis, Ego senui, vergo ætate, *& seqq. Num. cap. 1. 4. 5. 6. & seqq. 1. Sam. cap. 5. 8. & seqq. 1. Chron. c. 27. 1. & seqq. & c. 28. 1.* Congregavit itaque David omnes præfectos Israëlis, præfectos tribubus, & præfectos distributionibus, ministrantes regi, & chiliarchos centurionsque, atque præfectos omnibus facultatibus, & pecuariæ regis, filios, quoque suos cum aulicis & robustissimis, denique quemque valentem robore, &c. *& cap. 13. 1. 2. 3. 1. Sam. cap. 8. 4.* Quamobrem congregantes se omnes seniores Israëlis, venerunt ad Samuelem Ramam. *& vers. 6. 7. cap. 10. 19. 20. Josu. c. 24. 1.* Deinde

congregavit Josua omnes tribus Israëlis in agrũ Schecemitarũ, postquam convocasset seniores Israëlis, & primores ejus & judices ejus & moderatores ejus, ut sisterent se coram Deo, *23. Jer. cap. 26. 36. c. 38. 2. Chron. c. 23. 2. 20.* de quibus suprà dixi *cap. 8. & c. præced.* Vide Sig. *lib. 6. c. 4. de Rep. Hebr.*

115 In regno Rom. olim speciales ephori erant præsides provinciarũ. In Germanico regno, seu Imperio, speciales ephori sunt Status, quos vocant, Imperii, immediatè Cæsari subjecti, jus suffragii & sessionis in comitiis habentes: *Recess. Imper. de anno 1548. §.* Wann auch ꝛc. ut Archiepiscopi, Episcopi principali instructi potestate & auctoritate: Duces & Principes; Prælati principali dignitate excellentes & Abbates: Marchiones, Comites, Barones, & civitates quas imperiales appellant. Heigius *quæst. 2. lib. 1.* ubi de nominibus hisce latè agit, & Pacian. *lib. 2. quæst. 2. c. 35. & seqq. de probat.* Chass. *in Catal. glor. mund. part. 8.* Borcholt. *de feud. in c. quæ sunt regal.* Paurmeist. *de jurisd. imperii lib. 2. c. 1.* ubi in specie recenset Imperii ordines. Petr. de Andlou. *de Imp. Roman. c. 16.* ubi recenset principes & proceres super quibus Romanũ Imperium Germanicum est fundatum. Vid. Matth. Steph. *part. 1. c. 4. de jurisd.* Guid. Pancirol. in *Comment. notit. Imp. orient. c. 139. & seqq.*

116 Duces vocantur, qui à summo magistratu nomine Ducis Ducatu sunt donati certis conditionibus & legibus; Germani vocant Ducem ein Hertzog/quasi ein Her des zugs, Ducem exercitus.

117 Marchiones sunt, qui Marchiam sub titulo Marchiæ administrandam acceperunt, appellati à March, quod limitem significat, siquidem custodes limitum erant constituti primò. *Heigius d. quæst. 2.*

118 Comites olim dicebantur, qui palatium principis sequebantur; hodie illi, qui comitatum cum territorio titulo Comitis habent. Pacian. *lib. 2. cap. 10. num. 11.* & feudistæ omnes docent, quos Germani Gravios vocãt, qui sunt judices. unde Marchgravius, Landgravius, Pfaltzgravius, Rheingravius. Vide Heigium *d. quæst. 2.* Paurmeister. *d. lib. 2. c. 10. de jurisd.* Petr. de Andlou. *de Imp. Romano lib. 2. c. 12.* Guid. Pancirol. *not. Imp. Roman. cap. 1.* Lancellot. *in temp. omn. jud. lib. 1. c. 6.* Matth. Stephani *lib. 2. part. 1. c. 5. de jurisd.*

119 Barones à Baronatu, quem administrant, dicti à gravitate, vel

te, vel fortitudine. Vide de his Borcholt. *de feud.* Greg. *lib. 6. Syntag. c. 10.* Alciat. *lib. 5. parerg.* Heig. *d. loc.* & prædicti reliqui. Omnes hi ordines investiti sunt à summò magistratu cum titulo Ducis, Principis, Marchionis, Comitis &c. Rosenthal. *de feud. c. 2. quæst. 2. num. 9.* Geil. *de arrest. c. 6. num. 9.* Matth. Stephani *lib. 2. part. 1. c. 6. n. 31. & seqq. d. loc.* adde Mascard. *conclus. 1094. num. 5. 6.* Lancellot. *d. loc. c. 13. num. 13. & seqq.*

Prælati sunt, qui dignitatem ecclesiasticam cum jurisdictione seculari politica administrant, ut, quos vocant, Abbates, quidam Balivi, commendatores monasteriorum, collegiorumve ecclesiasticorum. De quibus contra Bezam Saravia disputat. 120

Civitates imperiales, Reichsstätte/sunt, quæ immediatè subsunt imperio, seu regno, nullum alium superiorem, quàm regni summum magistratum agnoscentes; Paurmeist. *c. ult. n. 9. lib. 2. de jurisd.* quę tantum in civitate sua possunt, quantum imperator in imperio, Geil. *1. de pace publ. c. 6. num. 11. lib. 2. obs. 57. n. 7. 8.* Contrà civitates municipales, alium quàm Cęsarem superiorem agnoscunt, Landstätte. Sunt etiam, quæ mixtum statum obtinent, & in certis casibus statum seu ordinem quendam imperii superiorem agnoscunt, aliàs respectu privilegiorum regalium & meri imperii obtenti, suam immunitatem tuentur: Mynsi. *cons. 13. n. 10.* Geil. *lib. 2. obs. 54. n. 10. & de arrest. c. 6.* Roland. à Vall. *cons. 1. nu. 45. 46. vol. 2.* vide *sup. c. 8. de provin. in fin.* Paurmeist. *d. loc. lib. 2. c. ult. n. 13. Matth. Stephani d. loc. part. 2. c. 1. n. 18. & seqq. lib. 2. & sup. c. 6.* Hi ordines distincti sunt in decem circulos. Vid. *recess. Imp. de anno 1522.* & infra *c. 33. num. 94.* dicemus. adde Matth. Steph. *lib. 2. part. 2. c. 1. num. 18. & seqq. de jurisd.* 121

Speciales ephori regni Gallicani qui sint, *sup. num. 110.* diximus. 122

Poloniæ regni consiliarii & ephori speciales qui sint, *sup. nu. 110.* diximus.

Sueciæ regni speciales ephori sunt archiepiscopi, episcopi, duces, prælati, equites, nobiles & cives, uti *supra nu. 110.* diximus.

Belgii ordines speciales sunt duo: Nobilitas, & civitates Belgicarum provinciarum.

Meteranus *lib. 14. & 20. histor.* Lud. Guicciard. *in gener. descript. Belg.*

123 Quòd si in regno, seu consociatione universali ejusmodi ephori non sunt, (qui tamen, meo judicio, maximè in bene constituta Repub. necessarii, ob rationes, quas suprà in principio hujus capitis dixi) tum illa, quæ ephoris aliâs demandantur, expediuntur consensu totius populi, tributim, curiatim, vel centuriatim, aut viritim rogato, aut collecto, adeò ut nulla præscriptio vel usurpatio contraria huic libertati & juri regni à magistratu opponi possit.

124 Neque n. anni quidquam juri populi demunt, sed injurię regis addunt, ut doctè ostendit Steph. Jun. Brut. *in vindic. contra tyran. quæst. 3.* Et si populus fraude circumventus, vel metu, viq; coactꝰ, se passus est in servitutē redigi, restitutionē in integrū habet, uti rectè asserit Buchananꝰ *in libello de jure regni Scotiæ*: imò bello devicti, sub jugum redacti & in societatem unius Reip. à vincente populo recepti, eodem quoque cum illis jure utuntur, uti diximus *suprà cap. 17.* Et si fortè in iniquas conditiones injusto metu coacti cōsenserit, pro nullis illæ habendæ sunt. Autor *de jure magist. in subdit. quæstion. 6.* Exemplum harum iniquarum conditionum vide *1. Sam. c. 11. 2. & 1. Mach. c. 1. 55.* Quòd si durę sint juri naturali tamen non repugnantes, servandæ erunt. Vide exemplum de Gibeonitis, *Josuæ c. 9. 25.* & aliud *Ezech. c. 16. 17.* Denique negligentiâ, perfidiâ, dolo, conspiratione cum principe, prævaricatione, collusione, vel proditione ephororum & optimatum, juri populi nihil adimitur, nec quidquā licentiæ tyranni adjungitur: argum. eorum quæ diximus suprà. Iniquum enim & absurdum esset, affirmare, ephoros in tyrannum posse transferre, quod nunquam illi habuerunt, & corporis consociati jura eosdem disperdere & alienare posse in præjudicium universalis cōsociationis, refragantibus legib. regni fundamentalibus & illis in quas juravit summus magistratus, quæque spiritum & animam Reip. infundunt, eamque à congregatione latronum & nefariorum hominum distinguunt & separant. ita penes ephoros, non Rempub. & populum proprietas & summum Reipub. jus esset, contra quam supra diximus & probavimus.

CAPUT

CAPUT XIX.

De regni, sive universalis imperii, commissione.

1 *Magistratus summus quis.*
2 *Jura universalis consociationis quomodo ejusdem propria.*
3 *Protectio & jurisdictio universalis Cæsaris.*
4 *Summus magistratus aliis quis sit.*
5 *Jus hujus quale & quantum sit.*
6 *Constitutio summi magistratus quid.*
7 *Contractus reciprocus inter magistratum summum & populum, quidq; præcedat in eo, & quid sequatur.*
8 *Quantum juris habeat magistratus.*
9 *Tuta potentia qua dicatur.*
10 *Plenitudo potestatis penes regem non est.*
11 *Absoluta potestas regi competere non potest.*
12 *Quid juris & quantum habeat populus in imperio, & quantum rex.*
13 *Princeps non habet parem potestatem cum populo.*
14 *Forma & finis mandati principis.*
15 *Populus suo principe est prior & dignior.*
16 *Populus sine principe esse potest, sed princeps sine populo nullus.*
17 *Reges sunt à populo, non contrà.*
18 *Princeps mortalis, populus immortalis*
19 *Præceptum de constituendo summo magistratu.*
20 *Exempla sacra & historia.*
21 *Consensu populi tacito, vel expresso, eliguntur principes.*
22 *Exempla profana aliorum populorum.*
23 *Rationes constituendi summi magistratus.*
24 *Commissio regni quid.*
25 *Electio principis.*
26 *Electio spectat ad populum.*
27 *Eligendi jure qui utantur.*
28 *Suffragia eligentium, eaq; paria, vel imparia.*
29 *Capitulationes in quas jurat magistratus.*
30 *Præleguntur illæ magistratui.*
31 *Populus interrogat, vel commissionem administrandi dat per ephorum, & magistratus respondet.*

32 Conditiones iniquæ, vel duræ.
33 Si nullæ tales sint conditiones.
34 Judæi verba fœderis regi prælegebant.
35 Quid si populus omne suum jus contulit in summum magistratum.
36 Quale jus populus transferat in principem.
37 Nulla potestas est ad malum, vel ad nocendum constituta.
38 Quid juret Cæsar.
39 Leges & capitulationes in quas Carolus V. juravit.
40 Rex Galliæ quid juret.
41 Rex Angliæ quid juret.
42 Rex Hispaniæ quid juret, & quid rex Sueciæ.
43 Leges fundamentales Galliæ.
44 Leges de successione in regno Galliæ.
45 Rex Poloniæ quid juret.
46 Principes Brabantiæ quid jurent.
47 Quantum juris in summum magistratum confertur à populo.
48 Administratio generalis Imperii modò pro semisse, modò ex asse, modò ex triente transfertur in summum magistratum.
49 Lex fundamentalis regni quid.
50 Electio sola jus administrandi tribuit summo magistratui.
51 Legibus regiminis & lege fundamentali obligatos reges, contra Barclajum.
52 Lex fundamentalis in politia Judaica quænam.
53 Imperii regii leges, seu forma regiminis in politia Judaica.
54 Promissio & comminatio addita his legibus.
55 Verus sensus 1. Sam. c. 8.
56 Peccantes in legem regiminis.
57 Aliorum sententiæ de d. c. 8.
58 Barclaii distinctio inter officium regis & potestatem ejusdem, refutatur.
59 Altera ratio Barclaii refutatur.
60 Distinctio Barclaii inter judices & reges in politia Judaica.
61 Judices immediate à Deo constituti in politia Judaica.
62 Israëlitæ 1. Sam. c. 8. regem petentes in quibus peccarint.
63 Quoad imperium & administrationem seu leges regiminis, nulla inter reges & judices differentia.

64 Judi-

64 Judicum & regum officium idem, & elogia ab officio desumpta eadem.
65 Absolutam potestatem non habuerunt reges Judaici.
66 Zepperi sententia improbatur.
67 Reges à Deo constituuntur.
68 Regni cura, non soli regi, sed etiam ephoris commissa.
69 Reges à Deo & à populo quomodo constituebantur & removebantur in politia Judaica.
70 Electionis species.
71 Electio libera quæ.
72 Mutatio politiæ quando concessa.
73 Qui non eligendi.
74 Adstricta electio quæ.
75 In hac, politiæ mutatio non est concessa.
76 Adstricta electio ad certam nationem.
77 Adstricta ad hæredes magistratus.
78 Adstricta ad defuncti familiam.
79 Qualis electio usitata in Anglia & aliis regnis.
80 Adstricta ad hæredes masculos.
81 Qualis electio in politia Judaica.
82 Qualis in Gallia usitata.
83 In hac primogenitus præfertur aliis.
84 Apennagium quid sit.
85 Primogenitus inhabilis etiam eligendus.
86 Hujus inhabilis curator.
87 Religionis diversæ princeps.
88 Mala ex primogenituræ immutatione orta.
89 Proreges & vicarii.
90 In hæreditariis regnis electio populi non excluditur.
91 Jus imperii suâ naturâ non transit ad hæredes.
92 Inauguratio quid.
93 Inauguratio nihil novi tribuit, sed confirmat electionem.
94 Insignia & symbola regni.
95 A tempore initiationis annorum computatio facienda.
96 Ritus & ceremoniæ inaugurationis variæ.
97 Creatis regib. à Deo occulta majestas & veneratio indita.
98 Gerunt personam regni & typum potentiæ divinæ.
99 Insignia particularia quorundam.
100 Variorum regum varia insignia.
101 Inauguratus, vel electus, non opus habet pontificis confirmatione.

102 *Tempore interregni, qui sint futuri regis vicarii.*
103 *An aliud sit eligere, & aliud constituere; ubi refutatur Barclajus.*
104 *Electio & constitutio regis sunt jurisgentium.*
105 *In politia Judaica penes quem fuerit.*
106 *A populo electus, censetur à Deo electus.*
107 *Nominatio & constitutio regis.*

TAntum de ephoris universalis consociationis: sequitur de magistratu illius summo.

1 Magistratus hic summus est, qui secundùm leges ad salutem & utilitatem universalis consociationis constitutus, jura illius administrat & exsecutioni mandat.

2 Nam jura universalis consociationis & corporis illius politici, ratione proprietatis & dominii, pertinent ad corpus universalis consociationis, seu membra regni; at verò ratione usus & administrationis, spectant ad summum illius magistratum, cui à corpore Reipub. sunt commendata.

Marc. Anton. Peregrin. *de jure fisci lib. 1. tit. 3. num. 74. 75.* Molinæ. *in consuetud. Parien. tit. 1. § 1. glos. 6. num. 9.* Paurmeist. *de jurisd. lib. 1. c. 21. n. 19. & 42.* Vasquius *lib. 1. in præfat. illust. cont.* Zoannet. *de imp. Roman. num. 151. & seqq.* Marius Salomon. *de princip.* Buchanan. *de jure regni apud Scot.* Paurmeist. *d. loc. cap. 19. num. 7. 8.* & vide *sup. c. 18. & infra cap. 24.* latè quoque Rossæus *de justa Reip. Christ. in reges authorit. cap. 2.* Atque hæc duo dominii genera huc accommodat Covarruv. *in c. peccatum. part. 2. §. 9. relection.* quæ etiã formulâ illâ vulgari in rescriptis & decretis Cæsarũ exprimuntur, Jn vnser vnd des heiligen Reichs statt &c. ubi vox, Vnser/ protectionem & jurisdictionem universalem Cæsaris notat: verba, Des heiligen Reichs statt/ dominiũ universalis consociationis, seu Imperii, cujus Cæsar est director & administrator. Similiter de voce, Vns vnd dem heiligen Reich &c. est judicandum. Vid. *infr. cap. 24. nu. 37. & seqq.*

3 Summus

Summus verò magistratus dicitur, quòd non propriam, sed 4
alienam regni scilicet potestatem summã usurpat, cujus ipse est minister: vel ita dicitur respectu inferioris & intermedii magistratus, qui ab hoc summo ordinatur & pẽdet, & quòd ipse leges universales cæteris præscribit, *tot. tit. C. de jure vet. enucleand. l. fin. C. de legib.* Unde omnes alias superioritates supereminere dicitur, *l. pen. 7. de bon. quæ lib.* Sic *1. Pet. c. 2. 13. 14.* accipitur. Sic Josephus summus præfectus à Pharaone cõstituitur, *Gen. c. 41. 43. 44.* & Daniel inter collegas suos summus dicitur, *Dan. c. 2. 48. c. 5. 29.* & summus pontifex, *Matth. c. 27. 1. 6. 12. 4. Act. c. 7. 1.* Deniq; summus dicitur ratione singulorũ, non universorum subditorum; neq; ratione legis, cui est subjectus, *Deut. c. 17. 16. 17. & seqq.* Cabotius cum Bodino distinguit inter summum magistratum & regem, seu principem. Ille, ait, ad tempus, hic ad perpetuũ constituitur. Dictator erat summus magistratus, sed non rex. Sic Vergoparetus apud Heduos: Prytanes apud Rhodios, & alii apud alios summi erant magistratus, minimè verò reges. At sola temporis præscriptio non mutat rei naturam. Dictator apud Romanos instructus erat regia monarchica potestate & administratione ad tempus certum definitâ. Nec regi administratio perpetua data est, sed eò usq; quò rectè administrat, nec abutitur sua administratione, & non in tyrannum degenerat. Dictator hoc solo differebat ab illo, qui vices regis gerebat, quòd ille à domino, hic à procuratore domini, autoritatem acciperet. Nec minus rex dicitur, qui præscriptam & limitatam administrandi imperii accepit potestatẽ, quàm ille qui indefinitã. & quis nescit has magistratus denominationes ex consuetudine suam habere potestatem? Hic summus magistratus etiam princeps dicitur, *tit. de constitut. princip. l. princeps. de legib.* primus scilicet inter cæteros, vel præcipuus. Matth. Stephan. *lib. 2. part. 1. c. 1. de jurisd.*

Hoc regis imperium & jus universale est in o- 5
mnia & singula regni, seu consociationis universalis membra, de negotiis, causis & rebus, universas regni provincias, vel totum regnũ concernentibus.

Uti diximus *sup. c. 8. n. 53. & seqq. c. 9. n. 15.* Statuũ vel ordinũ regni imperiũ & jus contrà est particulare, limitatum à rege,

concessum singulis provinciatū, vel membrorū regni prę-fectis, Dynastis, Comitibus, Ducibus, Castellanis, in suæ provinciæ homines de negotiis & causis unam in specie provinciam concernentibus. Regis imperium à toto consociationis corpore pendet: Cujus ille quasi usufructuarius est, ita ut illud salvâ rei substantiâ administrare possit, non abuti, ad suam propriam utilitatem & commodū. Abutitur verò, quando non ad destinatum usum usurpat, aut non secundùm naturam & condisionem Imperii & regni, vel non juxta prę-scriptum usum utitur, corrumpit, vel transformat, idq; faciendo, vel omittendo. Faciendo, ut deterior conditio proprietarii fiat. Omittendo, quo fit, ut res non maneat in statu & qualitate ea, quam habuit eo tempore, quo à proprietario accepit. Donell. *com. lib. 10. c. 10. c. 13.* ita de officio usufructuarii ex *tit. de usufruct.* disserit. Ordinum, seu statuū imperium, à rege pendet. Horum imperia conjuncta ab uno administrata, summum, quod vocamus, imperiū constituunt, cujus curator & director est rex, non proprietarius. Molynæ. *in consuet. Paris. tit. 1. §. 1. gloss. 7. n. 9.* Choppinus *lib. 1. tit. de dom. regis.* vid. *sup. c. 8. n. 51. & seqq.* Itaq; tota hæc potestas regis, quanta quanta est, ex membrorum & subditorū singulorum & universorum collatis bonis, viribus, opibus & auxilio in regem exsurgit.

Tria nobis hîc sunt dispicienda. Primū est de cōstitutione summi magistratus; Alterum est de ejusdem administratione. Tertium est de specieb. illius.

6 Constitutio magistratus summi est, qua illi imperium & administrationem regni, à corpore consociationis universalis délatam suscipienti, regni membra se ad obsequia obligant. Seu, qua populus & magistratus summus inter se mutuo certis legib. & conditionibus de subjectionis & Imperii forma ac modo paciscuntur, juramento ultrò citroq; fide data & accepta promissāve.

Pactum hoc, seu contractum mandati, Losæus *part. 3. cap. ult. de jure univers.* cum magistratu summo initum, utramque partem contrahentem obligare dubium non est, adeò ut revocare illum, vel violare, neque magistratui, neq; subditis concedatur. Latè Pet. Greg. *lib. 7. c. ult. n. 26. 27. 28.* & inprimis *n. 7. &*

seqq. de Repub. Los. *d. loc.* Geil. *lib. 2. obs. 55. n. 3. 4. 5. 6.* & dicam latius *infr. c. 24. in fine, & sub finem hujus capitis.*

In contractu autem hoc reciproco inter magi- 7
stratum summum mandatarium, seu promittentē, & consociationem universalem mandantem, præcedit obligatio magistratus, (uti in contractu mandati fieri solet) qua se corpori universalis consociationis obstringit, ad regni seu Reip. administrationem, secundùm leges à Deo, rectâ ratione atque à corpore Reip. præscriptas, *Deut. c. 17. 20.* ibi: Ne recedat ab hoc præcepto, *Josu. c. 1. 8. Psal. 119. per tot. 2. Sam. c. 23. 3.* ad utilitatem regni instituendam, *Jer. c. 22. 3. & seqq. & c. 23. 1. 2. & seqq. Psal. 82. 1. 2. 3. 4. 5. Ezech. c. 34. Psal. 72. 1. 2. & seqq.* Novel. *85. in princ.* & latiùs *sup. c. 18.* diximus. Sequitur verò obligatio membrorum regni, seu populi, secundùm naturam mandati, quo se populus summo magistratui, secundùm præscriptas leges Rempubl. administranti, vicissim obstringit ad obedientiam & obsequia: Matth Stephani *part. 1. c. 7. n. 267. & seqq. lib. 2. de jurisd.* Rossæ. *de justa Reip. Christ. auth. in reges. c. 2. n. 3.* de quib. *infrà c. 20. de promissione obsequiorum.*

Tantū autem juris habet hic summus magistratus, quantum illi à corporib. consociatis, seu membris regni, est expressè concessum; & quod non datum ipsi est, id penes populum, seu universalem consociationem, remansisse dicendum est. Vasqu. *lib. 1. c. 47. n. 13. illust. controv.* idque ex natura contractus mandati. Vid. *c. 37. & seq. 38.*

Quo minor autem est potestas eorum qui im- 8
perant, eo dutius stabiliúsq; stat imperium: Aristot. *l. b. 5. polit. c. 1.* Tuta enim est potentia ea, quæ viribus modum imponit, quæque volentibus imperat,

quæ legibus est circumscripta, ne sese efferat, luxuriétque in perniciem subditorum, atq; in tyrannidem degeneret.

Ideo Aristoteles *lib.3.c.11. polit.* rectè asserit, regem tantas habere vires & potentiam convenit, ut singulis sit potentior & multitudine universa impotentior. Tacit. *de moribus Germ.* Germani ex nobilitate reges sumunt, sed iis nunquam infinitam, aut liberã potestatem dant. Latè Rossæus *c.3.n.3.6. de*
9 *justa Reip. auth. &c.* Absoluta potestas, seu plenitudo potestatis, quã vocant, summo magistratui dari non potest. Covarruv. *lib.3. var. resolut. c.6. num.8.* Pinell. *part.1. c.2. in rub. C. de rescind. vend. num. 25.* Cravetta *de antiq. temp. part.1.* Pruckman. *in §. soluta potestas. cap.3.* Vasquius *lib.1. illust. controv. cap.26. num.2.* Marius Salomon. *in l. princeps. de legibus.* Cravet. *de antiquit. temp. part.1. §. non omitto. per*
10 *tot.* Nam qui plenitudine potestatis utitur, repagula, quibus est obserata humana societas, perfringit. Deinde per absolutã potestatem tollitur, justitia, quâ sublatâ, regna fiunt latrocinia, ut Augustinus ait, citatus ab aliis. Tertiò talis potestas absoluta, non respicit utilitatem & salutem subditorum, sed voluptatem privatam. Pruckman. *d. cap.3. n.51.* Vasqui. *d. loc. n.10. c.1. lib. contr.* cùm tamen potestas hæc ad utilitatem eorum qui reguntur, non eorum qui regunt constituta sit, & populi, seu subditorũ utilitas minimè solutam potestatem ex-
11 igat, quibus satis legibus est prospectum. Deniq; hæc potestas absoluta, est iniqua & prohibita, *l.15. filius. de condit. instit.* non enim possumus, quod cum injuria possumus. Sic etiam Deus omnipotens dicitur non posse, quod malũ est suæq; naturæ est contrarium. latè Pruckman. *d. loc.* Cravetta *d. part.1. §. non omitto. & cons.241.* Juris naturalis præcepta sunt, honestè vivere, alterũ non lædere, suum cuiq; tribuere. Lex quoq; est sponsio, *l.1. de legib.* qua princeps & subditi obligantur, *l. digna vox. C. de legib. l.3. C. de testa. §. fin. Inst. quib. mod. testa. infir.* Paul. *lib.4. sent. tit.5. §.3.* injuriæ principibus non licitæ, *l. meminerint. C. ad vi. l. & in legatis. C. ad L. falcid. l. Papinianus. § si imperator. de inoff. testam. Ezech. cap.46.18.* Plura argumenta ad hoc referunt Pruckm. & cravett. *d. locis.* Hinc, quod de absoluta principis potestate dicitur, Cravetta intelligit de potestate bona & laudabili, nõ vituperabili & tyrannica.

Dauthi-

Dauthius verò *in l.3. C. de testament.* & Matth. Steph. *lib.2. part.1. c.1. memb.2. n.23. & seqq.* intelligunt de potestate principis extraordinariâ, quoad quædam solemnia, *per l. apud eũ. de manumis. l.38. adoptio. de adopt. l. sancimus. C. de donat. l. omnium. C. de testam.* In quam sententiam etiam alii Dd. transeunt, quibus prolixè respondet Pruckman. Vide suprà *c.18. n.39. & seqq. c.9. n.21. & seqq.* & infrà *c.21. n.16. & seqq. c.24. n.48.*

Ex contractu hoc mandati inter populum & magistratum 12
inito, apparet, populum, seu regnum, dominum plenum esse omnis imperii & potestatis, cujus libertima dispositio, proprietas & ususfructus ad corpus consociatum, seu populum unitum pertinet, qui non secus ac privatus, rerum suarum liberam habet administrationem, dispositionem & dispensationem, ita ut commoda & onera, seu incommoda, compendia, fructus, emolumenta omnia & dispendia hujus administrationis & imperii, ad populum, in corpus unum regni seu Reip. unitum, tanquam ad dominum, pertineant. Deinde 13
apparet ex hoc contractu, jus summo magistratui à populo datum, esse minus populi jure & alienũ, non ipsius proprium. Ideoq; nec principis hac in re parem esse potestatem cum populo seu regno, sed longè minorẽ & inferiorem, quę ex regni arbitrio & præscripto pendeat, & morte mandatarii magistratus instar mandati contractus finiatur, & ad dominum suum, mandantes scil. status, & membra universalis consociationis seu populum, qui nunquã moritur, *l. proponebatur. 76. de jud.* revertatur. Quamvis magistratus talis, dominus mundi, (hoc est, sui regni) dicatur, *l. deprecatio. ad L. Rhod. de jact.* nimirum quoad jurisdictionem, protectionem & defensionem. Cacheran. *decis.30. num.3.* Marant. *disp.8. n.27.* Pruckman. *d. c.3. n.117.118.* Cujac. *lib.15. obs. c.30. in fine.* Covar. *in c. peccatum. de reg. jur. in 6. part.2. §.9. n.5.* vel ut melius asserit M. Ant. Peregrin. *de jure fisci. lib.1. tit.3. n.74.* quoad concessam potestatem administrandi, non quoad jus proprietatis. Molyn. *in consuet. Paris. tit.1. §.1. gloss.6.* Covar. *pract. quæst. c.1. n.2. & c.4. n.1. & seqq.* vide suprà *c.8. n.53. & seqq. cap.11. n.15. c.37. num.51. & seqq.* Huc faciunt, quæ scribit Vasq. *lib.1. cap.42. & c.43. illust. controv.* Dominic. Soto *libr.10. quæst.3. & libr.3. de just. & jur. quæst.6.* Cajet. in Summa. Rosenthal *libr.1. cap.5. conclus.10. & 11. de feudis.*

Covar.*c.4.pract.quæst.* Heig.*quæst.4.n.25.& seqq.lib.1.* Peregrin. *de jure fisci lib.1.tit.2.n.7.71.* Forma & fines mandati
14 hujus sunt decalogus,leges fundamentales regni, *Deut.c.17.15.& seqq. 2.Reg.c.23.2.3.& seqq.* & quæ ipsi in electione præscribuntur,& in quas electus jurat.

15 Quapropter rectè Vasq.*lib.1.n.108. in præfat.& c.1. illust. controv.* & Danæ. *lib.1.c.4.in polit.Christ.* dicunt, populum suo magistratu priorem tempore & naturâ digniorem esse, & magistratum constituisse,& dissentientes refutant. Arg. *Genes.c.25.13.14.& seqq.& c.36.* ubi principes ex posteris Esau,tempore posteriores narrantur. Itaq; nullum unquam regnum,nullâve Respub.instituta,fundataque fuit,nisi ultrò citroque habito initoque contractu,pactisq; inter subditos & futurum eorum principem conventis, & obligatione mutuâ constiturâ, quam utrique religiosè conservarent; & quâ violatâ potestas illa evanesceret ac tolleretur. Unde sequitur, populum sine magistratu esse posse, sed magistratum sine
16 populo non posse existere. Et populum magistratum creasse,non contrà. Latè Vasq.*d.loc.n.105.& seqq.& c.1.illust. controv.& cap.47.num.5.* Euseb. Philadelphus *in Dialogo secundo,de historia belli Gallici.* & Steph.Jun.Brut.*quæst.3.de*
17 *vindic.* Sunt ergo reges à populo,& causâ populi constituti, ejusque ministri, quibus salus Reipublicæ est commissa. Hotoman.*de antiquo jure regni Gallici,cap.19.c.23.* Magistratus,seu princeps est mortalis & persona singularis:regnũ, seu universitas,immortalis,perpetua, *d.l.76.proponebatur.de*
18 *judic.* Mortuo rege,jus regni devolvitur ad statum illius & ordines,uti diximus. Clapmar.*de arcan.Rerumpubl.c.21.* Vasq. *lib.1.cap.22.num.3.per l.ex hoc jure.* ubi Bald.*de just.& jur.* Peregrin.*de jure fisci. lib.1.tit.3.num.6.*

De constitutione summi magistratus,& de ejusmodi pacto & contractu inter magistratum summum,ephoros,populum totum corporum consociatorum repræsentantes,extant præcepta,exempla plurima,& rationes evidentes.

19 De præcepto extat *Deut.cap.17.14.* Cùm ingressus fueris in terram, quam Jehova Deus tuus dat tibi, ut hæreditario jure possideas illam,& habitabis in illa, si dixeris, Statuã super me regẽ, sicut omnes gentes,quæ sunt circa me. *15.* Tantum

tum statuito super te regem,quẽ elegerit Jehova Deus tuus, *& seqq. Deut.c.16.18. Rom.c.13.1.* Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto. *5.* Quapropter necesse est, subjici non solùm propter iram,sed etiam propter conscientiam.

Exempla verò passim occurrunt; uti *Judic.c.8.22.* Postea 20
dixerunt Israëlitæ singuli Gideoni,Dominium habe in nos, tum tu,tum filius tuus, tum nepos tuus, quia servasti nos è manu Midianitarum. Et *cap.9.6.* Tum congregatunt se omnes Schecemitæ,& omnes incolæ munitionis,abeuntesq; constituerunt Abimelecum in regem apud planitiem statuæ &ç. Et *cap.11.2.* Dixerunt autem populus principes Gilhadis alter alteri: Quis ille vir erit,qui incipiet pugnare contra Hammonitas, is esto primarius omnibus habitatoribus Gilhadis:*v.7.* Ibi abierunt seniores Gilhadis ad assumendum Jiphthachum de terra Tob. *8.* Et dicerent illi, Veni & sis nobis ductor,ut pugnemus contra Hammonitas. *10.* Sic eris nobis primarius. *11.* Dixit ergo Jiphthach senioribus Gilhadis; Quandoquidem reducitis me ad pugnandum contra Hammonitas,si exposuerit eos Jehova mihi, ego futurus sum vobis primarius. *12.* Tũ dixerunt seniores Gilhado Jiphthacho, Jehova cognoscet inter nos,nisi secundùm verbum tuum sic fecerimus. *13.* Constitueruntque populus ipsum super se primarium & ductorem &ç. & juncto *cap.12.7. 1.Reg.cap.12.* Tum abiit Rechabeam Schecemum.nam Schecemum conveniebat totus populus Israël ad constituendum eum regem. *1.Sam.cap.8.4.* Quamobrem congregantes se omnes seniores Israëlis,venerunt ad Samuelem Ramam. *5.* Et dixerunt ei,Ecce,tu senuisti,& filii tui non ambulant in viis tuis; nunc præpone nobis regem ad vindicandum nos, ut habent omnes istæ gentes. *10.19.22.& cap.9.16. 2.Reg.cap.14.21.* Tum assumentes totus populus Jehudæ Hazariam,qui erat natus 17.annos, constituerunt eum regem pro patre ejus Amazia. *& c.15. 2.Sam.c.5.3.* Venerunt quoq; omnes seniores Israëlis ad regem Chebronem, quibuscum pepigit rex David fedus Chebrone coram Jehova,& unxerunt Davidem in regem super Israëlem. *2.Chron.cap.36.1.2. 2.Sam.c.16.18.* ibi; Quem enim elegit Jehova & populus hic,ac omnes Israëlitæ &ç. *Deut.cap.16.18.* Judices & moderatores constituito tibi. *1.Sam.cap.12.1.15. Jos.9.6.7.15.16. 1.Sam.c.11.1.2. 1.Reg.*

*t.2.15.*ibi,In me cõvertisse omnes Israëlitas faciem,ut regnatem &ç. *1.Chron. c.11.3. 2.Chron. c.33.25. 1.Reg.c.12.1.2. & seqq. 2.Reg.11.17.*Tunc pepigit Jehojadah fedus inter Jehovam & regem ac populum, ipsos fore populum Jehovæ: & inter regem & populum. *2.Chron.c.23.3. 1.Sam.c.10.19.*ibi, Regẽ propones nobis.*c.12.14.*ibi,Dixistis mihi,nequaquam; sed rex regnaturus est super nos. *15.*Nunc igitur ecce regem illum,quem elegistis, quem petiistis, ecce,inquam,præfecit vobis Jehova regem. & *versib.seqq.* Hìc dicitur etiam Deus elegisse eum,qui postea à populo eligitur & constituitur. Ratio est,quia Deus suffragia eligentium regit & approbat,uti factum in electione Saulis,*1.Sam.c.9.16.* juncto *c.10.17.18.*& Davidis,*1.Sam.c.16.*juncto *2.Sam.c.5.3.* & Salomonis,*2.Samuel.c.7.13. 2.Chron.c.20.5.* juncto *1.Reg.c.1.32. 1.Chron. cap.28.1.*

21 Hac de re etiam rectè judicat & scribit Covar.*practicar. quæst.c.1.n.4.* Ad justi principatus rationem,inquit,quæ à libero Reipub.communitatis consensu deducitur,satis est,plebis,vel optimatum suffragiis, aut deniq; hæreditariâ successione,jure primigenii gentilitii regiam dignitatẽ deferri. Hęc etenim conclusio duas sortitur partes, utraq; tamen eandem justitiæ rationem habet,consensum scil. populi & Reip. expressum,vel tacitum. Prior tamen pars præmittit,principem electione constitui per ipsum populum, aut per optimates, qui populi ac Reipub. & communitatis nomine consensum omnium in electum sibi regem præstant. Danæ.*lib.6.polit. Christ.in aphoris.*Vasq.*lib.1.c.47.n.5.& c.1.illust.cont.*sed ita, ut mortuo electo summo magistratu, jus majestatis ad electorem redeat. Vasq.*c.22.n.3.d.loc.per l.ex hoc jure.*ubi Bald. *de just.& jure.* Idem Covar.*d.c.1.n.2.conclus.1.*prȩclarè,temporalis,ait,potestas, civilisque jurisdictio tota & suprema, penes ipsam Remp. est: idcirco is erit princeps temporalis omnibusq; superior,Reip. regimen habiturus, qui ab eadem Rep.fuerit electus & constitutus, quod ex natura rei ipso jure gentium & naturali constat, *l.3. ex hoc jure. ibi, discretæ gentes,regna condita. de just. & jur. l.2.§.exactis. deinde de origin.jur.l.1.de const.prin. l.1.ad l.Jul.de amb.* Novell.8. Lupold.*c.15.de jure regni.*Hujus probatio,ait Covar.ex eo constat,quòd ab ipsâ naturâ homines ita instituti sunt,ut nisi humanus intellect⁹ cæcutiat,planè percipiant lumine naturali, in quavis hominum civili societate,quæ ad tutelam generis humani conducit, omnino constituendũ esse necessariò gubernatorem quendã,penes quem sit illius societatis regimen & cura:eumq; non posse ab alio,quàm ab ipsâ societate constitui. Ita quoq; Vasq.*lib.1.c.1.& c.47.n.5.* Vide quæ dixi suprà *c.18.* & quæ habet Arist.*lib.3.pol.c.10.& 11.*

Nam, ut dicit Danæ. *lib.1.c.4.polit.* ne inferiores infirmioresq; à potentioribus opprimerentur,ad unum aliquem æquitatis & justitiæ laude insignem decurrerunt; quem sibi certis legib. certisq; conditionibus in regem aut principem elegerunt.Itaq; rectè dicit Plin.*in paneg.ad Traja.*Principem summum esse jurejurando, veluti officiarium Reip. obstrictum,ac totâ ipsâ Rep. seu regno minorem esse.

Exempla etiam aliorum populorum ejusmodi pactum 22
comprobant.Tale enim pactum inter ephoros & reges Spartanos, inter Cyrum regem & Persas interces sisse, autor est Xenophon *lib.8.Cyri pæd.*inter senatum populumq; Romanum & Cæsares, Halicar.*lib.2.*Strabo *lib.17.*ait,patriã commisisse totius imperii administrationem Augusto, atq; constituisse eum pacis & belli dominum ad vitæ tempus. Ita & de Caligula Suet.scribit *in Calig.c.4.* ita & hodie Germanos cum electo Cæsare paciscì constat ex constitut.Imperii: Lupold.*de jure regni c.5.c.6.c.15.* Ita inter status seu ordines regni Gallici, Polonici, Anglici, Danici, Suedici, Hispanici, Aragonici,Lusitanici,Belgici,& reges illorũ regnorum pacta iniri, constat ex annalibus horum populorum & regnorum. Vide Steph.Jun.Brut. *de vind.quæst.3.* Franc.Hotom.*de antiquo jure regni Gallici c.6. & c.12.* ubi pluribus probat & commendat.Et Greg.*lib.7.c.19.n.7.& seqq.de Rep.*qui ibidẽ tamen *n.9.10.* non rectè asserit in regno,quod jure belli est adquisitum,non locum habere illud pactum.Nam,sicut sup. *c.16.*dictum est,victi recipiuntur in communionem & societatem ejusdem Reip.& cives illius fiunt,& per consequens participes sunt pacti illius iniri cum victore.Deinde,quando huic victori alius magistratus summus succedit,eligẽdus ille omnino est ab ephoris,vel à populo,uti dictum est. Electio verò non fit sine pacto hoc,uti patet ex præcedentib.Falsum igitur est,quod cũ reliquis politicis Greg.*d.c.19.* dicit,summum magistratum, qui reluctantem populum bello justo subegit, ex tali pacto non esse obligatum victis. Quòd si

victos omnes facit servos, necesse habet regiones & provincias devictas aliis colonis inhabitandas tradere, qui partem Reip. illius constituant. Vide quæ dixi suprà *c.18. de ephoris in fine*.

23 Rationes evidentes hujus constitutionis summi magistratus plurimæ sunt. Nam hanc magistratus summi cōstitutionem sua sit utilitas & necessitas Reip. summa. Nā teste Cic. *lib.3.de legib.* nihil tam aptum est ad jus conditionemq; naturæ, quàm imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, neq; gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. In apibus princeps & rex unus est, quo præsente totum agmen tenetur; quo amisso dilabitur, migratq; ad alios, & sine rege esse nō potest. Sic navis sine nauclero, bellum sine duce, corpus sine animâ regi non potest. Anarchia generat ἀπειρίαν vel ἀνομοπαθείαν calamitatum publicarum & privatarum lernam. Danæ. *lib.6. c.1.pol.* Greg. *lib.6.c.1.c.2.de Rep.* & *lib.4.c.5. Judic.c.17.6.* & *c.18.7.c.19.1.c.21.25.* & *c.ult. in fine*. Temporib. illis non erat rex in Israële, & quisq; faciebat quod rectum videbatur in oculis suis. *2.Chron.c.15.3.4.5.* & *seqq. Esa.c.3. Dan.c.9.5.6.* & *seqq. Psal.10.12. Psal.12.11. Psal.8. Psal.75.3.* & *Psal.101.6.7. Prov.20.v.26.* Dissipat rex sapiens impios. *Ps.82.5.* Ignorantibus & nō animadvertentib. magistratibus in tenebris indesinenter ambulantib. dimoventur omnia fundamenta terræ. Senec. *lib.1.de clementiâ*. Istud, inquit, est vinculum, per quod Resp. cohæret, ille spiritus vitalis, quē tot millia hęc trahunt, nihil ipsa per se futura nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur. Ideo Lipſ. *lib.2.c.1.pol.* magistratum fulcrum rerum humanarum vocat, & felix populus ille, cui bonus infelicissimus, cui nullus vel malus magistrat⁹ obtigit. Vide *Esa. c.3.3.4.5.6.* & *seqq.* & *Psal.82.5. Eccl.10.* Symmetria etiam in civili hac societate necessaria, quæ non nisi ex diversitate imperantium & obtemperantiū. Nam, ut ait Pet. Greg. quemadmodum ex diversi toni fidibus ad symmetriam intensis, sonus dulcissimus oritur & melodia suavis, gravibus mediis conjunctis, ita in Rep. ex imperantium & obedientium, divitum, pauperum, artificum, sedentariorum & diversorū graduum, personarum, consensu & concordiâ, concentus quàm suavissimus oritur & conveniens. Nam, ut quod uni voci deest, ex alia suppletur & communicatur: &, ut bona harmonia nasci

nasci nō potest ex chordis unius toni, sic nec Resp. consistere posset, si omnes essent æquales, qui mutuò contenderent sibi obsequi, aut inservire, aut singuli pro arbitrio vellent alios regere, & alii recusarent regi: unde discordia, ex qua dissolutio societatis. Et si nullus esset gradus virtutis & meritorum, summa inæqualitas constitueretur. Hisce addo etiam, quòd tanta sit hominis superbia & ferocia indomita, quæ ipsum in perditionis barathrum præcipitem daret, si non haberet ductorem & gubernatorem, qui in viam errantem reduceret & corrigeret. *Psal.9.20.* & *101.6.7.* De utilitate & necessitate dominationis & magistratus plura congessit Pet. Greg. *lib.6. c.1.c.2.de Rep.* & Danæ. *lib.6.c.1.* Lipſ. *lib.2.polit.* Quib. addo gravissimam Pauli admonitionē ad *Rom.13.1.* Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto; non enim potestas est, nisi à Deo, & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ. 2. Itaq; quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent. 3. Nam magistratus non sunt terrori bonis operib. sed malis. Vis autem non terreri potestate? quod bonū est, facito, & laudem ab ipsa obtinebis. 4. Dei minister est, tuo bono: quod si feceris, quod malū est, metue; non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. 5. Quapropter necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiā propter conscientiam. 6. Propter hoc n. etiam tributa solvitis: siquidem ministri Dei sunt in hoc ipsum incumbentes. 7. Reddite igitur omnib. quod debetis: cui tributum debetur, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timor, timorem; cui honor, honorem: *1.Pet.cap.2.13.14. Tit.3. 1.Tim.2. Baruch 1.11. Luc.20.22.* Exempla piorū magistratuum videre licet in David, Josaphat, Josia, & pluribus aliis. Exempla contemtorum magistratus; *Num.c.16.* & *17. Judæ v.8. 1.Sam.c.10.in fin.* Greg. *lib.6.c.2.de Rep.* Matth. Scholast. *de vero* & *Christ. principe, lib.1.c.1.3.*

Porrò constitutio seu pactum, quo corporum consociatorum consensu ab ephoris magistratus summus constituitur, duo habet membra. Prius est de commissione regni & administrationis Reip. seu universalis consociationis. Alterum de obsequiorum & obedientiæ promissione.

24 Commissio regni est, quâ ab ephoris nomine populi seu corporis consociati, regni administratio magistratui summo acceptanti defertur & demandatur.

Posse enim universitatẽ sibi curatores & administratores eligere & constituere, constat ex *l.6.§.si decuriones. quod cujusq; univers.* Los. *part.1.c.3.tit. C.de adm.rer.publ. lib.11.l.2. §.post originem.§.deinde.de origin.jur.* & suprà diximus *c.18. n.8.& seqq.* & paulò antè in hoc capite.

Hæc duobus actibus constat & absolvitur: Electione scil.& inauguratione, seu initiatione summi magistratus.

1.Chron.c.11.v.3. 2.Sam.c.5.3. Venerunt quoque omnes seniores Israëlis ad regem Chebronem, quibuscum pepigit David fedus Chebrone coram Jehova: & unxerunt Davidem in regem super Israëlem &ç. ubi electio præcedit,& inauguratio, seu initiatio sequitur.

25 Electio (quæ Græcis dicitur ἀρχαιρεσία) est, quâ ephori, seu magnates regni, secundùm leges Reip. & consuetudinem loci, summum corporum consociatorum, seu regni magistratum eligunt & designant, eiq́ue regni curam & administrationem, ad præscriptum pietatis & justitiæ instituendam, certis conditionibus & legibus offerunt & demandant, Dei nomine invocato.

1.Chron.c.11.3. Venerunt omnes seniores Israëlis (qui illius erant ephori) ad regẽ Chebronem, quibuscũ pepigit David fedus Chebrone coram Jehova, & unxerunt David in regem. *1.Sam.c.10.17.* Samuel autẽ convocato populo Mizpam ad Jehovam &ç. ubi Jun.22. Quamobrem cùm rogarent iterũ Jehovã, an adhuc adventurus esset, dixit: Jehova &ç. *2.Sam. c.16.v.18.* Sequar regem, quem Deus, populus & universi elegerint. *2.Reg.c.10.1.2.3.4.5.* ubi Jehu agnoscit hanc ephororũ potestatem in rege eligendo: *2.Chron.cap.23.3. 2.Reg.c.11.17. c.14.21. 1.Sam.c.11.14.15.& 1.Sam.c.12.1.* Tum dixit Samuel populo: Agite, eamus Gilgalem, ut renovemus ibi regnũ hoc. 2. Abeuntes itaq; totus ille populus Gilgalem, regem ibi constituerunt

stituerunt Saulem corã Jehova Gilgale, & sacrificaverunt ibi sacrificia euchatistica coram Jehova: quamobrem lętatus est ibi Saul, & omnes Israëlitæ pervalde. 3. Præterea dixit Samuel toti Israëli, Ecce auscultavi voci vestræ in omnib. quæ dixeratis mihi, & constitui super vos regem. *Judic.c.1.1.2. 1.Sam.c.8.4.5.6.7.8.9.10.c.16.4. 2.Chrõ.c.15.12.& seqq.c.23. 3.4.16. 2.Reg.c.23.* Ethnicos quoq; reges fuisse à populo constitutos, probat Steph. Jun. Brut. *quæst.3.de vindic.cont.tyran.* Covar. *pract.quæst.c.1.* Greg. *lib.7.c.15.de Rep.*

Electionem hanc ad consociationem universalẽ spectare, probat Lupold.de Babenb. *de jure regni, c.5.* Covar. *pract.quæst.cap.1.n.4.* Vasq. *illust.cont.lib.1. c.47.per l.ex hoc jure.de just.& jur.* Bartol.& Dd. *in l.omnes.de just.& jur.* Ephoros verò repræsentare populum, rectè asserit Lupold. *d.loc.* & Los. *part.1.c.3. n.47.48.102.103.de jure univ.* Vide sup. *c.18.n.8.& seqq.* 26

Jure hoc eligẽdi utuntur regni status, vel ephori universi collegialiter collecti, non singuli, nisi ex universorum consensu quidam ex iis jus illud habeant. 27

Olim senatus Romanus Imperatorẽ eligebat, vel electu à militib. confirmabat. Lancel. *l.b,1.c.1.§.2.in templo omn.jud.* & quandoq; ab Imperatore subsequente electum admittebant & confirmabant. Lancellot. *d.loc.* In politia Germanica jus eligendi & creandi Imperatoris, ut & suprà diximus, ex Imperii statibus habent electores & creatores septemviri, ex quibus sunt, Moguntinus, Colonienśis & Treverenśis archiepiscopi, & deinde rex Bohemiæ, Palatinus Rheni, Saxoniæ Princeps, & Marchio Brandeburgenśis. In hoc collegio septẽvirorum, jus convocandi, & sententias singulorum electorũ rogandi & colligendi, & imperatoris ex unanimi, vel majoris partis consensu electi renuntiandi, habet Moguntinus archiepiscopus. Aurea bulla Caroli IV. *cap.2. cap.3. c.24.c.25.* Heig. *quæst.4.part.1.* Schard. *de orig. elector.* Rex Bohemiæ paria suffragia discrepantia reliquorum, suo assensu dirimit. Paurmeist. *lib.2.cap.2.num.39. de jurisd.* Pet. de Andlou *libr. 2. cap.3. de Imp. Roman.* Matth. Stephan. *de jurisdict. libr.2. part.1. cap.1.num.35.36.* Lupold. de Babenb. *de* 28

jurib.Imperii.c.3.c.6. De juramento,quod hi electores ante electionē præstant,ex aurea bulla refert. Steph.*d.loc.n.39.40.* In politia Judaica major & potior pars populi vincebat, *1.Reg.c.16.23.24.* Ad electionem hanc omnes electores citandi sunt, atq; in ea sufficit majorem partem consentire, hoc est,duas partes ex tribus,*l.nulli.l.planè.quod cujusq; univers.nom.* Lancellot.*quæst.4.lib.1. cap.1. in templ.omn.jud.*& unus ex electoribus eligi potest,*d.l.planè.* & consensus electi computatur in numero eligentium. Lancellot.*d.loc.n.8.* De Poloniæ consuetudine hac in re vide Thesaur.polit.*apotelesm. 15.* & infrà *c.33.* ubi de comitiis Polon.

29 In hac electione nomine consociati populi mandantis,proponuntur magistratui mandatario eligendo,certę leges & conditiones de subjectione, & imperii futuri formâ & modo, *Deut.cap.17.15. & seqq. 2.Chron.c.34.31.32. 2.Reg.c.23.per tot.* (quæ sunt jura regni, *1.Sam.c.10.v.25. Psal.75.4.*) quas leges si recipit magistratus,in easque jurat populo, electio rata & firma habetur: quo modo fedus inter magistratum & populum initum, & obligatio mutua contracta dicitur.

2.Reg.11.v.17. ibi,Inter regem & populum.*2.Sam.cap.5.3. 2.Chron.c.23.3.* Tunc pepigit tota congregatio fedus in domo Dei cum rege.& *v.16.* vide Xenophon. *in Rep.Lacedæm. in fin. 1.Chron.cap.11.3.* Quibuscum pepigit David fedus, & unxerunt Davidem in regem,*2.Reg.c.11.17.c.14.21. 2.Chron. c.23.* Vide Steph.Jun.Brut.*in vindic.quæst.1.* Bald.*in cap.1.de feud.cognit.* Covar. *in c.quamvis. in 6. relect.part.1.§.1. in princ.* juramentum hoc vocabulo Græco homagium vocat, hoc est, commune sacrum, seu commune sacramentum vel juramentum. Pacian.*lib.2. cap.37. num.25. & seqq. de probat.*

30 Conditiones verò & leges subjectionis, vel imperii demandati modus,forma & fines solent certis articulis concipi, & eligendo magistratui publicè prælegi & proponi, ab uno ex ephoris, qui postea eligendum interrogat, an hos articulos in regni administratione observare velit, & promittentem juramento solemniter concepto obstringit.

Heigius *quæst.2.n.17.lib.1.* dicit, imperii potestatem certis legibus & capitulationibus definiri. Vide auream bullam Caroli quarti. Nam hisce articulis potentia limitatur & coarctatur,ne per insolentiam & injuriam sese efferat in Reipub. perniciem. Universitas verò legitime congregata,vicem personæ sustinet.Losæus.*part.3.c.3.n.4.*

Populus igitur hic stipulatur, seu interrogat vel 31
administrandi&imperandi mandatū dat per ephorum, magistratus verò spondet & promittit,se secundùm propositas leges piè,juxta tabulam primam Decalogi; & justè, secundùm tabulam alteram Decalogi regnaturum & imperaturum.

Quòd si leges & conditiones hæ sint iniquæ,in 32
quas populus bello victus ex metu consensit,illæ pro nullis habendę sunt, quippe quę cū jure communi & Decalogo pugnent. Quòd si duræ sint, sed tamen æquitati naturali non contrariæ, tum sunt servandæ,uti Gibeonitarum fuit subjectio,de qua *Josu.c.9.25.* & Judæorum *Ezech. c.16.17.* Exemplum impiæ & iniquæ subjectionis habes *1.Sam.c.11. 2.& 1.Mach.1.55.* Vide *aut. de jure magist.in subdit.quæst. 6.*

Quòd si nullæ leges, vel conditiones in electio- 33
ne expressæ sint, sed sine illis populus se subjecit tali magistratui,tum ea quę sancta sunt,æqua & justa & in Decalogo continentur,censentur esse expressa, *Deut.c.17.15.& seqq. Josu.c.1.8.9. 2.Chron.c.34.31.32.* secundùm quæ populus imperio magistratus in electione se subjecit.

Vid.Hotom.Francogall.*c.6.7.14.15.c.25.* Buchana.*de jure regni apud Scot.* Vasquius *lib.1.c.1.illust.cont.* Steph.Jun.Brut. *quæst.1.2. & 3.de vindic.acta pacificat. Colon.* Nam vero simile non est, populum in principem licentiam effrenem contuliſſe in propriam perniciem. arg.*l.4. C.de defens.civit.*

l.1.de offic.proconſ. Vaſquius *lib.1.c.1.n.10. & ſeqq. c.5.n.3. & ſeqq.* Choppin. *de doman. reg. lib.2.c.1.* Antimach.*1. theo.1.* Heig.*d.l.* Bodin. *lib.1.c.9. & lib.6.c.2.* Pruckman. *d.c.3. §. ſoluta poteſtas.* Nam interrogatus populus, ſine dubio reſponſurus fuiſſet, ſe talem poteſtatem non concedere in ſui perniciem, *l. generali. qua res pign.* Pruckmã. *d. loco.* Latè diſſentit Albertus Gentilis ſine ratione *in tract. de abſoluta reg. poteſtate.* ad cujus argumenta reſpondi *c.38.*

34 Planè populus Judaicus, in electione regis, verba libri fœderis, teſtimonia, ſtatuta, ritus & leges prælegebat regi futuro, & ſe cum rege ad obſervationem eorum obſtringebat publicè, uti patet ex *2.Reg. c.23.2.3. & ſeqq. & 2.Chron.c.15.12. & ſeqq. c.23. 16. cap.34.31.32.* quod erat pactum religioſum, de quo *infra c.28.*

35 Quòd ſi verò populus, ſeu Resp. omne ſuum jus & imperium in ſummum magiſtratum contulit, ut dicitur *in l.1. de conſtit. princip.* aut ſummam illi poteſtatem, legibus ſolutam, ſine omni reſervatione, vel exceptione & conditione dedit, tum verba generalia ſecundùm ſubjectam materiam ſunt reſtringenda, quatenus ſcilicet ſubjecta materia patitur, ita ut qualis eſt natura principatus, ſeu imperii, talis etiam iſtorum verborum generalium ſit interpretatio. Natura verò magiſtratus & imperii eſt, ut utilitatem ſubditorum, non imperantis commodum reſpiciat, & ſecundùm rectam rationem & juſtitiam adminiſtret Remp. Latè Pruckman. *d.c.3.n.97. & ſeqq.*

Nam remotâ juſtitiâ, quid aliud ſunt regna, quàm magna latrocinia? ut ait Auguſtinus. Ideoq; abſoluta poteſtas & juris dictio peccandi ſummo magiſtratui dari nõ poteſt, Pinell. *in rub.part.1.c.2.num.25. C. de reſcind. vend.* Covar. *lib.3.var. reſolut.c.6.n.8.* Vaſq. *lib.1.illuſt.controv. c.26.n.22.* Marius Salom. *de principat.* Paurm. *lib.1.cap.19. num.7.8. de juriſd.* Deinde rex propter regnum, non verò regnum propter regem

gem eſt. Arg. *l.5.ex hoc jure. de juſt. & jur. Roman. cap.13.3.4.* Ergo ad ſalutem & utilitatem concedentis populi, conceſſio generaliſſimis etiam verbis facta, eſt reſtringenda. Hæc enim mens concedentis fuit, quæ verba generalia reſtringit & limitat. *l. ſi quando. C. de inoff. teſt. l. pater. §. conditionum. de cond. & demonſtrat.* Vaſquius. *lib.1.c.43.n.2.3.4.5. illuſt. con-* 36
trov. nequaquã verò populus principis conſtitutione voluit in propriam perniciem tyrannum eligere, & ſeipſum facultate ſervandi ſe privare, aut talem, qui facilè poſſet in tyrannum degenerare, aut, quod naturæ eſt contrarium, efficere; at poteſtas unius major eſſet univerſorum poteſtate. Ita etiã in generali mandato aut conceſſione non continentur ea, quæ quis in ſpecie non fuiſſet conceſſurus. *l. obligat. de pign. c. generali. de regul. jur. in 6.* præſertim ea, quæ ad concedentis perniciem, humanæ ſocietatis deſtructionem, & legis divinæ violationem tendunt, uti eſt ſoluta poteſtas & tyrannis. Vide Pruckman. *d. cap.3. num.32.33.34. per alleg. ibid.* Paulò aliter Vaſq. *c.25.c.26. illuſt. cont.* Addo, quòd nemo juri defenſionis contra vim & injuriam renunciare poſſit. latè Zoannet. *tract. de tripl. defenſ.* Neque etiam poteſtas corrigendi aberrantem regem, quam Ephori habent, in eundem regem translata eſt aut transferri potuit, uti nec jus ſupremum in Rep. quod apud corpus conſociationis univerſalis remanſit, & ſuâ naturâ eſt incommunicabile, uti diximus *ſuprà c.9.num.19.* Denique nulla poteſtas eſt ad malum, vel 37
ad nocendum, ſed tantùm ad bonum & ad juvandum, & ita ad ſubditorum utilitatem & ſalutem. Hæc igitur poteſtas, quam habuit populus, non illa, quam non habuit, illis generalibus verbis data eſſe cenſetur. Vide Pruckmã. *d.c.3. per tot.* Vaſq. *lib.1.c.2.c.3.c.15.c.26.c.43* & Marium Salomonium de *principatu lib.5. circa fin.* Sine ratione diſſentit Alber. Gent. *in diſp. de abſol. reg. poteſt.* Bod. *lib.1. c.8. de Rep.* & Barclajus *lib.3. de regno & regal. poteſt. c.4. & lib.4.c.2.* Vide *infr. c.38. in fine fere.*

Germanicæ politiæ Imperator in electione promittit & 38
jurat, ſe leges latas cuſtoditurũ, & novas inconſultis electoribus ſeptemviris, non laturum, publicas res publico conſilio curaturũ, nihil alienaturum, vel oppignoraturum ex iis, quæ ad Imperium pertinent, & viribus pecuniaq; regni adquiſita Imperio adquiſiturũ. Vid. *Conſtit. imper. anno 1500.* Auguſtę

factas, sub finem ferè. Heig. *q.2.nu.17. lib.1.* Rosenthal. *lib.1. c.5. concluſ.12.n.1. de feud. Theſ. polit. apotel.5. & 6. Spec. Sax. lib.3. art.54.* Promittit etiam, ſe eccleſiam defenſurum, & juſtitiam adminiſtraturum, Sleid. *lib.1. & 2.* In politiis aliis alii ſunt articuli. Vide Steph. Jun. Brut. *de vindic. contra tyran. q.3.*

39 Leges & conditiones, in quas juravit Carolus V. electus Imperator, ita deſcribit & refert Sleidanus *lib.1. ſub annum 1519.*

1 Tueatur (Cæſar) Remp. Chriſtianam, Pontificem & eccleſiam Romanam, cujus ſit advocatus.

2 Jus æquabiliter adminiſtret, & paci conſulat.

3 Leges Imperii omnes, præcipuè quam auream vocant bullam, non modò confirmet, ſed de ipſorum conſilio, cùm res ita feret, amplificet etiam.

4 Senatum in Imperio conſtituat ex Germanis delectum, qui Remp. gerat.

5 Jura, privilegia, dignitatem principum & ordinum imperii, minimè convellat, aut imminuat.

6 Electoribus liceat, cùm erit opus, inter ſe convenire, deque Rep. deliberare: nullum autem ipſe, quominus id faciant, impedimentum eis inferat, nec in malam partem accipiat.

7 Multitudinis & nobilitatis federa, vel ſocietates initas adverſus principes aboleat, & ne tales in poſterum fiant, lege prohibeat.

8 De rebus Imperii nullum fedus aut pactum faciat cum externis, niſi de ſeptemvirorum aſſenſu.

9 Facultates Imperii neque diſtrahat, nec oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat, & quæ ſunt ab aliis nationibus occupata, vel ab imperio divulſa bona, primo quoq; tempore recuperet, ſic tamen, ne quid fraudi ſit ullis, qui vel privilegio, vel jure nituntur.

10 Si quid etiam ipſe, vel ipſius familiæ quispiam poſſideat, quod ſit Imperii, non adquiſitum legitimè, reddat interpellatus à ſeptemviris.

11 Cum vicinis aliisque regibus pacem & amicitiam colat, neque pro rebus Imperii, niſi de ordinum omnium, præcipuè ſeptemvirorum, voluntate, bellum ſuscipiat ullum, intra vel extra fines Imperii.

12 Pere-

12 Peregrinum quoque militem nullum in Germaniam adducat, niſi conſentientibus illis. Quando autem bello petitur ipſe, vel Imperium, liceat uti quibuscunque præſidiis.

13 Conventum Imperii nullum edicat, neque vectigal, aut tributum imperet, niſi de conſenſu electorum.

14 Conventus etiam non agat extra fines Imperii.

15 Negotiis publicis præficiat, non exteros, verùm Germanos ex nobilitate delectos, & conficiantur literæ omnes latino, vel populari ſermone.

16 Extra fines Imperii nullum ordinem in jus vocet.

17 Quia Romæ multa fiunt adverſus pacta quondam inita cum Pontificibus, det operam apud Pontificem, ne qua fraus privilegiis fiat & Imperii libertati.

18 Quomodo mercatorum monopolia valde pernicioſa Germaniæ, coerceri debeant, rationem ineat cum electoribus, ac rem ſæpè deliberatam ad exitum perducat.

19 Portorium nullum, aut vectigal imponat, niſi aſſentiantur electores, neque literis commendatitiis electorum qui ſunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat.

20 Si quam habet actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur, vim autem nullam adhibeat iis, qui ſe cognitione legitimè ſiſtunt.

21 Imperii bona, quæ fortè vacabunt, nemini conferat, ſed ad publicum patrimonium referat.

22 Si quam alienam provinciam auxiliis Ordinum adquiret, Imperio conjungat: ſi publicum quid ſuis copiis atq; Marte recuperabit, Reip. reſtituat.

23 Quod interregni tempore Palatinus atque Saxo publicè egerint, ratum habeat.

24 Concilium nullum ineat, quod dignitatem Imperii ſuæ familiæ peculiarem & hereditariam faciat, ſed liberam & integram permittat ſeptemvitis eligendi facultatem, juxta Caroli quarti legem, & juris Pontificii præſcriptum; quod ſecus factum erit, irritum habeatur.

25 Ut primùm licebit, in Germaniam ſe conferat inaugurationis causâ.

Rex Galliæ jurat, 1. quòd eccleſiam Dei in vera pace ſuo præſidio perpetuo conſervare velit. 2. quòd rapinas & injuſtitias omnes prohibere velit. 3. quòd in judicio omni velit præcipere exerceri æquitatem & miſericordiam. 40

41 Rex Angliæ jurat, se totâ vitâ exhibiturũ reverentiam & honorẽ Deo, se dicturum jus populo æquabile, & abrogaturum omnes iniquas leges & injustas consuetudines.

42 Rex Hispaniæ ad certos articulos conceptos jurat, se defensurum Ecclesiam, & justitiam bene administraturũ, juxta leges patrias. Concilio Toletan. *4.c.74.concil.6.c.3.*

Rex Sueciæ jurat, se omnes suos subditos in religionis consuetę libertate conservaturos, se justitiam rectè administraturum secundùm jus in regno receptum. Tale juramentũ Sigismundus præstitit. cui additum fuit, se regnum Sueciæ cum consilio illustrissimi Principis Caroli, regniq; senatorũ, gubernaturum, nullo externo in collegium senatorum adscripto: se de regno nihil alienaturum sine ordinum Sueciæ consensu: senovas contributiones, sine necessitatis causa, nõ exacturum: jura Sueciæ se defensurum. Cui juramento rex Sigismundus aliam assecurationem in scriptis sub manu & sigillo suo, adjecit Upsaliæ 19. Febru. anno 1594. qua se arctiùs ordinibus obligavit ad plura.

43 Leges fundamentales regni Gallici præcipuas refert Hotom. *lib.1.de antiquo jure reg. Gallici c.23.*

1 Ut ne quid, quod ad statum Reipub. in universum pertineat, regi sine publici concilii autoritate statuere liceat.

2 Ut regi non sit jus, neque filiam adoptare, neque de suo regno, vel inter vivos, vel per testamentum disponere, sed in regni successione majorum instituta & antiqua consuetudo servetur.

3 Ut rege mortuo, regni hæreditas filio ipsius natu maximo deferatur, neq; regi vel natu minorem majori anteferre, vel alium successorem sibi instituere liceat.

4 Ne virgo, nève mulier ad regni hæreditatem admittatur, sed agnatus defuncto regi proximus, quamvis gradu fœmina posterior, ei tamen præferatur.

5 Ne regi jus sit ullam domanii sui partem sine publici consilii autoritate alienare: quippe quòd ei ad tuendam tantùm regiã dignitatem fruendum datum est, ut parem in eo potestatem habeat, atq; marito in uxoris dote conceditur.

6 Ut regi abolendi criminis & capitalis pœnæ, sine Parlamenti autoritate remittendæ jus non sit.

7 Ut regi non liceat magistratum aliquem regni, seu reipub. Franciæ, nisi causâ in parium consilio cognitâ & probatâ, exauctorare.

8 Regni

8 Regi, sine publici consilii auctoritate, monetæ mutandæ jus non sit.

Idem Hotom. *lib.2.de antiq. jure regni Gall.* refert leges 44
de successione regiâ, quarum prima est:

Ut filius regis natu maximus, vel hoc præmortuo, nepos ex eo susceptus vivo rege, pro designato rege habeatur, solusque in regno & dominio regio succedat.

2 Ne virgo, néve mulier ad regni successionem admittatur.

3 Ne quis nothus, ne legitimatus quidem, ad regni successionem admittatur.

4 Ut si in stirpe filii primogeniti masculus esse desierit, tum ad eum qui in altera gentis ejusdem stirpe proximus deprehendetur, regni hæreditas transmittatur.

5 Ut rege impubere, proceres aliquot de ordinum sententia constituantur, qui usque ad ipsius pubertatem regnum administrent.

6 Ut si plures regis demortui filii exrent, tum natu minoribus, ad se suasque familias pro dignitate tuendas, idoneum apannagium tribuatur.

7 Ne regi sit jus ullam regni sui partem, sine publici consilii notione, & auctoritate, & judicio, alienandi.

Formulam, quâ juravit Henricus rex Poloniæ, Bodinus 45
refert: Ego Henricus rex Poloniæ, &c. juro Deo omnipotenti, quòd omnia jura, libertates, privilegia publica & privata, juri communi nõ contraria, ecclesiis, principibus, baronibus, nobilibus, civibus, incolis, per meos prædecessores reges, & quoscunq; principes & dominos regni Poloniæ juste concessa, & quæ interregno decreta sunt, servabo, jusque omnibus incolis more majorum reddam. Ac si quidem (quod absit) sacramentum meum violavero, nullam nobis incolæ regni obedientiam præstare tenebuntur, &c. Sic me Deus adjuvet. Præsens Poloniæ rex Sigismundus in electione & initiatione durioribus legibus adstrictus fuit. Stipulati enim sunt ordines regni expresè, ut liberi sint à fide & obsequio regis, si contingat regem à pactis, etiam uno tantùm in capite, recedere, ut refert Mercur. Belgio-Gallicus. Sed & reges Polonorum sine certorum Palatinorum assensu, nec bellum movere, nec federa inire, nec tributum indicere, neque quicquam alicujus momenti in Repub.

facere, aut constituere possunt, ut testatur Cromerus *in libro de Repub. Polon.*

46 Leges, in quas Principes Brabantiæ suis subditis jurare solent, sunt sequentes:

1 Neminem judicio, præter leges consuetudinesque urbium aut publicæ curiæ, prosequuntor: cuique se defendendi potestatem per Advocatos concedunto.

2 Nullum peregrinum aut exterum publicis muneribus præficiunto.

2 Præfectum cum summa dignitate & auctoritate provinciis nullum adhibento, qui non sit sanguine & stirpe sibi conjunctus.

4 Ne statum Reip. suâ auctoritate per rescriptum, vel edictum mutanto: nihil quicquam in ea innovanto.

5 Præter publicũ consensum ordinum nulla tributa exigunto, reditus suos ordinarios habẽto, illisq; contenti sunto.

6 Militem sine voluntate ordinum in provincias atque urbes ne ducunto.

7 Absque permissu ordinum pretium monetarum nunquam varianto.

8 Nec inobedientem & noxium civem mulctâ, vinculis verberibusque coërcento, nisi Magistratus judicasslit irrogassitve.

9 Reum cujuscunque criminis à judice condemnatum ex provinciis ad alia suppliciorum loca ne educunto.

10 Salus populi suprema lex esto.

11 Quòd si quis princeps migrasser, si vi, injuriâ, fraude, statum Reip. turbasslit, ordines atque cives omnes morem illi gerere recusanto, à fide & jurejurando immunes sunto, præfectum principis loco constituunto, dum ad meliorem mentem leniusque imperium ille redierit. Plures alias, aliarum Rerump. leges fundamentales refert. Bod. *lib. 1. c. 8. de Rep.* Greg. *lib. 7. c. 19. & præced. de Rep.* Quis verò dicet, talem summum magistratum istis vel similibus legibus constitutum, solutum esse legibus, aut absolutam potestatẽ habere? De aliorum regum Europæ juramento latè Rossæus *de justa Reip. Christ. in reges author. c. 2 n. 3.*

47 Verùm diligenter & accuratè hîc observandum, quod & suprà diximus, tantum juris & imperii in magistratum summum à poulo seu corpore

pore consociato eligente transferri, quantum in legibus & conditionibus præscriptis, in quas jurat magistratus, continetur. Quod verò illis non est datum, vel translatum in summum magistratum, hoc apud corpus consociatum, seu populum eligentem remanet, quod summus magistratus bonâ conscientiâ & citra crimen usurpare nequaquam potest, sed usum, possessionem & proprietatem istius imperii jure populo relinquit, si tyrannus & perfidus haberi non cupit.

Atque hinc est, quòd administratio generalis jurium, majestatis summo magistratui data dicatur, modò pro semisse, modò ex asse, modò ex triente, prout hoc pactis est convenrum vel receptum. Unde, quòd diversis populis diversæ fuerint parendi & imperandi formæ, & suis magistratibus alii laxiores, alii angustiores cancellos circumdederunt, meritò à populi voluntate manavit. Vid. *infra c. 38. n. 125.* 49

Æquitas hujus rei naturalis demonstrari potest ex natura mandati, quod dicitur contractus bonæfidei, obligans eum, qui alienorum negotiorum administrationem suscepit, ne limites & fines mandati excedat, sed contineat se intra terminos præscriptos à mandante, ut latiùs docent JCti quibus addendus Vasqu. *lib. 1. c. 47. n. 13. illust. controv.* Roland. à Valle *cons. 49. vol. 1.*

In electione verò summi magistratus, summa cura legis fundamentalis regni, habenda est. 49

Sub hac enim lege, universalis consociatio in regno est constituta, qua tanquam fundamento nititur, atque ex communi consensu & approbatione membrorum regni sustinetur, atque hæc omnia regni membra sub uno capite collecta & in unum corpus sunt conjuncta, quæ dicitur etiam columna regni.

Est autem hæc fundamentalis lex, nihil aliud, quàm pacta quædam, sub quibus plures civitates & provinciæ coïerunt & consenserunt in unam

eandemque Rempubl. habendam & defendendam communi operâ, consilio & auxilio.

A quib. conditionib. & pactis quando communi consensu receditur, Resp. esse desinit, nisi salvâ illâ, & jurib. majestatis illæsis, leges illæ communi consensu antiquentur vel abrogentur, vel novæ constituantur. Tholos. *lib. 7. c. 19.* Heigius *lib. 1. quæst. 5.* Pruckman. *in §. soluta potestas. effect. 4.* Cabot. *lib. 2. disp. c. 12.* Danæ. *lib. 3. c. 6. pol.* ubi distinguit. Nam potest etiam Resp. seu regnum consistere & constitui sine talibus legibus, quæ est notabilis differentia inter hasce leges fundamentales & jura majestatis, sine quib. nulla Resp. constitui & constituta conservari, aut ad posteros propagari potest.

50 Post electionem hanc, electus summus magistratus jus administrandi regnum statim accipit, etiam ante initiationem & inaugurationem.

Lupold. de Babenberg *de jure regni cap. 5. cap. 6. cap. 12.* Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 35.* Paurmeister *lib. 2. cap. 4. num. 4. de jurisd.* Pet. de Andlou de jure Imperii *c. 5.* per bullam auream, *c. 2. de elect. Reg. §. ult.* Matth Stephani *lib. 2. part. 1. cap. 1. num. 125. & seqq. de jurisdict.*

Priusquam ad species electionis transeamus, paucis hîc
51 improbæ sententiæ Barclaii erit respondendum. Hic enim legbius regiminis & administrationis regem non teneri, neq; ullâ lege regni fundamentali constringi asserit. Nam *l. 2. de regno & regali potestate* Barclajus aliter accipit *Deut. c. 17.* & aliter *1. Sam. cap. 8.* De officio regis deque jure imperandi & de eo quod rex facere debeat, putat agere *Deut. cap. 17.* de potestate verò absolutâ, nullis legibus alligatâ, atq; de jure parendi, de obsequio & patientia subditorum, atque de regis tyranni impunitate, putat loqui *cap. 8. 1. Sam.* In quam sententiam etiam ante Barclajum, Brentius & post hunc Gentilis discedunt. Mea verò longè alia est sententia. Nam
52 Moses in Deut. *d. c. 17. à v. 14. usq; ad finem*, duo tradit & describit. Primò legem fundamentalem regni & politiæ Judaïcæ, *in v. 14. 15.* docet & præscribit, his verbis, Cũ ingressus fueris in terram, quam Jehova Deus tuus dat tibi, ut hæreditariò possideas eam, & habitabis in illa: si dixeris, Statuã super me regẽ, sicut omnes gentes, quæ sunt circa me: tantùm statuito

tuito super te regem, quem elegerit Jehova Deus tuus; è medio fratrum tuorum statuito super te regem, non poteris tibi præficere virum extraneum, qui frater tuus non sit: quæ constituendi regis lex fundamentalis plurib. aliis in locis repetitur & explicatur: *2. Chron. cap. 21. 7. cap. 23. 3. 2. Sam. cap. 7. 12. 13. 14. & seqq. 1. Reg. cap. 3. 6. Psal. 132. 17.* & pluribus aliis in locis: de qua dico latiùs in hoc *c. 19.* de regni commissione.
Deinde Moses in *d. c. 17. à vers. 16.* usque ad finem tradit & 53
præscribit formam regiminis, vel regii imperii leges, secundùm quas illud sit instituendum. Non onerabit subditos suos non necessariis impensis & sumptibus, sed totam administrationem suam ad Decalogi leges instituet, *ut in v. 16. 17. 18. 19.* docet. Unde sciat rex, non absolutam & infinitam potestatem sibi in subditos esse concessam, sed legib. præscriptis limitatam & restrictam, ut potius ille lex animata, vel legis custos & executor sit. Præscriptâ & limitatâ hac potestate,
54 utenti, benedictio, imperii continuatio & ad hæredes transmissio promittitur, *in v. 20.* & repetitur *1. Sam. c. 12. 16. 17. 28. 1. Reg. c. 1. 3. 4. 2. Chron. c. 26. 5. 6. 57. c. 27. 3. 4. 5. 6. c. 31. 21. c. 32. 28. 30. c. 28. 6. 7. 8. c. 29. 6. & seqq.* Abutenti verò hac, ex contrario Dei maledictionem & imperii privationem Deus comminatur, *d. 1. Sam. c. 12. 15. 16. 17. 27. 2. Reg. c. 17. 20. 21. 23. c. 18. 11. 12. c. 22. 15. 16. 17. 2. Chron. c. 8. 7. 8. 9. 10. & seqq. Neh. c. 9. 26. 27. Sirac. c. 10. 8.* Hoc jus regium, seu forma regiminis instituendi, repetitur aliis in locis, uti *1. Reg. c. 1. 2. 3. 4. c. 14. 7. & seqq. Jos. c. 1. 7. 8.* & traditur *Num. c. 27. 13. & seqq. Deut. c. 31. 7. & seqq. Exod. c. 19. c. 20. Psal. 119.* per totum, *2. Reg. c. 23. 2. 3. & sequentibus, 2. Chron. cap. 34. 31. 32.* Videamus nunc, an diversa à Samuele *in cap. 8. 1. Samuel.* tradantur. Loqui 55
in d. c. 8. v. 11. & sequentib. Samuelem de futuri regis Saulis officiariis, quos ille sibi ex subjectis constituturus sit, & aliis ejusdem tyrannicis actionibus, patet ex *vers. 18.* Nam licet illa officiariorum constitutio, decimatio, operarum & angariorum præstatio, contributio & collectæ, bonorum ademptio, talia jura sint, quibus etiam bonus rex justè uti potest, Reipubl. necessitate & publicâ utilitate postulante, uti Salomo & alii pii reges, *Rom. cap. 13. 1. 2. 3. 4. 1. Reg. cap. 4. cap. 5. c. 9. c. 10. 1. Chron. c. 22. c. 23. c. 24. c. 25. 2. Chron. cap. 2. 2. Sam. cap. 8. c. 19. 1. Reg. c. 10. 1. Chron. c. 18. Num. c. 30*

& *cap.18.Exod.cap.29.* Waremund. ab Erenberg de subsid, subdit.*c.4.c.8.c.9.c.10.c.11.* ubi latè specierum inductione id probat: de iis tamen Samuel hîc non loquitur, sed de iniquis, immoderatis & non necessariis contributionibus & servitiis, ad libidinem regis, non ad Reip. utilitatem exactis, ut innuit vers.28. qui dicit, ideo Israëlitas ad Jehovam, pro
56 exoneratione harum calamitatum, clamaturos esse. Peccat ergo rex contra legem regiminis, qui absque ulla necessitate, ad explendam libidinem solam, abusus fuerit subditorum bonis & liberis, ac ex incommodo subditorum, proprium quæsiverit commodum, avaritiâ, luxuriâ corruptus, ut dicit Waremund. Talia iniqua onera à subditis exegit Saul, ut docet historia, *1.Sam.* item Roboam, *1.Reg. c.12.* Pharao, *Exod.c.2. & seqq.* Ideò *Nehem.c.9.37.* ob peccata subditorum, tales reges in corpora & jumenta dominari dicuntur. Tali jure regio illicito in vinea Nabotho adimenda, & sibi vindicanda, uti posse regem Achabum, malè asserit ejusdem uxor impia Jezebel, *1.Reg.c.21.7.* Ejusmodi verò servitiis immoderatis, ad libidinem suam, in *d.c.8.* descriptis, rex Salomo uti noluit, *1.Reg.c.9.21.22.23.2.Chrō.c. 2.17.18.* Ex hisce cōstat de utriusq; loci, *Deut.c.17.& 1.Sam.*
57 *c.8.* vera sententia. Aliter ea explicat Junius, Piscator & Wilhelm. Zepperus *de leg. Mos. lib.3. cap. 8.* qui putant *d.c.8.v.9.* loqui de ratione & forma, quam reges observabant, non lege, sed nefariâ usurpatione & authoritatis suæ providentiâ, scil. pro jure regio usurpantes, quod regium jus non erat, quod probant ex *1.Sam.cap.2.13.& 1.Reg.cap.18.22.* hoc est, Saul & alii tyranni, juribus illis utilitate & necessitate Reipubl. postulantibus receptis, abutebantur ad privatam utilitatem & libidinem. quæ explicatio cum nostra consentit. quibus addendus Paris de Puteo *in tractat. Synd.c.4. de excess.reg.* Alii aliter intelligunt & explicant, quos refutat Warem. ab Erenb. *c.4. & seqq. de onerib. subdit. imprimis cap.8.c.9.c.10. c.11.* Licet verò demus, quod Waremundus asserit, loqui *d.c.8.Sam.* de prædictione, quomodo scilicet futurus rex, quem petebant Judæi, sit regnaturus, hoc tamen non tollit difficultatem. Nam tunc quæritur, an ratio illa gubernandi, qua rex futurus usurus esset, sit justa, recta & legitima, vel minùs. Rectam & justam eam esse, si modum non excedat, Waremund. negare non audet, & rectè. uti suprà diximus.

Distin-

Distinguere verò cum Barclajo inter officium regis & ejus- 58
dem potestatem, prorsus est futile & vanum. Nam officium regis consistit in potestate imperandi & administrandi Remp. & in utroq; loco agitur de jure imperandi & parendi in facto consistente, ut rectè Osiander explicat. Et ubi constat de jure imperandi, satis intelligitur etiam correlatum obtemperandi & parendi. Contrà verò ubi cessat jus imperandi, ibi quoq; parendi necessitas nulla est. Decalogus, sine exceptione omnes, quatenus homines sunt, ad faciendum obligat, *Exod.c.19.c.20.* etiam regem, quatenus est rex, cum pœnæ comminat one, *1.Sam.c.12.15.16.17.28. Deut.d.c.17.16. 17.18.19.20. Esa.cap.3.14.15. & seqq. Mich.cap.3.9.12. Ezech. cap.34. Jerem.cap.22. 2.Reg.c.21.* Ideò Siracid.*c.10.8.* dicit, regna de gente in gentem transferri ob injustitiam. & *Esa. c. 33.1.* Væ tibi vastator, qui ipse non vastaris. & *Esa.cap.13.11.* Elationem violentorum (hoc est tyrannorum) dejiciam. Ita impietas & tyrannis Achabi punita, *1.Reg.cap.21. cap.22. 2.Reg.cap.9.6.7.8.9.cap.10.* Roboami, *1.Reg.c.14.7. & seqq. 2.Chron.c.11.4.* Salomon, *1.Reg.c.11.11.12.13. & seqq.* Saulis, Menassis, & plurimorū aliorum, etiam ethnicorum, uti Nebucadnezaris, *Dan.c.5.20.* qui ideo regno expulsus; Pharaonis, *Exod.c.1.10.11.16.22. & c.5.2.5.6.7.* & in genere de omnibus loquitur Amos *c.9.8. Jer.c.50.24. Dan.c.2.21.* Piscator in locis communibus in voce Tyrannis plura exempla recenset. Ob hanc causam tyrannidis, impietatis, atq; apostasiæ, subditi justè contra reges suos rebellarunt & imperium illorum detrectarunt, uti dicitur de Libna, *2.Chron.cap.21.10.* de quibusdam Israëlitis, *2.Chron.c.15.* de Judæis contra Athaliam, *2.Reg.c.11.* ut ostendunt exempla plura alia, de quib. in *c.38.* de tyrannide. Falsum igitur est, quod Barclajus asserit, jus regium in facti impunitate consistere, quòd rex multa possit, quæ non debeat, cùm illa, quæ turpia sunt, nec facere nos posse existimandum sit, *l.15.de cond. & demonst.* Nec impunitas scelerum, jus regium faciat. Nulla principum potestas est ad malum, sed tantùm ad consulendum, juvandum, proficiendum, & deniq; ad meram civium seu subditorum utilitatem. Vasqu. *lib.1.c.1. & 2. c.26.n.2.3. contr.illust.* & quę de plenitudine potestatis, seu de absoluta potestate dicuntur, intelligenda sunt de integra potestate. Vasq. *d.loc.c. 26.n.3.22.* Pruckman. §. *soluta potestas, c.3.* perplures allegat.

Facere malum, non est potentiæ, sed infirmitatis, quòd à malo abstinere non possit. Vasqui. *d. loc. cap. 27. per alleg. plurima.* Nam sic & manipulus furum, latronum, vel incendiariorum, qui multa potest quæ non debet, jure hoc regio uti posset. Et si intelligas hoc jus regium de permissione, quę facto impediri in regib. non potest, illa permissio tam regibus, quàm aliis privatis, communis esse potest. Nã uterq; & rex, & privatus alius, ob delictũ impunis esse potest, vel quòd non constet de delicto, vel quòd pœna delicti sumi de illis non possit, vel, quòd quędam legib. permittuntur, quę sine scelere committi nequeunt, *l. non omne 144. de reg. jur.* impunitas ergo hæc regis, jus regis vocari minimè potest. Neq; etiam tyrannis de genere permissorum dici potest, cùm tyranni sint adulteri, raptores, homicidæ, & aliis capitalib. sceleribus dediti, quos scriptura ideo vocat leones, ursos, dracones, lupos, *Prov. cap. 28. 15. Ezech. cap. 22. 27. Dan. c. 2. & seq. Psal. 58.* violentos, *Esa. c. 13. 11.* vastatores, *Esa. cap. 33. 1.* Exempla delictorum pœna carentium, *ex l. in causa. de minor. l. 22. locat. t. 2. l. 8. C. de rescind. vend. l. 2. C. de reb. cred. & ex Deut. cap. 24.* de divortio & libello repudii, *Matth. cap. 19.* ibi, Duritiẽ cordis ipsorum permisit. & id quod de usuris *Deut. cap. 33.* non obstant: quia non sunt delicta illa, quæ Barclajus ita vocat; carent enim dolo, & de genere permissorum sunt. quod hîc explicare prolixum & alienum à proposito. Neq; exemplis est judicandum, neq; illa regulam constituunt, quæ regulę sunt contraria. Et habent JCti quod respondent ad text. ex jure civili citatos, qui non loquuntur de delictis, sed de iis hominum factis, quæ dolo & culpâ carent. Theologi quoque ad allegatos textus sacri Codicis rectè respondent: quorum quidam etiam usuras in certis casibus permissas asserunt cum JCtis. Quid si contrariis textibus & exemplis doceri potest, tyrannidem punitam? quæ supra attulimus. Planè delicta regis, quæ tyrannidem non sapiunt, impunita esse, alio in loco assero. quia nimirum alium judicem, quàm DEUM, in hisce non habet. Ideo David adulter *Psalm. 51.* dicit, Se soli DEO peccasse.

59 Pergit Barclajus ita argumentando: Perditio populi regi insipienti, non optimatibus adscribitur, Sirac. *cap. 10.* Optimates ergo nihil juris in rege tali corrigendo habent. Ex illo

illo allegato textu, si ille addatur à *vers. 1. usq; ad vers. 21.* apparet, potentes authoritate & potestate sua abutentes, expelli & puniri, ut ibidem in notis docet Junius. Rex, qui potestate administrandi & dirigendi publica regni negotia abusus est, punitur. Optimates & ephori, qui connivendo, regis tyrannidi non restiterunt, eumque non impediverunt, tyrannidis socii sunt, & sua pœna carere non debent. Quòd si patriæ amantes sunt optimates & status, atque de DEI cultu & Christiana religione, imò de tali rege insipiente benè mereri volunt, perditionem populi, quam talis rex molitur, impedire omnibus modis, quibus possunt, debent. Nam ex hac regis stultitia sequetur & regis & regni ruina & interitus, nisi hinc in tempore ordines regni, quibus hæc cura est demandata, obviam eant & remedium necessarium quærant. Fateor tamen, ob regis impietatem & tyrannidem, quandoque subditos, ob sua delicta, nimirum ephororum conniventiam, collusionem & cessationem in officio puniri, *2. Chron. cap. 28. 19. 2. Sam. cap. 21. 1. 2. & sequentibus, & cap. 24. per tot.* atque ita tam reges, quàm subditos propter delicta sua pœnâ affici, *1. Sam. cap. 12. 15. & sequentibus. 2. Reg. cap. 17. 20. 21. 23. cap. 18. 11. 12. cap. 21. cap. 22. 15. 16. 17. 2. Chronic. cap. 8. 7. 8. & sequentibus. Num. cap. 9. 26. 27.* Non sequitur, ob subditorum peccata mali reges & tyranni à DEO dantur, *Osea cap. 13. 10. Esai. c. 3.* Ergo à pœna tyranni immunes erunt, statusque regni nihil contra tyrannidem talem facient. Solet enim DEUS peccata peccatis punire, nec ideo facientes excusantur, ut pluribus scripturæ sacræ testimoniis theologi probant. Concedo quoque, solam regis voluntatem legem facere, *l. 1. de const. princ.* nimirum justam voluntatem, non pugnantem cum decalogo & jure naturali immutabili, §. *pen. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* Vasqu. *lib. 1. cont. cap. 2. num. 2. 3. per alleg. ibid.* Pruckm. *§. soluta potestas. cap. 3. num. 94. & sequentib.* Ut igitur non omnis vox judicis, sententia est, *l. ex stipulatione. C. de sentent. & interloc. omnium judic.* sic nec omne placitum principis lex erit, vel placitum principis legem facit, quando à populo est receptum. Pruckman. *d. loc. per l. 1. §. Si coheredis. ad* L. *Falcid.*

Prætetea Barclajus differentiam inter judices atq; reges 60 in politia Judaica constituit hanc, quòd judices & duces

per modum directionis & consilii magis, quàm per modum dominii regebant, & quòd in rebus arduis, & negotiis à lege non definitis, hi DEUM consulerent, *1.Sam.cap.12.* ut à suis juridicis princeps consulitur, *l.1.l.10.C.de legibus.* DEUS itaq; populi rex, duces & judices illius proreges habebantur. Regum verò potestatem & libertatem in Rep. administranda indefinitam & plenissimam, imò infinitam, (quod blasphemum) fuisse dicit, quæ potestas perpetua regiæ majestatis comes & socia sit, sine qua nec rex, nec regnum animo concipi, aut cogitari possit. Unde regem multa posse, quæ non debeat, & ob quæ à nemine corrigi aut puniri debeat, etiam quando Reip. nocet, & minimè ea facit, quæ sunt officii ipsius. Unde Barclajus putat, malos reges nunquam tyrannos vocatos, licet superbè & tyrannicè imperaverint, ne scilicet multitudinis vindictæ subjicerentur. Contrà verò rebellium & conjuratorum ac paricidarum pœnas esse expressas, nunquam verò regem tyrannorum, *2.Sam.c.1.c.4. 2.Reg.c.14. c.21. 2.Chron.c.33. 1.Reg.16.22.* Hanc Barclaii sententiam approbare minimè possum.

61 Sic igitur existimo, judices & administratores politiæ Judaicæ immediatè à DEO Reip. moderatores & rectores fuisse electos & constitutos, atque mandatis instructos, ut testatur Lucas *in Actor. cap. 13. 20.* Et posteà (inquiens) annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit judices usque ad Samuelem prophetam. & *1.Chron.cap.17.10.* Reges verò à populo & optimatibus regni electos & constitutos, ex pluribus scripturæ testimoniis constat, de quibus paulò pòst. De immediata Mosis vocatione, electione & constitutione satis constat *Exod. cap.3. cap.4.* Mosi successit Josua, similiter immediatè à DEO electus & constitutus, *Num.cap.27.13. & sequentibus, Deut.cap.31.7.* cum eodem imperio & potestate, *Deut.cap.31.7. & sequentibus, Josu.cap. 1.7. & sequentibus.* Josuæ successit Othoniel à DEO immediatè vocatus, *Judic.cap.3.9.10.11.* quo mortuo, à DEO electus & constitutus est Ehud, *Judic.cap.3.15. & sequentibus.* Post hunc Schamgar, *d.cap.3.31.* Post hunc prophetissa Debora & Barac, *Judic.cap.4.* & post illum Gideon à DEO immediatè electus, *Judic. cap. 6. 11. 12. & seqq. cap.7.1.2.3. & seqq.* Hoc mortuo, Abimelech imperium & Reip. administrationem per tyrannidem contra DEI voluntatem occupavit, *Judic.cap.9.* Post hunc electus Tolah, & post Tolah, Jair. *Judic. c.10.1.2.3.* Hoc defuncto, à DEO & posteà à populo electus fuit Jephthah, *Jud.cap.11.8.9.10.11.34. 1.Sam.c. 12.13.* Post hunc Ibzan, Elon, Habdon, *Judic.c.12.8.9.10.11. 12.13.* Post hosce à DEO electus & missus Simpschon, *Judic. cap.13.cap.14.1.2.3.4.5.* & ultimò Samuel, *1.Sam.c.2.26.c.3. 1,19.20.21.c.7.* Hanc electionem & constitutionem immediatè à DEO factam, Judæi mutantes, jusq; eligendi & constituendi regis sibi asserentes, petebant sibi regem eligi & constitui, non à DEO, sed à Samuele eo tempore, quo Samuel à DEO electus adhuc vivebat, & nomine DEI imperabat, *1.Sam.cap.8.4.5.7.8.* Qua in re peccabant primò contra DEI mandatum, *Deut.cap.17.15.* ubi in rege constituendo, DEUS sibi illius electionem reservavit, quam in *d.c.8.* in Samuelem transferentes, regem ab eodem, non à DEO sibi dari petebant. Deinde peccabant in eo, quòd jus & leges imperii, & administrandi Rempubl. non in DEUM, sed in regis voluntatem conferebant. *d. cap.8.5.20.* contra quam in *d. Deut.cap.17.18.19.20. 2.Reg.cap.23.2.3. & sequentibus. 2.Chron.cap.15.cap.23.* Ideò DEUS dicit, se per illam populi postulationem spretum, ne ille super illos regnet, hoc est, judices more solito eligat, & per suas leges regnet. Reges etiam priores, secundùm DEI mandatum, *Deut.cap. 17.15.* à DEO immediatè eligendi erant, sicut Saul, David, & Jehu à DEO electi leguntur, *1.Samuel. cap.10.1.2. cap. 16. & 1.Reg.cap.19.15.16. 2.Reg.cap.9.1.2. & sequentibus,* licet & hi à populo eligebantur & constituebantur, *2.Sam. cap.2.cap.3.cap.5.1.2.3.4.5. 2.Reg.cap.9.13.14.* reliqui reges à DEO immediatè non leguntur electi, quia DEUS post Davidem, ejusdem descendentes elegerat, *Psalm. 89. 4. 5. 2.Chron.cap.21.7.cap.23.3. 2.Sam.cap.7.12.13. & sequentib. 1.Reg.cap.3.6.* Ideo posteà posteri Davidis, qui in lumbis Davidis à DEO ad regale sceptrum erant electi, à populo rectè ex DEI voluntate eligebantur & constituebantur reges. Judices DEUS mandatis instruebat, *1.Chron.cap.17. 10.Sirac.cap.45.3.4.* & per eosdem imperare & dominari dicebatur, *Judic.c.8.22.23. 1.Sam.cap.12.14.* Reges verò ipsi dominabantur, *1.Samuel.cap.8.11. & sequentibus.* Israëlitæ igitur sibi regem dari petentes peccabant, ut dixi, in duobus:

62

Primò electionem & constitutionem judicum à DEO faciendam eousque usitatam repudiabant, Samuelem à DEO ipsis præfectum, imperio spoliabant immeritò, *d. cap. 8.5.* quo facto à se rejiciebant DEI imperium, *1.Sam.cap.8.7. 8. 1.Samuel.cap.12.14.15. & sequentibus*, *Judic. cap.8.22.23. 1.Chron. c.17.10.* Deumque in rege constituendo prævertebant & præveniebant. Deinde peccabant eo ipso, quòd, uti dixi, ad morem & consuetudinem aliarum gentium sibi constitui regem peterent, *d. cap. 8.5.20.* rejectis & spretis legibus fundamentalibus & regnandi à DEO ipsis præscriptis, *Deut.cap.17.14.15.19.20. & sequentibus.* quodque maluerint aliorum regnorum & aliarum nationum servitutem perferre, quàm DEI imperium, ut dicitur *2.Chron.cap.12.8.* Paulo aliter hæc explicat Zepper. *lib.3.cap.8. de legibus Mos.*

63 Cæterùm quoad imperium, potestatem, officium, & Reipubl. administrationem, seu leges regiminis, nulla inter judices & reges erat differentia. Leges enim eædem imperandi & administrandi Rempubl. seu regnum utrisque erant præscriptæ, nimirum Decalogus & leges à DEO latæ & promulgatæ. Hæ enim judicibus pro norma regulaque administrationis præscripta erant, *Deut.cap.31.7. & sequentibus. Josu.cap.1.7. & sequentibus. Exod.19.cap.20.* atque eædem similiter regibus pro lege imperii datæ & imperatæ, *Deut. cap.17.16.17.18.19.20. 1.Samuel. cap.12.15.16.17.28. 1.Reg. cap.1.3.4.5. Psalm.119.per tot. 1.Reg.cap.14.7. & sequentibus.* Judicum quoq; in administrandis juribus majestatis & curandis negotiis ecclesiasticis & politicis regni, eandem cum regibus potestatem & jus fuisse, constat ex eorundem administratione & rebus gestis, *Exod. cap. 18. & sequentibus*

64 *capitibus*, & libris Mosis, Josuæ & Judicum. Ideò Moses primus judex, etiam rex vocatur, *Deut.cap.33.5. Gen. cap. 36.31.* & judices atque reges iisdem elogiis & appellationibus, ab officio suo desumptis, in scriptura ornantur. Judices vocantur servatores & salvatores, *Jud. cap. 3. 9. 15. & c.1p.10.1. Nehem.cap.9.27. Actor.cap.7.25.35.* Tales servatores & salvatores similiter vocantur reges, *2.Samuel.c.3. 18. 2.Regum cap.13.5.25.cap.14.27. 1.Samuel. cap.10.27.* Judices, pastores & moderatores vocantur, *2.Samuel.cap.7.7.* & reges moderatores, pastores, antecessores dicebantur,

d.2.Sam.

d.2.Sam. cap.7.7.8. & cap.5.2. c.24. 1.Sam. cap.9.16.c.10.1. 1.Reg.cap.8.16.cap.14.7.cap.16.4. 2.Reg. cap.1.35.25.c.14.27. cap.20.5. 1.Chron.cap.11.2.cap.17.7.cap.28.4. 2.Chron.c.6.5. 2.Sam.cap.5.2. cap.7.8. cap.6.21. Antecessores vocabantur, qui primi erant & præcipui inter aliquos; sic antecessor inter Levitas dicitur, qui primus est, *2.Chron. cap.19.11.cap.35.8.* qui alibi princeps sacrorum dicitur, *1.Chron.cap.24.5.* princeps sacerdotum, *2.Chron. cap. 36.14. Matth. cap. 27.* In arduis negotiis, tam judices, quàm reges pii Deum consulebant, *Deut.c.17.* ut exemplum Mosis, Josuæ & reliquorum docet in Exodo, Numero, Levit. & Deut. & libris Josuæ & Judicum, & *1.Sam.cap.12.cap.28.6.7.* De regibus, quomodo illi Deum consuluerint, videre licet *1.Sam.cap.30.7.8.c.23.9. 10.11. cap. 28.6. 1.Reg.cap.3.3.4.5.6.8.9.10.11.12. & seqq. 2.Reg.cap.19.per tot.c.20. & cap.22.12.13. & seqq. 1.Chron. cap.14.10.14.cap.17.1.2.3. & seqq.cap.21. & 2.Chron.cap.17. 3.4.cap.20.4.5. & seqq.cap.33.10.cap.34.21.* & Saul punitus, quòd pythones, non Deum consuluerit, *1.Chron. c.10.13.14.* Judices populo & Deo administrationis suæ rationes reddebant, uti Samuel, *1.Sam. cap.12.4.5.6.* qui dixerunt, Non fraudasti nos, neque concussisti nos, neque accepisti quicquam è manu ullius. 7. Tum dixit ad eos, Testis est Jehova contra vos, & testis est unctus ejus hodie, vos non invenisse in manu mea quicquam: dixitque populus, Testis est. Sic Moses de innocentiâ, integritate & fide suâ in administratione officii sui contestatur, *Num.cap.16.15.* atque in genere de necessitate rationum reddendarum ab omnibus regibus & judicibus, docetur *Sapient.cap.6.1.2.3.4.5. & seqq. Esa.c.3. 14.15. Ezech.cap.34.7.8.9.10.* Hoc ipsum etiam jure civili & naturali æquitate probatur. Nam negari non potest, regem principémve esse administratorem negotiorum alienorum, nimirum eorum, quæ pertinent ad universalem consociationem, politiam & Rempub. quæ ipsi sunt à populo in electione & inauguratione sua demandata, quæque ex mandato administranda, regenda & gubernanda suscepit, prout disseruimus *cap.18. & cap.19.* Unde minister Dei dicitur *Rom. cap.13.* & Reipublicæ seu subditorum, quorum bono servit, *Roman.cap.13.* ut diximus *cap.24. & d.cap.18. & 19.* Certum igitur est, regem hunc ex contractu mandati

teneri ad rationes administrationis suæ reddendum, *tit. Inst. de mandat. & D. & C. eod.* Ideo ex communi Dd. sententia, rectè tales administratores rerum & negotiorum publicorum, ad redditionem rationum, de gestis & omissis, adstringuntur. Losæ. *part. 3. cap. ult. de universit. jure.* Pet. Heig. *part. 1. quæst. 20.* Menoch. *libr. 2. arb. jud. cas. 209.* & damnum à se Reipublicæ datum resarcire tenentur, *l. 2. C. de administr. rer. ad civit. pertinent.* & alienare bona regni non possunt. Roland. à Valle *cons. 1. n. 112. & seqq. vol. 2.* Vasq. *lib. 1. c. 8. illust. cont.* Sicut quilibet alius mandatarius, *l. 40. l. 63. de procurat.* uti diximus *c. 24. & c. 18.* atq; sicut bene & piè administrantes, officiumq; suũ facientes, vocantur dii, *Psal. 82.* ita in tyrannos degenerantes, in scriptura sacra vocantur leones, ursi, dracones, lupi, vastatores, violenti, ut suprà dictum fuit, quibus Deus pœnam comminatur, *1. Sam. cap. 12. 16. 17. 27. Esa. cap. 33. 1. cap. 13. 11. cap. 22. 3. 4. 5. & seqq. cap. 23. 1. 2. & seqq. Mich. cap. 3. 1. & seqq. Amos cap. 9. Ezech. c. 34. per tot.* & quorum est exitus tragicus, *Exod. cap. 14. Actor. cap. 12. 2. Macch. cap. 9. 2. Reg. cap. 9. 1. Reg. cap. 14. Jerem. cap. 22. 2. Sam. cap. 21. Job cap. 20. Sirac. cap. 10. Esa. cap. 14.* & populus per suos ordines & status, seu ephoros, pœnas exigit, ut exemplis sacris & profanis docemus in *c. 38. polit.*

65 Ex quibus satis colligitur, regem non absolutam & indefinitam habere potestatem; quod etiam testatur Covar. *lib. 3. variar. resolut. cap. 6. num. 8.* Vasq. *libr. 1. cap. 26. num. 22.* Pruckman. *in §. soluta potestas. cap. 3. per tot. & in tot. illo tract.* & nos, *cap. 18. c. 19. c. 38. polit.* & plurimi alii allegati ab iisdem: neque eundem esse αὐτοκλότορα, atque impunitatem

66 in tyrannide sua habere, ut putat Barclajus. Cæterùm, quæ de judicum in politia Judaica potestate scribit Zepperus *lib. 3. cap. 6. de leg. Mosaic.* per omnia probare non possum. Nam ordinariè Deus judices per annos 329. immediatè eligebat, uti diximus, ex qua illi placebat familiâ. Deinde non tantùm consilio & admonitionibus, sed imperio legitimo & regio Rempublicam administrarunt, ut patet ex iis, quæ superiùs diximus. Et quia electio judicum immediatè pendebat à Deo, ideo omnis successio hæreditaria locum habere non poterat, *Judic. cap. 8. 22. 23.* Privatos verò judices, bello peracto, egisse nusquam scriptura dicit, sed ad dies vitæ, judicandi munere in populo, unde nomen habebant, functos esse,

esse, ex historia apparet *Judic. cap. 4. 5. & cap. 11. 9. & 1. Sam. cap. 7. 15. 16.* nec Deus novum illis judicem dabat, nisi priore electo defuncto. In jure dicendo utebantur operâ & consilio 70. seniorum, chiliarchorum, centurionum, quinquagenariorum & decurionum. *Exod. c. 18. Num. c. 11.* ut prolixiùs alibi trado.

Hisce præsuppositis, facilè est respondere ad alterum 67
argumentum, quod idem Barclajus movet, *d. lib. 3. cap. 2.* dum ait: Rex à Deo constitutus dicitur, *1. Sam. cap. 15. 12. 11. 17. 2. Sam. cap. 12. 8. 1. Reg. cap. 3. 7. cap. 11. cap. 14. cap. 16. Dan. cap. 2. 21.* Ergo potestatem, quam habet, non à populo, sed à Deo habet, *Roman. cap. 13. Dan. cap. 2.* ipsiusque potestas omnem populi potestatem superat, & celsius atque augustius ipse habet imperium, quod à populo infringi, aut infirmari ampliùs nullâ ratione possit. Nam post inauguratum regem populo, quòd ei amplius det juris, nihil remanet, quódque adimat citra injuriam nihil. Ego ulteriùs progredior, asserendo, Deum regem regum esse, & terræ atque habitatorum omnium dominum, *Levit. cap. 25. 23. Psal. 24. 1.* atque solium regis, Dei solium, *2. Chron. cap. 9. 8.* populumque, Dei populum, *2. Sam. c. 7. & 1. Sam. cap. 10. 12. 1. Chron. cap. 29. 11. 12. & seqq.* ut latiùs probamus *cap. 28. num. 18.* Sed regni curam Deus non soli regi, verumetiam 68
statibus & ephoris regni commisit, *Num. cap. 11. 16. & seqq.* quorum officium est, ut intra limites officii sui regem contineant, populumque à tyrannide ipsius liberent, & omnibus, quibus possunt, modis, operam dent, ne quid Respubl. ex regis actionibus capiat detrimenti: id quod *cap. 18. & cap. 38.* probavimus. Utrique, rex & ephori à Deo consti- 69
tuuntur, & à populo. A Deo mediatè, à populo immediatè. Uterque à Deo & populo suâ potestate & officio privatur, à Deo quidem mediatè, à populo immediatè, ut dicitur de Salomone, *1. Reg. cap. 11. 11. 12. 13. & seqq. & cap. 12.* & de Roboamo, *1. Reg. cap. 14. 7. & seqq. 2. Chron. cap. 11. 4.* de Achabo, *1. Reg. cap. 21. & cap. 22.* & pluribus aliis, uti de Nebucadnezare, *Dan. cap. 5. 20. & Sirac. cap. 10. 8.* ait, de gente in aliam gentem transferri regna: qua de re exempla vide *2. Chron. cap. 21. 20. c. 23. cap. 10. 19. cap. 11. 13. 14. 16. cap. 15. 9. 2. Reg. cap. 1. 1. cap. 3. 5. & c. 18. 7. c. 19. c. 24. 2. 3. 4. c. 25. 2. 3. c. 11.*

Nam qui habet potestatem eligendi & constituendi, is quoque habet jus adimendi, *l.nemo 37.l.3.l.21. de reg.jur.* præsertim id locum sibi vindicat in mandati revocatione. *§.pen.Instit.de mandat.* quo, ut rex constituitur, sic & sceptro privatur, *l.nihil 35.de reg.jur.* Deus itaque per ephoros reges constituit & exauctorat. Constituunt ephori, ut sit pater, servator, pastor, defensor atque protector subditorum. Exuunt imperio, & officio privant, quia subditorum suorum direptor, oppressor & dominator improbus: ut leo, ursus, lupus atque tyrannus, qui navem ipsam, in qua navigat, hoc est, Rempubl. in qua vivit, perforat, & consociationem universalem, cui præest, quantum in se est, dissolvit, evertit, hoc est, qui cum seipso omnes alios perdere conatur, rejectis & abolitis legibus Reipublicæ fundamentalibus & jutibus majestatis ecclesiasticæ & politicæ, ut latiùs docetur *cap.38.* Nec constitutio regis tollit defensionem contra vim & injuriam, quam jus naturale immutabile cuilibet contra quemvis concedit, nec resistentiam adimit populo, quâ etiam magistratui notoriè, iniquè procedenti & agenti resistere possunt. Maranta latè in *disput.1.num.16.17.18. & seqq. per alleg.* ibid. & Mynsing. *cent.5. observ.18.* Farinac. *quæst.32.num.86.& seqq. crim.de indic. &c.* Boër. *decis.304. num.6.* Rex dicitur minister Dei, tamdiu, quamdiu facit justitiam; cùm facit injustitiam, non dicitur judex, sed privatus, ut dicit Maranta *d.loc.num.17.& num.16.* quando rex facit injustitiam, non Dei, sed Diaboli minister est. Potestatem malefaciendi rex neque à Deo, neque à populo accepit, eâque utens jurisdictionis & imperii sui terminos excedit, & fit privatus, ut disserit Vasq. *lib.1.quæst.illust.cap.8.* Pruckman. *d.cap.3.per allegat.ibid.* Rex constituitur à Deo & populo, eique obedientia promittitur à subditis, sub conditione, si piè & justè secundùm utramque tabulam Decalogi administraturus est Rempublicam, *1.Reg.cap.11.37.38. 1.Chron.cap.28.7.8.9. 2.Sam.cap.7.12.13.14.* & testantur capitulationes, in quas ille jurat, atque regiminis præscripti lex & conditio, de qua *Deut.cap.17.17.18.19.20. Jos.cap.1.8.9. 2.Reg.cap.23. 2.Chron.cap.34.31.32.* Hac conditione deficiente, deficit quoq; subditorum obligatio.

70 Sequuntur species electionis. Est enim electio summi magistratus duplex. Alia omnino libera, alia verò restricta ad certum personarum genus, ex quo facienda est. Nam vel ex omnibus, vel ex certa hominum specie, puta ex nobilitate, vel ex certa familia eliguntur imperantes.

71 Electio omnino libera est, quæ pendet ex libero ephororum eligentium arbitrio.

Hujus exempla reperies apud Pet. Greg. *lib.7.c.15. de Rep.* & Vincent. Cabot. *lib.1.c.8.& 10.disput.* & extant *1.Sam.c.8. 4.8.10.19.c.16.14. 2.Sam.c.5.3.4. Judic.cap.c.11.10.11.& seqq. 1.Chron.c.29.22.23.24.* Talis est electio regis Polonici & Danici, quantum ex historiis colligere potui. Cabot. *cap.10. & 14.*

72 In hac electione liberrima, politiæ prioris mutatio, seu prioris antiquæ & receptæ abrogatio, & novæ seu alterius constitutio est concessa.

Hic enim populus seu corpus consociatarum universitatum, liberam constituendæ & mutandę Reip. suæ potestatem sibi retinuit. Nemini enim est obligatus populus de successione, vel continuatione Imperii & administrationis; sed mortuo ultimo summo magistratu Reip. administratore, jus suũ integrum recepit, quod in alium quemvis pro suo arbitrio transferre potest; cujus rei exempla recensct Cabotius *lib.1. disput. c.10.* ubi tamen errat, dum dicit, quando nullus ordo præscriptus est, quòd tum regis sit libera de regno dispositio, cui aliquo modo contradicit ipsemet, *c.14.*

73 Non tamen eligendus erit atheus, impius, sceleratus, & à vera religione orthodoxa alienus: *Deut. c.17.15.18.* Danæ. *lib.6.pol.cap.3.* arg. *2.Cor.cap.6.14.15. Jerem.cap.23.28. Oseæ cap.8.4.c.13.11.* neque homo ignobilis conditionis, seu servilis. arg. *Proverb. c.10.10. Eccles.cap.10.5.6.& seqq.* nec spurius. arg. *Deut. c.23. Jud. cap.9.c.11.* ob rationes, quas adducit Pet. Greg. *lib.7. cap.8.de Rep.* nec eligendus ebrietati deditus,

ditus, *Prov.c.31.4.5.6.7.Esa.c.3.4.* vitiis & sceleribus indulgens: Matth.Scholast. *de vero & Christ.princ. lib.1.c.9.*sed an etiam fœmina, vid. *sup.c.7.num.30.& infra.* vel etiam erga prædecessorem bonum ingratus, *Jud.c.9.15.16.17.*

Est ergo in hac electione libera pietatis & virtutum ad officium hoc necessariarũ ratio habenda, quamvis quandoq; ob divitias quosdam electos fuisse, exempla historica testentur, quæ refert Pet.Greg.*lib.7.c.13.de Rep.* quosdam etiã ob vim & potentiam suam,vel insidias & stratagemata. Vid. Pet. Greg. *d.lib.7.c.17.c.18.c.19.*quosdam ob promissionem conventionemq; præcedentem,Greg. *cap.16. Jud.c.11.* quosdam etiam ex sorte, *1.Sam.c.10.* Læl.Zecch. *lib.1.c.3.num.9. Prov.c.16.33.* Greg. *d.loc.c.14.* quæ electio tamen non caret consensu populi, *2.Sam.c.10.20.& seqq.* & rectè admittitur, quando nec ratio, neque consilium adhiberi potest. Arct. *part.2.probl.*Tholosan.*lib.7.c.14.*

74 Adstricta electio est,quæ ex conventione regni, seu universalis consociationis & populi ad certum personarum genus est alligata, lege constituta, quâ personis eligendis jus est quæsitum, quod invitis ipsis,sine injuria & fidei violatione, populus postea ademere & in alium transferre non potest.

75 In hac itaque electione mutatio politiæ semel à populo constitutæ & receptæ, non est concessa Ephoris,vel populo.

Ratio est, quia populus semel se obligavit certis personis, quibus de continuanda politiæ suæ administratione promissionem fecit & fidem dedit, quam postea fallere non licet, *Psal.15.Prov.c.21.28.* quæ obligatio in legem fundamentalem Reip. transiit, & primi magistratus summi posteris etiam in lumbis suorum parentum jus successionis adquirit, adeò ut ob vitium etiã aliâs inhabiles, & ad imperandũ non idonei, rejici tamen & excludi ab imperio non debeant. argum.exemplorum, quæ leguntur *2.Reg.c.15. 2.Chron.c.26. 21. 1.Sam.c.16.* Vid.Pet.Greg. *lib.7.c.6. & lib.26.c.5.de Rep.* Danæ.*lib.6.c.3. & lib.3.cap.6.pol.* Vinc. Cabot. *lib.1.disput. c.14.*

c.14. & paulò pòst dicam fusiùs, & plurimis exemplis illustrat Pet.Greg.*lib.26.cap.5. de Rep.* Atque hanc adstrictam electionem,quam regnum successivum politici vocant,præferunt plerique liberæ electioni. Tholos.*lib.7.c.4.5.15.*Bod. *lib.6.c.4.* Eberhard. à Weyhe,& Lipsius. Hoc enim modo præciditur omnis occasio ad factiones & conjurationes, quas dominandi ambitio excitare solet, & tolluntur multa pericula, quæ tempore interregni accidere solent, atque interregnum conjunctum multis confusionibus & perturbationibus tollitur atque imperium continuatur. Quando verò deficiunt personæ, ad quas electio adstricta fuit, tum ex stricta hac fit libera electio, de qua suprà diximus.

Adstricta hæc electio est duplex: alligata scilicet ad certam quandam nationem, nobiles nimirum, vel quosvis illius hominẽs: vel ad defuncti prioris summi magistratus hæredes, quod hæreditarium seu successivum regnum vocant. Vincent. Cabot.*lib.1.c.8.c.9.disput.*

Ad certam quandam nationem adstricta electio 76
est, quâ tantùm ex regno eodem oriundum licet eligere summum magistratum.

Ita apud Judæos non nisi ex familia Israëlitica oriundum in regno eodem regem constituere lege fundamentali regni permissum erat: *Deut.c.17.15. 2.Chron. cap.21.7.c.23.3. 2.Sam.c.7.12.13.14.& seqq. 1.Reg.c.36. Psal.132.17. Psal.89. 4.5.* Atque ob eam causam Attalia fœmina extranea regina, imperio fuit dejecta, *2.Reg.c.11.*

Sic lege fundamentali Imperii Germanici constitutum est,ut non alius,quàm qui est Germanus natione,Imperator & Cæsar eligatur, *per c. venerabilem 33. de election.c. in die. de consecration.distinct.3.*Lancellot.*quæst.2. & 3.§.2.c.1.lib.1. in templo om.jud.*Henning. à Gœden. *consil.1.* Bulla Carol.4. Imper. Sleid. *lib.1. hist.in anno 1519. in electione Caroli 5. Imper.*Pet.Greg.*lib.7.c.8.n.18.de Rep.* Pacian.*de probat lib.2. c.35.num.49.50.* Bald.*in c.venerabilem. n.5.col.1. ext.de elect.* & ibi Abbas *n.17.*Heig. *quæst.3. lib.* Pruckman. *de soluta potestate.effect.4.*Antimach.*theor.1.lib.1.*Schard.*in libro sing.de elector.*

Petr. de Andlou *de Imperio Roman. lib.2.c.3.* Matth. Stephani *lib.2.part.1.c.1.n.85. & seqq.* per Simon. Pistor. *consil.1.* Martin. Laudens. *de princip. quæst.86.& 174.*

77 Ad defuncti magistratus summi hæredes adstricta electio rursũ est duplex; alligata scilicet ad quosvis, etiam extraneos hæredes; vel ad ipsius familiam & cognationem.

Quomodo regna quasi hæreditaria efficiuntur, quæ instar bonorum patrimonialium defuncti hæredibus deferuntur, vid. Greg. *lib.7.c.12. de Rep.* & latè docet Vinc. Cabot. *lib. 1.c.9.c.12. disput.*

Primæ speciei electio ad quosvis, etiam extraneos, hæredes testamentarios adstricta, servilis & perniciosa est.

Sic Attalus Philometor Pergami rex, cùm liberis careret, populum Romanum testamento suo hæredem in regno suo instituit. Sic Augustus Cæsar Tiberium hæredem & successorem ex testamento in regno reliquit: Suet. Tranquil. in Tiberio *cap.24.25.* & in Augusto, *c.101.* Ptolomæus Alexander populum Romanum regni successorem instituit. Sic Rodolphus ultimus rex Burgundiæ, Conradum Imperatorem hæredem instituit. Sic plures alii, de quibus Pet. Greg. *d.c.12.* & Bodin. *lib.4.c.1.* statim post princip. de Repub. Cabotius *lib.1.c.8. disp. & 10.c.14.*

78 Alterius speciei electio adstricta ad defuncti familiam & progeniem, itidem est duplex: vel enim est alligata ad cujusque sexus masculini & fœminini homines: vel tantùm ad masculos hæredes.

In priori specie masculi agnati defuncti extantes, excludunt fœminas etiam proximiores in gradu. *lib.2.feud.tit.17. & tit.51.§. similiter.* & *tit.104.* Masculis nullis extantibus, admittuntur fœminæ, defunctum cognatione attingentes.

Dissentit Cabotius *li.1.disp.c.15.* ubi putat hoc generale esse in omnibus regnis in quibus fœminæ possunt succedere, ut mulieres ex recta linea descendentes masculis ex latere conjunctis præferantur, quod judicio Hispanorum confirmat. Sed

Sed prior sententia à Bodino approbatur, & proximè accedit ad legem Mosaïcam, *Num.cap.27.* & magis Reipub. consulit, cujus gubernationem in familia defuncti conservat, & ad aliam familiam non transfert, idque exemplo politiæ Judaïcæ, quæ omnium optima, *Deut.c.17.* & infra *num.81.* Sed hodie Cabotii sententia recepta est, nisi lex vel consuetudo extet, ut in casu nullis masculis extantibus, fœmina admittatur. Idem Cabot. *d.l.c.20. & c.21.*

79 Atq; talis est electio recepta hodie in regno Angliæ, Hispaniæ, Navarræ, Poloniæ & aliis. Choppin. *de doman.reg.lib.3. tit.1.* Lusitaniæ, Siciliæ, Neapoleos, Scotiæ, Sleidan. *in descriptione Galliæ.* Cabotius *lib.1.disp.c.15.* plurima exempla recenset & politias, in quibus etiam fœminas ad summum magistratum electas & admissas esse legimus. Sunt autem fœminæ quoque imperii & magistratus capaces, quando non sunt maritatæ, sed innuptæ. (Nam nuptæ jus hoc transferunt in maritum, cui & ipsæ subsunt ex lege divina.) Vide exempla *Judic.c.4.4. & seqq.* Danæ. *lib.6.polit.c.3.* Lipsius *lib.2.pol.* Petr. Greg. latè *lib.7.c.11. de Rep. in utramque partem disput.* Exempla hujus gynæcocratiæ alia vide *1.Reg.cap.10. Matth.c.12.42. Actor.c.8.27.* Plura alia recenset Greg. *d.c.11.* Dissentit Bodin. *lib.6.c.5. de Repub.* & plures alii, quorum argumenta refutat Greg. *d.loc.* Exempla mulierum malè administrantium & evertentium Resp. vide in Athalia, *2.Reg.c.11.* in Jesabel. & plura recenset Greg. Richt. *ax.polit.75.* Arnisæus *c.9.lib.1.polit.* & Thesaur. *polit.apotel.11. & seqq.* Tales fœminæ ad regni successionem vocatæ, nubentes, sibi soli regni procurationem retinere solent, earumque mariti regio nomine abstinere jubentur, solùm se principes regni vocantes. exemplis illustrat Cabotius *lib.2. disput.c.12.*

80 Electio adstricta ad masculos hæredes ejusdem familiæ & gentis, exclusis fœminis, tanquam inhabilibus & incapacibus regni, est, qua proximiores masculi ejusdem familiæ cum defuncto existentes, ad regni administrationem eliguntur.

81 Ita in politia Judaica, lege fundamentali ex familia Davidis reges eligebantur usque ad excidium Hierosolymorum sub Nebucadnezare: *Deut.cap.17.14.* ibi, E medio fratrum tuorum

tuorum ſtatuito ſuper te regem, non poteris tibi præficere extraneum, qui non ſit frater tuus. 20. ibi: Ut prolonget dies in regno ſuo, ipſe & filii ejus in medio Iſraëlis. *Geneſ.c.49.10.* Non auferetur ſceptrum à Jehuda &c. *1.Sam. cap.12.1.13. 1.Sam.c.7.12.13. & ſeqq. 2.Chron.c.21.7.c.23.3. Pſal.132.17. 1.Chron.c.28.23. & ſeqq.* ibi, Elegit me Jehova ex tota familia paterna mea, ut eſſem rex, &c. *2.Sam. cap.7. per totum. 2.Sam.c.3.17.18. c.5.1.2.3. 1.Chron.11.3. c.12.23.c.28. 1.Reg. c.11.36.c.12.1.2.3. 2.Reg.c.14.21. Pſal.132.11.12.* Nam eorum qui ex ſtrenuis & beneficis regibus ſunt nati, beneficia continuata, effecerunt regna hæreditaria in eadem familia. Exempla plura recenſet Greg. *lib.7.cap.16.* vide *Judic.cap.6. 17.18.*

82 Sic in politia Gallica, non niſi defuncti prioris regis proximiores maſculi, ejusdem cum defuncto familiæ & gentis, ex lege Salica ad regni ſucceſſionem vocantur. Hotoman. *de antiq.jure regni Gall. lib.1.c.14.* Heig. *quæſt.6.part.1.* Bodin. *lib.6.c.5.de Rep.* Philip. Honorius *theſaur. polit.part.2.apotel. 54.* Pruckman. *effect.3.6. abſoluta poteſtas. num.12. & ſeqq.* Cabotius *lib.1.diſp.c.16.* Tiraquel. *de jure primigen. quæſt.21.* & patet ex legibus fundamentalibus regni Gallici. Sic etiam in regno Hungariæ proximior maſculus ad ſucceſſionem admittitur ex familia; nullis maſculis extantibus, libera eſt electio relicta optimatibus regni, etiamſi filia, vel maſculi ex filia extent, ut teſtatur Sleidanus *in deſcript. Galliæ.* & Cabotius *lib.1.disput.c.16.in fine.* plura exempla recenſet Cabotius *d.lib.1.disp.c.16.*

83 In hac electione, quæ juxta leges regni fundamentales facienda eſt, ſecundùm ſucceſſionem hæreditariam ex anteceſſoris hæredibus, primogenitus ex legitimo matrimonio natus, cæteris excluſis, præfertur, ita tamen, ut reliquis ſuis fratribus talis relinquat & det, unde ſe honeſtè alere poſſint.

2.Chron.c.21.v.3. quod Galli Apennagium, quaſi abbannung/excluſionem ab imperio & regno vocant. Vide Tiraq. *de jure primig.* Greg. *lib.7.c.5. & lib.26.c.6. de Rep.* arg. *Gen. c.27.c.25.5.6. Deut.c.21.15. & ſeqq. Gen.c.49.3.4.5. 2.Chron. cap.21.*

c.21.1.2.3.4. & c.11.23. 2.Reg.c.12. 1.Chron.c.5.1.2.3. adde Judic.c.9. In relictis hisce, uſusfructus jus, filii reliqui accipiunt, & fiduciarium jus apud regnum remanet, cum ſuprema jurisdictione. Choppin. *de doman. lib.2. tit.5. & ſeqq.* Quam ob cauſam Appennagio huic annectitur pactum reverſionis, ut deficientibus maſculis, bona hæc fiduciaria ad regnum redeant, & cum patrimonio coronæ conſolidentur. Renatus Choppin. *d.loc.lib.1.tit.3. & lib.2.tit.3. & ſeqq.* argum. *tit.C. de donat. quæ ſub mod. l.1. l.2. ſi ager vectigal.* Ideo in hisce etiam fœminę non ſuccedunt. Cabot. *lib.1.diſp. c.16.* In Polonia & Dania ſi multi ſint regis defuncti filii, ex arbitrio procerum & ordinum idonei ad regnum eliguntur, ut teſtatur Sleidan. *d. loc.* de aliis refert Vincent. Cabotius *lib.1.diſp.c.10.*

Docuit.n. experientia, magis Reipub. paci & tranquillitati ſubditorum expedire, ut ad unum Reip. adminiſtratio devolvatur. Communio etiam diſcordiæ, qua res magnæ dilabuntur, patens eſt. Quod ſi tamen inſtar patrimonialium hæreditariorum bonorum adminiſtratio Reip. dividitur, ita ut ſecundùm regiones, vel provincias aut oppida, plures gubernatores illa recipere poſſit, ſolēt ex more & cōſuetudine quorundam locorū plures defuncti liberi admitti. Johan. le Cirier *de primogen. quæſt.14. lib.4. num.3.* Lancellot. *lib.1.c.2.§. 1. in templo om. jud.* Matth Stephan. *lib.2.part.1. c.5.num.60. & ſeqq. de jurisd.* Si verò regnum eſt individuū, quod eſt melius, tum obtinet quod dixi, ut primogenitus ſolus ſuccedat, & reliquis tantum det, quantum ad victum pro dignitate eorum ſufficit. Quamvis aliquando ob cauſas graves hæc ſucceſſio primogenitis debita, inverſa legitur, uti in Salomone, qui junior fratrib. ſuis grandiorib. prælatꝰ fuit à patre Davide, *1.Reg.c.1.* & Abija fratrib. majorib. natu prefertur, *2.Chrō. c.11.22. c.13.* vide Greg. *lib.7.c.4.* alia exempla vide *Gen.c.21. c.27.1.Chron.c.5.1.2.* Piſcat. *in c.21.2.Chron.* putat, hanc legē de jure primogenitur̄ ceremonialem olim fuiſſe, & hodie aptiorē ex liberis in regni adminiſtratione reliquis ſuis fratribus eſſe præferendum. In quam ſententiam etiam inclino, quando nulla lex regni fundamētalis, vel pacta obſtant. Plura exempla, pſana, in diverſis politiis, de ſecundogenitis, vel de minimis natu filiis, vel magis idoneis, qui ex patris regis vel populi judicio ad ſucceſſionem in regno vocati ſūt, tradit

Vincent. Cabotius *lib. 1. cap. 10. disputat. & cap. 11.*

Constat etiam ex annalibus Gallicis, Hispanicis & Anglicis, aliquando secundogenitum, imò & agnatum primogenito ab ordinibus regni prælatum fuisse in regni successione. Cabot. *d. loc.*

85 Atque talis primogenitus eligendus, etiamsi forte ille surdus, mutus, vel diversæ dissimilisve religionis esset, vel alio modo inhabilis ad imperandū.

Greg. *d. lib. 7. c. 6. & lib. 26. cap. 5. de Rep.* arg. *2. Reg. cap. 15. 2. Chron. cap. 26. 21.* & aliorum exemplorum quæ refert ibidem. Nec Saul ob furorem fuit regno privatus, *1. Sam. 16.* neq; Ozias rex Judæ, ob elephantiasin, *2. Chron. c. 26. 2. Reg. c. 15. 5.* nec Salomon ob pueritiā rejectus, *1. Reg. c. 7.* nec Josias, *2. Reg. c. 22. 1. 2. 2. Chron. c. 34. 1.* neq; Joas, *2. Chron. cap. 24. 1.* Huzias, *2. Chron. cap. 26. 1. 2.* Menasse, *2. Chron. cap. 33. 1.* neque Jehoacim, *2. Chron. cap. 36. 9.* Adde Choppin. *de doman. lib. 3. c. 5.* Vid. Danæ. *lib. 6. c. 3. polit.* Semel enim populus, lege tali latâ, se magistratui, & hujus successoribus & posteris obligavit, & istius posteros in lumbis parentis elegit. A quâ factâ promissione sine justitiæ & fidei violatione recedere non potest, arg. *Jos. cap. 9. 2. Sam. c. 21. & 2. Reg. c. 24. 20.* etiamsi eligendus à vera religione esset alienus, arg. *Jer. c. 29. 7. 2. Reg. c. 24. 20. & 1. Cor. c. 7. 39.* Greg. *lib. 7. cap. 6. & c. 10.* Bod. *lib. 6. c. 5.* Greg. latè *lib. 26. c. 5.* Danæ. *lib. 6. c. 3. polit. & lib. 3. c. 6.* Johan. Lecirier *de primogenit. lib. 3. quæst. 13. & 14.* Lancellot. *lib. 1. c. 2. §. 1. quæst. 1.* Est enim contractus primò voluntatis, postea necessitatis, *l. 17. commod.* Deus etiam regnum Israëlis ideò, quòd à familia Davidis defecerat, continuis bellis civilibus punivit, *2. Reg. c. 15. & 17.* & ideò Hiskias rex, quòd defecerat ab Assyrio, reprehenditur, *2. Reg. c. 18.* Quò pertinent etiam rationes, quas pono num. 88.

86 Sed quid fiet cum ejusmodi ineptis successoribus? Tum horum filii, si idonei, *2. Reg. c. 15. 5. 7.* vel proximi horum agnati vel cognati tutores & curatores, uti jure præcipitur, horū esse debent in regni administratione, qui feliciùs sæpe regnant, quàm ipsimet principes etiam idonei. Greg. *d. lib. 26. c. 5.* exemplis historicis confirmat, arg. *2. Reg. c. 15. 5. & lib. 1. feud. tit. 36. Danæ. d. lib. 6. c. 3.* ubi exemplis aliis illustrat, vel alii ab ephoris regni administratores sunt constituendi, ut su-

ut suprà diximus. Lancellot. *lib. 1. cap. 2. §. 1. in templo omn. judic.* Vid. *cap. 38. n. 69.*

Quòd si diversæ sit religonis ejusmodi princeps, qui ad capescendum regnum vocatur, tum ordines operam dabunt, ut in vera & orthodoxa religione informetur: aut si hoc fieri non potest, obligabunt eundem ad concedendum exercitium religionis sinceræ cæteris membris regni: uti in politia Germanorum, Poloniæ, Galliæ, Angliæ & Sueciæ fieri videmus. 87

Mala & incommoda, quæ proveniunt ex immutatione primogenituræ, refert Greg. *d. lib. 7. c. 7.* qui *d. lib. 7. c. 10.* adeò jus primogenituræ asserit, ut si defunctus ex filio primogenito relinquat nepotem & alium filium superstitem, nepos tamen ille huic patruo suo sit præferendus; quod exemplis & rationibus comprobat; quod multis quoq; præjudiciis Cameræ Imperialis doceri potest. Hotom. *quæst. illust. 3.* Bod. *lib. 6. c. 5.* & Bulla Caroli IV. in electoribus observandū esse præcipit. Ejusmodi electionē legalē Greg. *lib. 7. c. 4. de Rep.* cæteris præfert. Nam hoc modo, dicit, multa incommoda, seditiones, tumultus, ambitiones, insidiæ, aliáve pericula evitantur, & occasio novorū tributorum & exactionum præciditur, & vivens princeps, seu magistratus, de successoris sui filii commodis prospicit & consultat, corruptiones etiam eligētium præcaventur, & interregnum, quo Resp. sine principe & gubernatore, tanquam navis sine rectore fluctuat, in medio mari sine navarcho, submersioni ad primum tempestatis subortæ impetum obnoxia, repleturque Resp. homicidiis aliisque sceleribus. 88

Præterea ex mutatione Principum alterius generis facilè quoque regni fit mutatio, quod transit in alienam familiā, nomen & formam. Detrimentum Resp. capit ex mutatione, qua ærarium & jura Reip. imminuuntur. Nā dum vident electi, non continuandum iri principatum in familiam suam, patrimonium Reipub. exhauriunt. Fraudes igitur, insidiæ, corruptiones imperantium, quibus principatum in liberos suos transferre student, certæ futuræ sunt, ex quibus periculum Reip. certum creatur: quæ exemplis illustrat

Greg. *d. loc.* & Lipſ. *lib. 2. c. 4. polit.* ubi concludit, pacatiorem & ſecuriorem hanc eſſe rationem. Nam certum habere ſucceſſorem ex ſe progenitum, firmat imperium, aliorumque ſpem & audaciam cohibet, quod Auguſtus perpendit in ſucceſſoris adoptione: Vide Scip. Amirat. *lib. 1. diſcurſ.* & quod omiſſum Alexandri Magni imperium poſt mortem illius evertit, & regna multa direptioni expoſuit. Duobus hæredibus exiſtentibus, priùs alter removendus eſt, quàm alter hæres nominandus. Solet enim vulgus orientem ſolem potiùs, quàm occidentem adorare. Et ſuſpectus ſemper inviſuſque eſt dominanti, quisquis proximus deſtinatur, ut ait ex Tacito Clapmar. *de arcan. Rerump. lib. 3. c. 10.*

89 Ob has cauſas in hac electione uſitatum eſſe videmus, ut filii regum, à parentibus ſuis vivis proreges & vicarii creentur, quibus juramentum fidelitatis ſubditi præſtant. Sic David in vita ſua filium Salomonem regem conſtituit, *1. Reg. c. 1. 20. 35. 43.* Sic Achabus Joaſchi, *1. Reg. cap. 22. 26.* & Romani Cæſares Auguſti in vivis ſucceſſores creabant, uti Auguſtus Tiberium & hic Caligulam, & plures alii. Vide Tiraquell. *de jure primigen. q. 21.* Cabotium *lib. 1. diſp. c. 13.* Hodie rex Romanorum, Cæſari, conſenſu Imperii, ſuccedit. Infantes Hiſpaniarum, qui vocantur, regibus Hiſpanicis; Delphini qui vocantur, Gallis; in Anglia princeps Normanniæ & Walliæ, ut teſtantur annales horũ populorum, Bodin. *lib. 6. c. 5.* Vinc. Cabot. *lib. 1. diſp. c. 11. & c. 13.* Lancell. *in templo omn. judic. c. 2. q. 1. & 16.* Matth. Steph. *lib. 2. part. 1. c. 2. n. 20. & ſeqq. de jurisd.* Quamvis hoc in caſu, duo periculoſi eventus præcavendi: ne ſcilicet deſignatus ſucceſſor in ſuum anteceſſorem ob regnandi cupiditatem quid moliatur, ut docet exemplũ Jeroboami, *1. Reg. c. 11. 29. 30. 31. 32. c. 12.* Cazaëlis, *2. Reg. c. 8. 12. 13. & ſeqq.* Tiberii, Henrici primi, Imp. Ottomannorum Turcicorum. Deinde præcavenda populi inconſtantia & periculum. Nam ille ſolem orientem magis, quàm occidentẽ adorare ſolet. Heigius *lib. 1. q. 6.* ubi triplicem cautionem adhibendam eſſe ſuadet. Hi vicarii poſſunt vocari κατ' ἐλπίδα reges, argum. *l. in ſuis. de lib. & poſtum.* talis fuit David, *1. Sam. c. 25. 25. 30.* Sed apud quosdam mos fuit, ut non filius, ſed frater regis ad regnum vocaretur. Cabotius *d. cap. 11.* & Buchananus *lib. 6.* rerum Scotic. legẽ hanc de primogenitis repudiat.

Sed

Sed tamen ideo in hisce hæreditariis regnis electio populi non excluditur. *2. Reg. c. 14. 21.* Tunc aſſumentes totus populus, &c. *1. Reg. c. 12. 1. 2. 1. Chrõ. c. 28. 1. Chron. c. 29. 22. 23. 24.* 90
1. quando anteceſſor de hac nihil conſtituit. *2. Chron. c. 33. 25.* ibi, Et regem conſtituerunt populus regionis Joſiam filium ejus pro eo. Sic & Rechabeam jure ſucceſſionis ex familiâ Davidis vocabatur ad regnum; quem tamen nihilominus populus elegit, *1. Reg. c. 12. 1. 2.* ſicuti & alios, *2. Reg. c. 14. 21.* Unde in Salomonis cõſtitutione præcedit, primò Dei electio, *2. Chron. c. 1. 9. 1. Chro. c. 28. 5. 6. 7. 8. c. 29. 1.* ſequitur deinde patris, *1. Reg. c. 1.* & tandem populi electio, *1. Chron. c. 28. 22. 23. 2. Chron. c. 22. 1. 2. & c. 36.* Ratio eſt, quia non tam à defuncto patre, quàm à conſociatione univerſali regnum accipit electus. Hoc etiam utilius & conſultius magiſtratui, ideò, quòd talis populo gratior & exteris venerabilior eſſe ſoleat, cui multò minùs obedientia denegari poteſt, arg. *Deut. c. 16. 18.* Unde factum puto, quòd etiam in hoc caſu, populus, ſeu membra regni, ſibi electionem reſervarint, ut liceat ſibi ex pluribus defuncti magiſtratus liberis, vel tota familia, eligere quem maximè idoneum ad regni adminiſtrationem judica verint. Sed tamen & hîc parentis regis decedentis diſpoſitio & electio attenditur. Sic enim & David ex omnibus ſuis liberis Salomonem ſucceſſorem ſibi elegit, *1. Reg. c. 1. cap. 2. 1. Chrõ. c. 28. 29.* & plures alii de, quibus Cabotius *d. c. 10.* & late *c. 13.* Quòd ſi verò princeps ſine hærede & ſucceſſore moritur, libera eſt comitiorum regni poteſtas, quâ, quem velint ſibi regem eligere, poſſint. Sic mortuo Romulo, patres vocatâ concione & comitiis inſtitutis, juſſerunt tribus & curias de Rep. ordinandâ diſpicere, ſive regibus ſive magiſtratibus annuis mallent ejus curam credere, quod defuncto Numa, & Tullo Hoſtilio, & Anco Martio factum eſt. Halicarn. *lib. 2.* & Liv. *lib. 1.* vid. *cap. 38. num. 69.*

Ex his conſtat, falſam eſſe Barclaii ſententiam, 91
contendentis, jus Imperii ſuâ naturâ ad hæredes regis transire. Contrariũ probat exemplum Moſis, Joſuæ, Judicum, Samuëlis, & regum Iſraëliticorum, ut omittam profanas hiſtorias. Eſt enim induſtria perſona hîc electa. Verùm hoc limi-

tandum, ut dixi, in quibus aliud ex lege fundamentali regni est receptum, *Deut. d. cap. 17. 15.* Neque verum est, quod idem Barclajus docet, cessare electionem, ubi talis, quam dixi, lex fundamentalis est, ut docent exempla contraria paulò antè relata. Imò hac in re Barclajus habet contradictorem, Cabotium, *lib. 1. disp. c. 13.* ubi ex historicis Galliæ probat, etiam Galliæ reges, quamvis jure hæreditario antecessoribus suis succederent, tamen procerum regni suffragiis electos fuisse.

92 Inauguratio (*quæ & coronatio dicitur*) magistratus est, quâ ille electus à magnatibus, post præstitum juramentum, de regno secundùm leges præscriptas administrando, Dei nomine invocato, coram toto populo, publicè, *1. Chron. 28. 1. 1. Reg. c. 1. 39. & seqq.* confirmatur & proclamatur magistratus, & traditione atque oblatione insignium regni, & symbolorum consuetorum (*quibus regni administratio repræsentatur*) in possessionem regni inducitur & mittitur, atque acclamatione populi faustâ & gratulatione salutatur summus magistratus.

93 Est ergo inauguratio, quasi renovatio electionis præcedentis, & confirmatio solemnis ad autoritatem magistratui stabiliendam, & personam ejus omnibus & singulis notam faciendam.

Nec enim inauguratio aliquid novi electo magistratui summo tribuit. Lupold. de Babenberg *de jure regni cap. 16. cap. 6.* Matth. Stephani *lib. 2. part. 1. c. 1. n. 125. & sequentibus. de jurisd.* De coronatione hac latè Lancell. *lib. 1. cap. 1. §. 1. n. 9. & seqq.* dissentit Rossæus *cap. 3. n. 3. de justa Reip. Christ. auth. in reges*, sed malè. Exempla inaugurationis hujus videre licet *1. Sam. cap. 12. vers. 1.* ibi, Eamus Gilgalem, ut renovemus ibi regnum, & *v. seq. 2. Sam. c. 2. v. 4.* Porrò de in-

de inauguratione Regis vide *1. Samuel. cap. 10. 24.* Tum dicit Samuel toti populo: Videtisne, quem elegit Jehova, non esse ei similem in toto populo? Tunc vociferantes totus populus, Vivat rex &c. *Num. cap. 27.* Sicut præcepit Dominus, statuit Moses Josuam filium Nun coram Eleazaro sacerdote & omni frequentiâ populi: & impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus. *1. Reg. cap. 1. 39.* Et Tzadok sacerdos accepto cornu olei è tentorio, unxit Salomonem, & clangentes buccina, dicebant totus populus, Vivat rex Salomo. *40.* Ascendebat autem totus populus post eum, & ipse populus canebant tibiis, lætabantúrque lætitiâ magnâ, adeò ut finderetur terra præ voce eorum, *41. 47. 48. 2. Reg. cap. 11. 12.* Produxit Jehojada filium regis, & imposito ei coronamẽto, idq; cum testimonio, constituerunt eum regem, unxerunt eum & complodentes volis dicebant, Vivat rex. *17.* Tunc pepigit Jehojada fedus inter Jehovam & inter regem ac inter populum, ipsos fore populum Jehovæ: & inter regem & inter populum: *2. Chron. c. 23. 11. Mat. c. 27. 28. 29. & seqq. 2. Reg. c. 9. 1. Sam. c. 12. 1. 15. c. 10. 24. & c. 17. 2. Chron. cap. 12. 38. & seqq. 1. Chron. 29. 22. 23. 1. Reg. cap. 1. 31. 47. 48. 1. Chron. cap. 11. 3.* Venerunt quoque omnes seniores Israëlis ad regem Chebronem, quibus cum pepigit David fedus Chebrone coram Jehova; & unxerunt Davidem in regem super Israëlem secundum verbum Johovæ per Samuelem. Et *cap. 12. 40. 2. Sam. c. 2. 4. & c. 5. 1.* Quò advenientes homines Judæ, unxerunt ibidem Davidem in regem &c. De unctione aliorum regum vide Greg. *lib. 6. c. ult. & lib. 8. c. 2. nu. 11. 12. 13. de Repub.* Choppin. *de doman. lib. 3. tit. 8.* Rossæ. *d. loc. cap. num. 3.* ubi de unctione Galli, Pannonii Boëmi, Hispani, Poloni, Dani, Navarri, Britanni, & aliorum agit, à quibus & quo in loco fiat.

Symbola ejusmodi & insignia, quibus regni 94
administratio tradita repræsentatur & significatur, pro regni cujusque arbitrio & consuetudine varia sunt, plerunque verò corona, fascia, pileus, diadema, sceptrum, gladius, hasta, globus, liber federis & legis, *Deut. cap. 17. 18. 19. 2. Reg. c. 11. 12.* claves, securis, virgarum fasces, baculus, amictus & vestitus pur-

pureus, holosericus, regius, & si qua sunt similia, pro more cujusq; regni. Atq; hîc est etiã usitata salutatio, in templum deductio, prælatio insignium.

Latè Chassan. *part.5.cat.glor.mundi.* Greg. *lib.6.c.20.n.8. 9.10.11.19.20.21. & seqq.* Choppin. *d.loc.* Lancel. *lib.1.§. vestium &c. in templo omn.judic.* Rossæ. *d.loc.cap.2.num.3.*

95 Ab hoc inaugurationis & initiationis tempore cujusque summi magistratus Imperii anni computari & numerari solent.

Exemplum extat in Romanis Imperatoribus, rescriptis & indultis suis tempus regnorum suorum & inaugurationis suæ subscribentibus. Quamvis etiam statim post electionem ante coronationem Cæsari plenum Imperii gubernaculum competere communi opinione receptum sit. Pacian. *de prob.lib.2.c.35.num.32. & seqq.* Molinæ. *in consuet. Paris. tit.1.n.73.* Lupold. de Babenb. *de jure regni.c.5.c.6.c.7.c.12.* Ideo privilegia & jura ante inaugurationem concessa ab eo, valent. Lupold. *d.loc.c.13.* Pet. de Andl. *in tract. de imp. Rom. c.5.* Paurmeist. *lib.2.c.4.n.4.de jurisd.* Matth. Stephan. *lib.2. part.1.c.1.n.123. & seqq.* qui hac de re Ludovici Bavari Cæsaris constitutionem refert. Vid. bullam aureã *tit.2.§.ult.* latè Lancellot. *lib.1. cap.1.quæst.4.* qui latè disputat in utramque partem & distinguit. Dissentit Guil. Rossæ. *c.3.n.35.d.loc.* ubi legitimos reges ante inaugurationem non agnoscit; sed malè.

96 De variis ritibus & formulis creandi, vel investiendi, initiandi & inaugurandi magistratus, vide Alex. ab Alex. *lib.1. gen.dier.c.28.* Pet. Greg. *lib.6.c.20.de Rep.* De inauguratione Josuæ vid. *Num.cap.27.18.19.* Saulis, *1.Samuel.c.10.1.2.* Davidis, *1.Sam.c.16.11.12. 2.Sam.c.2.4.* Salomonis, *1.Reg.c.1.38. 39.* Jehu, *2.Reg.c.9.2.3. Exod.c.4.* virga Mosi à Deo traditur. & *Num.cap.27.* ubi manus Josuæ imponitur, salutatio cum reverentialibus ceremoniis: Matth. *cap.27.27. & seqq. 2.Reg.cap.11.12. Esth.cap.6.7. & seqq. 1.Sam.c.10.1.40. & cap. 16.14. 1.Chron.c.29.22. & seqq. 2.Sam.c.2.4. 1.Macch.c.10. 18. & seqq.* De ceremoniis & ritibus usitatis in electione & renuntiatione Imp. Germanici, de loco illius, modo & forma, vide bullam auream Caroli IV. *c.24.25.* Ren. Choppin. *lib.3. tit.8.lib.2.tit.2.de doman.*

Inau-

Inaugurationem & renuntiationem hanc sequuntur convivia publica, & solemnis lætitia & alia solemnia pro more regni cujusque.

1.Chron.cap.29.22. & seqq.c.12.40.1.Reg.c.1.18. & seqq. 2.Sam.cap.5.1.2.3. 2.Chron.c.23.11. & seqq.c.1.1.2. & seqq. 2.Reg.c.11.12.13. Plin. in paneg. in Trajan. Primus ingressus principis in urbes lætus ac festus esse debet, & congiarium beneficiumque populo tunc est dandum. Vide Greg. *d.lib. 6.c.20.de Repub.*

Creatis & unctis regibus & magistratibus, Deus occultam quandam majestatem, & quasi majorem statum indere solet, quo mirabilis & augusta excellentia, dignitas, veneratio & existimatio eorundem redditur. 97

Greg. *lib.8.c.3.* probat ex *Exod.c.34.29. & seqq. Num.c.11.* Vide exempla, *Num.c.27.18.19.20. 1.Chron.c.29.25.* Magnificabat enim Jehova Salomonem summè, ante oculos totius Israëlis, indens ei majestatem regiam. *& c.14.17.* Ideo Saul dicitur in alium virum mutatus post electionem & inaugurationem, *1.Sam.cap.10.* & Davidis persona post inaugurationem augustior est facta, & accepit spiritum à Deo, *1.Sam.c.16.* adde *Judic.c.6.34. & seqq. Judic.c.3.10.* Cui cùm insideret spiritus Dei, vindicavit Israëlem. *& v.15. Jos.cap.4. 14.* Die isto magnificavit Jehova Josuam in oculis omnium &c. *Deut.cap.ult.9.* Erat autem Josua filius Nunis plenus spiritu sapientiæ, cùm imposuisset Moses suas manus ei &c. *Exod.cap.19.9.10. Hag.c.1.14. 2.Sam.c.19.28.c.14.21. Exod. cap.34.29. & seqq. Num.cap.11.17.25.26.27.28.29. 1.Sam. cap.10.6.9.26 cap.11.cap.16.14. Jud.cap.6.34.* Majestatis hujus impressæ exempla refert Valerius *lib.2.cap.10.* & Plutar. in vita Marii, & Suet. in vita Vespas. *cap.7.* Quidam Magistratus sibi intolerabilis superbiæ ac vanitatis titulos usurpatunt, *Dan. cap.6.8.9. cap.2. cap.3. cap.4. 2.Chron. cap. 32.13. & seqq. 2.Reg.cap.18.cap.19. 2.Mach.c.9.8.13.c.11.23. 24. Judic.cap.3.c.5.29.c.6. Actor.c.12.* Vide Pet. Greg. *lib.6. cap.10.cap.11.c.12. de Repub. & lib.8.c.3.d.lib. de Repub.* Læl. Zechus *lib.1.cap.6.n.9.* Greg. Richt. *ax.polit.8.* qui exempla referunt.

98 Gerunt verò & repræsentant hi summi Magistratus personam totius regni, omnium subditorum & Dei, à quo omnis potestas. Gerunt quasi typum divinæ potentiæ, majestatis, gloriæ, imperii, clementiæ, providentiæ, curæ, protectionis & gubernationis. Ideò in suis titulis utuntur, Nos gratiâ Dei; formuláve simili aliâ.

Unde fit, ut licet deficiat persona regis, tamen in successore maneat eadem significatio. Tiraquel. *tractat. de primogen. quæst. 35. n. 22.* Peregrin. *de jure fisci. tit. 1. n. 37.* Pruckman. *§. soluta potestas. c. 4. memb. 2. eff. 2. n. 10.* quæ semper repræsentat regnum. Pruckman. *d. loc. n. 11. 12. & seqq.*

99 Solent etiam quidam magistratus insignia quædam particularia sibi eligere, vel adsumere, aut, quod usitatum hodie, regni illius, à quo sunt inaugurati, insignia solita usurpare, unà cum propriis, quæ ante adeptum regnum habuerunt.

100 Ejusmodi insignia sunt notæ quædam, vel literę hieroglyphicæ, breviter & compendiosè sculptæ, pictæve. Vide Greg. *lib. 6. c. 16. c. 17.* & Munster. *in Cosmogr.* Chassan. *in catal. glor. mun.* & in Herman. *contract. histor.* Nicol. Reusner. *de insignib. Imp.* à quibus varia variorum magistratuum insignia referuntur. Romani Imperii insignia sunt aquila; regni Gallici lilia; regni Atragonici turris; Belgicarum unitarum provinciarum manipulus virgarum; Angliæ rosa cum leone; & alia aliorum. Tribus Ruben vexillum figuram hominis, Judæ leonis, Ephraim bovis, Dan aquilæ habuisse tradunt. Quidam principes singularum provinciarum, quæ imperio eorum parent, insignia conjuncta sibi usurpant.

101 Talis electus & inauguratus summus magistratus, approbatione & confirmatione summi Pontificis non eget: Lupold. de Babenb. *de jure regni cap. 8.*

Magi-

Magistratu summo mortuo, tempore interregni 102
ex ephoris constituendus unus, vel plures, quibus
cura imperii gubernandi incumbat, donec novus
alius magistratus summus eligatur.

Sic mortuo Cæsare, Palatinus Rheni, & Saxoniæ princeps, electores, vices Imperatoris Romani in omnib. & per omnia obtinent. Aurea bulla *tit. 5.* Rosenthal *de feud. c. 12. conclus. 5. n. 2.* Schrader. *part. 4. c. 1. n. 175. & seqq. de feud.* Apud Judæos soli ephori tempore interregni imperarunt: *Judic. c. 21. 16. 17. 20. 22. Hesr. a cap. 10. 4. 5. 6. & seqq. Neh. c. 5. 14. 15.* Vide suprà *c. 18. n. 87. & seqq.*

Sic itaque constitutio summi magistratus electione & in- 103
auguratione perficitur. Barclajus contrà *lib. 3. c. 3.* de regno & regali potestate, electionem & constitutionem regis à se invicem separat. Aliud enim est, dicit, constituere reges, aliud eligere; alia potestas eligendi, alia constituendi regem: quam sententiam etiam amplectitur Zepperus *de leg. Mos. lib. 3. c. 7.* Electio, ait Barcl. Dei est, constitutio populi, *Deut. cap. 17. 15.* Ego eandem esse potestatem & facultatem eligendi & constituendi regis arbitror, jure gentium cuivis universali con- 104
sociationi concessam, *l. 5. ex hoc jure. ibi, discreta gentes, regna condita. de justit. & jure.* ubi Dd. *Deut. cap. 17. 14.* ibi, Statuam super me regem, sicut omnes gentes, quę circa me & ç. *1. Sam. c. 8. 5.* & latè probat Fern. Vasq. *lib. 1. c. 47. illust. per d. l. 5. & l. 1. de constit. princip. l. si id 64. de condict. indeb. & per alleg. ibidem.* Ita plurimas gentes sibi reges elegisse & constituisse, sacra historia meminit in lib. Josuę, Judicū, Regum & Chronicorum. In politia Judaica & populo ejus, quem Deus sibi 105
elegerat, aliquando electio & cōstitutio regum penes Deum erat, uti Judicum: *Num. c. 27. 13. & seqq. Deut. c. 17. 14. 15. c. 31. 7. 8. Judic. c. 3. 9. 10. 11. 15. & seqq. c. 6. 11. 12. & seqq.* Quandoq; electio & constitutio & Dei & populi fuit: sic Saul à Deo eligitur in regem, *1. Sam. cap. 9. 15. 16. & seqq. c. 15. 1. 2. 11. 17.* & etiam à populo eligitur, *1. Sam. c. 10. 19. & seqq.* Sic & David à Deo eligitur, *1. Sam. c. 16.* & à populo, *2. Sam. c. 2. c. 5.* Sic & Jehu à Deo & populo eligitur per prophetam, *2. Reg. c. 9. 6.* Sic Salomo à Deo, patre Davide, & à populo eligitur & constituitur rex, *1. Reg. c. 1. 33. & seqq. c. 3. 7. c. 5. 5. 1. Chron. c. 28. 4.* Reliqui reges sequentes omnes ferè immediatè à populo,

seu subditis suis ex familia Davidis, prout Deus mandaverat, sicuti suprà diximus, reges sunt electi & constituti, ut in libris
106 Regum & Chronic. exponitur. Sed & aliâs à populo reges constituti, vel electi, per hoc ipsum à Deo, tacito ipsius jussu & permissu electi, & ad solium regale & sceptri dignitatem evecti esse dicuntur. *Rom. c. 13.* ibi, Nō est potestas, nisi à Deo. *Prov. c. 8.* ibi, Per me reges regnant &ç. *Matth. c. 26.* ibi, Non haberes in me potestatem ullam, nisi desuper tibi data esset. *Prov. c. 28. Job c. 34.* Sic Nebucadnezar à populo ad solium regale evectus, à Deo electus & constitutus dicitur, *Dan. c. 2. 37. 38. c. 4. 25.* ibi, Cui vult dare regnum illud. & *v. 32. & 36.* & Belsazar, *Dan. c. 5. 18. 19.* Sic Joseph à Pharaone præses regni constitutus, *Gen. c. 45. 8. 9.* Vide Vasq. *lib. 1. c. 20. illust. cont. &*
107 *c. 21. n. 9. 10. 11.* & in præfat. *n. 113. 114. 117. 118.* Quòd si electionem regis, pro designatione & nominatione illius, & constitutionem regis pro ejusdē inauguratione & confirmatione acceperis, fateor hęc inter se diversa, & à diversis peragi posse. Sic Saul à Deo eligitur, & à populo confirmatur, *1. Sam. c. 10. 17. & seqq. & c. 11. 14. 15.* Sic David à Deo eligitur, & in regem ungitur, *1. Sam. c. 16. 1.* & postea à populo ungitur, *2. Sam. c. 2. 4. c. 5. 1. 2. Sam. c. 16. 17. 18.* Sic David eligit Salomonem filium regem, *1. Reg. c. 1. 30. 1. Chron. c. 28. 5.* quem populus postea in regem ungit, *1. Chron. c. 29. 22. 23. 24.* & alibi electio & constitutio atq; inauguratio ab eodem peraguntur, *2. Reg. c. 14. 21. 2. Chron. c. 26. & c. 36. 1. 2. Reg. c. 11. 12. & c. 8.*

CAPUT XX.

De promissione obsequiorum & homagio.

1 *Obsequiorum promissio quid.*
2 *Juramentum, quod panagium dicitur, & quatenus se extendat.*
3 *Conditiones promissorum obsequiorum.*
4 *Exempla hujus promissionis.*
5 *Homagium quid sit.*
6 *Magistratus potentia, prudentia & scientia unde.*
7 *Artificiales operæ magistratui debitæ, & quales.*
8 *Subditi, quare ministri, famuli, servi magistratus dicantur.*

9 *Mancipia magistratus, non sunt subditi.*
10 *Obsequiales operæ in obedientia & reverentia.*
11 *Obedientiam in homagio subditi promittunt magistratui etiam scelerato, & n. 14.*
12 *Quousq; se illa extendat.*
13 *Reverentia magistratui debita, etiam impio, n. 14.*
15 *Preces subditorum pro magistratu.*
16 *Defensio magistratus contra aliorum injurias & vim.*
17 *Appellationes variæ magistratus, ab officio illius, & obedientiâ illi debitâ sumptæ.*
18 *Subditi tenentur ad contributiones.*
19 *Subditorum rebellio quomodo punienda.*
20 *Magistratus tyrannis.*
21 *Obligatio inter subditos & magistratum reciproca, ejus & natura.*
22 *Obsequia in subditorum animis, quomodo confirmanda.*

SIc itaque se habet commissio, primum membrum constitutionis summi magistratus: sequitur nunc de altero, de obsequiorum scil. & obedientiæ promissione.

Obsequiorum & obedientiæ promissio, quæ electionem & inaugurationem sequitur, est, quâ membra regni, seu populus per ephoros suos, & ephori suo nomine, magistratui demandatam administrationem Reip. suscipienti, & piè ac justè imperaturo, officiumque suum facturo, promittunt in iis, quæ non pugnant cum lege Dei, & jure regni, fidem, obedientiam, obsequium, & quæcunque ad regni administrationem illi necessaria sunt futura. 1

Promissio hæc, si juramento confirmatur, dicitur verbo Græco panagium, hoc est, commune jusjurandum, aut omnium juramentum, quod magistratui post electionē ejus subditi præstant. Ut dicit Covar. *in c. quamvis. in princ. de pact. in 6.* Juramentum subjectionis ab aliis dicitur. Vide Rosenth. *de feud. part. 1. cap. 6. concluſ. 85.* Knich. *de jure territorii cap. 3. num. 161. & seqq.* Germanicè vocatur die 2

Huldigung. Hoc juramentum ſubjectionis, non ſolùm ob res, vel bona, quæ quis in loco habet, ſed etiam reſpectu perſonæ præſtatur. Geil. *lib.2.obſ.35.n.2. & de pign. lib. obſ.15. num.15.* Roſenth. *d.loc.*

3 Fit ergo à populo obedientiæ & obſequiorum promiſſio ſub conditione tacitâ, vel expreſsâ, ſi magiſtratus juſtè & piè eſt imperaturus. Jun Brut. *de vindic.cont.tyran.quæſt.3.* Atq; ſub tali conditione etiam Deus regnum, ejusque adminiſtrationem regibus Iſraëliticis in politia Judaica deferebat, ſi nimirum in viis Domini ambulaturi, & juſtè & piè regnaturi eſſent. *Pſal.132.11.12. 2.Chron.c.6.16. 2.Sam.c.3. 1.Reg.c.11. 37.38. Pſal.89.30.31.* Vide rationes, quas poſui *c.38.* infrà de tyrannide, ejusq; remediis.

4 De hac obedientiæ, fidei & obſequii promiſſione extat *1.Chron.cap.22.v.20.* Deinde præcepit David omnibus principibus Iſraëlis, ut juvarent Salomonem filium ſuum &c. *1.Chron.cap.29.verſ.24.* omnesque principes & robuſti, ac etiam omnes filii regis Davidis dederunt manum, ſe fore ſubditos regi Salomoni. Et *Joſ.cap.1.16.* Qui (populus) reſponderunt Joſuæ, dicendo, Quicquid præcepiſti nobis, faciemus, & quocunque miſeris nos, ibimus. *17.* Omnino ſecundùm ea, quibus auſcultavimus Moſi, ſic auſcultabimus tibi; tantummodò ſit Jehova Deus tuus tecum, quemadmodum fuit cum Moſe. *18.* Quisquis rebellaverit præſtituto tuo, & non auſcultaverit verbis tuis in omnibus, quæ præceperis ei, morte plectitor, tantummodò confirmare & fortis eſto. *2.Sam.cap.16.18.* Dixit verò Chuſai Abſolomo: Nequaquam; quem enim elegit Jehova, & hic populus omnes Iſraëlitæ? non eſſem ejus, ac cũ eo manerem. *19.* Secundò, cui ego ſerviero? nónne coram filio ejus? quemadmodum ſervivi coram patre tuo, ſic futurus ſum coram te. Et *1.Sam. cap.11.1.* Tandem dixerunt omnes cives Jabeſchi Nachaſco, Pange nobiscum fedus, ut ſerviamus tibi. 2. Quibus dixit, Hac lege pangam vobiscum &c. *Joſ.c.9.6.7.15.16. 1.Macch. cap.1.43. & ſeqq. Joſ.cap.1.16.17.18.*

5 Juramentũ hoc, quod magiſtratus primùm ſubditis jurat, & deinde ſubditi magiſtratui præſtant, Matth.Steph. *de jurisd.part.1.c.7.n.264. & ſeqq. lib.2.* Bodin. *lib.1.c.8.de Rep.* vocatur propriè homagium, ab ὁμὸς

ab ὁμῦ quod eſt ſimul, & ἄγιον ſacrum, quaſi commune ſit ſacrum, ſeu commune juramentum. Qui juramentum hoc præſtiterunt, vocantur ſubditi fideles, Germanicè Liebe/ getrewe vnd gehorſame vnderthanen. Geil. *de arreſt.c.7.n.13.* Vide Roſenthal *de feud.part.1.c.6.concl.37. & 85.* Knich. *de jure territorii c.3.n.170. & ſeqq.* Hotom. *de feud. c.32.* & Covar. *in c.quamvis.de pact. in 6. relect.part.1.§.1. in princ.* Pacian. *lib.2.cap.37.n.25. & 47. & c.40.n.5.6.de prob.*

Propter hanc fidem, obſequia, miniſteria, auxilia 6
& conſilia, quæ populus ſummo ſuo magiſtratui promittit & præſtat, dicitur ille habere innumeros oculos, aures, longas manus, celerrimosque pedes, quòd quaſi populus univerſus ei ſuos oculos, aures, vires & facultates in Reipubl. uſum accommodet. Unde potens, robuſtus, dives, prudens, & multarum rerum conſcius magiſtratus dicitur, & totum populum repræſentare.

Unde ſcribendi formula nata, Nos Princeps &c. *2.Sam. c.14.18. & c.18.13.* aut, Si commiſero ex me ipſo falſitatẽ, cùm nulla res celari poſſit à rege, an tu ſtiturus es te ex adverſo? *Eccl.c.10.17.* Ne quidem & in conſcientia tua regi maledicito, & in conclavibus cubilis tui ne maledicito diviti. nam vel avis cælorum perferret vocem iſtam, & ales indicaret verbum etiam de inimico & malo. *Gen.cap.4.4.5.15.* Contrà verò, quando hæc omnia, quæ in magiſtratum contulit, populus aufert, fit ille privatus, & par reliquis hominibus; adde exempla, *1.Sam.c.13.2.4.c.11.9.c.14.24.25.26. & junct.c.8.* vide *c.25. & c.38. infrà.*

Ejusmodi miniſteria & auxilia potiſſimùm conſiſtunt in operis artificialibus, vel obſequialibus, *1.Sam.c.8.12.13.14.15.16.17.*

Artificiales operæ conſiſtunt in ſervitiis corpo- 7
ralib. ex functione, artificio & officio, quod quisq; præſtare poteſt, exhibendis & præſtandis pro ſalute

& utilitate regni & magiſtratus. *Nehem.c.9.37.c.4.13. 14.15. 1.Reg.cap.5.13.& ſeqq. cap.9.c.7.13.& ſeqq.c.15.22.* Ariſt.*lib.5.pol.c.1.* arg.*l.1.§.15. de vent.in poſſeſſ.mittend.* Pro quibus arma quoq; promptè quilibet ex juſſu magiſtratus capiet,*1.Sam.c.11.Judic.c.5.9.23.c.21.*& ſui magiſtratus ſummi proſperitatem & commodum quæret & promovebit, *Jerem. c.9.7. Baruch c.1.11.12. 2.Reg.c.5.13.14.& ſeqq. 2.Sam.c.17.15. & ſeqq. c.21.17.18. c.18.3.4.5. c.19.6.7.8. c.15.27.28.& ſeqq.* & quæcunque ſunt neceſſaria ad defenſionem & protectionem ſui magiſtratus,faciet.*1.Sam.c.26.15.16.* Non eſt bona res hæc, quam feciſti: ut vivit Jehova, rei mortis eſtis,qui non obſervaſtis circa dominum veſtrum, circa unctum Jehovæ &ç. nec non auxilio,calamitati & neceſſitati illius ſubvenire & inſervire debet. *2.Sã.c.17.27.28.29.c.19.p tot.c.15.15.& ſeqq. 2.Reg.c.11.& 1.Chrõ.c.12. 2.Chron.c.23.*& pro magiſtratus ſui ſecuritate excubias agere, *1.Sam.c.26.15.16.17. 2.Sam.c.15. v.21.22.* Reſpõdens verò Ithai regi dixit,Ut vivit Jehova,& vivit dominus meus rex, tantummodò in loco,ubi erit dominus meus rex,ſive ad mortẽ,ſive ad vitã,ibi futurus eſt ſervus tuus. Adeò,ut ſubditus ſalutem & commodum magiſtratus, proprio anteponat. *2.Sam.c.19.31.* Dixit verò Mephiboſeth regi: Vel omnia accipiat,poſtquam venit dominus meus rex cum pace domum ſuam.*1.Chron.c.12.39.40.* ubi ſubditi Davidem in exilio alunt. *1.Sam.c.16.15.16.17. 2.Sam.cap.18.3.4.c.21.17. 2.Sam.c.2.20.& ſeqq.c.6.14.16. 2.Sam.cap.17.27.28.29.c.19.c.15.21. & ſeqq. 1.Chron.c.13. 2.Sam.c.19.31.c.15.21.c.24.20.& ſeqq.* In quibus locis exempla varia extant benevolentiæ,auxilii,favoris & amoris ſubditorum erga magiſtratũ ſuum: adeò, ut æmulatio quoq; inter ſubditos & certamen in magiſtratu ſuo diligendo probetur, *2.Sam.c.19.43.* Pauli auditores etiam vitam pro eodem fundere parati fuiſſe leguntur, *Roman.c.16.4.Gal.cap.4.15.& 2.Sam.c.21.17.* ubi miniſtri Davidis non volunt Davidem in prælium ob periculum proficiſci.

Atque hinc ſubditi regis ſervi vocantur. *Deut.29. 2.3. 2.Sam.cap.15.14.15.21. 2.Chron.c.10.4.Exod.c.10.1.2. cap.9.20. 1.Sam. cap.8.14.17. Judic.c.6.7.8. 2.Sam.c.2.7. cap.24.20.21. 2.Reg.c.20.21. 1.Reg.c.12.4.5.6.7.c.22.50. 2.Chron.cap.21.22.23. Eſth.c.2.21. 2.Reg.c.10.5. c.10.25. 1.Reg. cap.2.25. Joſ.c.2.16.17.c.22.1.2. 1.Chron.c.13 18.19. cap.21.3.4. Eccleſ.c.8.1.2.8.9. Jer.c.22.2.* alibi miniſtri & famuli ſui regis, *Exod.cap.7.20. c.8.9.10.21.* imò illius proprii, *2.Reg.c.10.6. 1.Chron.c.12.18.19. 2.Sam.c.12.8. Pſal.18.v.44.45.* quibus ipſe magiſtratus dominatur,*Neh.c.9.v.37.1.Sam.c.8.* non tamen quòd mancipia & ſervi, in quos magiſtratus jus vitæ & necis habeat, ſint. *Nehem. cap. 9.37.* Salomo commendatur, quòd ſerviles operas à ſuis ſubditis non exegerit,ſed tantùm ab illis quos bello ſubegerat: Judæis ſolis demandabat honorifica officia: *1.Reg.c.9. 22. 2.Chron.c.2.17.18. c.8.20.21.* Judæi etiam gloriantur *Joh.c.8.33.* quòd nunquam ſervi ullius fuerint, nimirum poſt exitũ ex Ægypto. Nam ex ſervitutis domo eduxerat eos Deus,*Exod.c.20.2.Deut.c.2.4.5.6.* licet exactiones immodicæ ſervitus vocentur; *2.Chron.c.10.4.Neh.c.5. 1.Reg.c.9.21.*

De miniſteriis & operis ſubditorum, quas tenentur ſuis dominis præſtare,dixi ſuprà *c.13.n.14.* de immunitate quorundam ab his oneribus & præſtationibus,*c.15.n.8.& ſeqq.*

Obſequiales operæ conſiſtunt in obedientia & reverentia.

Rom. c.13. 1.Timoth.c.2.v.2. 1.Pet.c.2.v.13. Tit.c.3.v.1. 1.Chron.c.30.v.23.& ſeqq. Act.c.23.v.5.

11 Obedientia est obsequium, quod æquis magistratus mandatis est præstandum:

Tit. cap.3.1. Roman. cap.13.1.2. vide exempla *1.Sam.c.11. vers.14.15. cap.14. vers.24. cap.16. vers.17.18. 2.Sam.cap.15. vers.13.14. & cap. 21.17. 1.Reg. cap. 2. v. 25. 2.Reg.c.20.25. Jos.c.1.v.16.17.18. c.2.v.16.17. cap.22. vers.1.2. Eccles.cap.8. vers.1.2.3. Actor.cap.4. 1.Pet. cap.2. vers.13.14. Jerem.c.29. v.7. cap.3.8. Sirac.cap.48.* Pudeat plebem & populum inobedientiæ. *Deut.c.25.12.13.c.13. Exod.c.1.17. & seqq. 1.Sam. c.22.17.c.8.11. Dan.c.3.6.*

Licet magistratus impius & sceleratus sit homo.

1.Pet.2.versu 28. vide exempla *1.Sam.cap.15.31. cap.26. versu 9. cap.24.vers.7.8.14.13. Dan.cap.2. versu 37. Jerem. cap.29. versu 7. cap.27.v.7. Actor.cap.25.v.5.* Calvin. *lib.4. Instit.cap.ult. sect.21. & seqq.* Aretius *loco 153. & seqq. tom.2. problem. 2.Sam. cap.4.9.10.11. cap.1.11. & seqq.* Nam vitia personæ non tollunt officium illius, & qui magistratum contemnit, Deum spernit. *1.Sam.cap.8.7.* adde exemplum, *2.Sam.cap.15.15. & seqq. 1.Sam.cap.21.5.6.7. cap.26.9.c.15.31. 2.Sam.c.14.21.* Ideo Petrus dicit *1.Pet.c.2.13.* propter Deum obediendum magistratui, & Paulus ob conscientiam, *Rom. cap.13.5.* & pœnas Deus inobedientibus rebellibus minatur. *Exod.cap.22.28. Prov.cap.24.21.23. Rom.c.13.2. 2.Pet.c.2. 9.10.*

12 Atque hanc obedientiam initio magistratus & administrationis subditi solent promittere.

Jos. cap. 1. vers.16. 17. 18. facit *2.Chron. cap.23. versu 16. 2.Reg. cap. 11. vers.17. 2.Chron. cap.34. vers.31.32.* etiam præstito juramento fidelitatis, quod hodie est usitatum, ut tradunt feudistæ, inprimis verò Covarruvias, Speculator, Hotom. Jacob. de sancto Georgio. Impiis tamen mandatis magistratus obedientia non est præstanda. *Actor. c.5.* Deo enim magis obediendum, quàm hominibus. Vide *Exod.c.2. Dan.c.3.c.6. Act.c.4.v.19. Osea c.5.11.* ubi Ephrajim punitur, quòd impia mandata sequutus est. Vide Steph. Jun. Brut. *in vind.quæst.1.*

13 Reverentia est debitus ille cultus, honor & veneratio, quę magistratui à subdito cum timore & tremore

tremore debetur, ob sublimem ipsius conditionem, ad quam à Deo est evectus, & propter magna & multiplicia bona, quæ per ipsius manum Deus nobis dispensat, *l.bene à Zenone. C.de quadr.præscript. Novell.15.c.13.* Unde cuncta feliciter & prudenter gesta virtuti & administrationi principis attribuuntur, & præ illo alium neminem colimus.

Malach.c.1.v.6. ibi, Si dominus vester sum, ubi reverentia mei. *1.Pet.c.2.17.* Deum timete, regē honorate, *18. 2.Chron. c.1.12.13. 1.Chron. c.29. 11.12.28.* Et qui magistratum contemnit, Deum spernit, *1.Sam.c.8.7. Prov.c.24.* Time Dominum & regem, & cum seditiosis ne cōmiscearis. *Rom.c.13.7.* Reddite igitur omnibus quod debetis; cui timor, timorem; cui honor, honorem. Greg. *lib.8.cap.3.de Rep.* Vide exempla *Gen.c.47.7.10. Joh.c.10.34.35. 2.Pet.c.2.10. 2.Sam.c.11.17.18. 19. & seqq.* atq; id cum modestiâ & summissione sine murmuratione. *Eccles.c.10.1.2. & seqq. c.8.1.2.3. dixi lib.2. Ethica c.5.*

Ob hanc subditus authoritatem magistratus agnoscere & metuere debet, etiamsi ille sit discolus vel sceleratus, aut clade vel calamitate publicâ afflictus. *1.Sam.c.15.31.c.31.12. 2.Sam.c.15.15. & seqq.* Nam scelerata pravaque vita, vel miseria magistratus, dignitatem ipsi non derogat, *d.tex. & 1.Sam.c.24.5.6.7. c.26.9. 2.Sam.cap.14.21. 1.Pet.c.2.18. Joh.c.19.11. & seqq.* imò autoritas magistratui, pœnis certis sancitis, facienda est, *1.Sam.c.12.1.15.* Sic & David Saulem pro christo Domini agnovit, *1.Sam.c.24.5.6.7. & c.26.9.* Abisai Davidem, *2.Sam. c.19.26.27.* Adonias, *1.Reg. c.2.15.* & Israël, *1.Reg.c.3.28.* & alii, *Dan.c.2.37. Jos.c.1. 17.18.* 14

Ex quâ reverentiâ, preces subditi pro magistratu suo ad Deum fundere jubentur. 15

1.Tim.c.2. 2.Reg.c.3.9. Psal.72.1.2.3.4. Psal.20.12.3.4.7.8. Jerem.c.29.7. Quærite prosperitatem istius civitatis, & orate

pro ea. Baruch *c.1.11.12. 1.Reg.c.1.47.48.c.13.7. Dan.c.3.9.c.6 6.21. & seq.* Cyrus jubet, ut Judæi pro se & filiis orent, *Esr.c.6.* Benaja pro Salomone, *1.Reg.c.1.36.37.* pii pro Davide, *Psal. 118.25.* populus pro rege, *Psal.20.* vir Dei pro Jeroboamo, *1. Reg.c.6.* orant. Plin. *paneg.* Age cum Deo, uti sospitem te incolumémque præstet, si tu cæteros, si Remp. eam bene, & ex utilitate omnium reges. Alex. ab Alex. *lib.3.cap.22. gen.dier.* Olim Romæ pro salute principis vota suscipiebantur.

16 Atque huc pertinet etiam cura, quâ subditus, ne magistratus autoritas contemnatur, non vi, neque dolo, neque seditione, neque clam, neque palàm convellatur, quando opus est, laborat: *2.Sam.c.16. 8.9.10. 1.Sam.c.10.27.c.11.12.13. Eccles.c.10.1. & seqq. Esth.c. 2.21.22.c.4.11. Daniel.c.4.36. c.2.37. 1.Sam.cap.8.7. facit Exod.c.22.28. Actor.c.23.5.l.1. C. si quis princ. maled.* vel ne in periculum vitæ aut honoris adducatur, *2.Sam. cap.15.15.21. cap.21.17.c.18. 2.3. 4. c.17.15. 16.17.18. & seqq. cap.19. 31.cap.15.21. 2.Reg.cap.5.13. & seqq. 1.Sam.cap.16. 15.16.17.*

Sic Elisa regem monebat, ne in locum periculosum iret, *2.Reg.c.6.* Sic Judæi Nehemiam, *Nehe.c.4.* Sic duo illi regem Ahasuerum de periculo & insidiis monebant, *Esth.2.* Sic Jeremias Judæos, ut quærerent bonum regis Babyloniæ, *Jer. c.29.* & Husai Davidem monebat, *2.Sam.c.15.c.17.* & famuli Nabalis de futuro periculo monebant dominam, *1.Sam.c. 25.17.* Nunc ergo cognosce, & dispice, quid sis factura. Nam definitum est malum contra dominum nostrum &c. Sic & Levitæ defenderunt legitimum regni successorem contra Attaliam, *2.Reg.c.11. Jer.c.26.7.* Quærite prosperitatem istius civitatis &c. *2.Reg.c.5.13. & seqq. 2.Sam.c.17.15.16. & seqq.c. 21.17.18.c.18.3.4.5.c.15. per tot.c.19.6.7.8. Ephes.c.6.19.20.* Hac in re peccavit populus Judaicus, volens interficere Mosen, Samuelem, Davidem, & Simsonem, quem tradidit hostibus, *Judic.c.15. 11.* Sunt & alia quæ ad hanc curam pertinent, de quibus dixi *lib.2. Ethicæ c.4.c.5.* quorum summa est, ut persona magistratus semper sancta, honesta, inviolabilis & venerabilis habeatur: *Act.c.23.5.1.Pet.c.2.13.1.Tim.c.22.* exempla vi-

pla vide *2.Sam.cap.1.14.* Dixit ei David, Quomodo non timuisti extendere manum tuam ad perimendum unctum Jehovæ? *16.* Hinc capitale est maledicere afflicto principi, *2.Sam. cap.16.9.* Plura exempla videre licet *1.Sam.cap.24. 7.8.11.c.4.13. cap.26.9. cap.10.27. cap.11.12.13. 2.Sam.cap.1. 11. & seqq. cap.4.9.10.11.cap.16.9. Exod. cap.22.28. Eccles. cap.10.20.l.9.§.3. de rerum divis. Novell.47.* Greg. *lib.8.cap. 3. de Reip.* ut vitia atque errata ipsius, quantum bonâ conscientiâ fieri potest, dissimulentur, non exagitentur.

Ex hac veneratione & obedientia magistratui debitâ, & ex præcipuis officii sui partibus, honorifici illi tituli & cognomina magistratus provenerunt, ut nimirum sunt, majestas illius, *tit.ad L. Jul. majest. 1.Chron.cap.29.25. facit Psalm.21.6. Ezech.c.31. 1.2.18. Esth. cap.1.2.3.4.5. & seqq. cap.6.7.8.9.* dignitas, amplitudo, auctoritas, excellentia, præeminentia, *Roman.c.13.1.2. 2.Sam.c.7.18.* magnificentia, *1.Chron. c.29.25.* Magnificabat enim Jehova Salomonem summè ante oculos totius Israëlis, &c. *Actor.cap.6. 13.Luc.cap.1.46. Daniel. cap.2.27.28.cap.4.30.* splendor, gloria, *Genes. cap.45.13.14. Cap.44.15. 1.Reg. cap.10. Esth.c.1.4. & seqq. Daniel. c.4.36.c.2.37.38.cap.5.18.19. Matth.cap.6.29.* præcellentia, *Rom.cap.13.vers.2. 1.Pet. cap.2.v.13. Ezech.cap.31. v.1.2.18. Matth.cap.8.vers.3. & seqq. Luc. c.7.2.4.5.* autoritas & potestas, *Matth.c.7. 29.c.21.23.24.* Unde magistratus pater patriæ, communis pater, *Novell.98.§. fin. Neq; vir.quod ex dote.* dominator, *Judic.c.5.3. Dan. cap.2.38.* regni caput, Heig. *lib.1.quæst.2.num.2.32.* antecessor populi, *1.Sam. c.9.16.c.10.1. 1.Chron. c.11.2. 2.Sam.c.5.2. cap.7.8. c.6.21. 1.Reg. c.1.35. c.14.7. c.10.4. 2.Reg.c.20.5. 1.Chron.cap.17. 7.c.28.4. 2.Chron. cap.6.5. Genes. c.41.43. Esa.c.3.8.13. 15.* Dei minister, *Rom. cap.13.4.6.* Ecclesiæ nutrix, *Esaiæ c.49.25.* pater populi. Ita Philistæi suos reges

Abimelech vocarunt, *Gen.c.20.c.26. 1.Sam. c.21.11.* Vocatur quoq; pastor populi,cor,anima & spiritus vitalis Imperii, caput Reipub. *1.Sam.c.15.17.* & honorificis aliis nominib. in scriptura insignitur. De quib. *in lib.2.Ethic.c.4.* dixi. Greg. *lib.8.c.3. lib.5.cap.6.* imò dii vocantur magistratus, *Psal.82.* Angelus Dei dicitur, *2.Sam.c.14.18.* ibi, Nam ut Angelus Dei est dominus meus rex, *& c.19.28.* ibi, dominus meus rex est sicut Angelus Dei:salvator & servator, *Judic. c.3.9. 2.Reg.c.13.5.* Itaque dedit Jehova Israëlitis servatorem, *2.Sam.c.3.18. Nehemiæ c.9.27.* dii, *Deut.c.10. 1.Chron. c.17.Psalm.95. & 96. & 135. & 86. & 82.Joh. c.10.34. Exod.c.4.c.7.c.22.* pastor, *Num. c.27.16.Ps.78. 70.71.72.* qui pavit eos pro integritate animi sui &c. *2.Sam.cap.5.2.* ibi, Tu es pasturus populum meum Israëlem &c. *& c.24. 1.Chron. c.11.2.Ezech.c.34.1.2. & seqq.Jer.c.13.cap.25.34.35.36.c.51.23. c.50.44.c.49.Esa. c.44.23.* regni Dei præfectus, *Sap.c.6.5.* ramus inumbrans, sub quo habitatio & esca, *Ezech. c.31.3.6.* Lament. *c.4.20.Dan.c.4.8.* sal terræ, *Psal.47.10.* signaculum in manu Dei, *Jer. cap.22.24.Hag.c.23.* lucerna Reipub. *2.Sam.c.21.17. 1.Reg.c.11.36.Ps.132.17.* ubi Jun. pater patriæ, *Gen.c.41.42.43. & seq.c.45.8.9. Jud.c.5. 7.13.* ubi Jun. & Pet. Mart. *1.Sam.c.24.12.l.14.l.19. de interd. & releg.* Senec. *lib.1.de clē.c.14.* cor populi, anima Imperii & spiritus vitalis, Senec. *lib.1.de clē. c.4.c. 5.Es.c.1.5.6.* ubi Jun. caput Reip. *Judic.c.11.2.10.11.13.19. 21.c.5.7. 2.Sam.c.22.44. Ps.18.44.* Bulla Caroli IV. *c.2. §.Ego Archiepiscopus &c.* status publici tutor, Senec. *lib.1.de clem.c.4.*

In Jure Civilii variis elogiis iisq; magnificis ornatur, de quib. videre licet *l.Tita.87.§.4.de leg.2.l.unum 67.§.fin.de legat.2. l.quæris 3.de natalib. restit. l.in honorib. de vac. mun.l. fin. de donat.inter vir. & ux. l.ad instructiones 7.C.de S.S.eccles.l. pen.C.de bon.qua lib.*

Porrò

Porrò inter illa, quæ ad regni administrationem sunt necessaria, inprimis est contributio ordinaria, vel extraordinaria, quas subditi promittunt summo magistratui. arg. *1.Cor.c.9.7. Rom.c.13.7. Mat.c.17. 27.* Vid. Roland. à Vall. *lib.2.cons.1.per tot.* 18

Ordinariam contributionem, vel collationem indistinctè, prout *supra cap.12.14.* diximus, promittunt: Extraordinariā verò sub conditione necessitatis incidentis, ærario publico exhausto, & ordinibus seu statibus regni ita decernentibus. de quibus abundè dictum fuit *sup.c.12. & 13.*

Denique observandum, quòd si populus non præstet obedientiam, & debita servitia, ministeria & obsequia, in electione, inauguratione & constitutione summi magistratus promissa: tum hujus perfidiæ & fidei violatæ, imò contumaciæ, rebellionis & seditionis hujus vindicem esse summum magistratum, etiam bello & armis. 19

Exemplo Davidis, *2.Sam.c.18.c.19.c.20.c.2. c.3. & 4.* & exemplo regum aliorum. Vid. *Gen.c.14.5. & seq.* & Josuæ, *Josu.c.1.18. Num.c.16.c.12.c.21.5.6. 2.Sam.c.15.10.c.18.9.c.16. 5.6.7. 1.Reg.c.16.9.10.11.18. Actor.c.5.36.37.* Geil. *lib.1. & 2. de pac.pub.adde Judic.c.20.cap.21. & constit.Imperii de pace public.dixi sup.cap.8.* Geil. *lib.1.obs.17.* dicit, etiam permissum esse domino bona subditorum capere & tenere, donec ad debitam obedientiam reducantur.

Quòd si verò Magistratus summus fidem datam non servet, neque secundùm promissionem administret regnum, tum hujus fidei violatæ & ruptæ vindex est regnum, seu ejus nomine proceres & ephori, atque tum concessum est populo, formam priorem politiæ & Reipub. suæ mutare, abrogare, & novam constituere. Danæ. *lib.3.pol.c.6.* quemadmodum dixi *infra cap.38.* ubi latiùs explicavi, quomodo, quando, à quibusve magistratui tyranno contra pactum & fedus initum fecienti sit resistendum. 20

21 Utroque casu, quia conditio conventioni & federi apposita non impletur, contractus ipso jure solutus est, neque ampliùs in priori casu princeps pro suis subditis rebelles & perfidos ejusmodi habebit, quibus non tenetur præstare quæ promisit: Et altero casu similiter regni membra seu populus magistratum ejusmodi perfidum, perjurum & fœdifragum, non habebit pro magistratu suo, sed pro privato, & tyranno, cui quæ promiserat, obsequia & alia officia ampliùs præstare non tenetur, sed quæ dedit jura, justè reposcere, & ab officio eum removere potest & debet.

Bart. *in tract. de tyran.* Magistratus legitimus, est lex animata, & si lege damnatur, suâ ipsius voce damnatur. At tyrānus, nil minus, quàm lex animata. *Pro. c. 28. 2.* Ubi defectione laborat regio, multi principes ejus: ubi autem homo est prudens & peritus, prorogat statum: hoc est, uti Junius explicat, cùm in Rep. principes & populus, aut utrique simul desciscunt ab officio, frequentes mutationes oriuntur: sed ubi aut utrique simul in officio permanent, aut ab una tantùm parte principum populariúmve unus aliquis vir prudens & peritus, suâ autoritate, utrosque aut certè partem alteram moderatur, status manet diuturnior. Vid. *infra cap. 38.*

Obligatur Magistratus priùs populo purè, populus magistratui sub conditione se obligavit, si piè & justè imperaturus sit. Hac conditione deficiente, contractus est irritus & obligatio nulla. Qui verò priùs à pactis illis recedit, ab illo quoque solvitur illud vinculum, quod est inter utrumque contrahentem. *1. Chron. c. 11. 3.* vide Mascard. *conclus. 1387.* & diximus *infra c. 38.* ubi plures rationes dissolutæ hujus obligationis adduximus. Sic & vasallum clientelæ nexu lex liberat, in quem senior feloniam commisit, etsi sanè senior fidem propriè non dat vasallo, sed vasallus ipsi. Sic patronus clienti fraudem faciens, lege 12. tabb. sacer esse jubetur. Sic liberto adversus patronum atrocem injuriam inferentem

rentem jura actionem dant. Et servus ob crudelitatem domini, & abusum dominicæ potestatis, liberatur à potestate domini sui. Jun. Brut. *in vind. cont. tyran. quæst. 3.* latè Hotom. *lib. 1. cap. 12. & seqq. de antiquo jure regni Gallic.* Buchan. *de jure regni Scotici.* Rossæ. *de justa Reipub. Christ. in reges author. cap. 3. num. 6. vid. supra cap. 18. num. 92. & seqq. & infra cap. 38.* Quòd si magistratus intermedius nimium in subditos sæviat, eosque ad insolitas operas, angarias, sive parangarias præstandas vi compellat, tali casu subditi superioris auxilium & officium implorare possunt, ut domino sub gravi pœnâ mandetur, ne plus solito eos gravet. Geil. *lib. 1. obs. 17. per allegat. ibide.* Fernan. Vasq. *in illust. quæst. impræs. & c. 1.* & passim *in seqq. & sup. c. 8. de provinc.* diximus. *& c. 37. de tyrannide.*

Obsequia hæc sibi à subditis debita magistratus summus in animis subditorum confirmat proprio exemplo, quando ipsemet in summo honore habet, qui ante se dominationem exercuerunt, eosque, qui illos læserunt, acerrimè punit, quod munimentum est ad præsens, & in posterum ultio, ut ait Tacitus. Ideo Cæsar erigendo statuas Pompeii, suas dicitur stabiliisse. Scipio Amir. *lib. 17. discurs. 7.* id exemplis allatis probat, etiam Davidis regis, *2. Sam. cap. 4.* & Amaziæ regis, *2. Chron. cap. 25. 3. 4.* 22

CAPUT XXI.

De lege, ad quam suscepta Reipub. administratio est instituenda.

1 *Administratio regni cui accepta ferenda.*
2 *Administratio regni quid.*
3 *Finis illius.*
4 *Appellationes ab administratione desumptæ.*
5 *Administratio hæc deponi potest.*
6 *Regula administrationis hujus.*
7 *Administratio Reipub. difficilis.*

8 *Prudentia politica quid.*
9 *Imprudentia & ignorantia magistratus Reipub. periculosa.*
10 *Intellectus politicus quid.*
11 *Hujus intellectus causæ efficientes.*
12 *Doctrina unde haurienda.*
13 *Hæc exemplis historicis illustranda est.*
14 *Vitia duo hic vitanda.*
15 *Tria cognitu necessaria magistratui.*
16 *Regula vivendi & administrandi.*
17 *Lex talem regulam præscribit.*
18 *Lex quid, & variæ illius appellationes.*
19 *Lex communis quid.*
20 *Notitia & inclinatio hominis naturalis quid.*
21 *Gradus harum notitiarum & inclinationum.*
22 *Communis juris capita.*
23 *Prius caput, quatuor præcepta priora Decalogi continet.*
24 *Alterum caput, reliqua secundæ tabulæ præcepta comprehendit.*
25 *Præcepta primæ tabulæ.*
26 *Cedunt hisce secundæ tabulæ præcepta.*
27 *Tabulæ secundæ præcepta eorumq; distributio & explicatio.*
28 *Relaxatio horum & dispensatio cui concessa.*
29 *Lex moralis an abrogata.*
30 *Propria lex quæ.*
31 *Causæ hujus.*
32 *Membra hujus explicata.*
33 *Hæc lex mutabilis.*
34 *Lex Judæorum propria.*
35 *Lex cæremonialis explicata.*
36 *Species legis hujus.*
37 *Lex forensis Judæorum.*
38 *Quid in hac mutabile & immutabile.*
39 *Species hujus.*
40 *Eadem lex diverso respectu potest esse moralis, cæremonialis, & forensis.*
41 *Doctrina de decalogo an Politicæ essentialis & homogenea.*

DE constitutione magistratus summi hucusque dictum est: sequitur de ejusdem administratione, quæ eâ conditione, quâ fuit oblata, suscipitur, & membris regni universis, non singulis, acceptum refert quicquid habet. 1

Zoannet. *de defens. triplic. part. 3. num. 100. & seqq.* Steph. Jun. Brut. *de vindic. contra tyran.* & Aonymus *de jure magistrat. in subdit.* Covar. *pract. quæst. c. 1. num. 2. 4. c. 4.* Vasq. latè *in illust. controv. c. 1. lib. 1.* Hotom. *quæst. illust. c. 1.* Pet. Greg. *lib. 26. c. 1. & seqq. de Rep.* Danæ. *lib. 6. pol. in aphor.* Hotom. *de antiq. jur regni Gall. per tot.* Zoannet. *de imperio Roman. num. 151. & seqq. per l. unic. ibi. regimentis Reipub. ad Imp. perpetuò translatis. de offic. præfect. prætor. lib. 2. §. novissimè. ibi, Reip. per unum consuli necesse erat. de origin. jur.* Ideò hic magistratus dicitur dominus mundi, ratione administrationis, uti tutor dominus rerum pupillarium, quas administrat. Vide *supra c. 18.*

Ejusmodi igitur Reip. seu regni administratio à populo commissa, & à magistratu suscepta, est jurium majestatis, hoc est, negotiorum & bonorum regni & subditorum, secundùm naturam conditionemque eorundem, prudens, diligens & justa cura, tractatio, dispensatio & defensio, ad gloriam Dei, & regni atque subditorum salutem directa. 2

1. Tim. c. 5. 8. Si quis suis, & maximè domesticis, non providet, fidem abnegavit, & infideli est deterior. *Rom. cap. 13. 4.* ibi, Dei minister est tuo bono: & latiùs diximus *sup. c. 18. & c. 19.* Nam imperare, nihil aliud est, quàm aliorum utilitati consulere, & inservire, uti parentes liberis, & vir uxori imperat. Vide Augustin. *lib. 19. c. 15. de civit. Dei.* Senec. *epist. 91.* Mar. Salomon. *de principat. lib. 2.*

Administratio igitur hæc à populo, vel illius nomine ab ephoris summo magistratui demandata & data est ad gloriam Dei, ad subditorum salutem, & publicam utilitatem, non privatum administrantis commodum, quæ est communis Philosophorum, Theologorum & JCtorum sententia, ut 3

testatur Vasq. *lib.1.c.1.illust.contr.l.bene à Zenone. C. de quadr.præscript.l.3. de offic.præf.vigil.* Est verò illa generalis, ex qua ipsi totius Reip. cura & tutela incumbit, non unius duntaxat Reip. partis, aut hominum unius ordinis cura, quemadmodum inferioribus magistratibus, qui certorum specialium quorundam negotiorum administrationem sibi demandatam à summo magistratu acceperunt.

4 Ob hanc administrationem magistratus summus dicitur dux, antecessor populi, pastor, pater patriæ, rex, auriga, custos & salvator populi & corporis consociati, quo deviante, populi unà cum eo præcipites ruunt; rectè autem eo administrante, servantur incolumes.

Vide *sup.c.præced.n.16.* ubi de variis appellationib. magistratus ab officio desumptis, dixi. Plin. *in paneg. in Trajan.* Bonâ, inquit, princeps conscientiâ sibi delatum principatum acceptat, qui non nisi animo cives servandi illum adit & obit: & quem Reip. utilitas & vox, non privata ejus commoditas eò invitat. Valentinianus Imp. militibus & subditis, ut socium adscisceret, petentibus respondet: Vestrum fuit, ut privatum me ad imperialem dignitatem extolleretis, res autem administratas, non jam vestri, sed ipsius principis esse, vos ipsi quoque dixeritis. Itaq; vos deinceps imperata facere & quietos esse, me autem quid facto opus sit, curare decet. Osor. *lib.5. de reg.instit.* rex ipse intelligat, se multò magis esse legibus, quàm omnes illius subditi alligatum.

5 Sed tamen hæc administratio suscepta etiam deponi potest ex justa & probabili causa.

Exempla eorum qui sponte se abdicarunt principatu, refert Pet. Greg. *lib.26.cap.1.de Rep.* & eorum, qui ob onera & inconstantiam rerum humanarum imperare recusarunt, *c.2.* & eorum qui ob metum, oblatam administrationem imperii & regni suscipere detrectarunt, c.3. recenset.

Hujus administrationis ratio, regula & norma tenenda est: deinde species ejusdem.

Ratio

Ratio & regula administrationis hujus consistit 6
in prudentia politica, quâ nulla magistratus administratio vacare debet.

Vide Gregor. *lib.6.c.3.num.4.5.6.7. de Repub.* Quorsum enim innumeræ multitudinis intra unius civitatis mœnia, coitio, si ad prohibendas cædes, ad vitanda stupra, ad puniendas cædes, ad cœrcendos robustiores ne infirmos opprimant, si ad suum cuiq; tribuendũ, nulla ponatur regula, nulla ineatur via; si quod liberet, idem liceret; si fas esset agere, quod voluntas effrenata imperat, quò libido furiosa trahit, si hominum cupiditates nulla legum aut magistratuum authoritas comprimeret: quo modo possent ejusmodi cœtus ad breve tempus statum suum conservare?

Nihil verò difficilius est, prout Diocletianũ dixisse refert 7
Fl. Vopiscus, quàm bene administrare regnum & imperare. Idem Tiberii judicium Sueton. *c.24.* in Tiberio dicit. & Nazianzen. in Apologer. scribit, quòd videtur ars artium & scientia scientiarum, hominem regere omnium animantium versutissimum, & moribus & voluntate maximè varium, qui ob ferociam & petulantiam suam in neminem magis atq; in suos rectores insurgit. Res etiam multæ malos faciunt gubernantes & imperantes, videlicet nimia licentia, rerum copia, amici improbi, satellites detestandi, officiales avarissimi, aulici, vel stulti, vel athei, ignorantia & inscitia artis gubernandi & imperandi. Sunt quoque multæ beluæ in Rep. tauri, centauri, leones, scorpii & cancri, hoc est, homines invidi, factiosi, crudeles, avari, mali, qui omnia consilia et amrecta & salutaria calumniantur, omnia reprehendunt ad evertendã illorum dignitatem, qui præcipuè serviunt communi utilitati. Quin etiam vulgus non facilè regitur, de quibus omnibus latè Simanca *lib.9.c.1. & seqq. de Rep.* Scientia politica sola hisce incommodis omnibus medetur, ex qua discendum est, quomodo clavum navis Reipub. in qua ipse magistratus summus cum omnibus suis subditis, tanquam in Oceano navigat, regere debeat, quovis tẽpore. *Sirac.c.10.* 3. Rex rudis perdit populum suum, civitas verò intelligentiâ potentum habitabitur. Proinde igitur magistratus summus omnes officii sui partes rectissimè ex recta administrandi ratione cognoscet, ad quam se obligat eo ipso, quòd delatum

imperium suscipit, quamvis multa sæpe mala accidant improvisa humanæ sapientiæ, & sæpè inextricabilia. Facit humanæ naturæ imbecillitas, ut in consiliis facilè labi & errare possit, unde toti Reip. detrimentum oriri possit. Vide *infr. c. 25. n. 59. & seqq. & Thom. lib. 2. de regim. princip. c. 15.* Quemadmodum igitur in gravissimis tempestatibus, nisi peritissimus nauclerus sit, necessarium est periculis navem exponi, sic in tantis rerum humanarum fluctibus, nisi magistratus variis experimentis & eruditione cum probitate conjuncta, rerum momenta didicerint, nequaquam incolumem servare possunt Rempub.

8 Prudentia hæc politica est, *autore Lipsio*, intellectus & delectus eorum, quæ publicè privatimq; in Reip. administratione sunt facienda, vel omittēda: quorum ille est instar oculi, hic posterior instar manus. Vocem, prudentiæ, latiùs hic accipio, sicuti & *Cic. lib. 1. Offic.*

Hanc prudentiam Seneca describit, dum dicit, eam præsentia ordinare, futura providere & præterita recordari. Hac prudentiâ rex David in gubernatione & administratione sua usus est, *Psalm. 78. 70.* Deus elegit Davidem servum suum &c. ibi, Qui pavit eos pro integritate animi sui, & summâ prudentiâ manuum suarum duxit eos. *1. Chron. cap. 22. 12. 13. Deut. c. 32.* ibi, Gens sine consilio est & sine prudentia; utinam saperent, nimirum præterita, & intelligerent, scilicet præsentia, & novissima, id est, futura providerent. *Job c. 12.* In antiquis est sapientia, & in multo tempore est prudentia. *Prov. c. 14. c. 16. 1. Reg. c. 3. 9. & seqq.* Præteritorum annorum gesta, in sua & aliena Rep. gubernator considerabit, quid factum bene, aut malè successerit; quid laudabile, vel reprehensum in illis fuerit; & in singularibus personis dijudicandis, quomodo in jam transacta vita vixerint. Præsentia negotia habent prudentiam ex præteritis, adhibitâ discretione, memoriâ & judicio. Futura respicit cautio in exitu rerum gestarum considerando. Nam dum navis est in tuto & portu, oportet eam necessariis instruere, antequam mari committatur. Vide Greg. *lib. 10. c. 4. de Rep.* Cic. *1. de legib.*

Miserrima itaque est Respub. in qua ejus gubernator imprudens & ignarus est artis gubernandi, in qua primùm ille cum sua experientia discit, quæ in principe necessaria. Rex rudis

rudis perdit populum suum; civitas verò intelligentiâ potentum habitabitur, & stultus prodit populum suum, Sirac. *cap. 10. 1. 2. 3. 4.* & sapiens populi stabilimentum dicitur. Sap. *c. 6.* Nam quod in corpore oculus, sol in cælo, hoc magistratus in Rep. qui nihil ignorare debet, & multa dissimulare. Inveniuntur quidam principes minimè mali, & qui velint bene esse & subditis suis prodesse, sed nesciunt, imò dum volunt & id efficere conantur, potiùs illis & sibi nocent, quàm ut adsequantur; ut verum sit proverbium, Puero gladium non committendum, uti nec equum ferocem & contumacem imperito ad regendum committendum. Sed homine nullum animal morosius nullumq; majori arte tractandum. Quam ob causam & Deus viros usu & experientiâ rerum præstantes in Reip. administratione requirit, *Exod. c. 18. 21. Deut. c. 1. Num. c. 11. 16.* Ab imperitis & ignaris princeps facilè seducitur. Vide *1. Reg. c. 12. 2. Chron. c. 1. 10.* Nunc sapientiâ & notitiam da mihi, quâ procedam ante populum hunc & redeam, *v. 11. 12. & 1. Reg. c. 3. 1. Reg. c. 3. 9.* Des igitur servo tuo animum intelligentem ad judicandū populum tuum, discernendo inter bonum & malum, *11. 12. 19. & seqq. & 1. Chron. cap. 22. 12. 13. Prov. c. 19. 8.* Qui observat intelligentiam, est consecuturus bonum, *v. 11. & cap. 16. 16.* Comparare sapientiam, ô quàm melius est auro effossō, & comparare prudentiam optatius argento. *& cap. 15. 2. 5. 7. 10. 12. 14. Siracid. cap. 11. cap. 8.* Hac prudentia David populum Dei gubernavit, *Psal. 78. & 72.* Plato beatas Resp. illas dicit, in quibus reges philosophantur, aut docti & sapientes regnant. Adde exempla prudentissimorum regum, Davidis, *2. Samuel. cap. 8. 14. cap. 15. 1. 2. 3. cap. 20. 23. 24. 25. 26.* Josaphati, Josiæ & aliorum. Vide Greg. Richt. *axiom. polit. 105. & sequentibus. Ecclesiasten cap. 9. 17.* Adfuit, ait Salomo, in civitate vir indigus, sapiens, qui liberavit ipse civitatem istam sapientiâ suâ, nec tamen quisquam recordatus est viri illius indigi. *18.* Dico autem, meliorem esse sapientiam robore, quamvis sapientia illius indigi despiciatur, & verba ejus non audiantur. *19.* Verba sapientium submissorum audienda esse potius, quàm clamorem dominantis cum stolidis suis. *20.* Meliorem esse sapientiam armis bellicis, aberrantem verò unum perdere boni plurimum. *21.* Ut muscarum mortuarum una efficit, ut fœtorem eructet unguentū pigmentarii: similiter pretiosum

nomine sapientiæ & gloriæ virum fœtidum efficit stoliditatis parum. 22. Animus sapientis adest dextræ ipsius, animus verò stolidi sinistræ ipsius. 23. Nam etiam in via cum stolidis ambulat, animus ejus est demens & prædicat omnibus stolidum se esse. Est quoque ei, cui Respub. est commissa, necessaria oratio & sapientia, quâ regat populos, quâ stabiliat leges, quâ castiget improbos, quâ tueatur bonos, quâ laudet claros viros, quâ præcepta laudis & salutis aptè ad persuadendum edat suis civibus, quâ hortari ad decus, revocare à flagitio, consolari possit afflictos, factaq; & consulta fortium & sapientum, cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere.

Prudentiæ hujus politicæ, quam dixi, est duplex distributio: una membri, altera speciei.

10 Membra prudentiæ hujus sunt duo: intellectus nimirum politicus, & delectus agendorum & omittendorum in Reipub. administratione.

Intellectus politicus est, quo videt, cognoscit, intelligit & scit omnia magistratus, quæ sibi ratione officii sunt agenda, vel omittenda.

Psal. 2. Et nunc reges intelligite, erudiamini, qui judicatis terram. *& Psal. 119. v. 98. 99. 100.* Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia testimonia tua meditatio mea sunt. *Ecclesiast. c. 12. 11. 12. 13. 14.* ubi Salomo de se dicit, se quæsivisse, didicisse, docuisse & exercuisse sapientiam, *c. 1. 12. 16.* adeò ut ob sapientiam, quam à Deo petiit & impetravit, omnes omnium temporum reges superaverit. *1. Reg. c. 4. 29. & seqq. & c. 10. 1. Chron. c. 22. 12.* Det tibi (David ad Salomonem dixit) Deus prudentiam & sensum, ut regere possis Israël, & servare legem Domini Dei tui. 13. Tunc enim prosperè ages, si custodieris mandata & judicia Dei &c. ideoq; Aristot. *lib. 4. c. 5. Ethicor.* rectè dicit, prudentes censeri, qui ea quæ sibi, quæq; aliis conducunt, possunt dispicere. Et Plato, cum, inquit, prudentem dicimus, qui sibi & Reipub. consulere potest.

11 Intellectum politicum plenum constituũt doctrina & usus. Ideoque hæc quasi membra perfectæ cognitionis censentur. Unde, *Usus me genuit, mater peperit*

peperit memoria: Sophiam vocant me Græci, vos Sapientiam.

Doctrina paratur salutarium & ad administrationem necessariarum rerum cognitione, per lectionem, vel auditionem. 12

Unde rectè, qui fructuosa & utilia Reip. nõ qui multa scit, laudandus. Plus enim scire velle, quàm satis, intemperantiæ genus est, teste Seneca. Nam ut omniũ rerum, sic & literarum intemperantiâ laboramus, nec vitæ, sed scholæ discimus. Eccles. *c. 12. 14.* Lectio multorum fatigationi est carni.

Discendi autem facultas, & occasio optima est, quæ consistit in auditione, viva voce docentis, & quæ petitur ex doctorum usu, experientiâ, insignium virorum conversatione, Theologorum, JCtorum, Philosophorum, Historicorum, ducum, militum, & aliorum, ex quorum colloquiis in mensa, inter deambulandum, peregrinandum, consultandum, plus brevi tempore discere potest Princeps, quàm longo tempore in scholis cognoscere & percipere potuisset.

Hoc modo plurimùm profecerunt Alexander Magnus, Carolus Magnus, Alfonsus rex Castiliæ, Alfonsus Neapolitanus, Franciscus Galliarum rex, Trajanus Imperator, & plures alii, quorum exempla recenset Mambrin. Rossæ. *de instit. princip. cap. 18.* Osor. *lib. 5. de reg. instit.*

Multa quoque cognoscere potest ab exploratoribus, mercatoribus, militibus, viatoribus, nunciis, & aliis qui loca multa peragrarunt, multaque sunt experti, quæ scire nostra refert.

Discendi facultas, quæ est ex lectione & voce mortuorum, seu præceptorum mutorum, paratur ex lectione imprimis historiarum. 12

Nam in hisce licet sine periculo & sumptu intueri aliorum navigationes, naufragia, pericula, bella, mores, virtutes, vitia, imperia, vitam & interitum, læta, tristia, res secundas

& adversas, principium, medium & finem imperiorum & negotiorum omnium, causas, effecta, subjecta, adjuncta, dissentanea, comparata. Ex historiis profecit Lucullus, Alexander Magnus, Julius Cæsar, Mahomet, Selimus, & plures alii reges & principes. Historia enim lux veritatis & magistra vitæ & dux actionum.

Doctrina verò ex liberalibus disciplinis hausta, exemplis historicis omnino est illustranda. In hisce enim tanquam in speculo licet ordinare & componere vitam ad alienas virtutes, ut ait Plutarchus in Timoleonte. In hac tibi licet documenta & præcepta illustria intueri, ut inde tibi tuæque Reipubl. quod imitêre, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites, ut ex Livio Lipsius. Nam quæ futura sunt, plerunque paria similiaque iis sunt, quæ facta sunt. Nec aliunde melius consilia petuntur, quæ in futurum prosunt, quàm ex præteritarum rerum exemplis, ut ait Halicarnassæus. Alexander Homerum inter arma legisse scribitur. Julium Cæsarem & Augustum inter negotia Imperii lectioni operam dedisse, scribit Suetonius. Libri enim sunt consiliarius bonus sine fuco; & liber & anima & vita memoriæ custosque fidelis, & monitor audax: qui ex alieno periculo cautos reddit. Vide Patricium *lib. 2. de Republ. tit. 9. 10. & sequentibus*, & Lipsium *d. loc.* Boter. *lib. 2. cap. 1. de polit. const.*

14 Duo vitia hîc fugienda esse monet Cicero *lib. 1. offic.* Unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur. Alterum, ne nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferamus, easdemque non necessarias.

15 Sunt autem probè & necessariò magistratui in Reipubl. administratione, cognoscenda & scienda tria, in quibus nervus & vinculum Imperii & Reipubl. consistit. Primum, est regula vivendi & administrandi: *Psalm. 119.* Alterum, est natura populi: Tertium, est natura regni: *1. Reg. cap. 3. 9. 10. 11. 12.* de quibus singulis ordine videbimus.

Regula vivendi, obtemperandi, & administrandi, est sola Dei voluntas, quæ est via vitæ, & lex faciendorum & omittendorum, ad quam, ut ad Lydium lapidem & gnomonem, omnia negotia administrationis suæ magistratus regat, conferat & probet, necesse est, nî tanquam nauta sine pixide in mari navem Reipubl. regere velit & errare atque vagari. Sic itaq; administratio & gubernatio Reip. nihil aliud est, quàm legis exsecutio. 16

Deut. cap. 4. 6. Observabitis ergo & facietis (statuta & judicia mea.) Nam hæc est sapientia vestra, & prudentia vestra ante oculos populorum, qui audientes omnia statuta ista, dicent, Tantùm gens ista maxima, populus sapiens est & prudens! *Josuæ cap. 17.* ibi, Ut cum observantia facias secundùm legem illam, quam præcepit tibi Moses. *ver. 8.* Ne discedito liber iste Legis ex ore tuo &c. tum enim prosperaberis in viis tuis, & tunc secundaberis. *1. Chron. cap. 22. 12. 9. Exod. cap. 18. 20.* Commonefac ens eos de statutis & legibus ejus: notam faciens eis viam ipsam per quam ambulaturi sunt, & opus ipsum quod sunt facturi. *Ps. 11. 10. Proverb. cap. 6. 23.* Nam lucerna præceptum est, doctrina lux, viaque vitæ, correctiones erudientes. *Psalm. 119. 105.* Lucerna pedi meo est verbum tuum; & lux itineri meo: & *Psalm. 19. 8. 9.* ubi lex Dei dicitur sapientiam conferre & oculos illuminare. & *Psalm. 119. 97. 98. & sequentibus*, ubi ex lege Dei sapientia dicitur manare. *Prov. c. 2. 1. c. 4. 7. 8. Jer. c. 8. 8. 9. Sirac. c. 33. 2.* Vir sapiens non odit legem. *3.* Homo intelligentia præditus, se credit legi, & lex ei fidelis est futura. *Deut. c. 1. 3.* Mose allocutus est filios Israëlis secundùm omnia quæ præceperat ei Jehova referenda ad illos. David secundū

legem jus dixit, *Psalm.82. Deut.12.8.* Quisque quicquid rectum videtur in oculis ejus, non faciat. *Deut.cap.17.15. & seqq.* ibi, Cùm insidebit solio regni sui, describet sibi exemplum hujus legis in libro, eritq; penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Jehovam Deum suum observare omnia verba hujus Legis & statuta ista, faciendo ea. Ne efferatur animus ejus præ fratribus suis, & ne recedat ab hoc præcepto detrorsum, aut sinistrorum, ut prolonget dies suos in regno suo, ipse & filii ejus in medio Israëlis. *2.Reg.c.23.2.3. & seqq.2.Chrō.c.15.c.23. Deut.c.31.7. & seq. Exod.c.19.20. 1.Sam.c.12.15.16.17.28. 1.Reg.c.14.7. & seqq.* vid. *c.38.infr.* Contendet, non ut hominibus, sed Deo placeat. *Gal.c.4. Es.c.1.16.* Ita David mandat filio Salomoni, ut Dei mandata servet & in illis ambulet, *1.Reg.c.2.3.* & Abasuerus secundùm legem judicavit, *Esth.c.1.15.* Hinc illud Ciceronis, Magistratum esse legem vivam, seu loquentem. Et, legem regis animam esse: & qui legem præficit Reip. Deum præficit, qui hominem verò, beluam. Ita secundùm Dei legem administravit regnum Moses, *Num.c.10.* qui servus fidelis in domo Dei fuisse, dicitur alibi. Ita Samuel, *1.Sam.c.12.* Ita David, qui vir dicitur secundùm cor Domini fuisse. Ita pii reges Jehovam consuluerunt in negotiis administrationis suæ. *Num. cap.7.8.9.cap.9.8.c.27.20.21.22. 1.Sam.c.23.2.9. 1.Reg.cap. 22.5.*

17 Ergo lex sola non tantùm magistratui rationem administrandi, sed etiam omnibus subditis regulam vivendi præscribit, *l.leges sacratissimæ. C.de legib.* Vasq. *cont.illust.cap.50.n.3.* Pruckman. §. *soluta potestas, cap.3.n.65.* Ideò lex sponsio Reip. dicitur, Vasq. *d.loc.c.45.n.3.* vid. *sup.c.19.n.9.* quæ lex operum dicitur.

Roman.c.3.27. & lex præscribens officia diligendi, seu dilectionis, tum Dei, tum proximi, & secundùm quam vita subditorum & magistratus administratio est instituenda & conformanda, *Psalm.119.4.5.6.7.8.9.35.105. & Psalm. 101. Psalm.82.* Nam per legem est cognitio boni & mali, *Roman.cap.3.20.* quam ideò in scrinio pectoris magistratus habere

habere debet, *l.omnium. C.de testam.* & quâ plenus esse debet, *l.pen. C. de his quib. indig. Mich.c.3.1.* Audite primores Jacob, & ductores domus Israëlis, annon vestrum est scire ipsum jus? *Jerem.cap.5.5.* Ibo ad magnates ipsos. Nam ipsi norunt viam Jehovæ, jus Dei sui &c. Lege igitur magistratus obligatur. Nam digna vox majestate regnantis, legibus se alligatum principē profiteri; adeò de authoritate juris nostra pendet autoritas, ut dicit Imper. *in l.digna vox.4.C.de legib. Nov.25.* adeò, ut magistratꝰ nihil aliud, quàm lex viva & animata, tam à philosophis, quàm JCtis dicatur, atque cum lege pugnantia rescripta à magistratu impetrata, non valeant, *l.7. C.de precib. Imp.offerend.* Vide Pruckman. *§ soluta potestas. c.3.num.31. & seqq.* Pet.Greg. *lib.9.c.1. lib.10.c.5. lib.6.c.3. de Republ. l.filius qui 15. de condit.instit. & l.79. avus. §.1. de jur.dot.* Antimach. *1.theor.* Salomon. *lib.1. de princip.* Oportet, ait, principem habere regulam, per quam dirigatur in operationibus suis, ac dirigat alios, & per quam judicet: hoc autem fit per legem. Arist. *lib.4.polit.c.4.* Respublica nulla est, ubi leges non tenent imperium. Cic. *pro Cluent.* Legum ministri magistratus, legum interpretes, judices; legū deniq; idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. Plato ait, interitum se ei Reip. paratum videre, in qua non lex principi, sed legi princeps præesset. Arist. *lib.3.polit.* dicit, eum qui legem præesse jubet, Deum præesse jubet; qui hominem, bestiam. Vide infrà *cap.24.n.48.* Plato *epist.7.* lex regina esse debet, ac dominari non aliis tantùm civitatibus, sed ipsis etiam regibus.

Regula hæc, quę est sola Dei voluntas in lege sua 18
hominibus manifestata, lex vocatur, quæ est in genere præceptum de faciendis iis, quæ ad piè, sanctè, justè, commodéque vivendum pertinent. Argum. *1.Timoth.c.2.v.2. Ephes.cap.4.v.24. Tit.cap.2.12. 1.Cor. c.1.15. & seq. Philip.c.2.5.6. Roman.cap.13.3.4.5.8.9.* hoc est, de officiis, quæ Deo & proximo prestanda sunt, seu de Dei & proximi dilectione, *Matth.c.22.v.38. & seqq.* Alio in loco vocatur informatio cognitionis & veritatis, *Rom.c.2.v.20.cap.3.v.21.* statutum & judicium Dei, *Deut.c.4.v.1.5.8.c.26.v.16.17.c.28.v.1.*

cap.30.v.10.16.40. cap.5.v.2.7.37. c.6.v.1.2.17.20. cap.7. versu 11. cap.8.v.11.c.10.v.13.c.11.v.32.c.12.v.1. Levit.c.25. vers.8.18. 2.Reg.c.17.v.13.15.16.37. 1.Reg.c.8.v.58. cap.9. v.4.6. mandatum & judicium, *Marc.cap.12.v.29. & seqq. Num.cap.36.v.13. Deut.c.4.v.7.8.14. & Psal.147. v.20.& 119. Rom.c.7.v.12.c.13.v.19.* præceptum & testimonium, *Deut. cap.6.vers.17.20.25. Exod.cap.ult. vers.3.4.32. Matth.c.22.v.36.37. Psal.119. 2.Chron.c.34. v.31.* jus, *dict. Psal.119. Exod.c.24.v.2.* lex & præcepta, *Exod.c.24.v.12. Deut.c.33.v.10.c.6.v.20. Ezech.c.20.v.25. 1.Chron.c.9.v.8.10.20.21.* sapientia & prudentia, *Deut. c.4.v.6.* verbũ, *Psal.119.v.105.* quæ sæpè conjunguntur, uti *2.Chron.c.19.10.* & passim in locis aliis, sup. *c.10.*

Ex quibus constat, leges, seu jura, in humana societate esse tanquam sepes, muros, custodias limitésve vitæ nostrę, & viam institutam ad sapientiam, felicitatem & tranquillitatem in societate humana consequendam, nos ducentem.

Jos.c.1.8. 1.Chron.c.22.12.13. Psal.119. Legibus sublatis, societas humana, quam symbioticam vocamus, in beluinam vitam mutatur.

Ejusmodi lex apud Judæos erat in scriptis consignata: *Deut.c.31.23.24.25. Jos.c.8.32.* & quotannis publicè prælegebatur: *Deut.c.31.11.12.13 Jos.c.8.33.34.35.* adde historiam Esdræ & Nehemiæ.

Lex hæc, quam diximus, est duplex: communis, vel propria. *Rom.c.2.14.15. & seqq. c.6.c.7.c.8.c.10.c.11. Gal.c.2.12.13.14.c.3.22.*

19 Communis est, quæ naturâ suâ omnibus hominibus à Deo est ingenerata. *Rom.c.1.19.* Quoniã id, quod de Deo cognosci potest, manifestũ est in ipsis: Deus n. eis manifestum fecit: *20.& seqq. & c.2.14.15.* quoad notitiam & inclinationem, quibus media & rationem Dei colendi & proximi diligendi, omnibus hominibus præscribit, indicat, & ad illa impel-

lit. *d. locis.* Cic. *lib.2. de legib.* Erat enim, ait, ratio profecta à rerum naturâ, & ad recta faciendum impellens, & à delicto revocans, quæ non tunc demum incipit lex esse scripta, sed tunc cùm orta est. Vulgò dicitur lex moralis.

Ex notitiâ à Deo impressâ, quæ conscientia dicitur, homo cognoscit & intelligit jus & media, seu facienda vel omittenda, quibus juri huic obedientia præstatur. 20

Rom.c.1.19. Act.c.14.17. Benedict. Aret. *in probl.loc.1.de cognit. Dei naturali.*

Ex inclinatione innatâ, homo impellitur arcano naturæ instinctu ad faciendum id, quod justũ intellexit: vel ad omittendum, quod iniquum cognovit.

Rom.c.2.14. Nam cùm gentes, quæ legem non habent, naturâ, quæ legis sunt, faciant, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex. 15. ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus. *1.Cor.c.5.1.2.c.11.14.* Conscientiam hominem rectà facientem excusare, & iniqua agentem reum peragere & accusare, probant etiam alia scripturæ testimonia. *1.Cor.c.4.4.* Nullius rei mihi cõscius sum &ç. *Act.c.23.* Paulus ait, Ego omni conscientiâ bonâ &ç. *Psal.26.1.2.3. 1.Tim.c.1.19. Prov. c.28.1.* Fugit improbus nemine persequente. Dat igitur conscientia testimonium, vel judicat de factis nostris. *Rom.c.2. 15. c.9.1.Cor.c.1.12. Eccl.c.7.22.* In communi hoc jure nihil aliud, quàm generalis theoria & praxis dilectionis, tum Dei, tum proximi traditur omnibus hominibus. Vide Bened. Aret. *problem.loc.1.*

Hujus notitiæ & inclinationis gradus quidam sunt. Nam hoc jus non ex æquo omnium cordibus inscribitur, sed notitia illius aliis copiosiùs & largiùs, aliis parciùs, pro Dei inscribentis voluntate & arbitrio, communicatur: unde fit, ut notitia hæc juris hujus in aliis major sit, in aliis minor. 21

Neque etiam Deus eodem & pari modo omnes excitat & impellit ad obedientiam hujus juris. Alii enim efficaciùs, alii minùs in ſtudium hujus incumbunt. Unde in aliis major, in aliis minor inclinatio & obedientia hujus juris apparet.

Vide *Rom.c.7.22.23.& v.15.& ſeqq. Pſal.10.4.& Pſ.36.2. Rom.c.1.24.28. 1.Tim.c.4. 2.Jer.c.31.*

22 Hujus communis juris Chriſtus duo capita ponit, *Matth.c.22.* quorum prius, reſpicit officium immediatè præſtandum: Alterum, quod proximo debetur.

23 In priori igitur ſunt comprehenſa mandata & præcepta, quæ vitam piam & religioſam reſpiciunt, in cognoſcendo & colendo Deo: qualia ſunt in prima tabula Decalogi, quæ hominem inſtituunt & informant de Deo ejuſq; cultu, qui eſt privatus, vel publicus. Privatus rurſus eſt internus, vel externus. Internus conſiſtit in adoratione, fiduciâ & gratiarum actione, præcipiturque in præcepto primo. Externus cultus conſiſtit in geſtibus & ritibus, uti in præcepto ſecundo; vel in ſermone, uti in præcepto tertio præcipitur. Publicus Dei cultus eſt in ſanctificatione ſabbathi in cœtu publico ſeu eccleſia, de qua in præcepto quarto.

24 In poſteriori tabula ſunt, quæ vitam juſtam & civilem politicam magis concernunt, quib. homo informatur, ut tribuat & communicet proximo ſymbiotico ſuo res, operas, conſilia & jus ſuum, & omnia illi præſtet, quæ ſunt illi tribuenda ad indigentiam illius ſublevandam & commodè vivendum. *Deut.c.5.* Atque hæc propriè non mandata & præcepta, ut ſuperiora, ſed judicia, ſtatuta, teſtimonia vocantur. *Deut.c.5.1.5.8. c.26.17. c.8.11.c.10.13. c.11.1. 32.c.12.*

32.c.12.Pſal.119.per tot. & paſſim alibi. Talia ſunt, quæ in tabula ſecunda Decalogi continentur, *Deut.d. cap.5.*

Præcepta Decalogi affirmativa ſunt de præſtandis officiis debitis Deo & proximo. Negativa ſunt de omittendis & fugiendis illicitis prohibitis.

Primum præceptum primæ tabulæ, eſt de Deo 25
vero habendo & eligendo per agnitionem illius in ipſius verbo traditam, *Col.c.1.10. Jer.c.9.24.* & unionem cum affectu fiduciæ, *Pſal.27.1.2.3. 2.Chron.c.20. 20.* amoris, *Deut.c.6.5.* & timoris, *Pſal.130.3.* In hoc prohibetur ignorantia Dei, & voluntatis divinæ, *Jer.c.4.22.* atheiſmus, *Pſal.14.2.* errores de Deo, odium & contemtus Dei, *Pſal.36.*

Secundum, eſt de ſincero Dei cultu præſtando in ſpiritu & veritate, *Johan.cap.4.24.* per preces, *1.Timoth. cap.2.1.2.* & ſanctum mediorum uſum, *1.Corinth. cap.11. 23.* Prohibetur in hoc falſus fictúsve cultus Dei per imagines, *Habac.c.2.18.* idololatriam, hypocriſin, *Matth.c.15.7.* traditiones humanas, magiam &c.

Tertium, eſt de gloria Deo in omnibus tribuenda. *1.Cor.c.10.31.* per ſanctam uſurpationem titulorũ Dei, *Deut.c.28.58.* juramentũ, *Eſa.c.48.1.* ſanctificationem creaturę per verbum Dei & preces, *1.Tim. c.4.4.5.* Negativum præceptum hoc eſt, de non minuenda gloria Dei perjurio, *Matth.c.5.33.* blaſphemia, *Levit.cap.29.15.16.* imprecatione, *Job c.3.* abuſu creaturarum, ſuperſtitione, vitâ diſſolutâ, & aliis.

Quartum, eſt de ſabbatho ſanctificando in ſacris conventibus per auditionem, lectionem & meditationem verbi Dei, uſum ſacramentorum.

Actor.cap.13.14.15. Negativum est, de non violando sabbatho per opera vocationis, nundinas, *Nehem. cap.13.15.16:* labores corporis, *Exod.cap.34.21.* per jocos, ludos, delicias, convivia, vel formam pietatis.

26 Quæ cum his primæ tabulæ præceptis pugnant, illa dicuntur impia. Ideoq; absolutè & indistinctè, & semper sunt prohibita omnibus, adeò, ut huic primæ tabulæ & legi superiori se submittat tabula secunda Decalogi: uti si præceptum Dei & mandatum magistratus, in eodem negotio concurrant & sibi contraria sint, tum Deo potiùs, quàm magistratui sit obediendum: *Actor.cap.5.29.c.4.19.& seqq.* alia exempla videre licet *1.Sam.cap.15.19.22.* ubi Petrus Martyr. *Matth.cap.9.13. cap.12.7. Jerem.cap.7. 21.22. Oseæ cap.6.6.* Et sic utilitati publicæ & saluti communi cedit utilitas privata. *Auth.res quæ. C.com. de legat. 1.Corinth.cap.6.12.13.cap.10.23.* Unde fit, ut nunquam hæc præcepta primæ tabulæ remitti aut relaxari possint, neque ab ipso Deo, qui seipsum negare non potest, *2.Tim.c.2.13.14. Rom.c.3. 3.4.*

27 Secundæ tabulæ præcepta sunt, quæ continent officia, quæ proximo sunt præstanda. Hæc verò sunt propria, vel communia. Illa comprehenduntur in præcepto quinto, quod est de illis, quæ inferiores superioribus, & contrà præstare tenentur: de eorundem conservandâ dignitate, honore, autoritate, & eminentiâ, per reverentiam, obedientiam, obsequia, subjectionem & subsidia necessaria, quæ ob dona, virtutes vel merita in Remp. vel officium privatum aut publicum, aut ob natales debentur

bentur præstantiori, *Phil.c.2.29. Gal.c.2.6.* Atq; dum hæc facit homo, simul etiam ordinem in vita sociali conservat. Negativum est de non contemnendo, spernendo, vilipendendo proximo verbis, facto, vel gestu: De ordine inter varios status in humana societate non tollendo, & confusione non inducenda.

Communia officia, quæ cuivis quilibet præstare tenetur, traduntur in reliquis præceptis. quorum sextum respicit vitæ propriæ & alienæ defensionem, protectionem, conservationem.

Propriæ vitæ conservatio præcedit, & consistit in suiipsius defensione, conservatione & propagatione.

Defensio vitæ propriæ contra vim & injuriam fit in continenti, cum æquo & pari. *l.3. ut vim.* ubi Dd. *de just. & jure.* de cujus requisitis latè JCti.

Conservatio vitæ propriæ, fit per media utilia & necessaria. *Eph.c.5.29. Col.c.2.in fin. Sirac. c.10.32.c.14. 4. & seqq.c.23.21. c.30.26.*

Propagatio, fit per maris & fœminæ conjunctionem legitimam & liberorum generationem & educationem honestam.

Vitæ proximi conservatio est in ejusdem protectione per amicitiam & alia officia charitatis, victum, amictum & sustentationem quamvis.

Negativum præceptum hoc prohibet odium, corporis humani vulnerationem, lęsionem, mutilationem, percussionem, cædem, exanimationem, & quamvis inhumanam tractationem, *Eph.c.5.29. 1.Cor.c.6.17. Exod.c.23.5.* libertatis naturalis privationem; de qua in Dicæologia latiùs dico.

Præceptum ordine septimum agit de conservã-

da castitate animi & corporis proprii ac proximi, per sobrietatem, pudorem, verecundiam, & modestiam, & quovis alio licito modo defendenda & conservanda. Negativum contrà agit de scortatione quâvis, luxu, lasciviâ & mollitie in verbis, vel gestibus fugiendis, *Gal.c.5.19.*

Præceptum ordine octavum, agit de bonis propriis & proximi conservandis, defendendis, & utendis in commerciis, contractibus & vocatione cujusque propriâ. Negativum prohibet turbationem, interversionem, læsionem, ademptionem, deteriorationem rerum alienarum, & abusum propriarum: improbat fraudes in commerciis & rerum permutationibus, rapinam, falsum, injurias, otium & vitam inordinatam; *2.Thes.c.2.11.c.4.6. Gen.c.3.19.* & quamvis injustitiam, quæ in contractibus perpetrari potest omittendo, vel committendo.

Præceptum nonum agit de bonâ famâ & existimatione sibi & proximo conservandâ & defendendâ per testimonium honestum, & opinionem justam & facta honesta, *Gal.c.6. Prov.c.10.12. Phil.c.4. 8.Sirac.c.41.15.16.c.44.8. & seqq.* Negativum prohibet invidiam, suspiciones pravas, omnis generis convicia, diffamationes, detractiones, sive illæfiant verbis scriptisve, sive facto gestúve, *Levit.cap.19.16.*

Præceptum decimum agit de concupiscentia, & in singulis aliis præceptis secundæ tabulæ suam vim exerit. Cicer. *lib.1.de orator.* Docemur autoritate nutuque legum, domitas habere libidines, coêreere omnes cupiditates, nostratueri, ab alienis, mêntes, oculos, manus abstinere.

In hac tabula secunda sunt præcepta concernêtia statum politicum & Reip. uti magistratum sicuceptum ordine quintum; vel personas, aut bona

subditorum, uti sequentia, *nimirum 6.7.8.9. & 10.*

Quæ cum hisce tabulæ secundæ præceptis pu- 28
gnant, illa dicuntur iniqua, quibus id fieri jubetur, vel prohibetur, quod quisque pro sua vocatione, aut publica vel privata, proximo ex charitate facere vel omittere debet. Deus aliquando relaxat, & pro summa sua sapientia remittit quæ præstanda sunt ex præcepto quinto, sexto & octavo.

Ita Abrahamo mandat filium occidere & immolare contra præceptum 6. Decalogi. Sic & Ehud regem Eglonem interfecit, & Jehu Joramum ex speciali Dei jussu. Ita Hebræis concedit non reddere mutuum & Ægyptios spoliare: ita polygamiam populo Judaico permisit: ita libellum repudii: matrimonium cum defuncti fratris uxore viduâ relictâ; & alia plura, quæ in secunda tabula expresse sunt prohibita. Sed hæc dispensandi potestas hominibus non est concessa. Vide Petr. Martyr. *1.Sam.c.21.6.* Vasq. *lib.1.c.27.illust.contro.*

Quamvis autem hæc lex moralis omnibus etiam gen- 29
tibus sit communis, tamen certas ob causas dicitur solis Judæis & Israëlitis ut propria præscripta fuisse, uti constat ex *Deut.c.4.c.6.c.18. Ps.78.5.6. Ps.103.7. Ps.147.20. Heb.c.8.8.9. Exod.c.21.* & pluribus aliis locis: Primò ideò, quia ob hujus transgressionem solos Israëlitas castigatos sæpè legimus. Deinde, quia promissiones hujus tantùm ad Israëlitas pertinebant, non ad gentes. Ergo & ipsa lex. Tertiò gentes Apostolus ex lege naturæ, Israëlitas verò ex Decalogo arguit, *Roman.cap.1.cap.2.cap.3.cap.9.* Omnibus verò hominibus hæc lex præscripta est, quatenus cum lege naturæ omnibus gentibus communi, consentit, eamque explicat, & à Christo nostro rege est repetita & confirmata, *Matth. cap.5.vers.17.* Hanc Theologorum communem esse sententiam, dicit Zanch. *in oper.redempt.c.11.thes.1.lib.1.*

Quòd dicitur hæc lex abrogata & antiquata, *Roman. cap.6.7. Gal.cap.4. 1.Timoth.cap.1.* intelligendum, quoad maledictionem, & quatenus illa veteris Testamenti & Mosis est, *Hebr.cap.8.Galat.cap.3.* quam nunc aliter Christus quàm Moses olim administrat, & quatenus hodie levis facta per gratiam, quæ olim grave onus, *Actor.cap.15.v.10. 1.Joh.c.5.* Ergo quoad illa, quæ nobis pernicioſa, hæc lex

abrogata; secus, quoad illa, quæ nobis utilia, & quatenus per eam ad appetendam & percipiendam justitiam Christi, tanquam per pædagogum præparamur & ducimur. Novum præceptum dicitur lex hæc, quoad modum, quo nobis inscribitur per Spiritum sanctum, *Joh.c.2.* vide Zanch. *cap.28.de abrog.legis.*

30 Propria lex est, quæ ex lege communi, pro loci cujusque utilitate, conditione & natura, aliisq; circumstantiis particularibus, à magistratu concipitur & constituitur, ut doceat peculiaria media, viã & rationem, quibus liceat certæ Reipub. alicujus hominibus naturalem illam æquitatem præstare, observare & colere.

Hoc ergo jus proprium, nihil aliud continet, quàm praxin naturalis communis juris, politiæ alicui speciali adcommodatam, quomodo scilicet singuli certæ alicujus Reip. cives ad naturalem illam æquitatem contendere & pervenire possint. Unde famula & ancilla juris communis dicitur, & pædagogus nos ducens ad observationem communis juris.

31 Hæc lex ob duas potissimùm causas constituitur, ut ait Zanch. Primùm, quia nõ omnes homines eo ingenio valent, ut ex illis generalibus principiis juris communis, particulares conclusiones & leges pro natura & conditione circumstantiarum cujusque negotii, colligere possint. Deinde, quia lex naturæ non ita efficaciter cordibus hominum est inscripta, ut ea sit ad homines à malo coërcendum & ad bonum impellendum satis efficax: cùm illa doceat tantùm, inclinet & accuset homines. Necesse igitur est, ut proprium jus accedat, quo homines, qui nec amore virtutis, vel odio vitii ducuntur, timore pœnæ, quam hoc jus in transgressores juris communis statuit, coërceantur: arg. *Rom. cap.13. 3.4.* quo sensu dicitur, justo non esse legem positam, sed injusto: *1. ad Timoth.c.1.v.9.*

32 Propria hæc lex habet membra & species.

Membra illius sunt duo, quædam scilicet convenientia ejus cum jure communi, & quædam discrepantia ab eodem.

Ut rectè

Ut rectè Junius observavit *in libello de politia Mosis observat.* & docet JCtus *in l.6. jus civile. de just. & jur.* Nam, si hæc nihil aliud præciperet, quàm communis lex, non constitueret speciem novam: si prorsus contrarium juri communi statueret, iniqua esset, quæ legem communem aliàs immutabilem faceret mutabilem. Necesse igitur omnino est, ut non prorsus discedat à communi lege, eique non in totum sit contraria, neque omnino in totum conveniat & eadem cum illa sit, *l.6. jus civile. de just. & jure, ubi Dd.*

Convenentia hujus cum jure communi est in analogica deductione ex principio, subjecto occupante, & fine utrique juri communibus.

Principium est recta & certa utriusque juris ratio, qua utrumque nititur, & justum concluditur, vel dicitur.

Subjectum occupans est idem negotium & actio, de quibus utrumque jus præcipit, & circa quæ versatur utrumque.

Finis utriusque est justitia & pietas, seu sanctitas, & æquitas eadem bonumque commune in societate humana.

Discrepantia hujus à jure communi est, qua in adcommodatione ad particularia negotia, proprium jus à communi nonnihil recedit, aliquid illi addendo, vel detrahendo, ob circumstantias particulares & speciales, *l.6. de just. & jur.*

Recedit autem ex causa duplici, quarum utraque necessitatem quid addendi, vel detrahendi juri communi præbet, atque ita mutabilitatem, seu possibilitatem & necessitatem justæ mutationis inducit.

Una est melior informatio legislatoris, ex evidente ratione atque utilitate, ob quã ab eo jure, &

diu æquum visum est, receditur, *l.2. de constitut. princip.*

Altera est conditio & affectio, seu natura in negotii circumstantiis, personis, rebus, loco, vel tempore. Harum circumstantiarum, cùm varia, diversa, inconstans & mutabilis sit conditio & natura, fieri non potest, ut unam eandemque dispositionem juris communis per omnia & in omnibus hoc ipsum admittat, ut dicit Junius & Zanchius cum JCtis.

33 Ideoque quoad hasce circumstantias, & discrepantiam à jure communi, rectè hoc jus mutabile, seu mutationi obnoxium esse dicitur: sed quoad convenientiam, quam cum jure communi habet, omnino immutabile.

Prout JCti & cum hisce Junius, Zanchius, Martyr, & Bucerus asserunt. Sic lex communis, seu moralis ex suis principiis concludit, maleficos esse puniendos, at de pœna nihil tradit. Lex propria verò in specie adulteros, homicidas, & similes morte puniendos tradit: quandoque pro ratione circumstantiarum mitiori pœna: ut etiam diversæ pœnæ in lege Mosaica de hisce delictis extant. Lex communis Deum colendum præcipit: Propria lex id in die septimo quovis peragendum esse tradit. Communis igitur lex in genere præcipit: propria verò determinat, & pro usu, utilitate Reipub. & circumstantiis negotii cujusque accommodat. Ideò præcepta Decalogi moralia sunt generalia, nullam pœnam certam, specialem & definitam additâ habentia, quam postea lex forensis politica determinat & addit pro ratione circumstantiarum cujusque facti.

Propria hæc lex, alia apud Judæos in politia Judaica: alia apud Romanos: alia apud alios populos, & alia apud Germanos hodie. Quamvis pleræque omnes Europæ politiæ utantur Jure Romano, quod in D.C. & Novel. atque Institut. est descriptũ.

34 Propria lex Judaica est duplex, ceremonialis, vel forensis seu judicialis. Rom.

Rom.c.9.4. ibi: Quorum est adoptio & gloria & federa & legis constitutio & cultus. *Hebr.cap.9.4.1.Reg.cap.2.2.3.4. 2.Chron.cap.19.8.10. Josu.cap. ult.25.* ibi, Statuta & judicia. *Deut.c.6.1.c.5.12.* Communionem harum legum non habentes, Judæis dicebantur peregrini, *Ruth c.1. c.2.c.3. Joh. c.15.24.25.26.27. Exod.c.21.21.c.23.9. Lev.c.19.33* Ancircumcisi, *1.Sam.c.17.26.27. Lev.c.26.41. Act.c.7.51.* gentes, *Act. c.13.46.47.48.c.15.3.4.5.9.10.c.16.*

Ceremonialis lex Judæorum erat, quæ per politicas, vel ecclesiasticas quasdam actiones, vel res, ad primæ tabulæ observationem & cultum, ob significationem directa erat; seu quę inserviebat pietati & cultui divino; vocatur alibi ceremonia: *Deut. c.4.8.9.14. c.6.1.17.20. c.11.1. Exod. c.12.26.27.* testimonium, *Deut.d.c.4.c.6.1.20.17.* Cultus & religio, *Exod. c.25.26.43.44.c.12.26.27. Rom.c.9.4.* ritus, *Ephes.c.2.15.* mundi elementum, *Gal.c.4.3. Col.c.2.8.20.* ritus, *Col. c.2.14.20.* statutum, *Deut.c.5.1.2.c.6.1.* Junius vocat jus ecclesiasticum: jugum & servitus tropicè dicitur, *Gal.c.4.2.3 c.5.1.* 35

Convenientia, qua hæc lex cum communi consentit, consistit in pietate & tota tabula prima, ad quam ducere debet per exercitia & media legitima, quæ alia populo Judaico præscripta, & alia nobis.

Unde rectè docent Theologi, in cultu ceremoniali tria observanda, ut ille placeat Deo. Primum, ut ceremoniæ istæ inserviant veræ pietati, fidei, spei, & charitati, ut internus cultus cum externis ceremoniis conjungatur. arg. *Johan.c.4.24.* Alterum, ut populus sigilla, quibus promissiones Dei obsignarentur, habeat. Denique ut hisce ceremoniis & cultu externo populus Dei à cæteris distinguatur. De quibus *Rom. c.4. Heb.8.*

Discrepantia, qua nonnihil hæc à communi lege discedit, consistit in peculiaribus quibusdam

factis & exercitiis, personis, rebúsve, quibus populus Judaicus illo tempore & loco ad tabulæ primæ observationem & cultum ducebatur.

Unde pædagogus hæc lex ad Christũ vocatur ab Apostolo ad Galatas. Quod si ab interno & spirituali cultu, à pietate & re significatâ discedat hæc lex, Deo non placet. Vide *Esa.c.1.11.c.66.3. Psal.50.8. Ose.c.6.6. Mich.c.6.7. Ps. 49. Am.c.5.21. Malach.c.2.12. Prov.c.18.8.c.21.27. Hebr.c.10.5.6. Jerem.c.6.20.c.7.22.*

Quoad hanc discrepantiam, lex hæc ceremonialis suâ naturâ est mutabilis. Quoad convenientiam verò, immutabilis & constans permanet.

36 Species legis ceremonialis sunt tres. Sunt enim quædam de adumbratione rerum præsentium; quædam de præteritarum; quædam de futurarum rerum adumbratione.

De significatione & demonstratione præsentium, sunt illæ quarum exempla extant *Gen.c.37.34.cap.44.13.14. Num.cap.14.6. Josu.cap.7.6.* & passim alibi.

De significatione & recordatione rerum præteritarum sunt, quarum exempla extant de paschate, manna, æneo serpente: *Deut.c.26.1.2. & seqq.c.6.20.21.22. & seqq.c.8.2.3.4.* & alia, de quibus *Josu.c.4.5.6. Judic.c.11. in fin. Exod. c.12.26. & seqq.c.16.12.33.34.c.23.15.16.17.18.* & passim alibi.

Ad futurarum & præstandarum rerum memoriam pertinent, quibus de futuro beneficio Dei homines admonebantur: *Gal.c.3.c.4. Colo.c.2.17. Heb. cap.10.* & passim. Talibi ales erant leges de sacramentis & sacrificiis Judæorum, & festis diebus, & aliæ quamplurimæ; de quibus in *Exod.* & reliquis libris Mosis.

Obser-

Observandum hîc est, quasdam leges ceremoniales, suâ naturâ tales esse, quasdam per accidens.

Naturâ suâ ceremonialis est, quæ suâ internâ affectione, principio, ortu, subjecto, & fine ceremonialibus, talis est à Deo imperata. *Lev.c.25.23.*

Per accidens verò, quæ affectione accidente & appendice adveniente, ceremonialis efficitur, cùm aliâs naturâ suâ civilis sit & forensis, ut est sanctificatio sabbathi. Vide Jun. *cap.7. de polit. Mos. observ.*

Forensis Judæorum lex erat, qua illi ad observa- 37
tionem & obedientiam utriusque tabulæ, seu juris communis, in sua politia informabantur & instruebãtur ad societatẽ humanam, pro rerum, personarũ, loci, temporisq; circumstantiis inter se colendam.

Vocatur alibi legis constitutio, *Rom.c.9.4.* Qui sunt Israëlitæ: quorum est adoptio, & gloria, & pacta & legis constitutio &c. ubi Beza in notis. Vocatur etiam judicium, *Exod. cap.21.1. Num.cap.ult.13. Lev. cap.26.3.15. Deut. cap.5.1.2. cap.6.1.*

In hac lege forensi est aliquid mutabile, & aliquid 38
immutabile atque morale

Mutabile est omne id, in quo à lege communi morali variat & recedit.

Immutabile est, quod commune habet cum lege communi morali, nimirum idem principium, objectum, & finem hujus forensis legis, ut doctè explicat Franciscus Junius *de pol. Mos. obser. c.3. & c.1.* atq; exemplis ex *Deut. cap.13.6. Exod. cap.23.5.6.8.9.18.* illustrat.

Species hujus forensis legis videntur esse duæ.

Quædã enim ex his merè politicę: Quædã verò 39
modo quodã sunt hieraticæ, seu ecclesiasticæ, qua-

les sunt, quæ vulgò vocantur τακτικαὶ, ordini, loco, tempori & modo agendi, ad tollendam confusionem & disidia, inservientes.

De quibus alibi Apostolus *1.Cor.c.14.34.40. 1.Tim.cap.1. 12.c.4.8. 1.Cor.c.11.33.* Ejusmodi sunt, quæ ad venerationem & autoritatem verbo Dei conciliandum spectant. *Psal.26.8. Psal.27.4. Deut.c.22.5. 1.Cor.c.11.14.15.*

Hujus generis etiam sunt, quæ serviunt ad conservandum corporis vigorem, & carnis lasciviam domandã, quò promptior & paratior homo ad cultum divinum Deo præstandum fiat, *1.Tim.c.4.8 Luc.c.21.34. Matth.c.17.21. 1.Cor.c.9.27. c.7.26.28.32.34.35. Ephe.c.6.4.*

Referunt alii has τακτικὰς leges ad legem ceremonialem, sed malè, ut patet ex definitione utriusque Legis: sed & Junius eutacticas leges forensibus civilibus annumerat. *c.6 & 7. de pol. Mos. observ.*

40 Observandum hîc, sæpe unam eandemque legem, diverso respectu dici moralem, seu communem, ceremonialem, & forensem, atque adeò mistam.

In ejusmodi lege quod morale est, id perpetuum; quod judiciale, id mutatis circumstantiis mutari; quod ceremoniale, id perire existimandum est.

Tale est præceptum de sabbatho, *Deut.cap.5.20. Exod.c.16.29.c.20.8.9.c.31.15. Lev.c.19.3.30.c.23.3.*

In hoc morale est, quicquid est de cultu Dei, quatenus is uno aliquo ex septem diebus conservatur, exercetur & retinetur exercitiis pietatis, lectione, meditatione & auditione. Politica forensis est cessatio, quies & feriæ à laboribus & curis mundanis die septimo, qui nobis est primus hebdomadis, ne continuis laboribus te aut tuos fatiges & conficias, *Ex.c. 23.12. Deut.c.5.14.20.* Ceremoniale est tempus in hebdomade diei septimi, præcisè Judæis præscripti ad recordationem creationis à Deo absolutæ, *Gen.c.2.1.2. Exod.c.20.10.11.* & ad recordationem liberationis ex Ægypto, *Deut.c.5.15. juncto Exod.c.12.* & quietis futuræ in cælis & à peccato. *Junius c.8.d.loc. Ex.c.31.15. Ezech.c.20. Esa.c.66.23. Hebr.4.8.9.10.* Zanch. *in explic. præcept.4.* Cùm hodie observetur dies primæ septi-

septimanæ, quo beneficium redemptionis completum est: *1.Cor.c.16.2. Act.c.20.7.* & novâ hebdomadem Christus incepit in regno suo.

Ejusmodi quoque est lex de homicidarum involuntariorũ receptu & asylo, *Num.c.3.5. Deut.c.19.3.*

In hac enim moralis est legitima vindicta de homicidis sumenda; ceremonialis est Christianæ liberationis typus in mansione in loco perfugii, usque ad mortem summi sacerdotis, *Zach.c.9.11.12 & seqq.* Forense, ut confessus seu judex judicare & de causa cognoscere posset, ne ante legitimam causæ cognitionem autor cædis ad pœnam raperetur.

Hujus generis est etiam lex de pseudoprophetis, apostatis & transfugis. *Deut.c.13.c.17.*

Hîc enim morale est, sollicitationem ad defectionem & Dei abjurationem & apostasiam, puniendam esse, non illi parcendum, nec illam ferendam esse. Ceremonialis est ratio particularis in Judæis, & multiplex significatio rerum spiritualiũ, & locus in terra Chananæa. Forensis erat pœna mortis, apud Judæos ob circumstantias varias & plurimas usitata.

Huc refero etiam legem de purgatione homicidii, cujus autor incertus est.

De qua *Deut.c.21.* ubi Junius declarat, in qua morale est, de homicidio quæri & cognosci oportere. Ceremoniale est, cæpi vitulam abjugem, in vallem asperam produci, &c. Politicum est, ista ordine fieri ad communem purgationem.

Quibus addo legem de lepra, quæ extat *Lev. cap. 13.44.*

Hæc etiam ceremonialis est, quatenus per illam lepra spiritualis, peccatum scilicet, ejusque natura notatur. Politica, quatenus externo habitu & vestitu leprosus cognoscebatur præ aliis. Moralis erat, quatenus consortio hominum, ob contagionem leprosus erat exclusus.

Sic & sacrificiorum oblationes, de quibus extat *Num.c.18.21.24. Lev.c.27.30. Deut.c.14.5.20.28.* morales erant, quatenus confirmabant fidem offerentium & gratiarum actionem continebant.

Forenses & politicæ, quatenus serviebant ad ministrorum sustentationem, & Judæos ab aliis gentibus discernebant. Typicæ, quatenus repræsentabant pœnam & mortem peccatis nostris debitam.

Sic & decimæ ceremoniales erant, quatenus testabantur omnia nostra Deo deberi. Forenses & morales, quatenus stipendia sacerdotum erant in politia Judaica.

Ita & lex de cadavere suspensi ante solis occasum è cruce tollendo.

Deut.c.21.22. quæ typica est in eo, quò denotat Christi passionem & è cruce depositionem. Moralis in eo, quo pœnæ habet denotationem, & propria forensis, quatenus in politia Judaica erat recepta illique accomodata ad tempus.

Similiter lex de anno jubilæo lata: *Lev. cap.25. Deut.c.15.*

Hæc enim moralis erat, quatenus continebat & præstabat σωσάχθειαν καὶ ἄφεσιν debitorum & onerum excussionem, quâ pauperes juvabantur: & ceremonialis, quatenus futuram illam à peccatis liberationem per Christum præstandam significabat, *Luc.c.4.17.18.19.20.21.* Forensis erat, quatenus anno 50. non alio fiebat, & tribuum differentiam & conservationem continebat in politia Judaica.

Sic & lex de pullis nimis maturè non ablactandis & necandis.

Quæ moralis erat in hoc, quòd esus horum pullorum valetudini hominis incommodet. Ceremonialis in hoc, quòd à crudelitate & humanitate homines abduceret. Politica, quatenus solis Judæis præscripta.

Sic & quintum præceptum continet aliquid morale, aliquid politicum, aliquid ceremoniale. Sic & lex de spicilegio & manipulo messis tempore in agro relicto; *Lev.c.19.9.10.c.23.22.* est politica, forensis & moralis simul. Ita & lex de tectis peribolo muniendis: *Deut.c.22.8.* Similiter lex de pullis avium nō simul cum matre necandis: *Deut.22.5.6.* Item lex de non comedendo sanguine: *Lev.cap.17.26.* & de terra absolutè

absolutè non vendenda, *Lev.c.25.29.* de agro, vel vinea diversis feminum generibus non conserendis: & veste ex lino & lana &c. *Lev.c.19.19.* & plures aliæ.

Hujus quoque generis est lex de primogenituræ jure.

Deut.c.21.17. quæ ceremonialis, quo ad typum primogeniti Christi, *Col.c.1.15. Rom.c.8.29.* Forensis, quoad tribuū & familiarum conservationem in politia Judaica: Moralis, quoad compensationē curæ & impensarum, quas primogenitus pro suis fratribus & sororibus junioribus sustinebat. Omitto nunc plures alias ejusdē generis leges, de quib. *Deut. c.22.9. & seqq.c.15.c.31.10.11.12.13.* & aliis in locis pluribus.

Movetur nobis hic controversia de eo, quòd doctrinam Decalogi politicam esse asseramus, quæ theologica potius aliorum judicio dicenda sit. Hic igitur contra legē homogeneias peccatum à nobis esse, quidam existimant. Unde altum Decalogi apud hosce silentium in politicis. Sed malè, meo judicio. Nam materia Decalogi etiam politica est, quatenus symbioticā vitam regit, & in ea quid faciendum sit, præscribit. Docet enim hæc piam & justam vitam. Piam, erga Deum; justam, erga symbioticos: quib. qualitatibus si symbiosis caret, non tam politica & humana societas, quàm beluina facinorosorum hominum congregatio dicenda est. Omnia igitur & singula Decalogi præcepta sunt politica & symbiotica. In his vita contemplativa & practica omnis occupatur & absolvitur, quamvis primum & ultimum præceptum solam animorum informationem sibi propositam habeant, & merè speculativa sint. Regulam hanc & lucernam pedum nostrorum, ut vocatur *Psal.119.* si politicæ & symbioticæ vitæ ademeris, animam ipsam illi sustuleris, vinculum humanæ societatis & quasi clavum seu gubernaculum in navi ademeris, omninoq; illa concidet, vel in vitam brutam, beluinam & inhumanam mutabitur. Est igitur materia Decalogi politicæ prorsus genuina, essentialis & propria. Ad hanc externam & civilem vitam in verbis, gestibus & operibus, si accesserit vera fides, & cogitationum atq; cupiditatum sanctitas & scopus rectus, gloria scilicet Dei, tota fiet theologica. Sic igitur quando opera Decalogi à Christiano ex vera fide, ad gloriam 42

Dei fiunt, illa Deo placent. Quod si contrà ab infideli & ethnico eadem fiunt, quib. Apostolus etiam decalogi cognitionem & inclinationem naturalem ttibuit, *Rom. cap. 1. & 2.* Deo placere non possunt, quamvis in vita politica ex his etiam infidelis, justus, innocens & integer dicatur. Atque illa est inter Christianorum & infidelium justitiam differentia. Sed & JCti atq; Ethici de negotiis Decalogi utriusque tabulæ tractant, at cuilibet arti & professioni suæ convenienter & accommodatè, ut non misceat merè theologica, vel politica. Ut igitur doctrina Decalogi generalis in Politica essentialis, homogenea & necessaria est: sic specialis & particularis ad singularia & individua adcommodata, est Jurisprudentiæ propria: piam verò & salutarem ad vitam æternam Decalogi doctrinam, quæ pædagogus sit ad Christum, Theologia sibi rectè vindicat.

CAPUT XXII.

Lex propria Judæorum, an utilis Reip. Christianorum, & quatenus abolita.

1 *Æquitas moralis in lege forensi Mosaica immutabilis.*
2 *Æquitas à circumstantiis pendens mutabilis.*
3 *Magistratus & subditi quatenus lege hac propria Judæorum obligentur.*
4 *Libertas Christiana.*
5 *Lex ceremonialis abolita.*
6 *Illam revocans in usum, peccat.*
7 *Lex ceremonialis Judaica neminem obligat.*
8 *Ceremoniæ quousq; durarunt.*
9 *In legibus mixtis morale quod est, immutabile est.*
10 *Lex forensis Mosaica quatenus Christianos obligat.*
11 *Error eorum qui hanc hodie omnes obligare contendunt, refutatur exemplis & rationibus.*
12 *Hodie quædam forenses apud nos iniquæ & inutiles essent.*
13 *An quædam forenses in Republ. nostra locum habere possint.*
14 *Anni principium quodnam.*

15 Chri-

15 *Christus natus in mense Septembri.*
16 *Quo ætatis anno Christus passus.*

HActenus de lege, qua Resp. regenda, administranda, & secundùm quam vita subditorum instituenda est: sequitur de legis propriæ Judaicæ abolitione & mutatione.

In hac generalis hæc regula semper est tenenda.

Quicquid in hac lege propria ceremoniali, vel forensi, est morale, seu æquitatem naturalem, immotam & perfectam exprimit, secundùm rectam rationem communem, vel analogiam justam; hoc esse perpetuum, immortale & naturâ suâ immutabile. 1

Nam in hoc lex propria cum communi, uti dixi, consentit in principio, subjecto occupante & fine utriq; communibus.

Quicquid verò in lege propria, pro ratione circumstantiarum, certi loci & temporis, & pro natura certæ personæ, vel rei, est constitutum, hoc naturâ suâ mutabile & temporale est. In his enim lex propria à communi morali lege variat. 2

Ergo mutabile est, quicquid versatur in particularibus illis determinationibus, ad quas ex immotis principiis communibusq; conclusionib. proceditur, secundùm modum & conditionem singularem, certam, eorum quæ subjiciuntur ordinationi legis, vel circa quę versatur lex secundùm conditionē communem rerū, negotiorum, vel personarum, aut circumstantiarum. Nam non habitâ ratione particularium circumstantiarum, lex communis; lex propria verò secundùm particularem rationem circumstantiarum efformatur & constituitur. Jun. *de polit. Mosis observ. c. 5. 6. 7.*

Quam ob causam lex propria in circumstantiis recipit plurimas mutationes, pro tempore, loco, personis, factis, modo, causis atque adjumentis, tum præteritis, tum etiam præsentibus, aut futuris, publicis atque privatis: *l. 16. aut facta. de pœn.* Quamobrem lex Dei homines sapientes, prudentes & justos, qui de circumstantiis illis judicare possunt, ad Reip.

administrationem constituendos dicit: *Exod.c.18. Deut.c.1. 2.Chron.c.19.* Et quicunque magistratus in administratione humana, omnia consilia sua non ita temperant, ut varietati rerum, varietatem judiciorum accommodent, ii Rebusp. plurimum incommodant, vel potiùs perdunt judiciorum suorum obfirmatione, quia magis constantiâ, quàm consilio judicioq; certant, ut ait Junius.

3 Ex hisce sequitur, Magistratũ in Reip. administratione, morali æquitate, seu lege communi, quatenus illa in propria lege Mosaica est expressa, obligatum esse, hoc est, in iis omnibus quæ cum lege communi consentiunt, in lege propria, teneri sequi eandem; in reliquis verò, in quibus discedit & variat à communi morali lege, & politiæ Judaicæ est accommodata, nequaquam.

4 Nam si Magistratus has Judaicas proprias leges, suâ naturâ mutabiles, aut mortuas, figeret pro absolutè necessariis, libertatẽ, quæ ad ædificationem data est, sibi & aliis tolleret, & jugo servitutis se & alios implicaret, eò quòd ex re libera necessariam faceret, & laqueo gravi & periculoso conscientias impediret, quib. obtruderet leges mortales pro immortalibus, quę soli populo Judaico olim [illegible] fuerunt, & naturâ suâ ob actionum varietatẽ sunt [illegible] obnoxiæ. Et nisi mutatis circumstantiis, ob quas latè sunt, mutentur, & ipsæ iniquæ fiunt, nec tabulæ secundæ æquitatem, & primę sanctitatem adsequuntur, & fundamentum commune rectæ rationis habere desinunt. Proinde graviter peccaret magistratus, qui necessitatem legis propriæ Mosaicæ in Rep. sua urgeret, ubi non eædem circumstantiæ & rationes singulares, ob quas propria lex Judæis lata fuit, militarent.

Sed nunc in specie etiam nobis videndum, quid in lege propria Judæorum ceremoniali, quam vocant, mutabile sit, quidque à magistratu mutari possit, & deinde quid in forensi lege.

5 Lex ceremonialis typica, ad umbram futurorũ instituta, à Christo impleta, prorsus & funditus est sub-

sublata, quoad media, quibus Judæos ad cultum Dei ducebat, hoc est, quâ est ceremonialis, seu qua parte suâ naturâ est mutabilis, adeò, inquam, sublata, ut nunquam suâ naturâ revocari possit, ideò quòd eędem rationes & circumstantię apud nos esse nequeant. Siquidem Christus exhibitus, non potest denuò exhiberi & sacrificium suum repetere.

Magistratus igitur hanc legem in usum revocantes, gravissimè peccarent, & lege illâ renovatâ, vitam Christianis, quantum in ipsis esset, adimerent, Christum abjurantes, & Christi redemptionis fructu privantes cultores illius legis. 6

Nam hujus legis corpus in Christo est. Ideoq; quemadmodum umbræ adveniente sole, dispelli solent, sic & illa lex per Christum est extincta: *Col.c.2.16.* Ne quis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu festi, aut novilunii, aut sabbathorum. *14.* quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi. *Gal.c.5.1.* In libertate igitur, qua Christus nos liberavit, perstate, & ne jugo servitutis regredientes implicamini. *2.* Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum. *3.* Testor enim rursum omni homini, qui circumciditur, eum esse debitorem totius legis servandæ. *4.* Inanes facti estis separati à Christo, quicunq; per legẽ justificamini, & à gratiâ excidistis. *5.6.7. & c. 6.12.13.14.15.* Nam in Christo Jesu neq; circumcisio quidquam valet, neq; præputium, sed nova creatura. *& Hebr.c.8. 8.9.13.* ibi, Dum novum dicit, antiquavit prius. *& c.7.11.12. 13.18.* ibi, Mutato hoc sacerdotio, necessariò quoque legis fit mutatio. & ibi, Fit enim abolitio præcedentis mandati, propter ipsius infirmitatem. *Act.c.18.v.28.29. Matth.c.11.13.14.* Ubi Christus dicit, Legem & Prophetas duravisse usque ad Johannem Baptistam. *& ad Gal.c.4.28. Daniel.c.9.27.* ceremoniales leges, quia accommodatæ sunt tempori prisco, loco, terræ Chananææ, personis singularibus prærogativis ornatis, factisque diversis & modis diversis rerum & actionum variarum, ideò cessantibus illis circumstantiis, non possunt apud nos per Magistratum in usum revocari. Vide tamen *Act.c.16.3.* ad quod respondet Junius.

Ceremonialis lex, quâ talis, ob principium ceremoniale, ad recordationem præstiti & præteriti, accepti & præsentis beneficii, solis Judæis lata fuit, & ad conditionem particularem illius populi accommodata, ideoque neminem hodie obligare potest.

Uti fuit lex in Levit. *cap.25.* Terra ne venditor lege mancipii. Ratio erat, quia Deus se mancipem illius terræ & dominum esse hac lege voluit significare, & Judæis jus suum in hanc terram & regionem in memoriam revocare & repræsentare per ceremonialem hanc legem, quæ in cæteris alioquin civilis erat,

Ceremonialis lex objecto, quæ ideo nimirum, quòd res ipsa, de qua lex imperat, est ceremonialis, vâria fuit.

Extat exemplum *Exod.c.20.* Altare terreum facito mihi. *Exod.c.25.& seqq.capp.*

8 Hæ leges ceremoniales omnes, etsi naturâ suâ, quatenus ceremoniales, sunt mutabiles, tamen secundùm tempora, pro conditione & modo ipsarum, mutationem subierunt.

Earum enim aliæ durabiles fuerunt constanter ad Christi adventum usq; & complementum ministerii redemptionis nostræ & promulgationem Evangelii, tantisper deniq;, dum Resp. Israëlitarum stetit.

Aliæ duraverunt ad tempus usque deportationis Babylonicæ; aliæ ad tempus illud usque, cùm à Salomone templum extructum est & sanctificatum Domino, ut terreum illud altare, quod postea ligneum fuit obductum ære. *Exod.cap.20. c.30. Deut.c.12.6.7.8.9.10.11. & seqq.* Item lacus unus, lavandis sacerdotibus, cùm postea labra lotionis causâ fieri jussit, *2.Chron.c.4.*

Aliæ ad tempus, quo regnum fuit institutum, & donec Judices Reipub. Israëlitarum præfuerunt, *Deut.cap.12.5.6. 7.8.9.10.*

Aliæ denique durationem non habuerunt diuturniorem, quàm, cùm Israëlitæ ex Ægypto egressi, in profectione sua (quæ

(quæ annorum fuit quadraginta) Chananæam versus contendebant, uti comestio agni paschalis, lumbis succinctis, calceamentis indutis & baculo, *Exod.c.12.v.11.* quod tempus ambulatoriæ Reip. Israëlitarum appellamus. Pòst enim fuit stataria, quum in Chananæam sibi promissam advenisset.

Quid, quòd etiam quædam singularia fuerunt, & ad singularem actionem, & horum instituta ceremonialia? cujus generis *Exod.c.12.* exempla extant, ut notat Jun. ibidem, & docet in *cap.7.de polit.Mos.observat.*

Ceremonialis lex, ob finem suum, qui solus ceremonialis, ad figurandum Christum, ejusque personam & actiones, officia & beneficia, olim pertinuit, ideoq; hodie abolita, ut est sanctificatio primogenitorum.

Exod.cap.13. Num.cap.8.16.17.18. Exod.cap.19.22.c.24.5. qui in suis familiis cultum Dei administrarent, quod officium postea Levitis est injunctum, *Num.c.3.12.13.* sed quatenus primogeniti typi erant Christi, eumq; Dei unigenitum & primogenitum donis potioribus & pluribus excellentem nter multos fratres adumbrarent, lex hæc duravit usque ad Christi adventum. *Col.c.1.15. Rom.c.8.29. Psal.45.8. Johan. c.3.34.*

De circumstantiis ceremonialibus similiter judicandum, sive ad speciem ipsam ceremonialem accidant, sive ipsæ per se constituant speciem ceremoniæ.

Ut cùm dicitur; Non facies ullum opus in die Sabbathi, qui septimus erat Judæis, Christianis verò postea primus hebdomadis est factus. Sic & locus Dei colendi, Judæis erat terra Chananæa, & cultui divino Hierosolyma, Sion & templum deputatum; Christi adventu verò hæc lex est sublata, *1.Cor.c.1.* quia umbræ & typi Christi futuri erant. Jun. *d.loc. c.7.*

In legibus, quæ mixti generis sunt, quod morale 9
est, constanter permanet; quod absolutè judiciale, id mutatur circumstantiis; quod ceremoniale, id universè perit.

Jun.*c.8.*ubi etiam respondet ad illa,quæ videntur obstare in *Act.c.15.29.c.21.23.* & *seqq.*

10 Venio ad legem forensem Mosaicam. Hæc similiter in illis, in quib. naturâ suâ est mutabilis, Christianos non obligat, adeò, ut magistratus in administratione Imperii & Reip. suæ liberè ab illâ eatenus recedere possit.

Recipit autem lex hæc mutationes plurimas in circumstantiis, pro tempore, loco, personis, factis, modo, causis, atq; adjumentis, tum præteritis, tum præsentibus, tum futuris, privatis & publicis. Vide suprà.

At in illis, quibus & quatenus analogicè à morali æquitate deducitur, atq; cum eâdem commune habet principium, subjectum & finem, sempiterna, perpetua & constans est, quosvis obligans.

Ita mecum sentit Martin. Bucer. in enarrat. in *Matth.c.5. v.19.* ubi ait, Quicquid pertinet ad pietatem & charitatem in legibus forensibus, (imò addo ego, & in ceremonialibus) illud adhuc hodie durare: at verò quod in hisce externum fuit, ut opus ipsum, locus, tēpus, persona, numerus, qualitas, & aliæ circumstantiæ temporales & corporales, id Deũ nunquam alicujus fecisse: *Esa.c.1.10.11.12.* & *seqq.* Idem sentit Joh. Calv. *lib.4.Inst.c.20.sect.15.16.* Zanch. *in tomo de operè redempt. lib 1.c.10.de leg.Dei.thes.6. De legib.human.* & *de leg.Mosis, thes.1.* & *de legib.polit.Mosaic.* Danæ. *lib.5.pol.c.2.* Thomas Aquinas in prima parte secundę summę, *quæst.104. artic.3.* Pezelius *in part.6.* arg. Theolog. *cap.de legib.polit.* & *part.3.c.de leg.* ex Phil. Melanch. scriptis docet. Ursin. *in explicat. Catech. Heidel.c. de leg. Dei.part.3.* & idem latiùs in tract. Theolog. *c.de leg.divina.* Decian. *lib.2.c.11.n.8. crim. tractat.* Latissimè & exactissimè persequitur Francisc. Jun. *in doctiss. libell. de pol. Mos. observ.* Omitto plurimos alios tum Theologos, tum JCtos hujus sententiæ approbatores & testes, quorum quosdam citat & sequitur Johan. Gœddæus JCtus egregius *in tract. de verbor. sign.* & *de verb. obligat.*

Sunt

Sunt tamen ex iisdem utrisque asserentes, legem forensem omnino esse antiquatam in omnibus, adeò, ut nihil ex illa nos hodie obliget. Sed errant illi, imò & illi, qui asserunt, hanc legem Christianos in solidum, in omnibus suis partibus & circumstantiis obligare, nullâ re exceptâ, errant gravissimè. Quorum sententiam falsam esse ex sequentibus liquidò constat. 11

Nam primò Christus *Matth.cap.5.31.32.* & *cap.19.7.8.9.* Judæorum observationem de divortio & libello repudii sustulit.

Deinde Apostoli ex Christi instituto & voluntate diem sabbathi, qui apud Judæos ex lege propriâ erat septimus hebdomadis, *Exod.c.20.9.10.11. Num.c.15.30.* transtulerunt & immutarunt in diem primam hebdomadis, *1.Cor.c.16.2. Actor.cap.20.7. Apoc.c.1.10.* quæ liberè à Christianis observatur.

Tertiò, Christus sic ex mandato Cæsaris, censum solvit Cęsari, cõtra leges forenses Mosaices: *Matth.c.17.27. Luc.c.2.* & reddi jubet Cæsari, quæ sunt Cæsaris, *Matth.c.22.17.* & *seqq.* qui census tamen à Judæis lege forensi Mosaicâ Cæsari non debebatur.

Quartò, Paulus jure Romanorum, non Judæorum utebatur. *Actor.cap.23.10.* & *seqq. cap.16.17.* & *seqq. c.22.25.* & *seqq.*

Quintò, Judæi in priscâ ecclesia Judaica viventes sub ethnicis magistratibus, horũ, non propriis legibus forensibus Judaicis vivebant & utebantur, uti colligitur ex *Dan.c.6.12. 13.14.25.26. cap.2.12. cap.3.14.15. Jerem. cap.27.7.8.9.10.* & *seqq.c.29. Esth.c.5.cap.6.8.9. Genesic.12.20. Exod.cap.1.15.16.* Sic Joseph in Ægypto ex forensibus legibus ejus populi judicabat. Sic Daniel in Persia Persicis, Nahaman in Syria Syriacis, Cornelius centurio, Romanis legibus; quo argumento utitur etiam Phil. Melanchthon, & Christiani in novo testamento, suorum magistratuum forensibus legib. obedire tenebantur, & vivere secundùm illas, uti colligitur ex *Matth.cap. 17.24.25.26.27. cap.22.21.22.c.23.3.23. Luc.2.3.4. cap.22.25. cap.20.25. Rom. cap.13.1.2.3.4. 1.Pet.c.2.13.14.18. Act.c.16. 4.37.38.39. cap.25.11.12.21.22.* & *seqq. cap.22.24. cap.6.4. cap.26.92. c.27. 1.Corinth. cap.6.1.2.3.4. 1.Timoth. cap.2. 1.2.3.*

Sextò jubentur Christiani, magistratui iniquo obedire in illis, quæ non pugnant cum Decalogo. *1. Pet. c. 2. 13. 14.* Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum. *Rom. c. 13. 1. 2. 3. 4.*

Septimò, leges forenses Mosaicæ soli populo Judæorum; non alii latæ, & ipsius politiæ adcommodatæ fuerunt. arg. *Matth. c. 19. 8. Psal. 78. 5. & 103. 7. Rom. c. 9. 4. 5. Deut. c. 4. 5. 7. 8. 14. 36. 40. Jud. c. 11. 39. Ruth c. 4. 7.* Calv. *lib. 4. Inst. c. 20. sect. 15. 16.* Ursin. *in tract. theol. quæst. 2. de leg. divina.* Jun. *c. 5. de pol. Mos. observ.* Zanch. *in tom. de oper. redempt. lib. 1. c. 10. de lege Mosis, thes. 1. & c. 11. th. 1.* quod intellige, ut suprà dixi, quoad circumstantias, quibus à lege morali discedunt, non in iis, quibus cum illâ consentiunt.

Sed politiâ Judaicâ sublatâ, & cessantibus rationibus & circumstantiis omnibus, ob quas latæ erant, quis easdem leges durare & obligare posse existimabit, cùm Christiani non sint Judæi? *Actor. c. 11. 26. c. 26. 28. c. 24. 5. 2. Cor. c. 10. 7.* in alia quoque Rep. alio in loco & tempore vivant. *Heb. c. 8. Joh. c. 4. 21. 22. 23.* Christus sit exhibitus, distinctio Judæorum & gentium sublata. *Ephes. c. 2. 14. 17. 18. Col. c. 2. 16. Act. c. 13. 46. 47. 48.* tribuum confusio sit facta, quæ stante Rep. illâ præceptâ erat, & Resp. Hebræorum sit eversa. arg. *Gen. c. 49. 10. Actor. c. 6. 14. Joh. c. 18. 31. Dan. c. 9. 26. 27. Luc. 21. 20. 21. 23. 24. Matthei c. 24. 15. Joh. c. 19. 15. 16. Heb. c. 9. c. 8.* Leges hæ erant de Rep. mutabili, modo mutabili latæ, & ad mutationem destinatæ, & propter aliud sancitæ, quæ cuncta hodie cessant. Apud Judæos in politia Judaica, hæ homines ad observationem Decalogi ducere poterant, ideoque valebant. Hodie, quando idem nobis non præstant, neq; ad eandem æquitatem moralem tendant, secus.

Octavò, leges forenses ideo obligant, quòd definiant, quomodo æquitas moralis, disciplinâ & exercitio in prima & secunda Decalogi tabula sarta tecta maneat. Manente igitur & durante illâ æquitate, antiquari, & quæcunq; aliæ ad eundē usum & finem respicientes in locum istarum, pro cujusque Reip. opportunitate & usu substitui possunt. Nec fieri potest, ut, quod hoc in loco & tempore, ex causâ peculiari in hac persona justum est, id mutatis circumstantiis, quę per singula ferè momenta alia aliis succedunt & mutantur, justum perpetuò maneat.

Nonò,

Nonò, simili modo & leges ceremoniales, quando non ducunt nos ad observationem primæ tabulæ, sed sunt contrariæ pietati vel charitati, vim suam amittunt. *Hos. c. 5. 6.* Me benignitate delectari, non autē sacrificio, & cognitione Dei magis, quàm holocaustis. Exempla & testimonia hujus rei vide *Esa. cap. 1. 10. 11. c. 66. 3. Psal. 50. 8. Oseæ c. 6. 6. Mich. c. 6. 7. Psal. 40. Amos c. 1. 21. Malach. c. 2. 12. Prov. c. 15. 8. c. 21. 27. Heb. c. 10. 5. 6. Jerem. c. 6. 20. c. 7. 22.* Sic David rectè comēdit panes propositionis, & Apostoli spicas evellebant, & Christus die sabbathi sanabat, & Levitæ pecudes mactabant. Et Ezechias serpentem æneum contrivit, contra leges ceremoniales expressas. Ratio est, quia leges ceremoniales & forenses sunt ministræ & ancillæ legis moralis, ob cujus observationē sunt latæ, tanquam media, quibus homines ducuntur ad observationem Decalogi. Hoc munus quando præstare desinunt, nullius conscientiam ampliùs obligant, neque Deo gratæ sunt.

Decimò, in negotiis ecclesiasticis ceremonias ritúsve humanâ autoritate διατάξεως & ædificationis ergò instituere licet. *Act. cap. 16. 3. 4. 5. c. 15. 18. 28. 29. 42. c. 8. 17. & c. 14. 22. 23. c. 21. 22. & seqq. Tit. c. 1. 5. 6.* & plurimis aliis locis. Vide Pet. Mart. *1. Sam. c. 14. 24. & seqq.* Ergo multò magis in secularibus & politicis negotiis idem licebit. Et Apostolus quandoque discrimen ciborum habendum existimat, quandoque minimè, *Rom. cap. 14. 6. 7. 1. Cor. c. 9. c. 10. 26. Col. c. 2. 17. 18. 22. 1. Tim. c. 4. 1. 2. 3. 4.*

Undecimò, etiā in politia Judaica has leges sæpenumerò mutatas fuisse legimus, præsertim in pœnis. Nam licet lege morali & naturali æquū sit, maleficia puniri, tamen qualitas pœnæ & quantitas, variè ratione circumstantiarum temperatur, ita ut eadem pœna in eodem maleficio statui semper nequeat. Sic enim eadem pœna furti, apud Judæos semper nō fuit, nec esse debuit, aut potuit. Vide & confer *Exod. c. 22. 1. 2. 3. 4. 5. Prov. c. 6. 30. 31. 2. Sam. c. 12. 5. 6. Jos. c. 7. 21.* Nec homicidii pœna eadem semper: *Num. c. 35. 15. 16. 17. 18. Jos. c. 20. 2. 3. Deut. c. 19. 2. & seqq.* neq; adulterii. vide & confer *Levit. c. 20. 10. c. 18. 20. c. 19. 20. 21. 2. Sam. c. 3. 14. 15. 22. 26. 27. Genes. c. 20. 6. 7. c. 38. 5. & seqq.* neq; eadem pœna scortationis, *Deut. c. 22. 21. 29. Exod. cap. 22. 16. & seqq. collat. cum Levit. c. 21. 9.* idem in pluribus aliis delictis observare licet.

Duodecimò, sunt quædam leges forenses Mosaicæ, quæ in usum revocatæ, hodie in nostra politia prorsus iniquæ essent, quædam prorsus inutiles, mutatis circumstantiis & causis, ob quas olim constitutæ sunt.

Prorsus iniqua esset lex de polygamia, & lex de divortio, de quibus apud Mosen, *Deut.c.21.14.c.24.1.2.3. Matth.c.19.7.8.9.10.* lex de pœnâ seductoris, *Deut.c.13.* De qua re Jun. *c.8. de polit. Mos. observat.*

Iniqua lex de pœna scortantis filiæ sacerdotis, *Levit.c.21.9.* de pœna violati sabbathi, *Num.cap.15.35.36.* de fratris defuncti relictâ viduâ ducendâ, *Deut.c.25.5.* de consuetudine malefici dimittendi in festo paschatis, *Matth.c.27.15.16.17. Luc.cap.2.23.17.18.* & similes aliæ, quarum causæ & circumstantiæ variæ apud Judæos & nos, jus quoque variant.

Essent quoque, ut dixi, quædam istarum legum forensium in nostra politia inutiles, nec necessariæ semper & in omni loco. Lex erat apud Judæos de judiciis in portis civitatum habendis, & causis ibidem decidendis & dirimendis, *Ruth c.4.1.2.3. & seqq. Deut.c.22.15.16.c.17.c.16.18. Exod.c.18.13. Psal.1.22.5. & seqq.* Ratio & æquitas moralis hujus legis erat apud Judæos, ut actus hic publicus cuique è populo innotesceret, & ad eum omnib. aditus concederetur. In nostra politia, quando in curiis, publicisque locis aliis, judicia celebramus, id quod morale est in hac lege, retinemus, quod merè forense, Judaicum, rejicimus, tanquâ non necessarium. Ita & lex de peribolo pro tectis muniendis hodie est inutilis, quæ olim suum usum in terra Canaan habuit, & in locis, ubi ad eandem formam ædes ædificantur, adhuc habere potest, *Exod.c.28.42. Deut.c.22.8.*

In politia Judaica populus per tubam convocabatur, uti lex extat *Num.c.10.1.2.3.4.5. & seqq.* Non peccat magistratus, qui per præconem, campanam, vel aliud signum convocat subditos.

Apud Judæos lex forensis erat, ut Levitæ & ministri tabernaculi ex victimis, oblationibus, primitiis & decimis alerentur, ex iisque mercedem suorum laborum perciperent, *Num. cap.18.8.c.12.13.21.22.24. Deut.c.14.28.29. Levit.c.7.13. & seqq. cap.24.8.9.c.8.31. Exod.c.22.29.c.23.19.c.34.20. Deut. c.12.17.18.* In hac lege, quod est morale, scilicet mercedem laboranti persolvere, manet & hodie, neque unquam mutari

tari potest vel debet; quod verò ad media attinet, quibus pervenire licet ad illam æquitatem, quę est laboris compensatio, illa pro cujusq; Reip. utilitate & necessitate sæpè mutantur. Quid enim, si non sint decimæ ecclesiæ, neque victimæ amplius sunt? an igitur necessariò illam legem urgebimus, cùm alio modo æquè commodo, ad eandem legis hujus æquitatem pervenire possimus, nimirum pecuniâ pro mercede solutâ, sicuti priscas ecclesias fecisse ex Pauli epistolis constat. Lex communis in quavis re, inprimis pecunia mercedem admittit: lex propria Mosaica in decimis, & oblationibus victimisque constituit, quia in iis commodiùs solvi poterat apud Judæos.

Similiter & lege forensi reliquiæ frugum ad alendos pauperes in agris relinquebantur apud Judæos, *Levit.c.19.9.10. c.23.2. Deut.c.24.19. & seqq.* In Christiana Rep. non peccatur, si neglectâ illâ lege, ex aliis rebus, pecuniâ, frumento, pane necessitati & inopiæ pauperum succurrimus. Hîc quod morale est in lege illa, retinemus; in medio, quoad moralem hanc æquitatem, Judæi contendebant, eamque assequebantur, discrepamus. Quid si quę ecclesia, vel Christiani decimas non haberent, nec fruges in agris, qui tamen aliis facultatibus, quibus benefacere proximo possent, abundarent? an hos ab hac lege morali de eleemosyna danda pauperibus excusabimus?

Apud Judæos lex forensis erat de ducendâ uxore ex eadem tribu & cognatione, *Levit.c.21. Num.c.ult. vid. Levit. c.19.* Sigon. *lib.1.c.2. de Rep. Hebr.* & lex erat de interdictâ alienatione rerum in extraneos ad familiarum conservationem, *Exod.c.21.6.7.8. Levit.c.25. 1.Reg.c.21.3.* Hodie cùm cesset ratio, ob quam lex illa constituta, Christi scil. familiæ certitudo, qui jam exhibitus & cognitus est, quare lex illa reciperetur?

Erat quoque venditio liberorum permissa Judæis, *Exod. c.21.7. 2.Reg.c.4. Matth.c.18.23.* & suiipsius venditio, *Levit. c.25.39. & seqq. Exod.c.22.4.c.21.5.6.7.* lex de peribolo loricato ædium habendo, *Exod.c.28.42. Deut.c.22.8.* quæ hodie cessant.

Atque talis quoq; erat lex de viro concumbente cum ancilla, *Levit.cap.19.20.* De bove cornupeta, *Exod.cap.21.32.* De funiculis in quatuor vestimentorum oris, *Deut.c.22.12.*

item talis erat lex de feriis,& quiete agrorum ſeptimo quoq; anno habendâ, *Exod.c.23.v.11.Levit.c.25.4.* quæ apud nos pro fertilitate,vel ſterilitate regionis & locorum varia eſt;plerumq; triennio ſemel agri inculti relinquuntur.

Purgatio ſuſpectæ de adulterio,de poru zelotypiæ, *Num. c.5.14.& ſeqq.* & virginis corruptæ, *Deut.c.22.17.18.& ſeqq.* Lex erat quoque de aſylo, *Deut.c.4.42. Num.cap.35.6.11.& ſeqq. Levit.c.35.*

Lex de pœna lapidationis: *Num.c.15.36. Joſ.c.7.25. Johan.c.8.4.5.* de pœna flagellationis ad certum numerum verberum, *Deut.c.25.2.3.4.* de exſecutione læſi cognatis permiſsâ, *Deut.c.13.10.11.c.17.7.8.*

Apud Judæos ex lege forenſi variæ populi diſtributiones paſſim leguntur,de quibus ſuprà dixi *in cap.de colleg.& cap. ſeq.* quæ in noſtra politia inutiles. Malè quoque mos vetus lugendi mortuos in uſum revocaretur, *Judic.c.11. 2.Chron. cap.35.25.* Item forma & modus veteris ceſſionis in diſcalceatione & ſputo, *Ruth c.4.7. Deut.c.25.9.* & forma lugendi, *Eſa.c.20.22. Ezech.c.24.17. 2.Sam.c.15.16.30.31.* inutiles omnes Judæorum leges de ſervis,eorumque manumiſſionibus, *Levit.c.25. Deut.c.15. Exod.c.21.* Lex de jure retractus in matrimonio, *Ruth cap.4.4.6.* de jure primogenituræ, *Deut. c.21.16.17. Num.cap.3.1.40.41. Exod.c.12. 1.Chron.c.5.1.2.* de modo oppugnandi urbes, *Joſ.c.6.4.5.& ſeqq. Deut.c.20.6.7. 8.* de diſtinctione 12.tribuum, *Num.c.26.* de pœna furcæ,ſeu patibuli, *Deut.c.21.23. Num.c.25.* de jure ſucceſſionis maſculorum, *Num.c.27.8.9.*

Erant & plurimæ aliæ leges forenſes,& conſuetudines à Judæis receptæ, & pro legibus obſervatæ, quæ in illa politia juſtiſſimæ optimæque fuerunt, adeò,ut ſapientiores & juſtiores dari non potuiſſent, quæ tamen in noſtra politia uſum vel nullum habent, vel exiguum, cùm aliæ commodiores ad eandem æquitatem ſpectantes conſtitutæ ſint,vel conſtitui poſſint.

13 Sed quid ſi quædam ex ejusmodi forenſibus legibus Moſaicis,adhuc hodie in noſtra politia apud nos ad moralem æquitatẽ colliment & tendant, ſeu nos ad pietatẽ cultumq; Dei in prima tabula,& officia charitatis ſecundę tabulæ ducere poſſint, an magiſtratus eas in uſum revocare tenetur?

Reſpon-

Reſpondeo, ſi commodioribus legibus & mediis magiſtratus ad moralem æquitatem Decalogi colendam, ſubditos ſuos informare, ducere & erudire non poteſt, teneri; verùm non ideo,quòd ſint, vel fuerint Moſaicæ, ſed quòd noſtræ politiæ adcommodatæ, nos ad obſervationem Decalogi ducant,& ad eandem æquitatem, ad quam apud Judæos, tendant. Sic decimæ ad alendos miniſtros eccleſiæ multis in locis ſunt inſtitutæ, ſicuti lege forenſi Moſaica Levitæ ex talibus alebantur. Ita & primogenituræ jus multis in locis obtinet:lex de non alienanda terra,& de peribolo ſoricato in tectis habendo,& plurimæ aliæ leges forenſes Moſaicæ in locis quibusdam adhuc hodie vigent. Sic pſalmos & hymnos in ſacris noſtris cœtib.canimus, prout David & Salomon in priſca Judæorum eccleſia ordinarunt. Ita Apoſtolus *1.Cor. c.14.26.& ſeqq.* morem prophetandi à ſynagogis Judæorum deſumptum approbat & revocat. Sic & hodie feſta in memoriam dominicæ reſurrectionis & pentecoſtes, ſunt veſtigia legis antiquæ Moſaicæ ceremonialis.Sic &manuum impoſitio ex lege ceremoniali Moſaica introducta & præcepta, ab Apoſtolis fuit retenta. Anni quoque initium lege Moſaicâ forenſi aliud fuiſſe cõſtat, & aliud lege ceremoniali,& aliud nobis hodie. Lege Moſaica forenſi principium anni Judæis ducebatur à pridie Calend.Martii noſtri, *Ex.c.34.22.c.23.11. 16.c.12.2.* ubi Junius in analyſi rectè aſſerit,hoc menſe mundum conditum, & unde opiniones aliorum,mundi natalem 14
in autumnum, vel æſtatem rejicientium, proverierint,oſtendit. Tempore æquinoctii verni,quod incidit in 25. Martii, conditum mundum fuiſſe probat ex eo,quòd Deus *d.c.12. v.1.& 2.* dicit,eum menſem omnium aliorum menſium eſſe principium.Deinde, quòd perfectio rerum eſt tempus vernans,quod Chaldæi,à quibus Judæi illud principiũ vernum habent,ſemper obſervarunt. Perkinſus ſimiliter judicat, naturale anni initium apud Judæos fuiſſe menſem Abib, vel Niſan.Mundus enim,ait, videtur fuiſſe creatus verno tempore, non autumno: quippe Noachus arcam eſt ingreſſus primo menſe: & poſt annum egreſſus eſt ad finem ſecundi menſis. Primus autem vel ſecundus menſis non convenit autumno. Joſephus verò Scaliger, vir ſummus, autumnum anni initium ſtatuit. Planè initium anni ceremonialis fuit menſis ſeptimus, *Ex.c.23.16.* Unde emptiones, ſervitutes &

alia politica negotia initium sumebant. Lege ergo ceremoniali annum Judæi numerabant à mense Septembri, *Exod.d. loc.& c.34.22.Lev.c.23.24.c.25.Num.c.9.* Dissentit,ut dixi, Scaliger,& cum eo amicus meus Ubbo Emmius, vir doctissimus,quam controversiam nunc non examinabo.

In ejusmodi anni duplici principio, hodie apud nos neque politicę forensis,neq; ceremonialis legis autoritas quidquam valet. Observamus enim ex Magistratus nostri approbatione aliud anni principiũ, quod incidit in primum diem Januarii. Malo dicere ex ordinatione & approbatione summi Magistratus, illud anni principium nos habere, quam ob natalem Domini nostri Jesu Christi Servatoris, qui natalis an in finem Decembris incidat,ego dubito ob sequentes rationes.

15 Nam si obtineri potest & doceri, Christum natum in mense Septembri, æquinoctio autumnali,& conceptum in medio mensis Decembris,solstitio hyberno, etiam anni principium in Septembrem erit rejiciendum. Constat autem ex *Luc.c.1.v.26.27.36.56 57.* Christum post sextum à conceptione Johannis Baptistæ mensem,in utero Mariæ virginis conceptum;Johannes verò conceptus est solstitio æstivo, in principio mensis Julii, & natus in Martio. Ergo Christus, qui sexto mense post conceptionem Johannis legitur conceptus, *Luc.c.1.36.26.* fuit conceptus in mense Decembri, & natus in mense Septembri, nono; à conceptionis tempore; quo mense nono naturaliter partus humanus in lucem editur, *Luc.d.c.1.24.26.36.37.Sap.c.7.2. 2.Macch.c.7.27. Job c.10.10.* Fuisse autem Johannem conceptum solstitio æstivo, mense Julio,& natum Martio,probari potest ex tempore sacerdotii Zachariæ, de quo *Luc.c.1.* Certum n. est, sacerdotũ 24.classes fuisse,per vices alternatim ministrantiũ in templo, ita ut duæ familiæ seu classes uni mensi deputatæ fuerint,ut anno seu 12.mensibus quælibet classis semel officiũ suũ obierit, *1.Chron.c.9.25.2.Chron.c.23.8.1.Chron.c.24.& c.27.v.1. & seqq.c.23.& 2.Chron.c.8.26.& 23.8.* atq. *1.Reg.cap.4.7.* septimanis tamen, seu sabbathis singulis mutatio per vices succedentium in eadem classe fiebat, *1.Chron. cap.9.25. 2.Chron.c.23.8.* Vide Sigon.*l.5.c.3.de Rep.Hebr.* ex Josepho *l.2. contra Apion.* & Petr.Mart. *2.Reg.cap.11.c.9. per illum textum*,reliqui Levitæ,qui non erant sacerdotes,erant musici,janitores, vel præfecti ærario, *1.Chron.cap.23.5. & seqq. cap.24.cap.25. cap.26.* Sigon.*d. lib.5.cap.3.c.4.* quorum ministerium menstruum fuisse, constat ex dictis locis. Inter classes autem sacerdotum, octava per sortem fuit adsignata Abiæ, *1.Chron. cap.24.10.* quæ incidebat in mensem Junium,qui quartus à Martio, primo anni mense. Atque hunc ordinem & distinctionem classium ministrantium, earúmque tempora,apud posteros ita semper observatam, constat ex *2.Chron.cap.29.25.& seqq. cap.31. 2.16.17. cap.35.4. & seqq.cap.23.8.18.c.8.26.cap.5.11. & 2.Macch.cap.10.6.7.* ubi unicus actus, quo semel ordo ille sacerdotum interruptus, excipitur. Idem liquet ex *1.Esd.cap.3.4.5.cap.6.18.3. Esd.c. 1.15.16. Nehem.cap.12.44.Luc.cap.1.8.* Sigon. *d.lib.5.cap.3.* Sed Joseph.Scalig. *in lib.de emendat.temp.* aliis demonstrationibus utitur.

Ergo tempore, seu anno, quo Johannes conceptus fuit, prima & secunda classis sacerdotum incidebant in mensem Martium,quo initium anni apud Judæos erat,uti dixi. Tertia & quarta classis incidebant in mensem Aprilem. Quinta & sexta classis in Majum. Septima verò & octava classis, in qua Abiæ posteri erant; *Luc. cap.1.5.6.8. 1. Chron.c.24. 10.* in mensem Junium incidebant. Post hunc statim Johannes conceptus legitur, *Luc.c.1.23.24.* Nam hoc mense Junio festum pentecostes seu septimanarum celebratum à Judæis fuisse constat, in quo festo frugum primitiæ, aristæ recentes tostæ offerebantur, sacrificium certum ex simila, id est, farinâ mundissimâ in clibano aut sartagine coctum, aut craticulâ, aut frumentum igni tostum, quorum pars incendebatur, pars sacerdotibus tradebatur, *Lev.c.2. per tot. imprimis vers.14.15.16.cap.23.10.11.12.13.18.cap.6.7. & seqq. Num.c.15.* Hujus incensi & suffitus mentionem etiam Lucas facit *d.c.1.9.10.11.* Festum hoc pentecostes seu hebdomadarum celebrabatur in septimana septima, finito & absoluto festo paschatis, & festo agitationis: *Lev.cap.23.15.16.11.* ex aristis recentibus,quæ non nisi illo tempore haberi poterant in eo loco. *Lev.c.14.16.c.23.15. & seqq.* nam non longè à paschate messem habuerunt. *Ex.c.9.31.32. Luc.c.6.1.* Ergo festum hoc celebrabatur in principio mensis Junii nostri, & fine Maii.Fiebat n.computatio harum septem septimanarũ,

seu 50. dierum à cessatione offerendarum primitiarum, quæ incidebat in 17. Martii, *Lev.c.23.11.15.16.* Sigon. *lib.3.c.10. de Rep. Hebr.* Hoc festo expleto, functus munere suo sacerdotali Zacharias, dicitur domum reversus, & uxor ejusdem statim concepisse, *Luc.d.c.1.23.24.* Ex quo constat de tempore conceptionis Johannis, qui nimirum in Julio conceptus, & natus in Martio, qui est nonus mensis à tempore concepti Johannis. Et hinc per consequens etiam constat de tempore conceptionis Christi, qui sexto mense post conceptionē Johannis conceptus est, *Luc.c.1.26.36.* h.e. mense Decembri, qui sextus est à Julio, in quo Johannes conceptus, & præterea Christus mense nono ab hoc Decembri, qui incidit in Septembrem, natus. Vide Matth. Beroald. *lib.4.Chron.c.2.*

16 Secunda ratio sumitur ex prædictione Danielis, *c.9.24. & seqq.* quâ Christi nativitas rejicitur in mediū hebdomadis ultimæ. Initium verò hebdomadum est mensis Nisan, seu vernum tempus, in quod etiam desinunt: Wolph. *in Chronol. sive de temp. lib.1. in fin.* quem textum tamen Danielis aliter accipit Junius ibidem in notis. Christum verò in anno ætatis suæ trigesimo quarto cum dimidio completo crucifixū, probatur ex illis, quę in sexta ratione subjungo. Si ergo in 34. cum dimidio anno ætatis Christus mortuus est, in mense Martio, quo pascha celebrabatur, secundùm Mercatorem & Scaligerum, quibus accedit Piscator *Ex.12.3.6.* ubi per quatuor dies servabatur agnus, & quinto mactabatur, qui typus Christi erat: sequitur, retrorsum computatione factâ, eundē annum ætatis suæ trigesimumquartum compleviſſe, & 35. incepisse in mense Septembri, & per consequens eodem fuisse natum.

Tertia ratio sumitur ex umbris legalibus. Notum enim est, quòd Dominus iisdem ferè diebus festis impleverit ea, quæ olim per ceremonias in illis celebratas significata fuêre. Sic festum paschatis impletum in Martio, quo etiam agnus paschalis edebatur. Festū pentecostes per missionem Spiritus S. eodem tempore, quo apud Judæos celebrabatur, nempe in principio Junii, vel fine Maii impletum. Festum tabernaculorum, tubarum, expiationis, quod incidebat in mensem septimum, hoc est, nostrum Septembrem, *Lev.c.23.24. & seqq. 39.40.41.42. Deut.c.16.13. & seqq. Ezech.c.45.18. & seqq. Num.c.29.1.2. 2.Chron.c.5.3.4. 1.Esd.c.3.4.5.6. Neh.c.8.18. & seqq.*

& seqq.2.Macch.c.10.6.7.c.11.9. quo tempore summus sacerdos unctus sanctū sanctorum semel in anno ingrediebatur, *Lev.c.16.29. & seq.* eodem etiā tempore per Christi nativitatem fuit impletum. Solus enim Christus dicitur nostrum tabernaculum, per festum tabernaculorum figuratus, *Hebr. c.9.11.* Solus hic expiatio nostra, qui solus sanctum sanctorū ingressus est, ut ad Hebræos dicitur. Solus hic tuba, quā pater jussit audire, & festum hoc tabernaculorum significasse, perpetuam memoriam de Christi morte & redemptione nostra celebrandam esse cum gaudio, testatur Zacharias *c.14. v.15.16.17.18.19.20.*

Quarta ratio est, quòd annus jubilæus & festum clangoris initium suum accipiebat in mense septimo, hoc est, nostro Septembri, *Lev.c.25.9. & seqq. & c.23.24.* quo anno σεισάχθεια, onerum excussio, & debitorum remissio fiebat, per quas ceremonias significabatur spiritualis lætitia pro liberatione per Christum faciendâ. *Es.c.35.2.3.10.c.48.20.21.c.49. 13.14.c.5.2.9. Lev.c.25.9. & seqq. Deut.c.31.10.11.* atque hic annus jubilæus ἀφέσεως atque σεισάχθειας denunciabatur publicè in principio mensis septimi, hoc est, Septembris; *Lev.c.25.9. & seqq. Deut.c.31.10.11.* Verosimile igitur est, fuisse illam ceremoniam jubilæi anni eodem tempore per nativitatem Christi, ejusque per angelos factam denuntiationem impletam: *Luc.c.2.8.9.10.11.12.13. & seqq. 28.29.36. & seqq.* cùm constet, in nullum alium mensem plura festa incidisse. Vide Sigon. *lib.3.cap.ult. de Repub. Hebr.* & contrà in Januarium & Decembrem omnino nulla. Sigonius *d.loc.*

Quinta ratio est, quòd Christus in anno 30. ætatis legatur baptizatus à Johanne, *Luc.c.3.23. junct. Matth. cap.4.17. Marc.c.1.9.10.11.12.13. & seqq.* Hoc igitur tempore desinebant & incipiebant anni nativitatis Christi. At vero simile est, Christum non in medio brumæ tempore, sed potius in autumno, Jordanum ingressum, *Matth. cap.3.16. Marc.c.1. 9.10.* quo tempore Johannes morabatur in deserto, indutus pilis camelorum, edens locustas & mel silvestre: *Marc.d. cap.1.2.3.4. & seqq.* quod non nisi tempore æstivo fieri potuit. Josephus Scaliger ex comparatione & velut occursu mutuo temporum, scilicet temporis ab encæniis Macchabæi descendentis, & ejus quod à baptismo Christi ac 15.

anno Tiberii Cæsaris ascendit, conficit, Christum omnino natum esse in fine Septembris, aut initio Octobris. Quam sententiam suam multis rationibus aliis roborat, ut eam planè extra dubium collocare videatur.

Sexta ratio est petita ex ipsius Christi testimonio de seipso, *Luc.c.4.17.18.19.20.21.22.* eodem ipso tempore quo cũ Judæis in synagoga de loco *Esaiæ.c.61.1.* disseruit, impletum fuisse, vel impleri annum jubilæum συναχθείας, quo tempore Christus prædicare cœpit Evangeliũ, *Luc.c.4.17. & seqq.* At verò hoc in anno Christi ætatis 30. fuit, statim scilic. postquam à Johanne in Jordane fuit baptizatus, *Marc.c.1.9.10.* & reversus est, *Luc.c.4.1.* & tentatus à Diabolo per 40 dies, *Luc. c.4. 1.2. & seqq. Marc. c.1.12.* post quam tentationem Christus expresè dicitur officium suum incepisse & prædicare cœpisse, *Mat.c.4.17. Marc.c.1.14 & seqq. Luc.c.4.15. & seqq.* & dixisse, impletam ceremoniam & significationem anni ἀφέσεως, *Luc.c.4.14.15.16. & seqq.21.* de qua *Esa.c.61.1.2. 3.4.* & prædicavit hunc annum ἀφέσεως, Christus tuba patris: primùm quidem in Galilæa patriâ suâ Nazareth, *Luc.c.4. 14.15.16. & seqq. Matth. cap.4.12.13. & seqq.23.* posteà dicitur sibi discipulos elegisse; *Johan. cap.1.37. & seqq. Matth. cap.1.16. & seqq.* itemque primum signum & miraculum in nuptiis Canæ Galileæ fecisse, *Johan. cap.2.12.* post quod tempus descendisse legitur Hierosolymam, & ejecisse vendentes ex templo, *Joh.cap.2.12.13. & seqq.* quo facto, festum Paschatis primum, post inceptam prædicationem in mense Martio, in anno ætatis suæ trigesimo cum dimidio celebravit, *Joh.cap.2.12. & seqq. usque ad finem.* In medio etiã quinto anno officii sui, hoc est, in anno ætatis trigesimo quinto, Christum crucifixum probare mihi videtur Dan.*c.9.26.27.* ibi, In medio septimanæ abolebit sacrificium & munus, *Ex. c.12.3.6.* ubi agnus per 4. dies. asservatus, die 5. mactabatur. Alii annum passionis 33. statuunt per text apud Lucam *c. 13.32.33.34.* Ecce sanationes peragam hodie & cras, tertiâ autem die consummabor, &c. *& d.c.13. v.7.8.9.* Nam post baptisma & inceptum prædicationis munus Christus ter dicitur adscendisse ad festum paschatis in urbem Hierosolymam. De prima adscensione extat *Johan.cap.2. v.12.13.14.* de secunda *Joh. cap.6.4.5.* de tertia *Johan. cap.11.55. & seqq.* post

post quam adscensionem etiam captus est à Judæis & ad mortem damnatus, *d.c.11.55. & seqq.capp.*

Septima ratio est, quòd ex historiis Romanorum constet, censuum præstationem Romano Imperatori fieri solitã in mense Septembri, quo itinera omnia sunt pervia & fructus colliguntur, quo tempore Christus dicitur natus, *Luc.cap.2. 1.2. & seqq.* quo ex edicto Cæsaris census in territorio Romano indicebatur, describebatur & exigebatur. *Luc.cap.2.* quod in mense Septembri apud Romanos fiebat: *Novel. 128.*

Octava ratio est ex tempore nativitatis Christi, quo pastores greges suos paverunt noctu in agris, quod neq; olim, neque hodie in terris illis orientalibus in media bruma fieri potest, neque solet, ut testantur historici, sed potius in autumno, ut ex poëtarum & historicorum testimoniis latè probat Wolph. *in suæ Chronolog. lib.1. in fine.*

Nona ratio est, quòd Græca ecclesia olim annum semper à Septembri mense inceperit, ut refert Beroald. Non obstat argumentum, quo adducti, diem natalem Domini in Decembrem contulerunt, quòd scilicet putent, Zachariam sacerdotem ingressum sanctum sanctorum, quod semel in festo tabernaculorum, hoc est, in septimo mense, seu nostro septembri, licebat: *Lev.c.16.2.17. Heb.c.9.* Nam textus apud Luc. *d.c.1.* dicit, Zachariam sacerdotem sortitum sortem functionis sacerdotalis, suffitus faciendi, ingrediendi in templum Domini, *d. cap.1.9.10.11. 1.Chron.cap.24.2.5.19.* Non dicit, Zachariam summum sacerdotem & pontificem fuisse, sed sacerdotem. Pontifex unus fuit, sacerdotes plurimi, *Num.cap.4.* ex tribu Aharonis prognati. Nec Pontifices habebant vices & sortem, ut sacerdotes. *2.Reg.cap.11.9.10.* sed uncti soli erant, *Exod.c.40.15. Lev.c.16. Exod.c.30.10. & seqq.* neque summus sacerdos & pontifex, sicuti reliqui sacerdotes, in classes distributus. Præterea suffitum & incensum factum in festo pentecostes, seu septimanarum in principio mensis Junii, patet ex *Lev. cap.23.5.6.11.12. & seqq. Ex.c.23.15.16.19. Deut. c.16.16.* tempore nimirum, quo erant spicæ recentes virentes, *Levit.cap.2.14.* quo tempore sacerdotes partem similæ comedebant in loco sanctuarii tabernaculi, non in sancto sanctorum, *Levit. cap. 6.9.19.2.*

Chron.c.26.16.18.19.c.9.7. Quibus addo ex Luc.*d.cap.1.11.* ubi dicitur Angelus adstitisse Zachariæ, ad altaris suffitus dexteram. Altare hoc suffitus erat in media parte tabernaculi, hoc est in sancto, non in sancto sanctorum, ut liquet ex *Heb.c.9.* Et munus suffitus faciendi, etiã pro sorte ordinariis reliquis sacerdotibus deferebatur, *1.Chron.c.23.5.&seqq.* Et summus sacerdos, non per dies aliquot commorabatur in sancto sanctorũ, prout hic Zacharias per dies aliquot officiũ fecisse dicitur, *d. cap.1.23.* Ex quibus constat, functionem sacerdotalem Zachariæ non potuisse referri ad illud tempus, quo in sanctum sanctorum põtifex maximus ingrediebatur, quod fiebat in mense Septembri, sed potius ad illud, quo sacrificia & suffitus ordinarii fiebant, quod erat in Junio. Quòd verò dicitur populus expectasse foràs Zachariam, intelligendum est in ostio tabernaculi, *Exod. cap.40.30.31. 32.&seqq.c.38.v.8. 1.Sam. cap.2.22.* seu in atrio domus Dei, *1.Chron.cap.23.5.6.* Nam populo non licebat ingredi domum Dei, sed tantùm sacerdotibus: *1.Chron.c.23.5.6.& Ezech.c.44.Lev.c.16.* Partes verò tabernaculi tres erant; Atriũ, sanctum, & sanctum sanctorum: *Levit.c.16.12.&seqq.* ubi Junius. *Heb.cap.9. Exod.cap.26.* Atrium erat antica pars, ab ortu in occasum, in qua populus conveniebat, *Exod. cap.27.* & ubi ara ænea, ad quotidiana sacrificia, & labrum æneum, aquam sacerdotibus præbens ad abluendum, *Ex. c.26.c.39.Heb.c.9.* Sanctum verò erat pars media tabernaculi atrio proxima, velo ab illo distincta, quæ sacerdotibus ministrantibus quotidie patebat, in qua altare aureum suffitus, seu thymiamatis, in dextero latere, & mensa aurea cum panibus propositionis, in sinistro candelabrum aureum. Sanctum sanctorum denique erat pars postica tabernaculi, velo quoque à sancto distincta, *Exod.c.26. Hebr.c.9.* in quam summo pontifici semel in anno ingredi licebat, *Lev.c.16.* in fine in mense septimo, Septembri scilicet, die decimo, *Lev.d.c.16.29.&seqq.* ubi Junius. *c.23.27. Exod.cap.30.10. 11.12.* In hoc sancto sanctorum stabat arca federis, tecta propitiatorio, seu operculo, *Exod. cap.26.* In *Luc. cap.1.* cùm dicitur Zacharias stetisse ad dexteram altaris suffitus, cùm populus foràs in ostio tabernaculi precaretur, satis apparet, eo tempore Zachariam non fuisse in sancto sanctorum,

ctorum, sed in sancto, in quo erat altare suffitus aureum, ut dixi. Denique constat, Zachariam hunc patrem Johannis illo tempore, quo Christus concipiebatur & nascebatur, non fuisse summum pontificem. Vide Sigon. *de Rep. Hebr.lib.3.cap.3.* ubi scribit & ex Josepho probat, Joazarum tum temporis pontificatum administrasse. Quomodo igitur hic sacerdos Zacharias sanctum sanctorum ingressus esset? Ex his omnibus probabile fit, tempora & festa ordinatia & solemnia à pontifice Romano malè mutata fuisse, ut scilicet implereretur de filio perditionis, qui tempora sit mutaturus, ut quidam illud Danielis accipiunt.

CAPUT XXIII.

De natura & affectione populi.

1 *Populi natura & affectio unde cognoscenda.*
2 *Ex loco & situ regionis quomodo populorum natura cognoscenda.*
3 *Orientalium natura.*
4 *Intermediorum natura.*
5 *Septentrionalium natura.*
6 *Meridionalium natura.*
7 *Habitantium in locis patentibus, natura.*
8 *Montanorum natura.*
9 *Vallensium natura.*
10 *In sterilibus locis habitantium natura.*
11 *In fertilibus locis habitantium natura.*
12 *Robustorum & ingeniosorum natura.*
13 *Populi Judaici natura.*
14 *Magistratum oportet diversitatem ingeniorum in suis subditis scire.*
15 *Ingenium populi subjecti.*
16 *Finitimorum populorum natura noscenda.*
17 *Mali vicini noxii.*
18 *Angeli præfecti populis & regnis.*
19 *Populi ingenium erga superiores unde noscendum.*
20 *Adcommodare se moribus populi an liceat.*

21 *Vulgus inconstans, præceps, judicii expers, credulus, invidus, ferox, turbidus, seditiosus, varius, levis, ingratus, æmulator vitæ principis, n. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 35. 36. 37.*

33 *Unde magistratus populi vitia cognoscere possit.*

38 *Subditorum coitiones & conventicula.*

39 *Bonos exploratos habeat.*

40 *Aulicorum natura & mores teneat.*

41 *Aulici adulatores, detractatores, superbi, fraudulenti, mutabiles, æmuli, delatores, simulatores & dissimulatores, admonitionum impatientes, suspicaces, factiosi, ad oculum servientes, n. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57.*

58 *Quomodo cum amicis conversandum.*

59 *Qui sint adulatores.*

60 *Horum natura & affectus.*

61 *Indicia adulatorum.*

62 *Adulatorum tria genera.*

63 *Adulatores declinandi & vitandi, & quomodo.*

64 *Insidiatores & proditores notandi & puniendi.*

65 *Qui procliviores in vitia proditionis & insidiarum.*

HActenus de lege, regula & norma vivendi & administrandi diximus. Sequitur de natura & affectione populi & corporis consociati, quorum notitia etiam magistratui in regni administratione summè necessaria est.

Boter. *lib. 2. c. 3. de polit. benè constituend.* Populum hîc accipio pro cœtu & plebe promiscua: corpus consociatum, pro membris regni in unum corpus unitis.

1 Populi ingenium, mores, natura, affectio & notitia petenda & cognoscenda est ex natura, situ & sede regionis, ætate, conditione, statu & educatione ejusdem.

Vide Bodin. *lib. 5. c. 1. de Rep.* Lipsi. *lib. 4. pol. c. 5.* Hippol. à Coll. *de princ. c. 8.* Zuing. *in theat. vol. 2. lib. 1. & sequentibus.* Alex. ab Alex. *gen. dier. lib. 4. c. 13.* & Greg. Thol. *lib. 4. cap. 4. & lib.*

& lib. 10. c. 6. n. 17. & seqq. c. 3. Bod. *in method. hist. c. 5.* Boter. *lib. 2. de pol. bene instit.* Scip. Amirat. *lib. 4. discurs. 7.*

Cognoscitur autem ex loco & situ regionis, hominisque natura, si consideretur, an versus orientem, septentrionem, occidentem, meridiem, vel occasum solis, regio sita sit; an illa plana, montosa, ventosa, vel tranquilla. 2

Populi orientales, cæteris naturâ suâ, sunt humaniores & urbaniores. 3

Populi inter Meridiem & Septentrionem siti, quia medium inter calorem & frigus tenent, ideò ipsi quoq; viribus ingenii & corporis simul valent. Ideoque libertate temperatâ regendi sunt, ut sunt Romani, Græci, Poloni, Hungari, Galli, & alii. 4

Septentrionales populi naturâ sunt audaces, animosi, cordati, sed non astuti, neque industrii, verùm simplices, candidi, corpulenti, tardi, fidi & constantes, hilares, vino dediti, inhumani. Quales esse videntur Transsylvani, quidam Poloni, Dani, Sueci & alii. Hi liberiùs in gubernatione sunt habendi; gaudent enim majori licentiâ & indulgentiâ. 5

Meridionales populi contrà sunt solertes, ingeniosi, leves, inconstantes, Veneri dediti, melancholici, quales sunt Saraceni & reliqui Arabes, Ægyptii, Æthiopes, Carmani, Gedrosii, Indi, & plures alii. 6

Habitantes in regionibus patentibus & ventosis, sunt turbulenti, inquieti, inconstantes. In locis tranquillis viventes contrà sunt quieti, constantes. 7

Montani populi sunt duri, robusti, asperi, austeri, atque gaudent majori licentiâ & libertate frui cupiunt. 8

Vallenses contrà sunt naturâ timidi, molles, effœminati. 9

10 In locis ſterilibus degentes, ſunt artificioſi, induſtrii, ſeduli, ſeveri, & arctiorib. vinculis indomitam & feram hominum vitam conſtringi oportere judicant.

11 In fertilibus contrà habitantes, otioſi, voluptatibus dediti. In portu maris fluminúmve viventes, ob commercia & converſationem cum variis hominibus, callidi, aſtuti, lucro dediti, doloſi. Vide Ariſt. *lib.7.polit.cap.7.* Pet.Greg.Tholoſ. *lib.4.c.4. de Rep.* Bodin.Boter.Amirat. *d.loc.*

12 Valentes robore corporis, non ingenio, opus habent rege prudente & gravi, cujus autoritate contineantur.

Qui valent prudentia, virib.autem corporis deſtituuntur, illi cupiunt ſibi dare regem, hominem acrem, bellicoſum & ad res gerendas aptum: ſed qui inter hos medii ſunt, & tam corpore, quàm ingenio valent, libentiùs ab optimatibus reguntur. Pet. Martyr *1.Sam.c.8.*

13 Populus Judaicus, naturâ contumax, præfractus, rebellis, impatiens, pervicax & intractabilis fuit.

Deut.cap.31.27. ibi, Nam ego novi rebellionem tuam & cervicem tuam duriſſimam. *Pſal.95.8.9.10.11. Eſa.cap.48.4. c.65.2. Jer.c.3.3.4.5.c.8.6.c.11. Act.c.7.51. & Pſal.78.* Ideò etiam Moſes quædam hac duritiâ motus ipſi indulſit, quæ aliâs conceſſurus non fuiſſet, *Matth.c.19.8.9.*

14 Deinde, ut regionum mores ſæpe ſunt diverſi & diverſa ſtudia & judicia: ſic & inde nati diverſum habent morum habitum & rationem, & proinde non poſſunt ſimul convenire ſine aliqua antipathia, quæ ſolet quandoque motus, ſeditionem, læſionem & ſubverſionem ſtatus Reipubl. excitare.

Nam

Nam elati, ſuperbi, bellisve aſſueti, facilè pacificis & manſuetis vim inferunt. Mali & dediti mollitiei, bonos mores corrumpunt. *Ezech.cap.16.3. Sirac.c.33.12.13.14.15.16.l. quod ſi nolit.§. qui mancipia. de ædil.edict. Tit.c.2.12.* Alex. ab Alex. *lib.4.c.13.* Greg.latè *d.lib.4.c.4. de Republ.* & Plut. *de gerend. Rep.* Ariſt. *lib.5.pol.c.3.*

Oportet itaque magiſtratum ingenia hominum quos regit, vel in jus civitatis recipit, noviſſe, ne moribus, naturâ, & ingenio diverſos & contrarios conjungat, vel qui alios corrupturi ſunt. Oportet noviſſe etiam mores & ingenia eorum, quibus præeſt, ut his ſe adcommodare poſſit, & ſciat quibus potiſſimùm populus moveri & delectari ſoleat & duci. Vide Ariſt. *l.7.pol.c.6. lib.5.c.3.* imò & ſenum, juvenum, item fœminarum, divitum, nobilium, doctorum, pauperum, & vilium naturam, mores & ingenium ſcire debet. Scip. Amir. *l.4.disc.7.* Qui venantur beſtias, induunt exuvium cervi; qui aucupantur aves, plumatis utuntur tunicis: qui tauros captant, cavent ne veſte rubra appareant, aut elephantis albâ: quòd hoc colore irritentur. Sic qui feram nationem domare vult, ſemetipſum illi ad tempus adcommodet neceſſe eſt. Ita quoq; magiſtratus affectus populi diſcere debet, & ſcire, quomodo paſſiones & affectus populi ad harmoniam & ad legum obedientiam ducere poſſit. Sed tamen ut arbores transplantatæ, deponunt ſæpè noxiam ſubſtantiam, mutatâ culturâ & terrâ: ſic quidam aliò commigrantes, mutant & mores & naturam priſtinam. Greg. *d.lib.4.c.4.n.17. & ſeqq.* & Joh. Bod. *in meth.hiſt.c.5. & d.c.1.lib.5.de Repub.*

Populi verò triplicis, ſui, finitimi & univerſi natura & affectio magiſtratui cognoſcenda eſt.

Populi ſui, ſeu ſibi ſubjecti, affectio & natura, vel conditio, ideò cognita, perſpecta & explorata magiſtratui eſſe debet, ut ſciat, quibus rebus & modis ille ducatur, moveatur, offendatur & regatur; quæ quibus, & quales leges & gubernandi ratio congruat. 15

Ideò Joſephus in exordio ſui magiſtratus obivit totam regionem ſibi commiſſam, ejuſque naturam, conditionem & ſtatum didicit, ut habetur *Gen.c.41.46.* Vide Plut. *de gerend.*

Repub. Inter ſubditos duo civium ſunt genera, plebs & nobilitas. Plebs annonæ abundantiâ exhilaranda eſt, juſtitiæque timore frenanda: nobilitas verò, ut honoris ſtimulo adigitur, ſic pudoris freno corrigitur. Si nobiles non puduerit, ſi plebeii non timuerint, ſi famem hi patiantur, illis aditus ad principem intercludatur, pro re comperta habendum eſt, Remp. minus rectè ſe habere.

16 Finitimi populi naturam, ingenium, propenſionemque noſcere oportet, ideo, quòd cum illo ſæpè res, federa, & commercia, vel bella intercedãt, vel quòd operâ eorũ opus habeat in vita ſociali.

Act.c.12.20. ibi, Petebant pacem, eò quòd aleretur regio ipſorum ex regis agro. *Judic.c.18.7.10.27.* Quamobrem refert mores vicinorum ſcire, an ſint iracundi, inquieti, audaces, pacati, leves, timidi, intemperantes, luxurioſi, ſuperbi, mendaces, vani, avari, laborioſi, auſteri, contumaces, inhumani, duri, agreſtes, molles, vel alii. Quinam tales ſint naturâ regionis, latè docet Bod. *in meth. hiſt.* quem vide *& lib.3.c.1. de Rep.*

17 Mali finitimi & vicini à Deo alicui regno objiciuntur, ad vitia illius reprimendum, vel corrigendum, vel in officio illud continendum.

Sic Philiſtinos Iſraëlitis, Judæis Iſraëlitas, Deus oppoſuit, tanquam repagulum & frenum, *1.Chron.c.4.* adde *Jer.c.50. & ſeqq.* vid. *Judic.c.3.3.* Quamobrem etiam dico, Non expellam eos à facie veſtra, ſed erunt vobis ad latera, & dii eorum vobis in tendiculam futuri ſint. *& c.4.4.* Fueruntq; ad probandum per ipſas Iſraëlem ad cognoſcendum, an auſcultaturi eſſent præceptis Jehovæ, quæ præceperat majorib. ipſorum, *c.10.7. Judic. & Joſ.c.15.63. 1.Chron.c.4. Sir.c.33.15.16.* Sic hodie Turcas Germanis opponit vicinos, & Gallis Anglos, & alii alios vicinos & vindices quaſi delictorum ſuorum habent, uti exempla & hiſtoriæ teſtantur. Vide Comin. *part.1. hiſt. Gall.c.107. & ſeqq.* Nam ſi qui princeps, aut ſi quę civitas ſecura, ſine ullo metu hoſtili viveret, luxuriantibus otio animis, principatus in libidinem & tyrannidem verteretur. quo argumento Scipio Naſica Carthaginem conſervandam eſſe contra Catonem diſſentientem aſſerebat, ne metu ablato æmulæ

æmulæ urbis, luxuriari felicitas urbis Romanæ inciperet. Ita Deus, dum ſingulari providentia principibus & civitatibus excitat æmulos, illis velut quosdam ſtimulos ſubdit, ut alii aliorum metu modeſtè & temperanter ſe gerant. Comin. *lib.5.c.18.* Planè bellicoſarum gentium & in ſuis regionibus parcè & duriter viventium in fertiliores invitatio periculoſa: *2.Reg.c.16.7.8.9. & ſeqq.* ſed & Deus provinciis, vel regnis Angelos præficit. Perſis Angelus à Deo legitur tributus, *Dan. c.10.13.c.12.1.* Macedonæ, *Act.c.16.9. adde Exod.c.13.c.14. Joſ.c.5. Jud.c.6. 2.Reg.c.19.* 18

19 Univerſi populi ingenium, inclinationem, propenſionem & naturam intelligere decet magiſtratum, qui nimirum ſint motus, affectus omnib. ſubditis communes erga ſuperiorem ſibi imperantem.

Quod nullo meliori modo, quàm quòd ipſe aliquandiu imperio alieno obtemperaverit, intelligere poterit. Ex eo n. recolere poteſt, quid ſub alio principe aut noluerit, aut voluerit, & quid tibi obedienti ab imperante, vel contrà fieri volueris, vel minus.

Unde de Galba Tac. Utiliſſimus idem ac breviſſimus rerum bonarum malarumq; dilectus, cogitare, quid ſub alio principe aut nolueris, aut volueris.

20 Deinde conſultum, ut magiſtratus ſe morib. & ingenio populi ad tempus adcommodet, ut intelligat quæ ei conveniant & quæ deceant, & leges convenientes ferat: ita faciliori labore & diutius imperabit. Vide Greg. *lib.22.c.8.n.7.8. & lib.10.c.3. de Rep.*

Eſt verò plerumque natura & ingenium vulgi, & populi univerſi

21 Primò mobile, varium, inconſtans & mutabile, pronum in affectus, quos ponit, vel ſumit varios, imò contrarios ſæpè & diverſos, & plerunq; in bene de ſe meritos ingratum, pro beneficiis maleficia reponens. Scip. Amirat. *lib.5.diſcurſ.3. & lib.20.diſc.4.*

Ita populus Judaicus, modò Christum voluit regem constituere, modò fauſtis acclamationibus Hieroſolymis ingredientem excepit, quem tamen alio tempore ad crucis ſupplicium poſtulavit. Idem populus Judaicus erga Gideonis liberos ingratus, *Judic.cap.8.34.35. junctο v.22.* & idem Moſen primò regem coluit, quem alio tempore trucidare volebat, *Num.c.20.* Sic Judæi Johanni Meſſiæ honorem deferunt, quem tamen poſtea ab Herode in carcerem conjectum, omnes deſerunt. Apoſtoli, qui ebrietatis inſimulabantur à Judæis, pro diis poſtea ab illis habentur, *Act.c.2.3.* Lycaones Paulum, tanquam Deum excipiunt, paulò pòſt tamen lapidant, *Act.c.14.* Melitenſes Paulum homicidam, mox Deum dicebant, *Act.c.28.* David quoq; hanc populi ſenſit mutabilitatem & inconſtantiam. Ab Iſraëlitis rex confirmatur, & ab eisdem regno pellitur & ejicitur, *1.Sam.c.15.adde 1.Reg.cap.12.& 2.Reg.c.15.c.17. 2.Sam.c.20.2.* Profana exempla plurima recenſet Greg. Richt. *in axiom.polit.46.& 339.* Nota eſt Papiniani & Martiani JCtorum eximiorum cædes, Ulpiani remotio, Cominæi incarceratio, Columbi vincula & contemtus. Extant quoq; exempla Ariſtidis, Simonis, Phocionis, Scipionis, Themiſtoclis, Miltiadis, & aliorum virorum præſtantium, qui poſtquam aliquandiu populo placuerunt, imò juſtiſſimè vixerunt, tamen vel exilio, vel ſupplicio poſtea ſunt affecti.

Quandiu indigentiâ, vel neceſſitate aliquâ premitur populus, ſupplex & humilis eſt valdè, & ad eos, à quibus ſe juvari arbitratur, totus inclinat: at ubi ſe ſenſit bene habere, maximè dum divitiis affluit, de ſe mirificè præſumit, unde ad libertatem vel modico vento impulſus ſe accingit, jugum ſuperioris, quantumvis æquiſſimi, excutere, *Eccleſ.c.4.10.11.12.* conatur, & niſi tum, dum audere incipit, reprimatur, periculoſum, ne quod temerè exorſus eſt, perniciosè perficiat: ubi verò vigilantis principis manum imminentem conſiderat, eadem levitate, quâ cœperat præſumere, in ſeipſum redit. Magiſtratus verò ſe vulgo non tradat, ſed prudenter cum illo agat, in caducum parietem non inclinet.

Deinde commune multitudinis vitium eſt, ut nimiâ clementiâ principis ſui abutatur, & nimiâ ſuperbiâ irritetur, & mediũ amet. Vitium illius etiam eſt, quòd magnos ac virtute præſtantes viros plerunq; invidiâ proſequatur, ignavos autem & timidos dignitate ac gloriâ afficiat. Diligit, quorum prudentiam imitari ſe poſſe confidit; quorum verò ſapientiam non poteſt attingere, eos livore & invidiâ inſectatur. 23

Franciſc.Patric. *lib.5.de regno.tit.11.* Quantum itaque potentiæ accedit unicuique, tantum in eum invidiæ creſcit, ita ut virtutis & gloriæ comes perpetuus ſit invidia, calumnia, odium & livor. Exemplo ſit Daniel, qui ob virtutes, invidiam, odium & calumniam ſatraparum ſuſtinuit, *Dan.c.6.* Chriſtus, cujus miracula Phariſæi calumniis inſectabantur. David inviſus aulicis Saulis: Joſephus fratribus ſuis ob virtutes & gloriam exoſus; Scipio Africanus, Themiſtocles, Ariſtides, Hermodorus & alii. Richt. *axiom.295.*

Vitium quoq; populi eſt, quòd magiſtratui ſuo mala incommoda & adverſa, quæ in Rep. accidunt, imputat & adſcribit. 24

Uti populus Judaicus Moſi, *Exod.c.5.21.22.23. Num.c.20.3.4.* Cur nos, congregationē hanc, adduxiſti in deſertum, ut moriamur ibi nos & jumenta noſtra. 5. Et quare feciſtis, ut aſcenderemus ex Ægypto ad adducendum nos in locum malum iſtum, 6.7. & Davidi, *1.Sam.c.30.6.* & futurum magiſtratum magis & plus amat, quàm præſentem, etiam bonum & pium, uti exemplum Abſolomi & Davidis docet, *2.Sam.c.15.10.13.c.19.9.10.41.42.43. Eccl.c.4.11.* Vidi omnes viventes, qui ambulant ſub ſole, adjungentes ſe puero illi ſecundo, qui regnaturus eſt loco illius.

Tertiò, populus eſt præceps, pavidus, ſocors, judicii expers, nec delectu, aut ſapientiâ, ſed impetu, temeritate, ſuſpicione, vel affectu ſuo ducitur. Ideoque ex opinione multa, ex veritate pauca judicat, atque ad plures inclinat, & ex multitudine ſen- 25

tientium, veritatem metitur. & Cic. pro Planc. non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.

Ideoque vanæ populi voces non sunt audiendæ, *l. decur. C. de pœn.* Illi cui regendus, non sequendus, populus est commissus, *l. 3. C. qui manum. non poss.* Scip. Amir. *l. 20. discurs. 4.*

26 Credulus est, qui omnia credit, & quoquo modo audita, pro compertis habet, & facilè falli & induci potest: imò talis utentibus reddi, qualis est dux, vel rector illius. Favet fervidis. Nam populo judice, quicquid modestum, id ignaviæ speciem habet, quod circumspectum & providum segnitiæ. Quod verò abruptum & præceps, id verò forte & virile censetur; ut Lipsius dicit.

27 Quartò, invidus est populus, & ægris oculis alienam felicitatem intuetur, & propria publicis præfert, atque omnium curarum est expers: imò deteriori atque inferiori parti favet, & bonos atq; Reip. utiles cives, vel administratores insectatur vel expellit.

Hinc multi viri præclari & eximii post res feliciter gestas, in exilium fuerunt ejecti, vel alia graviora passi sunt, ex solâ populi invidiâ; ut Themistocles, Scipio Africanus, Scipio Asiaticus, Bellisarius. Est enim commune vitium in magnis & liberis civitatibus, ut invidia virtutis sit comes, & libenter detrahant his, quos altiùs emergere vident: neque pauperes æquo animo alienam opulentam fortunam intuentur. Franc. Patric. *lib. 6. tit. 5.* Spinæus *de animi tranquil. lib. 4.* Cic. *pro Flacco.* O conditiones miseras administrandarum civitatum & provinciarum, in quibus diligentia, plena simultatum est, negligentia, vituperationum: ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio pernicioſa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ &c.

28 V. Ferox, morosus, indomitus & servitutis impatiens

patiens est populus, equo feroci & indomito simili, eâdemque arte tractandus.

Gregor. *libr. 22. cap. 8. num. 5.* Nam, inquit, nisi cum arte & peritiâ sessor noverit tergo equi insidere, omnino excutitur. Ideoque rectè Xenophon *1. pæd.* homines, ait, in nullos magis insurgunt, quàm in eos, quos imperium in se affectare sentiscunt: & omnibus animalibus faciliùs, quàm hominibus imperare poteris, nullumque animal, quod majori arte tractandum est. Cic. *ad Quint. fratr. epist. 1.* Sæpè magistratui pro communibus commodis adeundas inimicitias, dicit, subeundas sæpè pro Rep. tempestates, cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus esse dimicandum; sed hæc ferocia in solis verbis. Nihil enim ultra verba plebs est ausura.

VI. Vetita loquitur populus, & comprimi ne- 29
scit. Famam vel rumorem alit & auget in pejus potiùs, quàm melius, & quando pro voto omnia non succedunt, facilè culpam in magistratum conjicit.

Ideoque rectè Plutarchus dicit, Omni populo inest malignum quiddam, & querulum in imperantes. Et Seneca *de provident.* Quamvis id agas, ut ne quis meritò te oderit, erunt tamen semper, qui oderunt: adeò, ut Plutarch. *in Apoph.* rectè dixerit, Regium esse, audire malè, cùm facias bene. Qua in re populus similis est infantibus, qui pultem à matribus ac nutricibus capiunt, plorare interim non desinunt, sed imperanti vanæ populi voces non sunt audiendæ, & vulgi obtrectationes negligendæ imperantibus; quod exemplis illustrat Scipio Amirat. *lib. 3. discurs. 7.* & nihil esse levius, quàm auræ populari fidere, idem *lib. 5. discurs. 3.* exemplis docet.

VII. Hinc populus est turbidus, seditiosus, re- 30
rumque novarum cupidus, præsentiâ fastidiens, alium statum & conditionem Reip. expetens, quieti & otio adversus, præsertim quando dux est.

Eccl. c. 4. 10. 11. 12. ubi docet Salomo, populares & subditos nunquam suâ sorte contentos esse, ac ne sapienti quidem regi adquiescere, & mutationem expetere; quod patet etiam ex

Absolomi exemplo, 2.*Sam.c.15.10.12.13.* & aliis suprà allatis,*n.24.* & plura adfert Richt.*axiom.237.* Nam animi hominum sunt instabiles & offensi aliquibus incommodis, facilè appetunt alia. Sic Judæi sub Samuele petebant sibi dari regem, iidem in Ægyptum redire cupiebant. Nam ut mare, quod suâ naturâ tranquillum est, ventorum vi agitatur; sic populus suâ naturâ & sponte placatus, hominum seditiosorum vocibus ut violentissimis tempestatibus attollitur, ut ait Cic.*pro Cluent.* At sine rectore & ductore, vulgus præceps, pavidus, vecors, metu, aut spe nimiùm in rebus minimis trepidat, in maximis minimè prospicit, verbis ferox, factis remissus. Aut enim servit humiliter, aut superbè dominatur, aut nimium colit, aut nimium odit. Medium nescit, declinat vel ad dextram, vel sinistram. Libertatem, quæ media est, nec spernere modicè, neq; habere scit. Exemplum hujus naturæ populi extat 2.*Sam.c.15.* ubi Absalom subditorum patris sui animos facilè suis blanditiis ad se allicere potuit, ut secum contra Davidem regem conspirarent. Similiter *c.20.* ubi auctore Schebabo, Israëlitæ à Davide deficiunt, 2.*Reg.cap.10.1.2.3.4.5.& seqq.* Gregor.*lib.22.c.11. de Republ. & lib.10.c.3.c.4.*

31 VIII. Natura & affectio, seu ingenium populi est, ut exemplum, mores & vitam sui summi magistratus imitetur facillimè: faciatque, quod principem facere videt, ex judicio illius laudet, vel improbet.

Est enim subditis omnib. quasi lex ab ipsâ naturâ insita, ut omnia principis facta, dicta, mores accuratissimè imitentur, atq; in id unum intentos habeant oculos, studia, mentes, ut ejus singula vitia, virtutes, omnem demiq; corporis & animi habitum, ipsis animis & mentib. expressum habeant, ut dicit Bodin.*lib.4.c.6. de Rep.* & obsequium inde in principem, & amulādi amor validior, quàm pœna ex legib. & metus. Princeps in alta speculâ positus est, in quam cuncti conspiciunt, & unde vivendi normam sumunt, hocque obsequio ejus benevolentiam redimunt. Unde proverbium; Qualis rex, talis grex: qualis princeps, talis populus. *Sirac.c.10.2.*

Quod adeò verum est, ut princeps, quantumvis simulator

simulator & cautus sit, non tamen possit efficere, quin Resp. suis vitiis non inficiatur, vel virtutibus suis non exornetur.

Unde est, quòd princeps plus exemplo, quàm peccato suo noceat, & vitâ suâ honestâ plus, quàm præceptis & pœnis ædificet. Nam vita principis boni, censura est civium, eaque perpetua; ad hanc solent se cives conformare. Nam

> ——— *totus componitur orbis*
> *Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus*
> *Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*
> *Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

ut ait Claudianus.

Ita Vespasianus bonis legibus à se latis multa correxit in Rep. sed exemplo vitæ probæ plus effecit apud populum, ut refert Aurel. Vict.*in vita ejusd.* Idē de Arcadio & Honorio narrat Zozomen.*lib.8.c.1.* Quoties impius rex Jeroboam dicitur Israëlem peccatis suis seduxisse? David in *Psal.12.* in fine conqueritur multiplicari improbos, improbis imperium tenentibus. & in *Psal.20.4.5.6.9.* ob pietatem regis, subditi incitantur ad virtutis & pietatis studium, & *Psal.seq.* Contrà omnes ministri regis impii, etiam ipsi sunt impii, *Prov.c.29.12.* In politia Romana vitâ impiâ & turpi multa vitia introduxerunt Nero, Caligula, Heliogabalus & plures alii: Item in Rep. Judęorum Jeroboam, Achab, Manasses & alii, 2.*Reg.c.21.* 2.*Chron.c.33.* Vide Cic.*3.de legib.* Non tantum, inquit, mali est, peccare principes, quantum illud, quòd permulti etiam imitatores principum existunt. Nec solùm vitia concipiunt ipsi principes, sed ea infundunt in civitatē, & obsunt, dum corrumpuntur, & dum corrumpunt, plusque exemplo, quàm peccato nocent. Hinc Plato; Si Remp. rectè, laudabiliterq; instituis gerere, virtus tibi cum civibus communicanda est. Quales enim in Rep. sunt principes, tales solent esse reliqui cives. Ideoq; non tam imperio nobis opus, quàm exemplo, uti dicebat Plinius. Vide exemplum Marci Imp. in Capitolino. Ideo lumina populi magistratus vocantur, 2.*Sam.c.21.17.& c.23.3.4.* qui in suos mores formant cæteros. Camerar.*cent.1.c.66.* Georg. Richt.*axiom.pol.120.* qui exempla referunt, Scipio Amirat.*lib.3.discurs.9.* & Simanca *lib.9.c.14. de Rep.*

Hinc ſtudia vulgi cum benevolentiâ & favore principum conſiſtunt & mutantur. Vulgus enim illos colit & admiratur, quos ſcit in gratia & autoritate eſſe apud principes. Rurſus quoq; hos odit, quos videt gratiâ & favore principum excidiſſe.

32 IX. Populus levis, inconſtans & varius eſt, varia agitat, movet, conatur, meditatur, loquitur, quovis tempore, quæ principem, ſeu magiſtratum ſcire oportet: imò etiam ſingulorum ſubditorum vitam & mores ut cognitos habeat, ipſius intereſt, ne illi imponatur à malè conſulentibus, néve mendaciis firment doloſa conſilia, ne cogatur hoc tantùm ſcire, quod conſiliarii loquuntur, atq; ut remedia ordinare, & in tempore prævenire poſſit.

33 Adſequitur autem hoc honeſtè, quando frequenter comitia, ſeu ſtatus regni congregat, audit, & liberè conqueri patitur quosvis.

Joſaphat rex, miniſtros ſuos per omnes regionis & regni ſui partes miſit, qui de ſtatu ſingulorum & univerſorum informati, omnia in melius reformarent. Delatores à quibusdã huic negotio adhibentur, qui clàm à magiſtratu ſubmiſſi, in ſecretiora etiam quæq; privatorum habitacula penetrant, omnia expiſcantur & obſervant, ad ſuperiorem ſubornantem relaturi. Sed ob impoſturas & calumnias horum in bonos & delationes falſas, hoc genus hominũ valde periculoſum eſt. Vide Pet. Greg. *lib. 32. c. 4. ſyntagm. Juris.*

In quibusdam locis conſtituti ſunt in hunc finẽ cenſores, obſervatores, procuratores & advocati jurati, qui quę ad crimina & negotia publica pertinent, ſolicitè inquirunt, explorant, referunt & deferunt magiſtratui emendanda. Unde hi, magiſtratus ſui aures & oculi rectè dicuntur, *Eccl. c. 10. 17.* Ne quidem in conſcientia tua regi maledicito, & in conclavibus cubilis tui ne maledicito diviti. Nam vel avis cęlorũ perferret vocem illam, & ales indicaret verbum, & *2. Sam. c. 18. 13.* aut ſi commiſero ex memetipſo falſitatem, cùm nulla res poſſit à rege celari: an tu ſtiturus es te ex adverſo? *Geneſ. c. 44. v. 5. 15. Levit. c. 5. verſ. 1. 2. Deut. cap. 17. verſ. 2. 3. 4. 5. 6. cap. 13. verſ. 12. 14.*

X. Popu-

X. Populus lucri eſt avidus, ſemperque propria privataque commoda publicæ utilitati præfert. 34

XI. Superſtitioſus, qui errore in ſano amandos timet, & quos colit violat. 35

XII. Ad plures inclinat, atque ex multitudine æſtimat ſaniora judicia: vires famæ dat. 36

XIII. Ludicris delectatur. Seneca: *Vulgo, ſicut pueris, omne ludicrum in pretio eſt.* 37

Coitiones etiam & conventicula ſubditorum, vel vulgi, magiſtratum cognita & explorata habere oportet. Solent enim flabella nocturnis colloquiis, aut flexo in veſperam die, & dilapſis melioribus, deterrimum quemque congregare, atque in ejusmodi conventiculis ſerunt querelas, & ambiguos de principe ſermones & quævis alia turbamenta vulgi, prætexunt ſpecioſa nomina, fingunt varia, & facilè in malum prorumpunt. 38

Valde quoque principis intereſt, ut hominum mores cognoſcat, bonósque virtute inſigni præditos viros, cognitos & exploratos habeat, ut iis uti poſſit pro Reip. commodo. Qua in re excelluit Auguſtus Imp. & Ludoicus XI. rex Galliæ. *Scip. Amirat. lib. 13. diſcurſ. 9.* Malos contrà & noxios cognitos habeat, ut evitare horum miniſteria poſſit. 39

Præterea aulicorum & palatinorum ſuorum miniſtrorum naturam & ingenium ſummum magiſtratum cognitum habere oportet, ut remedium malis adferre poſſit, & præcipitium, lapſum atque ruinam, quam tales magiſtratui & imperio parare ſolent, præcavere; vel mala, quæ imperantibus adferre ſolent, declinare poſſit. Horum igitur aulicorum & palatinorum mores & natura ita ſolet eſſe comparata: 40

41 Primò, in aula & palatio magistratus versantes ministri, toti ex nutu sui principis, velut Dei sui, pendent, *Psal.146.3.* ex hujus nutu vultum suum fingunt, simulant & dissimulant, ac præcipites feruntur etiam ad facta impia, quæ sciunt placere dominis. Sunt igitur injustitiæ & libidinis eorum ministri, vitiis & cupiditatibus ipsorum per adulationem inservientes, absque ulla conscientia,

2.Sam.c.11.3.4.5.6.& seqq.19. ubi Davidis flagitiis, famuli ipsius aulici promptè inservierunt. Ita ministri Herodis, ut placerent illi, Christo illudunt, *Luc.c.23.* & ministri Caiphæ, *Matth.c.26.c.27.* Sic principes Pharaonis illius libidini inserviunt, *Gen.c.12.12.* & Abimeleci, *Gen.c.20.2* & principes Hiskiæ, *Jer.c.38.4.5.c.36.23.24.* & Saulis tyrannidi Ziphæi inserviunt, *1.Sam.c.26.* Sic Saulis insidiis, quas Davidi struebat, serviunt famuli Saulis mentiendo, *1.Sam.c.18.v.21.22. 23.24.& seqq.* & Doëg è servis Saulis, *1.Sam.cap.21.8.9.* & Amnonis libidini turpi inservit Jonadab, *2.Sam.c.13.v.2.3.4.5.* & Achabi vindictæ sui famuli, *2.Reg.c.1. v.6.7. & seqq.* Ita principes libidinum suarum artifices & ministros in aulis facilè reperiunt. *2.Sam.cap.13.v.1.2.3.* Ideoque in aulis plurimi fiunt adulatores & sycophantæ, quàm viri fortes, boni & pii. Rich. *ax.184.* & Reinhard. Lorich. *de institut. princip. tit. de adulat. & seqq.* Quare istis ministris & musicis aulicis non est fidendum, aut illis quidquam committendũ, *1.Sam. c.18.v.21.c.21.v.8.* Soleut enim esse proditores & exploratos bonorum virorum, uti Doëg, *dict. c.22.v.8.9. 1. Sam.* & famuli Saulis, *1.Sam.c.18.v.21 22.*

42 II. Aulici solent esse bonorum virorum æmuli & detrectatores, calumniatores, inimici & explotores, eorumque famæ & bonis insidiantur, etiam laudando.

1.Sam.c.18.20.21.22.c.21.8.9. Esth.c.3.c.7. 2.Sam.cap.10. 1.Reg.c.12. Psal.101.5. De Parmenione Alexandri Magni medicum deferente, Polyb. *lib.4. hist.* & Pet. Greg. *lib.22. c.12.* Sic Joab verba & facta Abneri malitiosè interpretatur, *2.Sam.c.3.24.25.* & principes Ammonitarum verba legatorum Davidis, *2.Sam. c.10.1.2.3.4.* Doëg, de quo conqueritur David, *Psal.52.& Psal.59.* & in genere de suis calumniatoribꝰ, *Ps.109.& 120.& 140.& 52. & 59. Dan.c.6.5.6.7.*

III. In aulis principum maximè ambitiosi, fastuosi, superbi ac pravi fraudum sunt artifices & malorum fabricatores. 43

Prov.cap.6.12.13.14.& seqq.cap.10.10. & seqq. Ostendunt exempla Doëg & Hamani. *Dan.cap.6.6.* Non sumus inventuri contra Danielem ullam occasionem, nisi inveniamus contra eum occasionem &c. *& vers.7.8.9.10. & seqq. Psal.101.5.* Linguâ apud me lædentem clam proximum suum, ipsum exscindam: elatum oculis & tumentem animo, ipsum non potero ferre. *6.* Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut consideant mecum: ambulans viâ integrâ, is ministrabit mihi. Ideoque aula dicitur gymnasium mendacii, adulationis & calumniæ. Franc. Patric. *lib.1. tit.7. de regn.* adeò ut in aulis non tantùm vituperando, sed etiam laudando, bonis calumnia fiat.

IIII. Aulici ex rerum mutatione mutantur & pendent, ac proinde in proprios dominos (quos priùs penè pro diis coluerant) mutatâ eorum conditione, primi crudeles evadunt, & in eos statim conjurant, in favorem alterius potentioris ac rerum jam potientis. 44

Vide exempla *2.Reg.c.12.& c.9.32.33.* & exemplum Zibę & Achitophelis, *2.Sam.c.1.c.16.c.17.* David quandiu erat in gratiâ Saulis, omnibus aulicis erat gratus, *1.Sam.c.18.c.19.* quamprimùm verò illi ingratus, omnes aulici illius odio ipsum habebant, uti conqueritur *Ps.54. & Ps.58. & 59.* Sic Haman in gratia regis existens, ab omnibus aulicis observabatur, *Esth.c.3.* & quia Mardochai in gratia regis, ideò omnes Judæi erant grati, *Esth.cap.9.* & Job de istis conqueritur, *Job.c.30.*

V. Contrà dominorum & potentiorum voluntates in aulis adeò mobiles sunt, ut perrarò aulicæ vitæ periodus eodem favore ad finem usque perseveret; vel quòd satietas capiat principes, cùm omnia tribuerunt, aut aulicos, cùm jam nihil reliquum est quod cupiant. 45

Quod exemplo Sejani apud Tiberium, Clyti apud Alexandrum Magnum, Amanis apud Assuerum & aliorum illustrat Scipio Amiratus *lib.3.discurs.4.* ubi rationes varias hujus mutationis aulicæ adducit.

46 VI. Aulici, quos vident esse in gratia regis, odio habent clam.

Exemplo sit Isaac, qui gratiosus apud Abimelec, sed odiosus Philistæis, *Genes.c.26.* David, qui apud regem Achis gratiosus erat, apud illius ministros aulicos exosus & invisus fuit, *1.Sam.cap.29.* Daniel regi erat gratus, sed aulicis ipsius ingratus, *Dan.cap.6.* Sic & Aman & Mardochai, *Esth. cap.6.*

47 VII. Aulici gratiâ & autoritate pollentes, parem ferre in aula non possunt, sed conantur illum expellere arte, dolo, technis, insidiis, delationibus.

Sic Joab non potuit ferre Abnerũ, *2.Sam.c.3.* & Amasam, *2.Sam.cap.20.* & Achitophel Husai, *2.Sam.cap.17.* & Aman Mardochai, *Esth.c.3. & 5.* David conqueritur *Psal.35.15.* Cùm claudico, lætantur congregantes se apud loripedes, ut non animadvertam, lacerant ac non silent. *16.* Inter hypocritas, facetos, sanniones, faceti frendentes contra me dentibus suis. *20.* Contra quietos terræ res fraudulentissimas loquuntur & excogitant. *21.* Et dilatant contra me os suum, *25. & seqq. Psalm.62.5.10.11. & Psalm.64.4.* Qui acuunt, sicut gladium, linguam: intentant, ut sagittam suam, verbum amarulentum. *5.* Jaculis petendo ex latebris integrum, repentè jaculis petunt eum, neq; timent. *6.* Confirmant sibi rem malam, narrant de abscondentibus laqueis, dicunt, Quis videt illos. *7.* Perscutantur iniquitates, conficimur iis quæ callidissimè sunt perscrutati, *Jer.c.9. Prov.c.26.18.19.* Talis fuit Doëg contra Davidem, *1.Sam.cap.22. & Psal.52.* Siba contra Mephibosceth, *1.Sam.cap.15.* Haman contra Judæos, *Esth.cap.3.* Alcimus, *2.Macch.cap.14.* Principes contra Danielem, *Dan.c.6.* & socios quærunt contra pios conspirantes, *Psal.4. & 62. Esa.cap.5. Dan. d.cap.3. & seqq.* simulantes amicitiam verbis, coram illis quos oderunt, *Prov. cap.23.cap.27.cap.6. Psalm.55.21.22.* Cujus blanda sunt verba butyrina, dum bellum insidet animo illius, cujus melliora quidem verba oleo, sed stricti gladii sunt; *Psalm.62.per tot.* Unde tales cognoscantur, videre licet *Prov. cap.6.c.16. cap.17.cap.26. Sirac.cap.13.cap.19.cap.27.* Exemplum extat *1.Sam.c.18. Dan.cap.6. 1.Sam.cap.22. 2.Sam.cap.16. Nehem. cap.6. & 2.Sam.cap.3. Jerem. c.38.* Quomodo bonos in odium adducant mendaciis suis aulici, vide *Esth.cap.3.6.cap.4. 7.* Ita Siba detulit dominum suum, *2.Sam.cap.16.* & principes Danielem, *Dan.c.6.* quales ex aula sua David se expulsurum testatur *Psal.101.5. & seqq.*

VIII. Aulici solent esse simulatores & dissimulatores, aliud ore dicunt & profitentur, aliud factis suis declarant & demonstrant, & odia fallacibus blanditiis velantur. 48

Ita Joab sub specie salutationis occidit Abnerum, *2.Sam. cap.3.* Absolon fratrem Amnonem in convivio interficit, *2.Sam.cap.13.* Saul Davidem sub specie amicitiæ cogitavit perimere, *1.Sam.18.* Amasiæ aulici, sub specie amicitiæ deferunt & calumniantur Amos, *Amos cap.7.10.11.12.13.* Itaque in aulis frons, vultus, oculi sæpè mentiuntur: oratio verò sæpissimè: *Psal.62. & Psal.55.* Abner & Joab imagines sunt aulicorum, *2.Sam.c.3.*

IX. Vita & via aulicorum palatinorum est valde lubrica & periculosa. Nam aula plena est fallacibus amicis occultisq; insidiis, quæ latet in simulatione officii, aut aliquo necessitudinis vinculo. 49

Eleganter horum mores describit *Sirac.c.13.13.* Ne des operam, ut ex æquo alloquaris eum, & ne credas pluribus verbis ejus: nam multa locutione probaturus est te, & tanquam arridens perquisiturus res tuas occultas, *14.15. & v.7.* Si opus te habuerit, seducet te, arridens tibi, & faciet tibi spem, alloquens te bonis verbis ac dicens, Quid opus est tibi. *v.5.* Si utilis fueris, operà tuâ utitur: quòd si deficaris, afflicturus est te. *6.* Et si habueris, convictor erit tuus, cumque exhauserit te, tum non laborabit ipse &c. adde *Prov.c.23.c.26.* David, *Psal.109. & 120. & 140. & Ps.55.22.* Cujus blanda sunt butyrina verba, dum bellũ insidet animo ejus: cujus molliora quidẽ verba oleo, sed stricti gladii sunt.

Exempla historiarum satis ostendunt, eos, qui unicè adamati fuerunt, in aula à principibus in crucem tandem actos esse. & Scip. Amir. *lib.3.c.4.* notabile exemplum in Sejano, in Clito, Plautiano, Seneca, & aliis adfert. Ita mutabiles sunt voluntates aulicorum, ut vix bonus etiam aulicus possit effugere invidiam & calamitates alias. Ita David primò Sauli gratus, postea invisus, *1.Sam.c.16.* Plura exempla profana adducit Rich. *ax.180.& 196.* Unde illud: In aulis in occulto stat invidia & avaritia: in aperto verò adulatio, simulatio & ambitio. Sic inviderunt Abimelechi aulici felicitati Isaaci, *Genes. cap.26.14.15.16.* & aulici Pharaonis Josepho, *Gen.c.39.c.40.* & Saulis Davidi, *1.Sam.c.16.c.18.* & regis aulici Danieli, *Dan.c.2.c.3.c.6.*

50 X. Illud quoque inter cæteras aulæ artes, delatoribus & adulatoribus est solemne, mentem principis metu, ira, aut quocunque affectu turbare, ut ei veluti cæco, pro arbitrio illudant. Exemplis illustrat Antimach. *lib.1.theor.2.* Claudii, Severi & aliorum principum.

51 XI. Aulici non ferunt liberas admonitiones. Vid. Camerar. *lib.1.oper.succis.cap.90.* Ideoque periculosum esse solet, veritatem in aula dicere. Exempla adducit Camerar. *d.loc.* & Rich. *ax.181.* neque ferunt acerbas facetias, familiariaque colloquia libera, neq; obsequia præstita, aut beneficia in principem collocata, exprobranda iisdem.

52 XII. Aulæ fœcundæ sunt crudelibus consultoribus, præsertim quando princeps est crudelis & suspicax. Ita Hanon ab aulicis crudelis redditur, *1.Sam.c.20.* & Rehabeamus, *1.Reg.c.12.*

53 XIII. In aulis semper sunt factiones inter se certantes & se invicem exagitantes, prementes & odiosè persequentes. Eorum aulicorum, qui suis dignitatib. inviti privantur, magnum est odium in eos qui ipsorum sunt successores, *2.Sam.c.20.8*

XIV. In

XIV. In aulis plerisque plùs est παρέργων quàm ἔργων. 54

XV. Aulici quantò magis principi gratiosi sunt, tantò plùs ambiunt, cum magna tamen aliorum invidia, & suo sæpè periculo & exitio, matrimonia sua sorte majora: oblata verò ultrò à principe, non prudenter illa aspernantur.

XVI. Aulicorum affectantium gubernacula Reipub. hæ sunt artes, ut principes avertant à rebus publicis cognoscendis, illisque voluptates pro tædio hujusmodi objiciant: aut in secessus aliquos & peregrinationes eos animi gratiâ procul abducant. Vide Aulicum nobiliss. Everhardi à Weyhe *in Duro di Paschalo.* 55

XVII. In aulis plerumque benè meriti & in dignitate constituti, gratiâ excidunt, & pro præmio mala accipiunt. 56

Ita Papinianus & Martianus JCti tandem occisi, Ulpianus remotus, Comminæus incarceratus, Columbus contemtus. Johann Gebhard Werner in Tischreden/c.11.

XVIII. In aulis ad oculum præstantur servitia & obsequia, & aliud agentes & aliud loquentes inserviunt suis cupiditatibus. Plura monita aulica tradit Scipio Amir. *lib.5.discurs.1.* 57

Possunt tamen pii esse aulici & fuerunt, uti Joseph. *Genes. c.41.* David, *1.Sam.c.16.* Daniel, *Dan.c.1.* Nehemias, *Neh. c.1.* Obadia, *1.Reg.c.18.* Asia, *Jer.c.36.* Mardochai, *Esth.c.1.* Centurio, *Matth.c.8.* Regulus ille Capernaitanus, *Joh.cap.4.* Camerarius reginæ Candaces, *Act.c.8.* Cornelius, *Act.c.10.* quidam domestici Cæsaris, *Phil.cap.4. in fin.* Nahaman, *2.Reg.c.5.* & tales etiam impio regi inservire possunt, exemplo Nehemiæ, *Neh.c.2.* Danielis, *Dan.cap.6.* Michæ, *1.Reg. c.12.* Josephi, *Gen.c.41.* Mardochai, *Esth. c.2.& seqq.* Principes quidam Hiskiæ, *Jer.c.31.7.8.9. & seqq.*

Præterea etiam amicorum & adulatorum mo-

res, naturam & ingenium magistratus debet scire, ut illis fidere, hosce verò fugere possit. Vide Plutarch. *de discrim. adul. & amici.*

58 Amicis propriis non est fidendum, neque etiam prorsus diffidendum. Diffidentia aperta, alienat amicos probos. Confidentia nimia, decipit plerumque confidentes.

Nam si jus violandum, ait tyrannus, regnandi causâ violandum est. Et mutabiles sunt hominem voluntates, eorumque animus regnandi cupidus. Vid. Greg. *lib. 22. cap. 11.* Nec simulationes a veritate distingui semper possunt, ut factum Zopyri ostendit, & plura alia, de quibus Greg. *d. loc. num. 7. 8. 9.* ubi probat, plures reges à suis, quàm ab hoste interfectos.

59 Adulatores sunt, qui gratiam magistratus venantur & captant quovis modo, verbis gestúve, ad omne vitæ institutum, omnesq; affectus se adcommodantes, *Ezech. c. 13.* & ministri libidinis principis, qui servit ipsorum arbitrio, dedecori & flagitiis. Quorum naturam & ingenium probè noscat magistratus & intelligat, quorũ assentatio dulce venenum, dulcis perditio dicitur, quæ regem omni judicio spoliat, adeò cùm sit amentissimus, statuat tamen se nullius consilio indigere, & se omni virtutum genere esse cumulatum. Unde superbia & aliorum contemptus & alia facinora. Efficit quoque adulator, ut regem habeamus effrenatâ mente præditum, infinitâ libidine furentem, hominibus perditis & profligatis obnoxium, fortibus & moderatis maleficum, & injustum, ferocem, infestum, levem, ineptum, amicorum ope destitutum.

2. Chron. cap. 24. 17. Post mortẽ verò Josaphati venientes principes Judæ incurvarunt se, honorem habentes regi: tunc auscultavit eis rex. *Prov. cap. 26. 23. 24. 25. 26. & seqq. & c. 23. Hoseæ cap. 7. 3.* Malitiâ suâ exhilarant regem, & mendaciis suis principem, *Dan. cap. 6. 8. & seqq.* ubi divinos honores Dario tribuunt; & Herodi, *Actor. cap. 12. 22. 23. Proverb. cap. 29.*

Adulatorum igitur natura est, placentia loqui & se ad placitum alterius accommodare, *Esa. c. 30. 8. & seqq.* dum tribuunt bonum, quod magistratus non habent; vel approbant malum, quod habent; vicina virtutibus vitia, pro ipsis virtutibus prædicant, & vitia virtutum vocabulis incrustant, avaros frugales, prodigos liberales, timidos prudentes, audaces fortes, & sic de aliis judicantes & vocantes. Osor. *lib. 3. de reg. institut.* & ita nutriunt vitia. Pet. Greg. *lib. 8. c. 7.* Malos principes hi reddunt deteriores, bonos verò corrumpunt, & publicum fontem, unde omnes bibunt, veneno inficiunt. Quod exemplis probat Greg. *d. loc.* Plutarch. *de discrim. adulat.* Scip. Amir. *lib. 11. c. 1.* 60

Adulatorum mos est, ut principibus, tanquam hirudines, facultates exsugant & pecunias, quæque in negotia ardua & necessaria impendenda erant, ad se transferant quovis prætextu.

Unde fit, ut ob penuriam pecuniæ in hosce proteos & moriones impensæ, utilia negotia intermittantur, & nova onera populo imponantur. Post exhaustum verò ærarium, tales adulatores & hirudines subtiliùs se ex aula expediunt, & ut pediculi exanimata corpora, ita principem deserunt, ut bene notat Pet. Greg. *lib. 8. c. 7.* Camer. *oper. succis. c. 90.* Richt. *ax. 104. & 105.*

In more quoque habent, ex levi causa principes in subditos, & hos in principes concitare, pacem & concordiam inter principem & subditos

tollere, & omnia tranquilla turbare, conjurationes & conspirationes excitare. Ideoque adulatores hosce meritò insidiatores & proditores dixeris.

Prov.c.29.5.c.6.24.c.26.28. Ps.5.10. Psal.10.7.& Ps.55.22. Vide exemplum Doëg, *1.Sam.c.22.9.10.c.21.8.9. cap.23.19.* Osor. *lib.3.de reg.instit.*

Fœminæ etiam quædam malitiosæ blanditiis suis maritos suos decipere & seducere solent.

De quib. *Prov.c.31.3. Sirac. cap.4.1.2.3.cap.19.2.& seqq. cap.25.* quales fuerunt uxores Salomonis, Achabi & aliorum, Richt. *ax.75.*

61 Indicia adulatoris sunt, 1. in faciem laudare præsentem. 2. vituperare ea, quæ ille, cui placere studet, vituperat. 3. Admirari & magnificare illum. 4. officiosum esse, plumas, pilos, floccos de vestibus sublegere. 5. Gestire & applaudere ad occursum, more canum. 6. instar polypi & Protei mutare & componere mores suos in gratiam alterius, ejusque mores imitari & assumere. 7. cum fortuna tandem cedere & deserere priorem fautorem. *dixi in civili conversat.c.3.*

62 Ex quibus constat, adulatorum tria esse genera. Sunt enim quidam scurræ, quidam delatores, quidam consiliarii applaudentes & assentantes, qui omnium adulatorum pernicios issimi & periculosissimi, quidam qui specie laudandi sibi invisos opprimunt, quique calumniam laudis tegumento tegunt, qui palàm laudant, quò incautum decipiant.

Constantinus Magnus tineas soricésque domus adulatores appellavit. Et miser est Imperator, apud quem vera reticentur, & cujus aures ita formatæ sunt, ut tam aspera, quàm utilia, audire non velint, & nihil nisi jucundum accipiant, quod est pulvillum sub capite vel cubito positum, ut dicit Ezech.

Ezechiel *c.13.* vide de his latiùs Antimach. *lib.1. theor.2. Patrici. de Repub.lib.4.tit.3.4.5.& seqq.* Bened.Aret. *tom.2.loc. 105.* Richt. *ax.polit.104.& seqq.*

Videat igitur princeps, ut adulatores & simulatores à veridicis & candidis, vera à mendaciis separet, perpendat quæ sibi, quæ Reipub. utilia sint potiùs, quàm quæ sunt jucunda: amicum & fidum sibi non existimet, qui contra Dei præcepta turpia illius approbat, vel mala bona dicit. Semper habeat suspectam blandiloquentiam, verborum fucum, & liberè, sincerè, simpliciter, dextrè vel ruditer dicentes monentésve audiat potiùs. 63

Nam homo malus declinat redarguitionem, & quærit homines qui adblandiuntur suæ nequitiæ: *Sirac.c.32. v.20.* & qui auscultat corripienti, scientiâ præditus est, *Sirac.c.10.v. 28.c.20.v.7.*

Vitari potest adulatio, quando princeps semper liberam sibi sententiam reservat, atque adulatoribus non datur aditus, vel loquendi potestas, nisi quando interrogantur. Scip. Amir. *lib.2. de regni & regis instit.*

Insidiatorum denique & proditorum ingenia & mores princeps observabit, qui seipsos linguâ propriâ plerunque prodere solent, & inter mœnia atque in sinu urbis hostes versantur. 64

Sunt verò ad utrumque vitium proditionis & insidiarum proni maximè, avari, animo perfidiosi ac subdoli, nec non homines leves, instabiles & ex anticipiti mutatione temporum pendentes; item dissimulatores & occulti, qui non cognoscuntur antequam proditus sit magistratus. 65

Contra utrumque, insidiatorem & proditorem, magistratus utetur indagatione & pœnâ.

Indagationem inquisitionemque promovet præmium propositum & vigilantia.

Pœna de convictis statim est sumenda, nequaquam condonanda, ut ab ejusmodi sceleribus alii deterreantur. Vid. Lipsi. *lib. 4. c. 10. in fin. polit.*

CAPUT XXIIII.

De natura & affectione Imperii duplici.

1 *Affectio consociati corporis erga magistratum ex usu imperii orta.*
2 *Imperium subjectum casibus.*
3 *Objectum odiis.*
4 *Idq; ob mores imperantium exosos.*
5 *Prosper successus reddit imperantes securos, superbos, crudeles & insolentes.* (mittum.
6 *Subditorum ingenium erga imperantes varium & indo-*
7 *Imperium suâ naiutâ desiderabile.*
8 *Imperii novi natura.*
9 *Hereditarii Imperii natura.*
10 *Mutationes periculosæ in regno novo.*
11 *Quomodo mutationes necessariæ instituendæ.*
12 *Novi Imperii natura.*
13 *Remedia ad benevolentiam conciliandam.*
14 *Imperium exiguum, latè patens, periculis obnoxium.*
15 *Imperium gratum & acceptum quod.*
16 *Benevolentia subditorum quibus mediis comparetur.*
17 *Benevolentia in quibus consistat, & quibus adquiratur.*
18 *Lenitas in verbis & factis.*
19 *Lene Imperium tutum & gratum.*
20 *Lenitas conspicua in levamentis.*
21 *Clementia temperanda.*
22 *Pœna quando & quomodo sumenda.*
23 *Severitas temperata.*
24 *Oblivio injuriarum.*
25 *Moderatio iræ.*
26 *Beneficentia causa benevolentiæ.*
27 *Beneficentiæ usus temperatus ex cautione triplici.*
28 *Publica beneficentia qua, & in quibus.*

29 Odium

29 *Odium concitatum quomodo mitigandum beneficentiâ.*
30 *Odium contributionum quomodo temperandum.*
31 *Indulgentia in quibus.*
32 *Benemerendi de Rep. studium, benevolentiam conciliat.*
33 *Hoc studium ex quibus actionibus appareat.*
34 *Gubernatio imperii ad salutem subditorum directa.*
35 *Alienatio rerum & bonorum imperii, magistratui inter-*
36 *Bona propria magistratus distincta à bonis Reip.* (dicta.
37 *Quid juris princeps in bonis Reip. habeat.*
38 *Reddendæ rationis necessitas incumbit principi.*
39 *Cæsaris obligatio de non alienandis bonis Imperii.*
40 *Mortuo principe imperium ad Remp. redit.*
41 *Populus non prorsus ab administratione removendus.*
42 *Temperamentum imperii gratum.*
43 *Salus subditorum gubernatori proposita, & num. 44.*
45 *Quare tutor, pastor dicatur princeps.*
46 *Ejus cura tempore calamitoso & periculoso.*
47 *Ignavi principis exempla.*
48 *Administratio ejus alligata legibus.*
49 *An solutus magistratus legibus.*
50 *Ad contraria allata respondetur.*
51 *Odium in magistratum unde.*
52 *Vitia odium parientia.*
53 *Hæc sunt ultio, avaritia, crudelitas, sævitia, læsio atq; offensio subditorum.*

ATque ejusmodi est populi natura & ingenium erga magistratum: sequitur de consociationis universalis, seu consociati corporis affectione erga magistratum ex Imperii naturâ, vel ejus usu administratione orta.

Talis affectio corporis consociati erga suum magistratum est, quæ comitatur imperantes, ex Reip. & administratione conciliata, vel nata. 1

Ejusmodi affectio est duplex. Una ingenerata, naturalis & perpetua. Altera conciliata, accidentaria, immutabilis.

Ex naturali suâ perpetuâ affectione imperium casibus est objectum, vel odiis, & mutationi.

2 Variis casibus suâ naturâ objectum esse ideò dico, quia propter varios casus est instabile & fluctuans, quod subitò dejectum ruit & collabitur totum, cùm pars aliqua adimitur.

Ita Seneca *in epist.* rectè, Nihil, ait, inausum est fortunæ. Adversus imperia idem habet juris, quod adversus imperantes. *Et lib.6.de benefic.c.33.* Non enim in imperio his gradibus, quibus ad summa perventum est, retrò itur: sæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil interest. Et Tacit. *2.hist.* Imperium cupientibus aut habentibus, nihil medium inter præcipitia, aut summa. Exemplum præbet rex Crœsus, Dionysius, Nebucadnezar, *Dan.c.4.* Adonibezec, *Judic.c.1.* Darius victus ab Alexandro, Nero interfectus, Achab & plures alii. adde *2.Sam.cap.15. 2.Reg.c.10.* Scip.Amir. *lib.18. discurs.8.*

3 Odiis objectum imperium ideò dicitur, quia exosum suâ naturâ subditis, ob duplicẽ causam, nimirum, ob mores imperantium, & ob ingenium subditorum, hoc est, culpâ imperantium vel subditorum.

4 Ob mores imperantium exosus, eorundem scilicet naturam & impotentiam, quòd ob potestatem & imperium proniores & faciliores reddantur ad peccandum, & ideò soleant esse licentiosi, pervicaces, superbi, qui flecti non minùs existimant turpe, quàm vinci, ut ait *Seneca lib.6.c.3.de benef.* luxuriosi, intemperantes, injurii in alios, tyranni, qui sub specie juris evertunt jus, amant delatores, tuentur malos, & bonos expellunt, & quia sunt in metu, ideo adimunt loquendi audiendique commercium, ad omnes suspiciones pavidi, avari, duri, austeri, socordes, negligentes in officio.

Tales fuêre Abimelech, Saul, Roboam, Achab, Sardanapalus, Cambyses, Tarquinius Superbus, Caligula, Nero, Domitianus, Diocletianus, Julianus, & alii plures.

Hisce

Hisce imperantium affectib. qui suâ naturâ illis ex imperii dulcedine & licentiâ innasci solent, si accesserit prosper successus, dici non potest, quàm vitia illa augeantur. Nam ex prospero successu imperantes fiunt securi. Ex securis fiunt insolentes & superbi, Deo & hominibus exosi & detestabiles. Superbiam verò sequitur ruina, quâ vel everruntur prorsus, vel ad agnitionem suę infirmitatis redeunt: unde tres gradus & periodos fortunæ ipsorum observare licet. 5

Primùs gradus est securitas, orta ex successibus prosperis. Hæc facit homines negligentiores & minùs circũspectos. Obliviscitur securus primò Dei, & precum, quæ fiunt languidiores, & cogitationis de divino auxilio, & sibi perpetuam felicitatem persuadet. Deinde obliviscitur suæ infirmitatis.

Secundus est superbia, quæ oritur ex securitate, quâ seipsum quis admiratur, & propriis viribus confidit, & vel non necessaria contra vocationem aggreditur, vel majora viribus tentat, sit iracundus, morosus & crudelis; φίλαυτος & ἰδιοθελευτὴς.

Unde & quidam ob superbiam titulos & honores divinos usurparunt. Vide Greg. *lib.6.c.12. de Rep. Dan.c.5. Ex.c.5.2. c.14.26. Jud.c.3. 2.Macch.c.9.*

Tertius gradus præcipitat in eversionem & ruinã. Nam cùm venit superbia, venit ignominia, *Prov.c.18.12. c.6.17.c.15. Ezech.c.28.* Exempla fortunæ hujus apparent in Saule, Nebucadnezare, Crœso, Pausania, Pompejo, C. Julio Cæsare, Alexandro Magno, Ajace, Sennacherib, C. Caligula, Domitiano, Dario, Pharaone, Antiocho, Holopherne, & aliis. Vide Gregor. *lib.22.c.6.de Rep.*

Obrepunt igitur in rebus secundis etiam excellentibus viris hæc vitia, securitas & superbia, quæ comitatur ruina. *1.Thes.c.5.* Cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis supervenier interitus. Veteres dixerũt, fortuna, quos nimiùm

fovet, ſtultos facit. Deus verò potentes de ſede deponit, & exaltat humiles, ut Maria canit, & ſuperbis reſiſtit. Vide Camerar. *oper ſucciſ. centur. 1. cap. 12.* Richt. *axiom. 294.* Tholoſ. *d. lib. 22. c. 6.*

Præterea difficillimum eſt, magnam potentiam moderari & continere intra metas, præſertim in ſucceſſibus magnis, ex quibus ſuperbia ingens oritur, quæ parit ingentes ſpes, & confidentiam, & ſpiritus intolerabiles. Alexander Magnus ante victum Darium modeſtus fuit: poſt captam verò Babylonem & Darium victum, inſolentiſſimus, ſuis exoſus & tyrannus crudelis. Nam totum ſe dedidit voluptatibus, libidinibus & helluationibus, & voluit adorari tanquam deus & vocari filius, non Philippi, ſed Jovis Hammonii: interfecit optimè de ſe meritos, Clytum ſenem, Parmenionem & ejus filium Philotam. Hanc inſolentiam & ſuperbiam ſecuta eſt ruina & mors Alexandri & totius regni. Eſt enim nemeſis comes ſuperbiæ, & odium ſuorum ſubditorum. Nemeſis verò illa ſuperbos punit, primò errore in conſiliis, deinde infelicitate eventuum in rebus gerendis. Odium ſubditorum oritur ex moribus impotentiæ imperantis, quibus regnum in exitium adducit. *Prov. c. 16. 18.* Antecedit calamitatem ſuperbia, & ruina comitatur elationem animi.

Experientia ſatis ſuperque teſtatur, ex luxu, deliciis & mollicie ſemper naſci ſuperbiam, inſolentiam & arrogantiam, quæ vitia mox regna & urbes in manifeſtam perniciem trahere ſolent, Camer. *cent. 2. oper. ſucciſ. cap. 30.* unde luxuriantes principes meritò odio habentur à ſubditis. Lipſ. *in monitis & exemp. poliic. lib. 7. c. 6.* Tholoſ. *lib. 22. cap. 5. c. 6. de Repub.*

Maxima igitur regia virtus eſt, ſibi poſſe imperare, & affectus ſuos cohibere, deliciarum irritamenta dignitatis inanes titulos, adulationes, fraudes, & alia omnia, ad quæ regnandi libertas & licentia inclinat & impellit, præcavere poſſe. Sirac. *c. 31.* Paulatim enim indulgentiâ fortunæ & pravis magiſtris etiam boni diſcunt & audent peccare, & à felicitate, vel impunitate & diuturnitate, ſuperbia imperantium ſuâ naturâ creſcit & magis fit intolerabilis & odioſa; quæ aliis vult imperare, cùm nondum ſibiipſi imperare poſſit.

6 Deinde culpâ ſubditorum, vel ob ſubditorum mores & ingenium, imperium odiis eſt objectum, ideo, quòd populo difficile naturâ ſuâ ſit parere, & quòd populus belua ſit multorum capitum, qui nec in bono magiſtratu adquieſcere poteſt.

Eccleſ. c. 4. 10. 11. 12. Ideò etiam pii magiſtratus calumniis obnoxii fuerunt, uti Moſes, *Num. c. 14. per tot. & c. 13.* Gideon, *Judic. c. 6. c. 8.* Jephthe, *Judic. c. 11.* David, *1. Sā. c. 30.* Samuel, *1. Sam. c. 12.* Daniel, *Dan. c. 6.* & plures alii, quibus populus ſine judicio, omnia ſua mala & incommoda imputare ſolet, uti conſtat ex exemplis ſuprà in populi natura allatis, *num. 30.*

Atq; hinc regnum fit obnoxium inſidiis, & magiſtratus redduntur meticuloſi, ſuſpicaces, & anxii. Ideò ſuſpectus ſemper & inviſus dominantibus eſt æmulus, ſocius, vel par potentiâ, & quisquis proximus deſtinatur.

Ita naturâ quoq; comparatum eſt, ut quod felix, auguſtum & pulchrum videtur, id deſiderabile ſit, & quo pulchrius & magis ab omnibus deſideratur, eò difficiliùs cuſtoditur, imprimis quod à pluribus appetitur. Principatus autem ab omnibus ambitur, ſed ab omnib. obtineri & poſſideri nequit. Proinde qui in eo gradu jam eſt, ut principatu fruatur, tot ſibi habeat neceſſe eſt inimicos & invidos, quot habet cupidos & ambitioſos inhiantes, & ſibi veneno, ſtratagemate, dolo, vel via aperta, inſidiantes. 7

Vide Greg. *lib. 6. c. 10.* ubi de miſeria, calamitate & periculis imperantiũ & de ambitione regnandi, ejuſq; malis hiſtoriis refert plura. *& lib. 7. c. 17. & lib. 10. c. 4.* Richt. *ax. 78.*

Mutationi denique objectum eſt imperium, ratione qualitatis vel quantitatis ſuæ.

Ratione qualitatis, dum imperium eſt novũ, ſuffragio, vi vel jure quæſitum, vel cum membris ſuis concors, aut mutuis diſſidiis, odiis, ſimultatibus laborat. Pro hisce enim variè attemperandum eſt ſceptrum, aut laxandæ vel adducendæ imperii habe- 8

habenæ, ut dicit Lipſ. *lib.4.polit.c.6.* Greg. *lib.10.c.4. & lib.7.c.4.* Bod. *lib.6.c.5.de Rep.*

9 In hæreditariis Imperiis, quæ alicui familiæ parére didicerunt, principi plus juris & minus difficultatis erit, quando majorum ſuorum veſtigiis inſiſtit.

Hîc enim ſubditi liberam vivendi rationem non norunt: Secus in cæteris, ubi omnia ſummo cum periculo mutanda, vel externa adminicula adhibenda ſunt.

10 Novationes & mutationes periculoſæ ſunt in regno novo, quando mutantur ea, in quibus veteres autoritatem ſuam poſuerunt, ut ait Livius.

Saul ideò duos annos inſtar privati vitam egit, ſine aula & miniſtris in regno novo. Auguſtus in imperio novo noluit rex vocari. Tiberius appellationib. antiquis ſalutari voluit. Clapmarius vocat hæc imperii arcana. Ut enim arbor crebriùs agitata atq; à loco in locum mota, altas radices agere nequit: ſic & Respub. ſæpè legum mutatione & varietate convulſa, firmari non poteſt. Ex mutatione quoq; crebra legum contemptus.

11 Novationes & mutationes inſuper odium procreant apud populum, & periculum adferunt.

Boter. *lib.2.c.7.* ut accidit Alexandro Magno, cùm relictis ritu & moribus Macedonum, ad Perſicos transiiſſet, ut & Dario, & aliis. Vide Bodin. *lib.4.c.3.*

12 Quòd ſi omnino neceſſariò mutationes inducendæ ſunt, paulatim & ſenſim illud eſt faciendum, non ab extremo ad extremum: ſicuti natura non violenter, ſed paulatim operatur.

Sic Hebræi contra Moſen murmurabant, flentes, quòd non eſſent cucumeres & pepones, *Num.c.11.* quibus aſſueti in Ægypto fuerant. Scip. Amir. *lib.1.diſcurſ.8.* Vide Patric. *de regn. lib.6.tit.6.* & Simanc. *lib.4.c.10.de Rep.* Greg. *lib.22.c.8.* Richt. *axiom.291.*

Novum regnum, ſeu magiſtratus, qui repentè naſcitur, ut cętera, quę repentinum ortum habent, nec adhuc radices egerunt, ferè quovis tempore ad-

verſo extinguitur; niſi princeps ſummo ingenio, dexteritate, prudentiâ, aliâque potentiâ, inprimis clementiâ & famâ illius ſit præditus.

Vide exempla apud Greg. *lib.7.c.19.c.4.de Rep.* Scip. Amir. *lib.1.diſcurſ.8. & lib.20.diſcurſ.7.*

In hoc conſultũ eſt, ut novis ſubditis utilia quædam concedantur, quibus ipſorum benevolentia comparetur, & populus non irritetur. 13

Vide *1.Reg.c.12.7.* Bod. *lib.6.c.5.* Quam ob cauſam Galli regnum Neapolitanum non diu (ut diximus & ſuprà) obtinuerunt, quòd ſubditi commoda majora, quàm ſub priore ſuo rege habebant, nõ conſequebantur. Vide Boter. *lib.5.c.1. de polit.conſt.* Ergo hîc conſultum eſt, priſcæ conſuetudinis ſaltem umbram retinere, & omne prioris dominationis & politiæ deſiderium populo adimere, eaque retinere, quæ veterem Reip. formam uteunque repræſentant: *1.Reg.c.12.25. c.28.38.* & veteres officiarios Reip. Bod. *lib.4.c.3.* Tholoſ. *lib. 22.c.8.* Conſultum quoque, ut ſuis legibus vivere populo permittatur, & antiquis uti moribus. Inprimis etiam in novo regno curandum eſt, ne principes novos titulos & honores inconſuetos ſibi uſurpẽt, vel aliquid in contemtũ novi regni faciant, quod malè ipſis cedit; ut Julio Cæſari, qui in ſenatu officioſæ debitæque humanitatis oblitus, ſenatoribus non aſſurrexit, Sueton. *c.18.* Octavius verò titulum regium inviſum non uſurpavit. Exempla plura recenſet Scipio Amir. *lib.1.cap.1. diſſert.polit.* Deinde præcavendum, ne viri magni inopiâ premantur, & ob hanc accendantur amore priſtinæ Reip. & moliendi contra præſentem Reip. ſtatum, ut omnis occaſio, cupiditas & voluntas nocendi adimatur. Coloniæ etiam in novum regnum transferendę, ut charitate & cognatione novi ſubditi cum veteribus devinciantur; ut hodie fit in India occidentali & orientali. Obſervandi quoque divites & potentes, quorum potentia eſt minuenda. Non novi homines, contemtis indigenis, ad dignitates evehendi. Clapmar. *lib.2.c.23.de arcan.Rerump.*

Ratione quantitatis imperium mutationi eſt obnoxium, dum eſt exiguum, nullis confederatum, vel vires ſuas diſperſas habet. Ideoque po- 14

tentia propria magistratui est cognoscenda; quanti reditus ordinarii, extraordinarii, unde & quâ ratione, & quo tempore conficiantur, quantas copias educere, & quamdiu alere possit, & quales sint confederati.

Quò verò latiùs patet imperium, eò plures ad Reip. gubernacula sunt admittendi, majoriq́ue ad illud regendum prudentiâ, ordine, publicâ privatáque justitiâ opus est, ne statim corruat.

1.Reg.c.3.9.c.4.23. 1.Chron.c.24.& c.26. Adde, quæ dixi suprà de regno amplo & populoso, *cap.9.n.9.10.*

Extrinsecus assumpta & conciliata affectio imperii est, quam ex directione & administratione magistratus, quæ illi vel benevolentiam vel autoritatem conciliat, accipit. Prout igitur hæc bona, maláve, ita imperium subditis laudabile, gratum, vel exosum, invisum & grave redditur.

Unde Imperii natura duplex: una subditis grata & laudabilis: altera exosa, invisa & gravis: utriusque notitiam habere & causas scire, magistratus maximè interest, ut illam, quantum potest, consectetur: hanc contrà summè fugiat & vitet. Petrarch. *de Rep. optimè administrandâ.*

15 Gratum, acceptum & laudabile imperium subditis redditur à magistratu, quando benevolentię & reverentię affectum apud subditos excitat & fovet, vel opinionem de se præclaram apud subditos sibi conciliat & retinet.

Unde affectio Imperii accidentaria conciliata duplex: una benevola, altera reverens. Boter. *lib.1. c.8.9.10.& c.11.de constit.polit.*

Benevola

Benevola affectio est, quæ ex benevolentia subditorum erga magistratum concepta, oritur. 16

Charitate enim & benevolentiâ civium potiùs, quàm armis septum oportet esse magistratum. Et facilè princeps suis imperat, quando eorum voluntates suâ sponte ad parendum sunt comparatæ, & obsequentiores subditi, opes suas conferunt, statum & imperium firmant & amplificant. Plin. *in panegyr. in Trajan.* Fidelissima principis custodia est ipsius innocentia & benevolentia subditorum. Idem ibidem sub bono principe. Ea est principis & populi inter se æmulatio, ut contendant, uter alterum magis amet. Exemplum vide *2.Sam.c.19.43.*

Benevolentia illa, est subditorum in magistratum ejusq́; statum prompta inclinatio & amor, ut definit Lipsius *lib.4.polit.c.8.* 17

Hæc valde utilis & necessaria magistratui, quòd ab eo, quòd placeas hominibus, actionum omnium sit efficacia: ideo à Plin. *in paneg.* dicitur fidelissima custodia magistratus, hæc benevolentia.

Hanc subditorum benevolentiam magistratus sibi comparat lenitate, beneficentiâ, indulgentiâ & studio bene merendi de Rep.

Lenitas consistit in factis & verbis benignis & humanis, quę comitate & alloquiis, incorrupto honore magistratus, officia provocat; atque imperio justo, moderato & severitate ac lenitate temperato & tranquillo utitur in subditos, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem, domiti ut pareant, non ut serviant, ut sit moderata servitus, & moderata libertas. Hinc quies & fides. 18

Exemplum humanitatis vide in rege Atthasasta, *Nehem. cap.2.4.6.7.8.9.* in Davide, qui subditos suos fratres vocat, *2.Chron.c.28.2.* in Augusto, Antonino & aliis. Commoda lenitatis magna sunt. Nam princeps clemens, subditis obsequentioribus utitur, uti diximus, & clementiâ opes &

ſtatum ſuum firmat,& imperium amplificat; imò facilè imperat iis,quorum voluntates ſuâ ſponte ad parendum ſunt comparatæ. Nihil enim eſt,quod magis homines ad obediendum impellit, quàm Imperii explorata æquitas,& nihil quod magiſtratum aliis magis amabilem & gratũ,quàm clementia,reddit. Nam principi non minùs turpia multa ſupplicia quàm medico multa funera. Lene ergo imperium ſtatum imperantium tutũ diuturnumq; reddit,uti docet exemplum Auguſti. Veſpaſiani, Trajani, Antonini & aliorum, de quibus Antimach.& Richt. *axiom.64.* Saluſt. *ad Cæſar.* Qui benignitate & clementiâ imperium temperavêre,his candida & lęta omnia fuerunt:his etiam hoſtes ęquiores,quàm cives, & revera remiſſiùs imperãti paretur meliùs, imò & fideliùs, atq; hinc etiã ſtabilitas. Nam potentia mediocriter exercita, omnia quæſita conſervat: contrà qui imprudenter & paſſim in omnibus potentiâ abutitur,is neq; benevolentiam veram, neq; firmam ſecuritatem invenit,ut probat Lipſius ex Dione & Seneca. Populus n.uti equus ferox & indomit⁹ tractandus & gubernandus,cui ſi equiſo obblanditur,eumq; molliſſimè in principio tractat,habet eundem obſequentem: ſi imperitè eum rexerit,erratum equus ferox vindicat, ſuumq; ſeſſorem dejicit. Populus enim ſi ſubitò,primâ fronte,vi adigitur ad juſſa capienda,calcitrat,fluctuat,æſtuat, & ſatagit excutere imperium; ubi autem benevolentiâ, & veluti ex causâ,& ob ſuam utilitatẽ gubernatur,obſequentiſſimus efficitur. Paulatim igitur onerib.& ob diverſas easq; neceſſitatias cauſas onerandus eſt,& σοφίχθεια inducenda, alioquin excandeſcit,uti ſub imperio Rehabeami accidit, *1.Reg.c.12.* Greg. *lib.22.c.8. n.5.de Rep. & lib.8.c.11.* Ubi principi,ait,ineunda gratia cum populo,arte,ſi velit amicè & ſponte obtemperantib.& ſecurè imperare. Ut enim qui captat aves,earum vocem imitatur,ut alliciat in laqueos; ſic,ut multitudinem in tuã adducas ſententiam,illius ingenio obſecundes,& moribus te accommodes,oportet. Sic vinum bibenti primùm ſervit, quem poſtea regit. Xenoph. *lib.1. de pædia Cyri* ait, eos principes,qui humaniter, juſtè & comiter imperant,habere facilè ſibi obſequentes ſubditos:contrà verò,qui crudeliter regnant,vix habent,ait,obſequentes etiam ſervos ſuos, nedum homines liberos. Nam firmiſſimum imperium id eſt, quo obedientes gaudent, idq; ſalvum tectumq; cupiunt, & ob quod imperantes amantur.

19

Enite-

Eniteſcit verò hæc clementia erga ſubditos levamentis onerum,laxamentis laborum,ſi delinimentis animorum corporumq; illorum voluntates promereri ſtudeat, ſi jura, ſi libertatem illis tutam perpetuamq; ſub tutelâ ſuâ præſtet, *l.1. l.7.de offic.proconſ.* & de neceſſitate onerum publicorum eos doceat,& de ſuâ moderatione. 20

Deinde princeps nullâ ratione meliùs opes ſuas augere poteſt,quàm ſi populum ſibi commiſſum clementer habeat, eumq; temperatâ & ſalubri curâ ac levamentis onerum diteſcere per otium ſinat. Nam veræ ac certæ opes principis,& propè extra omnem periculi aleam poſitæ,ſunt in ſubditorum divitiis ſitæ. Et magiſtratus clemens & lenis ſtatum ſuum tutiorem & validiorem præſtat,quàm ſi nullos inimicos vel hoſtes habeat. Eſt enim clementia & lenitas ſemper amabilis naturâ ſuâ. Vide exempla apud Antimach. *libr.3. theor.22.*& Scipio Amir. *lib.15.diſcurſ.7.& lib.20.diſcurſ.7.*

Sed ne indulgentiâ & clementiâ hac populus abutatur,neceſſe eſt,ut cum majeſtate & metu obedientiæ temperetur. 21

Deſiderat enim populus ſuam libertatem cum poteſtate principali temerè confundere & æquare. Vide *l.19.obſervandum.de offic.præſid.* Ideoque non reverentia ex terrore,neque ex humilitate amor captandus eſt. Nimia enim libertas non eſt libertas,ſed ſoluta licentia.

In pœna à ſceleratis ſumenda,ut opinionẽ lenitatis magiſtratus conſervet, obſervabit,ut tardè ad eam veniat; nam civitatis mores malos magis parcitas animadverſionum corrigit. Deinde ad eam nunquam veniat, niſi quoties id fieri publica utilitas ſuadet. Tertiò, ut ad exemplum eam, non ad ultionem referat. Quartò, ad dolorem, non delectationem & gaudium actum hunc pœnæ referat. Quintò, ut pœnæ juſtæ & meritæ,ſecundùm leges & morem inferantur. Sextò,ſine reſpectu perſonarum,ne iisdem de cauſis alii plectantur,alii non,vel mitiùs. Septimò,ſuppliciorum exſecutionem aliis mandet, ipſemet illorum non ſit ſpectator. 22

23 Non tamen ſemper rigidè puniat. Nam ſeveritas amittit aſſiduitate auctoritatem; & neſcio quo obnitendi vitio ſæpè committantur, quæ ſæpe vindicantur, ut dicit Senec. *1. de clem.* Temperatus timor eſt, qui cohibet, aſſiduus & acer in vindictam excitat, & auget inimicorum numerum.

Et principi non minùs turpia multa ſupplicia, quàm medico funera: ibid. Senec. Odium tamen, ſi quod emerſit, beneficiis molliet, & puniendo rerum atrocium miniſtros, in quos ira recedat.

24 Denique ad lenitatem pertinet, ut non ſit tenax offenſionum & injuriarum ſibi illatarum. Sic David ultrò offert tribulibus ſuis reconciliationem, nec cum eis expoſtulat ob defectionem, *2. Sam. c. 19. 1. Sam. c. 30.* & Samuel, *1. Sam. c. 12.* & Moſes, *Exod. c. 5. 21. 22.* Salomo, *1. Reg. c. 1. 52.*

Deinde ut ſpatium noxiis relinquat, quò ſuas culpas emendent, & pœnitentiam agere poſſint. Scip. Amir. *lib. 17. diſcurſ. 8.*

25 Nihil enim eſt quod magiſtratum magis commendet, quàm clementia & moderatio iræ, & injuriarum illatarum ἀμνησία, quibus infatuatur quaſi populus, ut dicit Clapmar. *lib. 6. c. 12.* Talis fuit in Julio Cæſare, Auguſto, Marco Antonino, Veſpaſiano, Trajano, Adriano & pluribus, de quibus apud Sueton. & vide exempla in Antimach. *lib. 3. theor. 22.*

Eſt enim proprium magiſtratus, placidum eſſe & tranquillum, atque injurias & offenſiones ſupernè deſpicere, ut ait Senec. *1. de clement.* Nam magnam fortunam magnus animus decet & talium contemtor. Cogitet, in libera Rep. linguam mentesque liberas eſſe oportere. Quid enim plebi reliquum erit, ademto per inquiſitiones commercio loquendi & audiendi? Ideo in puniendis hisce oportet eum eſſe mitem, *l. 7. ad l. Jul. majeſt.* exemplo Saulis, *1. Sam. c. 10. 27. c. 11. 37.* Davidis, *1. Sam. c. 30. 6. 22. 23. 24. Pſal. 38. 13. 14. 15.* & Moſis, Auguſti Imperatoris & aliorum. Commendatur Moſes, quòd ſuper omnes mitiſſimus fuerit, *Num. cap. 12. 2. Sam. c. 20.* & de rege manſueto Chriſto dicitur *Matth. c. 20.* de præmio manſuetudinis, divitiis, honoribus & vitâ vide *Prov. c. 22. 4.*

Benefi-

Beneficentia eſt liberalitas exercita cum judicio, quâ hominis naturæ nihil eſt accommodatius, ut dicit Cicero, quæque benevolentiam conciliat & charitatem. Hanc ob cauſam magiſtratus in ſacris literis vocantur benefici, munifici, liberales. 26

Pſal. 146. 3. ubi Jun. *Pſal. 113. 8.* ubi Jun. *Prov. c. 8. 16. c. 19. 6. cap. 25. 7. Eſa. cap. 13. 2.* ubi Jun. *1. Sam. c. 2. 8. Job c. 30. 15. c. 29. Prov. c. 20. 28.* Benignitas & fides cuſtodiunt regem, & ſuſtentat benignitate ſolium ſuum, *c. 28. 16.* Eſt enim beatum dare potiùs, quàm accipere, *Act. c. 20. 35. Pſal. 101. 1.* Benignitatem & jus pſallam. Unde Seneca *de brevitate vitæ*, Meliùs, ait, beneficiis imperium cuſtoditur, quàm armis; quia omnium dulciſſimum eſt accipere. Sic Auguſtus militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, ut tradit Tacit. *1. annal.* quod maximè locum habebit in novis imperiis. Vide Greg. *lib. 22. cap. 13. de Repub.* & Antimach. *lib. 3. theor. 26.* Caſtellan. *lib. 3. part. 2. c. 11. & ſeqq.* Titus Imp. reſpondiſſe dicitur, Non oportere quenquam à facie & ſermone principis triſtem recedere. Alii ob memoriam beneficentiæ, etiam mortui, ſunt honorati, ſuaque vitia hac virtute texerunt.

Cum judicio exercetur hæc beneficentia, ſi non in quosvis immeritos, indignos, ſine delectu, ſed potiùs in bellorum ſocios, periculorum conſortes, in bene de Rep. vel largiente meritos, aut eos qui bene mereri poſſunt, exercetur. 27

Deinde, quando cum modo fit, & non exhaurit vel lædit donantem, quâve ille non perditur.

Nam nimis hauriendo, fontem ipſum exhauris, & liberalitas liberalitate poſtea perit, atque ex ea fit prodigalitas & luxuria. Adde, quòd ſubditæ & inconſideratæ largitionis comunes ſit pœnitentia & rapacitas, ut ſi ærarium largitione exhauſeris, per ſcelera poſtea ſit ſupplendum. Greg. *lib. 22. c. 13.* Lipſ. *lib. 2. c. 17. polit.* Bot. *lib. 1. c. 20.*

Denique quando non ſimul eodem tempore, ſed ſæpiùs aliquid donatur. Nam quando ſimul donatur, omnis ſpes præſciditur, & donatarius non

retinetur obsequens; si sæpiùs datur, contrà. Immodicæ & inconsultæ largitiones principum, ex timiditate oriuntur: unde donantium affectus produnt, iisque opinionem malam conciliant.

28 Inprimis verò beneficentia hæc, si publica est, conciliat favorem, nimirum, si populo non necessaria tributa remittit vel minuit; gravi calamitate, annonæ caritate, peste, terræmotu, incendio, aquæ inundatione, hostili deprædatione & similibus incommodis afflictis opem fert, vel ob clades acceptas, annonâ subvenit tempore famis, & auxilio tempore belli; si pulchrum, aut necessarium opus publicum extruit; si securas præstat vias publicas, urbes obsessas liberat, vel imperium aut regnum auget, hostes vincit.

1.Sam.c.11.7. c.13.3. c.14.48.49. Vide exemplum notabile in rege Arthasasta, *Nehem.c.2.4.6.7.8.9. & seqq.c.5.14.15.* ubi inopia subditorum à magistratu fuit sublevata remissione & liberalitate. Vide *2.Chron.c.10.7.8. & v.4.* & Greg. *lib.3.c.9.* exempla referentem, & Petrarch. *de Republ. optimè administranda.* Cassiod. *lib.8.epist.16. & 22.* Videndum quoque, ut cessante calamitate & causâ tributorum, cesset & exactio. Vide exempla apud Antimach. *lib.3.theor.26. & 22.* Clapmar. *lib.6.c.13. de arcan.Rerump.*

Similiter beneficentia publica in viros egregiè doctos & excellentes artifices, deinde in milites benemeritos de Rep. exercita, valde laudabilis. Vide Castel. *lib.3.part.2.c.14. & seqq.*

29 Quòd si odium in se concitavit magistratus, videat, ut illud mitiget beneficiis novis. Animos enim hominum beneficentia & donatio sibi conciliat, & ad usus suos adjungit.

Quid enim non venale pecuniâ? Arcana profert hæc in apertum, ita ut etiam corruptâ uxore secreta prodantur. Atque

Atque talis beneficientia reverâ est corruptio, quâ callidè aliorum animi vel operæ inclinantur & alliciuntur.

Observandum hîc (quod & antè monui) quando tributa & exactiones postulantur à subditis, 30
quæ beneficentiæ sunt contrariæ, & invidiam ac odium concitant, ut det operam magistratus, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum; ut ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruant; ut vis atrox absit in exigendo; ut sit exactio exigua, eáque præstitu facilis, non crebra, nova; ut crudelitas & avaritia ministrorum absit in exigendo: Dispensatio exactorum sit parca, utilis, restricta, ad usus Reipub. facta, atque æqualiter singulis imposita, sine personarum respectu. Denique exactio fiat à fide dignissimis & probatissimis ministris, quos patiatur à populo ad hoc officium eligi & designari, ut illos, quibus maximè suas credit, maximâ curâ deligat.

2.Chron.c.10.v.7. Qui allocuti sunt eum, dicendo: Si fueris facilis huic populo, gratificando eis, & allocutus fueris eos verbis bonis, utique tibi erunt servi omnibus diebus. & *v.præced.4.* Pater tuus durum imposuit nobis jugum, nunc ergo leva nos servitute istâ patris tui durâ & jugo ejus gravi, quod imposuit nobis, & serviemus tibi. & *v.13.* Respondit eis rex duriter, *v.14.* adde *Nehem.c.2.4.6.7.8.9.*

Indulgentia magistratus est, quâ sine morum 31
corruptela, subditis laxè & jucundè imperat, eosque regit.

Laxè in victu, ne plebs acri annonâ premátur, & earum rerum, quæ necessariæ sunt, inopiâ vexetur.

Plinus: *Bonus princeps cum subditis & civibus suis, veluti cum liberis suis versari debet.*

Jucundè in ludis aliisque honestis voluptatibus publicis & oblectamentis, quæ subditorum ferita-

tem & asperitatem frangunt & emolliunt,& à curis imperio inutilibus avocant;sed quæ sine lascivia & luxu.

Huic contraria crudelitas & sævitia ferox,quę invisa est,& interitum afferre solet potestati. Vide Greg.*l.22.c.7.*& Greg. Richt.*ax.pol.72.*& Antimach.*lib.3.theor.22.*

32 Studium bene merendi de Rep.est, quò imperium & administrationem suã magistratus, ad communem regni utilitatem & commodum civium instituit, eamq; corpori consociato acceptam refert,& suum cuique tribuit; bonis præmia, & malis pœnas.

*Rom.c.13.1.2.3.4.&seqq.*Plin.*in Paneg.in Traj.*Benefaciendo maximè subditorum suorũ animos princeps experitur, & eos sibi devincit,cui salus populi suprema est lex;qui potestate rex, beneficiis popularis est. Et ii diu tutóq; imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate civium suorũ animis instillant. Neque enim quos servire necessitas coëgit,sed quos obtemperare sua quemque voluntas & utilitas adegit, ii sunt in agendo patiendóq; à suspicione assentationeq; omni vacui. nunquam imperia detrectant,nisi violenter contumelioseq; sint habiti. Regum est, volentibus subditis imperare; tyrannorum verò invitis dominis. Vide Greg.*lib.22.c.8.de Rep.*& idẽ Plin.*in Planegyr.* Bono principi tamdiu carus principatus,ac ipsa vita cara esse debet:quamdiu per eum incolumis & salva esse Resp.potest. Princeps salutaris ideo vivum quoddam Dei simulacrum dicitur, quòd ut Deus est optimus & potentissimus, sic & princeps,cujus bonitas hoc præstat,ut omnibus podesse velit,potentia verò, ut possit.

Hoc studium bene merendi,duplici viâ & actione magistratus exercet.

33 Primò, quando ipso facto demonstrat, se non esse bonorum & jurium regni, vel subditorum proprietarium,sed fidelem dispensatorem & defensorem, generali corporis consociati mandato constitutum, qui, ut ab universali consociatione incepit,sic ab eadem pendeat.

Deinde, quando re ipsâ ostendit, gubernationem & administrationem suam ad Dei gloriam, salutem & commodum suditorum civium esse directam. Ex hisce duabus actionibus, bonus, pius & fidelis magistratus cognoscitur, qui ideò à subditis amatur,quia hosce ipse amat. 34

De priori, quòd magistratus nudus dispensato & defensor fidelis bonorum & jurium regni sit, non proprietarius, constat ex eo, quòd non possit alienare Imperium, oppida, urbes, regionésve, vel res subditorum,bonáve regni. 35

Bossius *de principe & privileg. illius.num. 290.* Hotom. *quæst illust.1.* Vasqu. *lib.1.cap.4. illust.contr.* Gregor.elegan-ter *lib.3. cap.8. de Rep. per cap.1. §. præterea, de proh. feud. alienat.*per Freder.*cap.1.§. ex eadem lege, de lege Corradi.* Roland. à Valle *consil.1.volum.2.num.109.&seqq.*Latè Molinæus *in consuetudin. Paris.tit.1.§.1.gloss.5.nu.49.&gloss.7. num.9.*Paurmeist.*lib.1. cap.21. num.19.de jurisd.* Peregrin.*de jure fisci.lib.1.tit.3.num.71.74.&seqq.* Natta *consil.640.n.8.* Menoch.*lib.2.cas.559.arb.jud.*qui distinguit inter modicam & magnam alienationem. Rosenthal.*lib.1.de feud. c.5. concl. 10.&seqq.* Petrus Heig.*quæst.19.part.1.* Renat. Choppin. *de doman.lib.2.tit.13.&14.* Covarruv.*in c.quamvis.part.2.§.2. num.4.de pact.*Carol.Tapia.*in l.1. de constitut. princ.* Vasq. *lib.1.cap.4.cap.5.illustr. cont.Vid.sup.cap.8.num.53.&seqq. c.11.num.15.cap.19.num.13.cap.37.n.51.&seqq.*

Multò minus igitur ad deformationẽ sui status, quid facere,vel parem sibi constituere poterit, aut regnum servituti subjicere, & superioritatem alienare ipsi fas erit. Rosenthal *d. cap.5.conclus.10.& 11.* Covarr.*c.4.num.1.pract.quæst.*Mynsing.*cent.6.obs.99.*

Roland. *d loc.* vel plenitudinem suæ potestatis in alium transferre. Heig. *quæst.4.n.25. & seqq.lib.1.* Natta *cons.636. num.168. & cons.640. num.12.13. & seqq. lib.3.* Anton. Peregrin. *de jure fisci lib.1.tit.2.num.71.78.* Rosenthal. *d. loc.*

36 Concedimus, ipsum habere propria bona, quæ sunt separata ab illis, quæ ad corpus consociatum pertinent, quæque privati alicujus, suâ naturâ fieri nequeunt. Unde distinctio illa communis: Aliud esse fisci, aliud principis patrimonium: Alias res esse imperatoris, regis, principis: alias verò esse Caroli, Antonini, Rodolphi, Henrici. Regis res sunt, quas ipse ut rex possidet: Rodolphi, quas ut Rodolphus possidet. Hinc alius fiscus Cæsaris, alius Reipub. dicitur; alii Cæsaris, alii Imperii ministri: vide *infr.c.37.*

37 *n.539. & seqq.* In privatis propriis rebus plenum habet princeps dominium: in rebus corporis consociati & regni secus; in quibus tantum juris habet, quantum illi corpus, seu Resp. concessit, ideóque illas alienare nequit

Gabriel. *tit. de jure quæsit. non tollend. concl.8. lib.3.* Renat. Choppin. *d.loc.lib.1.tit.1.per Exech.c.45. & 46. Gen.c.47. l.3. §.ult. l.fiscus. §.ult. de jure fisci. l.cùm servus. §. constat. de legat. 1. l. benè à Zenone. C. de quadrien. præscript. l.unic. C. de quæst. magist. offic. & comit. sacr. largit. lib.12.* Vasq. *lib.1.c.4.c.5. illust. contr.* latè Pruckman. *§. solutæ potestas. c.4. memb.2. effect. 6. num.11.* Commu. dicit per Tiraquel. *de utroq; retr. part.1. §. 26. glos.1. num.78.* Borch. *de feud. c.8. num.130.* Hart. Pistor. *quæst.15. num.14. lib.1.* Clar. *in §. feudum. quæst.28. & diximus c.37.* Matth. Steph. *lib. 2. part.1. memb.1. de jurisd.* Rationes Rolandus & Pet. Greg. *d. lib.3. c.8. n,2. & seqq. & lib. 7. c.20. n.61.62.63.* afferunt has:

1 Quòd magistratus sit usufructuarius horum bonorũ & jurium, quæ sunt Reip. quod jus fruendi est personale, & ad alium, quàm proprietarii, jure cessionis nequit transferri, ut docẽt JCti, *l. si usus fructus. de jure dot. §. fin. Inst. de usufruct.*

2 Hæc

2 Hæc bona data sunt magistratui summo ad regni conservationem & defensionem. Roland. à Valle *cons.1. n.112. & seqq. vol.2.* Ideoque dilapidare vel minuere non potest. Est enim regnum corpus, *l.30. de usucap.* quod uno membro sublato, mutilum & imperfectum esset. Roland. *d.loc.n.126. & seqq.* Et si viscera Imperii eviscearet, suæ dignitatis esset homicida, *ibid. num.133.* Itaque in præjudicium, subversionem, destructionem, læsionem, vel diminutionem regni nihil potest facere. Roland. *d.loc.num.109. & seqq.* imò nec regium jus & superioritatem à se abdicare potest. Roland. *d. loc.num.137.138. & seqq. per allegata ibidem.* Pruckman. *d. loc.n.21.22.26.27.* Mynsing. *centur.6. obser.99.n.2.* Covar. *c. 4.n.1. pract. quæst.* Rosenthal. *d.loc.c.5. conclus.11.* & in quavis cocessione Imperii, superioritas reservata intelligitur, ut est communis Dd sententia, *per l.10. solet. de jurisd. l.3. de offic. ejus cui est.* Resp. etiam censetur corpus perpetuum, quod per subrogationem similium personarum immortale habetur, *l. proponebatur 27. de judic.* Ideò ejus patrimonium perpetuum & immutabile censetur, arg. *leg. jubemus 14. C. de sacrosanct. eccles.* cùm publica etiam bona, sancta dicntur, quæ violari non debeant, *l.8. de rer. divis.* & nullius in bonis sint, *l.1. de rer. divis.* & ideò alienari non possint, Greg. *lib.25. c.7.* Syntagm. Roland. *d.cons.1. num.97.109. & seqq.* Vide *infra c.37. n.43. & seqq.*

3 Mandatarius, seu alienorum negotiorum administrator, etiam cum generali potestate constitutus, alienare non potest, *l.40. l.63. de procurat. l.16. C. d.t.* Arius Pinell. *inl. 1. part. 3. n.57. C. de bon. matern.* Roland. à Valle. *consil.49. volum.2.* Heig. *quæst.20. lib.1. per l.1. §.1. de administrat. rer. civit.* & alia nomine domini facere. Mynsing. *cons.84. & 53.* Mooz. *in tit. mandat. & Dd. in d.l.61. de procurat.* adeò ut etiam alienandi potestate datâ, & cum liberâ constitutus, non possit facere, nisi quatenus bona fides patitur, *l.1. §.1. de offic. proconsul. l.37. l.28. §.1. de pact.* & negotiorum demandatorum natura & administratio exigit, & quæ verò similiter ipse dominus fuisset facturus, non contrà, *leg.9. qua ratione. §.4. de adquirend. rer. domin. lib.46. falsus. de furt. lib.48. de pecul. l.34. §.3. de solut. leg.17. §.16. de injur. adde* Pinell. *in l. 1. part.3. num.57. C. de bon. mater.* Sed magistratus

est ejusmodi alienorum negotiorum administrator constitutus, qui potestatem administrandi, non alienandi accepit, quasi subditi expresè principi suo & ejusdem successoribus in mandatis dedisse censentur, ut ea tantùm, quæ illis bona utiliaque essent, ageret. Hos fines mandati non oportet principem transilire, alienando bona regni, & subditos hoc ipso gravando, *l.12. præses. C.de transactione .l.3.§. planè. quod vi aut clam.* Choppin. *lib.2. tit.1.& seqq. de doman.* Pruck. *d.loc.n.23.24.* latè Gabriel. *tit.de jure quæsit.non tollend.conclus.8.lib.3. Vide inf.cap.37.num.43.& seqq.* Zoan. *de Romano imperio num.175.* Vasq. *illust.cont. lib.1. cap.4. num.4.5.6.c.5.num.3.4.5.* Bod.*lib.1.c.9.lib.6.c.2.* Covarr. *c.4. num.1.pract.quæst.* Mynsi.*cent.6.obs.99.* Ergo alienare minimè potest.

4 Bona quæ committuntur magistratui, sunt subjecta restitutioni, proinde in præjudicium successorum alienari nequeunt, *per l.ult.§.sed nostra. C.comment.de leg.l.peto.69.§.fratrem. de legat.2.l.32.§.ultimo.d.t.* Roland.*d.loc.* Choppin.*d.loc.*

5 Instar dotis data sunt hæc bona magistratui à Repub. pro oneribus ferendis. Ergo instar dotalis rei, alienari non possunt, Gregor. *d.cap.8. & cap.20.* Pruckman.*d. loc. num. 14.15.*

6 Magistratus, inauguratione se juramento obstringit de non alienandis bonis Reipub. uti *sup. cap.17.* diximus,*& c. 19.* ejusque personæ industria est electa, quæ contra voluntatem eligentium mutari non potest. Pruckman. *d.loc. n. 28.35.*

7 Hoc jus gentium est, ut exempla revocatorum alienatorum testantur apud omnes populos. Vid. Roland. à Valle. *d.cons.1.n.109.& seqq.vol.2.*

8 Dignitas magistratus est individua, & jus regium cedi non potest, Papon. *lib.5.* Rapsi. *arrest.tit.10.* Roland. à Valle *lib.2. cons.1.num.137.138.* Rosenthal. *d. cap.5. conclus.10. & 11.de feud.lib.1.per alleg. ibidem.* Covarr. *d. cap.4. n.1. pract. quæst.*

9 Idipsum etiam constat ex *Judic.cap.8.22.cap.9.6.c.11. 2.10.12.13.* & ex illis, quæ dixi supra de constitutione magistratus. Rationes alias adducit Hotom. *d.quæst.1.* & Pruck. *d.loc.* ubi latè contrariam sententiam refutat, adeò ut neque con-

concessa sit alienatio in melio* potentioremve dominum, aut æquè idoneum, *num.49.& seqq.* Vasq. *illust. cont.c. 5.num.6.* adeò, ut nec cum universitate aliquem subditorum invitum alienare possit. Pruckm. *d.loc.num.118.& seqq.* Cravet. *consil.592.num.125.* Vasq. *cap.5.num.11.d.loc.* neque quando necessitas, durum telum,alienantem urgeret. Pruckm. *d.loc. num.133.& seqq.* Vasq.*d.cap.5.* Gabriel. *d. conclus.8.lib.3.tit.de jure quæsit. non toll.* Rosenthal. *d.cap.5. conclus.10.& 11.Vid.infra c.37.nu.44.& seqq. & c.39.n.125, & seqq.*

10 Denique probat testimonium Hadriani Cæsaris, qui dixit, se sic gesturum principatum,ut sciat, rem populi esse, non suam; sicut tutor res pupillares administrat. Tiberius Cæsar, senatum suum dominum vocat,ut Sueton. *in vita Tiber.cap.29.* tradit. Bonum ac salutarem principem,quem vos tantâ & tam liberâ potestate instruxistis, senatui servire debere & universis civibus, sæpe & plerumque etiam singulis: neque id dixisse me pœnitet,& bonos & æquos & faventes vos habui dominos, & adhuc habeo. Idem Tiberius dixit, se operam daturum,ut rationem factorum & dictorum suorum reddere posset, unde rex βασιλεὺς, quasi βάσις τῶλαῶ, & Germanis princeps ein Fürst vnd Vorsteher: quòd populo præsit;& rex à regendo dicitur;& Imperatores Germani in suis scriptis testantur formulâ usitatâ, Vns vnd dem heiligen Reich ꝛc. In vnser vnd des Reichs statt ꝛc. Ubi verbum Vns / dominium protectionis,administrationis & generalis jurisdictionis, quod Cæsar habet, notat: verba verò des Reichs statt / dominium universitatis, seu corporis. Matth.Steph.*lib.2.part.1.cap.1.n.58. de jurisd.* ut diximus *sup.cap.19.num.3.* Sic & Antigonus ad filium dixit: An non novisti, fili mi, regnum nostrum esse nobilem servitutem? ut refert Ælian. *lib.2. variarum historiarum, cap.20.* Ideò etiam domini appellationem Octavius & Tiberius Imperatores respuerunt,Suet. *in Octav.* Petrarch. *de Repub.optimè administranda.* Alexander Imp. nefas esse dicebat,ut dispensator publicus in delectationes suas suorumve converteret id quod provinciales dedissent. Lamprid. *in Alex.* Plin. *in Panegyr. in Trajan.* Boni principis est, arma dare militibus, ut iis utantur, etiam in se ipsum, si in

Remp. peccet. Ibid. Assuescat princeps calculum ponere, &
38 expensi acceptique rationem illi reddere. Nam cùm sit negotiorum alienorum administrator, curator & mandatarius constitutus ex contractu mandati, ideo rectè quoq; ut quilibet alius administrator, gestor, procuratórve tenetur domino mandanti, populo nimirum, in corpus regni unito, administrationis suæ rationem reddere. Roland. à Valle *cons. 49. vol. 1.* Menoch. *cas. 209. lib. 2. arb. judic.* Heig. *d. quæst. 20. per l. 1. §. 1. de admin. rer. civit.* & de negligentia, culpa, dolo, collusione & insufficientia tenetur, de gestis & de non gestis, & si quid non, ut oportuit, gessit, vel facienda omisit. Roland. *d. loc.* Sic etiam administrator Reipub. vel rerum civitatis, exemplo tutoris obligatur, *l. 3. de admin. rerum ad civit. pertinent.* & de dolo, lata vel levi culpa tenetur, *l. 6. magistratus. d. tit. l. 4. de magist. conven.* & pecuniam publicam in alium usum convertere non potest, *l. 1. l. 4. de admin. rer. ad civitat.* nec facere ea, quæ verosimiliter ipse dominus non fuisset facturus, *l. 46. falsas. de furt. l. 34. §. 3. de solut. l. 48. de pecul.* aut quæ sunt contra bonam fidem & naturam negotii demandati. Alienare verò non potest talis procurator, nisi speciale ad hoc habeat mandatum.

Apud Græcos quoque erat actio Εὐθύνη dicta, in eos, qui aut urbem non rectè gubernasse, aut publicum aliquod munus non rectè administrasse viderentur. Hujus actionis metu Pericles bellum concitavit, ne rationes reddere teneretur. Et Julius Cæsar ob metum redditionis rationum, arma civilia movet: Pet. Greg. *lib. 9. cap. 2. num. 1. in fin.* Deus etiam à regib. rationes exacturum se comminatur, *Esa. cap. 3. 14. 15. Ezech. cap. 34. 7. 8. 9. 10* Et Samuel populo rationes officii sui reddidit, *1. Sam. c. 12. 3. 6. 7. Num. c. 16. 15. Sap. c. 6. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* Losæ. *part. 3. c. ult. de jure univers.* Concessa est principi potestas plena, ut se, tanquam principem, tutorem, defensorem & patrem cum subditis gerat, loco & vice Dei, à quo accepit potestatem: quod si non agat, incipit adversus potestatem sibi datam imperare, & aliam sibi non concessam usurpare: & quando turpiter agit contra potestatem concessam, id non potestatis, sed impotentiæ dicitur.

39 Atque hinc est, quòd jurat Cæsar electus, se nihil eorum, quæ ad Imperium Romanum pertinent, alienaturum, distracturũ, vel oppignoraturum: si quid verò recuperet, vel adquirat viribus publicis, id Imperio, non sibi quæsitum iri,

latè probat Steph. Jun. Brut. *in vindic. contra tyran.* Hotom. *quæst. illust. 1.* Covarr. *d. c. 4.* Anton. Gabriel. *de jure quæsito non toll. lib. 3.* Greg. *d. c. 1. & seqq. lib. 26. de Rep. adde Gen. c. 47. 18. & seqq. 1. Reg. c. 21. per tot. & 1. Reg. c. 9. 11. 12. 13.* ubi latè Pet. Martyr. *2. Sam. c. 24. 24. c. 23. 16. 13. l. venditor. §. 1. com. prædior. l. 39. cùm servus. §. ult. de legat. 1. l. universi. & l. seq. C. de fund. patrimon.* Ex quibus omnibus apparet, plenum dominium Imperii & Reip. magistratui non competere.

Quibus addo & hoc, quòd magistratu mortuo, remoto, 40
aut administrationem suam deponente, imperium & jus ipsius redeat ad populum, tanquam dominum proprium, qui ante magistratum fuit, *l. ex hoc jure: ibi, discreta gentes, regna condita. de justit. & jure.* Zoannet. *part. 3. defens. n. 96. 97. 98. 99.* Clapmar. *libr. 2. c. 21. de arcan. Rerump.* qui populus & post mortem vel exauctorationem magistratus remaner, & nunquam moritur, *l. proponebatur 76. de judic. l. qui res. 98. §. ult. de solut. l. nemo 54. de regul. juris.* Losæ. *part. 1. n. 34. & seqq.* Marc. *decis. 1339. per tot. & 1334. vol. 1.* Vide Jun. Brut. *in vindic. contra tyran.* Danæum *lib. 1. c. 3. politic.* Cùm princeps vel rex naturâ suâ sit mortalis, *Psal. 82. v. 6. Sirac. c. 10. v. 11.* Extitisse tamen & adhuc extare magistratus, qui omniũ se dominos profitentur, & subditos proservis habent, & vanos ideo titulos sibi asscribũt, refert Greg. *lib. 6. c. 13. de Rep.*

Quas ob causas nihil gratius & acceptius po- 41
pulo, quàm si eum adeò non despicit princeps, ut nonnunquam cum eo communicet, de publicis negotiis cum eo agat, sententiâ, operâ & opibus ejus utatur, uti David, & alii pii reges fecerunt in comitiis institutis.

Nam quando subditi vident, tantum sibi tribui, ut in partem curarum & consiliorum vocentur, & necessitates publicas considerent, libentiùs sunt parituri, quàm si rerum nullam habentes notitiam, urgeantur. Antimach. *lib. 3. theor. 22.* Cominæ. *lib. 5. c. 18.*

Exemplum hujus rei optimum præbet David, *1. Chron. c. 28. c. 29.* Salomo, Asa, Josaphat, Jechizkia, Josia, reges pii, de quibus *2. Chron.* nec non Moses, Josua & Samuel: Similiter Augustus Cæsar, qui ita regnum & administrationem illius salubri temperamento miscebat, ut refert Dio *in Au-*

guste; imò & Tiberius de rebus gravioribus referebat ad senatum, & cũ eo omnia communicabat. Alii quoq; laudati principes, Vespasianus Titus, Trajanus, Adrianus, Antoninus & similes, senatui & magistratib. majestatem pristinam conservarunt, & omnia ad patres conscriptos referebant, seque præsides, non dominos senatus ferebant. Macrinus, ut refert Herodian. *lib.1.* ad senatum scripsit: Mihi, ait, decretum est, nihil sine autoritate vestrâ agere, ac vos principes consiliariosque habere Reipublicæ gerendæ, vivetisque pro arbitrio
42 in libertate vestra &c. Atque inde temperamentum & symmetria quædam in politia existit, ut species quædam Democratiæ esse videatur, in comitiis regni, seu in illa communicatione & deliberatione cum populo, quibus membra regni, ejusdem dominii agnoscuntur. Aristocratiæ verò species in eo, dum autoritas & alia quædam propria adsignantur optimatibus. Monarchiæ verò, dum decretum & jussus, confirmatio & exsecutio penes principem remanet. Atque talis videtur esse politia Venetorum, ex omnibus istis temperata. Ubi verò plebs nihil de imperio habet, id malæ Reipubl. signum dicitur ab Aristot. *lib.2.polit.c.8.* Bonæ autem Reip. signum dicitur, quando statum illius salvum & incolumem omnia ipsius membra volunt, amant & durare cupiunt. Præstat etiam, plebi particulam imperii communicare, quàm totam Rempub. in extremum periculum vocare. In Venetorum Repub. teste Contareno *de Repub. Venet.* omnes cives jus suffragii habent, & electi ex plebe & patriciis de rebus disceptant, de quibus Patricii postea statuunt. Imperii vis est penes senatum; species imperii penes ducem. Plebi humiliora munera concedunt, imò & honorifica, ut Cancellarii & Scribarum. Apud Romanos, populus jubebat, Senatus decernebat, in magistratibus verò erat imperium, in senatu autoritas, in populo majestas.

43 De posteriori bene merendi via & actione constat ex eo, quòd magistratus hominibus præsit, sed hominum causâ, & ob suorum subditorum utilitatem sit constitutus. Greg. *lib.4.t.5.de Rep.* Fernand. Vasq. *lib.1.in præfat.n.102. & seqq.* sicut tutor ob pupillum, pastor ob gregem, non contra.

Fernand.

Fernand. *d.lib.1.c.1.n.10.* communem omnium Theol. Philosoph. & JCtorum sententiam hanc esse dicit. Non enim regnum est propter regem, sed rex propter regnum: ut nimirum ii, qui sub ipsius sunt imperio, sint quàm beatissimi, atque ita debitor sit sui muneris omnibus suis subditis. Nam ut tutela, sic & procuratio Reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorũ, quib. commissa est, gerenda est, ut imperii utilitas incorrupta persistat, *tit. de prohib. feudi alienat.* per Freder. & de communi utilitate solicitus dicitur, *tit. de nov. Cod. fac. § fin. & tit. de novo Cod. confirm. in princ. & tit. de enucleando Codic. in princip. & Authent. de hared. & Falcid. in princ. ibi, occupatis nobis circa totius Reip. curas.* qua de re Martin. Laudens. *in tract. de princ. quæst.155.* Vasq. *illust. quæst.1.n.102.* Matth. Steph. *lib.2.c.1.memb.1.part.1.de jurisd.* Ideò imperare dicitur, ut ait Augustinus, *lib.19.de civit. Dei. c.15.* qui aliorũ utilitati consulit. Et Thomas *de regim. princ.* gubernare est, id quod gubernatur, convenienter ad debitum finem perducere. Adde *Ezech.c.34.2.* Sic ait Dominus: Vę pastoribꝰ Israëlis, qui erant pasturi ipsos. An non grex est, quem pascunt pastores? *3.* Adipem comeditis, & lanam induitis; quod optimum est, mactatis: gregem non pascitis. *4.* Morbo affectas non confirmatis, ægrotamq; non curatis, & confractam non obligatis, ac depulsam non reducitis, pereuntemq; non requiritis: sed vi dominamini in eas, per sævitiam. *5. & seqq. Jer.c.23.1.2.3.4. Zach.c.11.c.13. Josu.c.1.10.* Præcepit itaq; Jehosua moderatorib. populi, dicendo; *11.* Trancite per castra & præcipite popluo, dicendo; Parate vobis viaticum: Nam intra tres dies vos trajecturi estis Jordanem &c. *v.14.* Fœminę vestrę, parvuli vestri & pecora vestra manebunt in hac terra &c. vos transite militari ordine ante fratres vestros, quotquot estis valentes robore, & adjuvate eos. *15.* Usq; dum quietem largitus est Jehova fratribus vestris &c. *& c.22.1.2.3.4.5.6. Rom.c.13.* ubi Magistratus subditorum bono minister dicitur. Ideò apud Danelem *c.4.20.21.* comparatur rex arbori frugiferæ, cujus rami sunt pulchri & fructus multi, & cui cibus pro omnibus infuit, sub qua habitabant bestiæ agri, & in cujus ramis considebant aves cæli. Exemplo est Nehemias, qui commoda popul[illegible] promovit, & incommoda patriæ avertit diligentissime. Vide *Neh.c.2.c.3. & sequentib.* Magistratus enim ad utilitatem subditorum constitutus & propter regnum; sed non regnũ propter regem; ut latè probat

Fern.Vasq. *controv. illustr.lib.1. in præfat.n.102. & seqq.* ex Theologis & JCtis.

44 Hanc ob causam princeps dicitur pater publicus, ut ex Cassiodor.refert Greg.*lib.8.c.11.de Rep. Judic.c.5.7.*ibi: Dum surrexi mater Israëlis. Et apud veteres Abimelech, hoc est, pater, dicebatur, *Genes.c.20. 1.Sam.c.5.* ut sup. diximus *c.20. n.17.18.* Proinde non tanquam barbarus tyrannus aut sævus dominus, sed tanquam pater uti debet clementiâ & mansuetudine,& non propriam,sed communem subditorum salutem quærere. Flav.Vopisc.*in Tacit.* Ingens, ait, est gloria morientis principis, Remp.magis etiam amare,quàm nlios. Vide Greg.*lib.8.c.11.* & qui instar boni pastoris,vitam ponit pro suis, exemplo Mosis *Exod.c.32.11.* Quamobrem deprecatus est Moses faciem iratam Dei sui, & dixit: Quare accenderetur ira tua in populum tuum?&c. *v.12.13.14. & v.31. 32.* ibi, Dimitte eis hanc noxam; aut si non facias,dele me de libro tuo quem scripsisti. & exemplo Schimsonis, *Judic.c.15. 12.13.14.* qui salutis publicæ causâ passus est seipsum hosti tradi. Sic Christus rex noster pro nobis & salute nostrâ mortuus, & bonus pastor vitam suam pro ovibus suis exponit, *Joh.c.10.* Et David, *2.Sam.c.24.* Ego sum, inquit,qui peccavit: istæ oves sunt; quid fecerunt?vertatur manus tua contra me &c. Salomon pro subditis orat, *1.Reg.c.8.15.* David pro populo, *1.Chron.c.30.18. & c.29.18.19. Psal.12.1. Psal.82.8: Psalm.118.25. Psal.20.12.13.21:* Ita & Samuel, *1.Sam.c.12.* & Moses & Josua. Exempla profana refert Greg.*lib.8.c.1.n.18. 19.* Scip.Africani sententia hæc dicitur, Malle se unum civẽ servare, quàm mille hostes perdere. Plutarchus factũ Persarum commendat, quorum reges, dicit, habuisse præpositum,qui manè illos surgere admoneret ad curandum populum sibi commissum. Solebant & iidem reges obire omnes universæ ditionis suæ provincias,easque lustrare & peragrare,ut viderent, quid regiam opem desideraret;ut Samuel etiam fecisse legitur *1.Sam.c.7.15.16.* & Joseph *Gen.c.41.* Idque quovis tempore, pestis, famis, belli vel pacis, quò singulis malis remedia quærant. Cic.*lib.5. de Rep.* dixit, moderatori Reip. beatam vitam civium esse propositam,ut ea sit firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta. *Et de lege agrar.* Si populo consulis, remove te à suspicione alicujus tui commodi: Fac fidem, te nihil, nisi populi utilitatem & fructum

ctum quærere. *& 2.officior.* Est boni magistratus, commoda civium defendere,non divellere. Sic & Aristoteles *lib.8.polit. cap.10.* Tyrannus, inquit, suum ipsius commodum spectat & quærit, at rex subditorum, quorum salutem vitæ suæ præfert. Ideoque Seneca *lib.1. de clementia* rectè & scitè, Scias, ait, Rempub.non tuam esse, sed te Reipub.*& ibidem:* Omnium somnos, illius, ait, vigilantia defendit,& omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. *Et ibid.c.3.* Illius,ait,magnitudo stabilis est futura, quem omnes tam supra se quàm pro se sciunt, cujus curam excubare pro salute singulorum atq; universorum quotidie experimur;quo procedente,non tanquam malum ac noxium animal è cubili prosiliret,diffugiunt, sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim advolant. *Sirac.c.32.1.* Ductorem te constituerunt homines. 2.Curam eorum habe. 3. & omnem tui copiam illis facito; cumq; probaris te,requiescito. *1.Sam.c.18.11.* Totus verò Israël & Juda amabat Davidem,quia ipse procedebat & veniebat ante eos. *Josu.c.4.14.* Die illo magnificabat Jehova Josuam ante oculos omnium Israëlitarum,ut revererentur eum, quemadmodum erant reveriti Mosen omnibus diebus vitæ ejus. Talis diligentia, candor & fides commendatur in Mose, *Num.c.12.7.* & in Davide, *Psal.78. Num.c.27.16.* Præficiat Jehova Deus spirituum, Deus omnis carnis, virum huic cœtui.17. Qui procedat ante eos, & qui veniat ante eos, quique educat eos & qui reducat eos,ut non sit cœtus hic sicut pecudes, quibus non est pastor. *1.Reg.c.3.7. 1.Chron.c.11.2.* ibi,Educebas & reducebas Israëlem &c. Tu es pasturus populum meum. Et Abimelec curam sui regni habuisse legitur, *Gen.c.20.9.10.* Seneca *epist.91.* Penes sapientes, ait, aureo seculo regnum erat. Hi continebant manus,& inferiores à validioribus tuebantur, suadebant dissuadebantque, & utilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia,ne quid deesset suis,providebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficiis augebat,ornabatq; subjectos, *Esa.c.22.23.24.* Paxillum rex dicitur,cui subditi sua securè sunt commissuri.

Quapropter Magistratus se erga subditos,tanquam curator erga pupillum minorémve, vel tanquam pastor erga gregem gerere debet, *Ezech.c.34.2.3. & seqq.* Ille enim propter pupillum, hic propter gregem est constitutus. Vide Eusеb. 45

Philadelph. *in Dialog. secundo de reb. Gallicis*; cujus scilicet dispensatio restricta & utilis sit, qualis in familia boni patris; ex qua subditi possint cognoscere, magistratum custodem & administratorem esse communium bonorum, non ut proprio-
rum, ut dicit Aristot. *lib.5.polit.c.11.* Ideò ob totius populi & Reip. pacem & salutē seipsum in discrimen adduci paritur bonus magistratus, *Judic.c.15.12.13.14.* & privatas injurias sibi à subditis illatas Reipub. condonat, *Judic.c.11.11.12. 2.Sam. c.16.10. & c.18.5. 1.Sam.c.10.27. 1.Sam.c.12. 2.Sam.c.15. & seqq.* & nihil carius habet, quàm ut in regno suo felicitatem, tranquillitatem & pacem diuturnam habeant subditi, & in abundantia rerum necessariarum vivant, *2.Chron.c.1.15. & 1.Reg.c.16.c.4.24. Ezech.c.34.2.3.&c.*

46 Pestis, famis, morbi epidemici, aliisque periculosis & calamitosis temporibus, de remediis malorum accuratè cogitat, eaque diligenter & fideliter quærit ad salutem subditorum. *Ezech.34.tot. 1.Sam.c.5.8.& seqq.c.7.16. 1.Sam.24.ult.17.18. 19.20. 1.Sam.cap.12.21. & seqq. Gen.c.41.48. & seq.* & urbes ab imperio ereptas vel captas recuperat, *1.Sam.7.23.* cladibus acceptis & calamitatibus Reip. præsentibus sive futuris prospicit, & remedium affert, quantum potest fieri; ita tamen, ut omnes intelligant necessitatem auxilii, & periculi magnitudinem. Exemplū Josephi consulentis & prospicientis Ægypto, extat *Gen.c.41.48.49.& c.43.14.* Portentum naturę. Caligula, contrà queri solebat de conditione temporum suorum, quòd nullis calamitatibus publicis insigniretur, atq; ideò exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat, & cervicem unam esse populo, ut uno ictu tolli possit. Suet. *in Calig.c.32.* Tale portentum & Nero fuit, qui se vivente petebat, ut terra igni misceretur, Suet. *in Ner.cap.36.37.38.* Huc facit etiam id quod Plutarchus scribit, *de civili administratione ad Trajan.* Respub. ait, felicissima tunc est, cùm magistratus & cives conferunt omnia sua ad salutem vel commodum Reipub. neque prætermittunt quicquam, vel quemquam aspernantur qui Reipubl. prodesse possit. Cic. *lib.1.offic.* Ut tutela, sic procuratio Reipubl. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non eorum quibus commissa est, gerenda est. *Rom.cap.13.4.* Dei enim (Magistratus) minister est, tuo bono, quòd si feceris quod malum est, metue: non enim frustrà gladium gestat: nam

nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. *5.6.7. & 1.Timoth.c.2.2.* Orandum pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis, ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate. Hanc ob causam, dux & pastor populi dicitur, *2.Sam.c.5.2. Esa. cap.44. Jerem.c.10.c.50.6. Nahum c.3. Psal.78. in fine. Ezech. cap.34.2.3.6.7. & seqq. Esa.cap.23.1.2.3.* & pater patriæ, *Gen. cap.41.42. & seqq.cap.45.8.9. Judic.cap.5.7.* ubi Martyr. & Jun. *Jud.c.5.7.13. 1.Sam.c.24.12. 1.Petr.c.2.13.14.* ibi, Tum ad ultionem maleficiorum, tum ad laudem rectè agentium, *& seqq.* Facit huc, quod dicitur *Heb.c.13.17.* Obedite ductoribus vestris, & obsecundate. Excubant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, *& sequentib.l.3.* ibi, Ut curet is qui provinciæ præest, malis hominibus provinciam purgare, *l.13.congruit. de offic.præsid. 1.Macch.cap.14.4.5.14.35.36. & l.1. de offic.præfect.vigil.* Cogitet, quòd populus insipiens regendus sibi commissus est, qui non sapientiâ, sed potiùs insipientiâ contra propria certat commoda, adeò ut miserendum illius potiùs, quàm propriâ injuriâ, vel contumeliâ in eum sæviendum, *l.unic. C. si quis Imp. maled.* Pet.Greg.Tholos. *lib.8.c.20.* exemplo Jephthæ, *Judic.c.11.4.11.* Mosis & Davidis, qui à suis subditis gravissimè læsi injurias condonarunt. Cogitet, populum sibi subjectum, minori pupillóve comparari, *l.3.C. de jur.Reipub.lib.11.l.4. Respub.C. ex quib.caus. major.l.9. de appell.l.1. C. de offic. ejus qui vic.jud.vel præsid.* & se tutori curatorive, qui ad tuendum & curandum pupillum bonaque ejus, est constitutus.

Contrà exemplum magistratus non curantis subditos, sed 47
suas voluptates, exhibet Isboseth, *2.Sam.c.4.* Belsazer, *Dan. cap.5.* Darius, *Dan.c.6.* Ahasuerus, *Esth.c.3.* Ninias, Sardanapalus, Tiberius, Vitellius, Heliogabalus, & plurimi alii. Pessimus verò est status politiæ, quando publica negotia negliguntur, & dominantur illi, qui sua & privata consectantur & spectant, *Prov.c.28.28.c.29.8.16. Eccles.5.7.* & ut industria ac diligentia principum res omnes adjuvat, sic inertia & negligentia evertit. Sed, proh dolor, pleriq; hoc tempore pluris faciunt suas voluptates & commoda, quàm Reip. bonum, atque ita se præferunt toti populo.

In administratione hac sua, magistrat⁹ alligatus est 48

legibus Decalogi, *Deut.cap.4.6. & seqq. & c.17.18.19 Ios.cap.1.7.8. 2.Reg.c.23.2.3. Psal.72.1.2.3.4. 1.Reg.c.21. 19. 1.Sam.cap.16.20.23. Ose.cap.13.11.l.digna vox.4.C.de legib.* atq; civilibus regni & majestatis legibus, *arg. l.filius 15. de condit.instit.l.188.ubi.§.1. de reg.jur. 1.Sam. cap.10.24.* ad quas, tanquam ad cynosuram, normam & regulam, omnia negotia administrationis suæ referre debet, uti diximus in *cap.21.sup.num.17.* Unde magistratus lex viva, executor, custos & minister legis dicitur, qui nihil nisi lege jubente velit, faciat, vel omittat, ut rectè dicit Vasq. *c.14.d.lib.1.*

Nã remotâ justitiâ, quid sunt regna nisi magna latrocinia? ut ait Aug *de civit. Dei lib.4.c.4.* Ideoq; absoluta potestas, supra jura, principi minimè est data. Cov. *lib.3.var.resol.c.6. n.8.* Pruckman. *§.soluta potestas.c.3.* Plin. *in panegyr. in Traj.* Non est bonus princeps supra leges, sed leges supra bonum principem, optimiq; principis nota illa, ex legum præscripto velle vivere, *Psal.119.per tot. Deut.cap.17.15. & seqq.* Et secundùm leges se administraturum Remp. in electione promisit, quam fidem violare non potest. Qua de causa rectè dicitur, magistratum non esse legibus generalib. solutum, *l.4. digna vox. C. de legib. l.3. C. de testam. §.ult. Instit. quib.mod. test. infir.* non tantùm naturalibus, sed etiam civilibus. arg. *Matth.c.23.4.* Ligant onera gravia, & digito suo nolunt ea movere. Paul. *lib.4.sentent.tit.5.§.3.* Pruckm. *d.loc.n.45.* vid. *sup.21.n.16.* Et quod tibi fieri vis, etiam alteri faciendum, & contrà; tum quia cum Decalogo hæ civiles leges consentiunt, & ex naturalib. sunt extructæ: *vid.sup.c.29.* Dissentiunt plurimi *per l.31. de legib.* quæ tamen non obstat, si eam intelligas de legibus pœnariis, quib. magistratus summus est solutus, non respectu obligationis, sed executionis. Nam si deliquerit, (at non contra leges fundamentales & conventionẽ propriam cum populo initam) non punitur. Cujac. *lib.26. obs.cap.35.* Pet. Greg. *lib.7.c.20.* Mar. Salo. *lib.1.in fin. de princ.* Vasq. *lib.1.cap.2.ill.cont. & c.3. & c.8.c.26.n.14.22. & c.43. Eccles.c.8.3.* Ubicunq; est verbum regis, ibi dominatio est, & quis dicat ei, quid facis? & 2. Quicquid velet, facturus est.

49

Sed

Sed & Pruckman. *d.c.3.n.78. & seqq.* refert casus plurimos, in quibus princeps juris civilis solemnitatibus est solutus. Planè ex potestate solutâ, seu ex plenitudine potestatis, quæ ipsi tamen non est data, Covar. *lib.3. var.resol.c.6.n.8.* Pruckman. *d.c.3.per tot.* principi non esse concessum, aliquid contra jus naturale, & gentium & Reip. suæ leges civiles facere, quia nulla potestas est ad malum, sed tantùm ad bonum; non ad nocendum, sed ad consulendum, juvandum, & ad meram subditorum utilitatẽ, non ad regentium libidinem vel commodum. Vasq. *d.c.26. & c.45.* & Covar. *d.loc.* Pinel. *in rub. part.1.n.25.26. C.de rescind. vend.* Tessaur. *decis.91.* arg. *tit. quod quisq; jur. in alium stat. eodem & ipse uti debeat.* Et, quod tibi vis fieri, etiam alii feceris: & contrà. *& Matth.cap. 23.4.* tum quia lex est contractus, *l.1.ibi, communis Reipubl. sponsio. de legib. junctо §.1. Inst. de verb.oblig.* ex quo contractu princeps obligatur, tanquam Reip. membrũ præcipuum. Roland à Valle *consil.1.vol.2.* Lege etiam princeps non est superior, sed ipsius custos, minister & executor aut defensor. Ad *c.8.v.2.3. Eccles.* respondeo ex *v.1.* ubi dicit, Mandatum regis observandum esse, sed pro ratione juramenti Dei. quibus verbis moderatio obsequii definitur, uti Junius ibidem explicat. Ad *l.princeps. de legib.* respondet Vasq. ex mente concedentium, generalem concessionem esse restringendam ad utilitatem concedentium. Nam qualis est natura principatus, talis esse debet illorum verborum utcunq; generalium interpretatio. Principatus autem natura est, meram subditorum, non etiam regentium utilitatem respicere & curare. Ergo concessio Imperii à populo principi facta etiam verbis generalissimis, ex materia subjecta limitata & restricta est, ad meram utilitatem civium, non ad usurpationem tyrannidis, & destructionem societatis humanæ, & concedentis perniciem. Latè Pruckman. *d.loc.n.97.* Nec enim in generali mandato, aut concessione continetur id, quod in specie quis non esset concessurus, *l.obligatione. de pignor.* Pruckman. *d.cap.3. n.97.* Cacher. *decis.59.n.5.* Vasq. *c.76.n.2. c.77.n.22.* Et fraus legi fieri dicitur, quando mente ejus relictâ, verba amplectimur, *l.fraus. de legib.* Ad *l.1. de constit.princip.* ubi populus omne jus suum in principem transtulisse dicitur, respondet, intelligendum hoc, quoad ea quæ populo transferenti utilia essent, non quoad contraria. Princeps etiam solutus est legi-

bus in casibus, in quibus jus ipsi dispensationem concedit. Vasq. *d.loc. & c.25.num.3.* Pruckman. *d.c.3.num.97. & seqq.* plures adfert interpretationes. Vide suprà *c.21.n.71. & seqq.* neque ad liberandum regem à legum imperio, faciunt, quæ movet Barclajus *lib.4.cap.21.* de quibus *c.21.* suprà diximus. Minimè etiam obligari principem in iis, quæ honorem lædunt, dicit Vasq. & Cujac. cùm judex & executor in propria causa fiat, *l.si paterfamiliàs.l. & hoc Tiberius. de hæred.instit.* Alias aliorum sententias ad *d.l.princeps.* adfert Fachin. *lib.1. c.2.cont.* & Pet. Greg. *d.c.20.lib.7.* & suprà *c.9.* Sunt præterea alii textus, quibus probare conantur plures, principem legibus non esse alligatum. Ex jure civili sunt petiti, *ex l.si quis. de legat.3.l.princeps. de legib.l.1. de constit.princ.§.sed & quod. Inst. de jure naturali.l.prospexit. qui & à quib.manumiss. l. deprecatio. ad L.Rhod. de jact.l.bene à Zenone. C. de quad. præscript.l.item si verberatum.§.1. de rei vind.l.2. C. de crim. sacril.l.qui in provincia.§.Divus. de rit.nupt. Novell. de pace const.§.si quis. Novell. de consul.§.fin. Nov.1.in princ.l.pen. de arb.l.nam & d.tit. Prov.c.25.27. 1.Sam.c.8. Eccl.c.8.v.2.3.* Ad hos textus singulos latè respondet Pruckman. *d.c.3.* ubi solidè refutat contrariam sententiam.

Atque hæc sunt media, quibus magistratus subditorum benevolentiam promeretur, colligit, & collectam conservat: sed quando aliam & contrariam viam ingreditur, illam amittit, & contrà odium subditorum in se concitat; qui pravus est & noxius imperio affectus de magistratu, vel in eundem, uti Lipsius *lib.4.c.11.* dicit, cujus vestigiis hîc insistemus.

51 Odium igitur ejusmodi est malevolentia subditorum pertinax in magistratum, ejusque statum concepta, orta ex metu cum cupidine ulciscendi.

Hoc ergo odium maximè obest magistratui. Nam quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit. Cic. *lib.1.offic.* sed per gradus. Nam execratur, insidiatur, & denique opprimit facilè. Multæ enim illis sunt manus, magistratui una cervix; & tam multis periculis petitur, quàm multis

multis ipse periculum est. Imò assiduis periculis, etiam eorum, quibus se commisit, expositus est, ut ex aliis Lipsius refert. Subditos verò non in continuo metu detinendos esse, multis allatis exemplis probat Scipio Amir. *lib.17.discurs.5.* sed potiùs metu omni citò liberandos esse.

Odium ejusmodi effugiet magistratus, si fugiet ea vitia, quibus id paratur, & vitiorum istorum opinionem.

Vitia odium conciliantia sunt tria, contraria 52
mediis benevolentiæ comparandæ; nimirum sævitia, avaritia & læsio.

Horum vitiorum opinio oritur ex suppliciis & tributis, nisi prudenter & callidè administrentur, providè & cautè usurpentur.

Ex suppliciis, quando ea cum vindictæ cupidi- 53
tate, vel non ex sufficienti causâ prępropere & festinanter, vel cum voluptate sumuntur à sceleratis, vel insontibus. Exemplum vide *Judic.c.1.6.7. Gen.c.37. 27.c.44.16.* vel boni, aut præcipui contumeliosè tractantur.

Ex tributis & exactionibus, quando eæ sine necessitate & utilitate Reip. à subditis exiguntur vel augentur sine causâ justâ, vel inęqualiter, violenter, vel in libidines principis, aut profusionem, vel frequenter. Et denique quando à ministris rapacibus, injustis, in tributorum horum exactione iniquè agitur, qui præter imperatas pecunias, privato compendio suo serviunt, & lucellum proprium quærunt.

Proverb.cap.28.15. Vide *1.Reg.c.12.* Greg. *lib.3.c.9.* Nullum enim tetrius vitium avaritiâ, præsertim in principibus & Reip. gubernatoribus. Multi regum pecuniis acerbè conquirendis, plus invidiæ sibi, quàm virium addunt, ut ait Tacit. *3. historiar.*

Sævitia, quæ in tyrannidem transit, odiosa est & invisa valde, tum subditis, tum extraneis, ita ut qui multis est terribilis, multos cogatur timere. Cælius Rhodig. *lib.9.c.9.* ob quã multi dejecti ab Imperio.

Bodin. *lib.4.c.1.* Pet.Greg. *lib.22.c.7.de Rep.* ubi exempla refert. Malus enim custos diuturnitatis dicitur esse vis & metus. & rectè Salust. *ad Cæsar.* Ego quidem cuncta imperia crudelia magis acerba, quàm diuturna arbitror: neq; quenquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam arbitror, bellum æternum & anceps gerere; quoniam neq; adversus, neq; à tergo, aut lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo agites.

Avaritia magistratus sæpe quoque dat causam subversioni status Reip, & mutationes excitat.

Nam impellit ad illicita & gravia tributa imponenda, ad munera, corrumpendi causâ data, accipienda, & ad alias illicitas exactiones & artes, cujus fiscus, instar lienis in corpore humano, est in Rep. *Prov.c.29.4. c.28.16.* Antecessor multis oppressionibus decurtabit, qui autem odit quæstum, prolongabit dies: *& eod.c.28.15.* Ut leo rugiens, & ursus discursans, est dominator improbus in populum tenuem. Vide exempla apud Greg. *lib.22.c.12.de Rep.* *1.Reg.c.12.Deut.c.17. Ezech. c.46. 2.Reg.c.9.& c.10. 1.Tim.c.6.Eph.5.1.Sam.c.8.* Suet.de Vesp. *c.16. Prov.c.29.9. & c.28.15.16. Neh.c.5.15.* Antimach. *lib.3.theor.26.* ubi exempla recenset.

Avaritiæ contrarium est vitiũ alterum, profusio & prodigalitas; quæ reddit principem invisum, exosum & detestabilem, uti Tiberium, Caligulam, Neronem, Vitellium & alios, de quibus Antimach. *lib.3.theor.26.*

Læsio subditorum est, quando illorum commodis & saluti administratio Reip. est contraria; dum princeps subditis privatisque facit, quæ sibi, si subditus esset, fieri nollet. Scip. Amir. *lib.17.discurs.4.* & tum administratio degenerat in tyrannidem, de qua *cap.38.*

CAPUT

CAPUT XXV.

De autoritate summi magistratus.

1 *Autoritas magistratus quid.*
2 *Ejus effectus.*
3 *Causæ efficientes autoritatis.*
4 *Severa gubernatio.*
5 *Obsequium unde paretur.*
6 *Severitas exercenda in vindicando crimine læsæ majestatis.*
7 *Et in disciplina domestica exercenda.*
8 *Constans imperii forma quid.*
9 *Mutatio quando admittenda, & quomodo.*
10 *Vulgi intemperie, à recti via non movebitur.*
11 *Imperii forma adstricta, quid & in quibus.*
12 *Periculosa est potestas nimia, intermediis magistratibus concessa.*
13 *Laus hujus imperii.*
14 *Remedia tria contra nimiâ potestate concessâ suspectos.*
15 *Potentia magistratus ad autoritatem necessaria.*
16 *Unde hæc.*
17 *Opes, & pecunia magistratus.*
18 *Arma illi necessaria.*
19 *Consilia bona.*
20 *Federa cum aliis necessaria.*
21 *Quæ federa utilia & necessaria.*
22 *Quæ periculosa.*
23 *Felix successus mirificè autoritatem auget.*
24 *Hic lubricus est, & inconstans.*
25 *Virtutes internæ autoritatem conciliantes magistratui.*
26 *Pietas ejusdem, & impietas quos fructus pariant.*
27 *Providentia magistratus in actionibus suis.*
28 *Fortitudo illius in officio faciendo.*
29 *Fides, magistratus in promissis præstandis.*
30 *Modestia ipsius.*
31 *Sensus de se temperatus quid.*
32 *Unde hic sensus.*
33 *Rex non est dignitas, sed agit personam dignitatis, & aliis in cæteris similis.*

34 *Pericula regum.*
35 *Actio moderata in quibus.*
36 *Externi mores decentes in sermone.*
37 *Ministrorum bonorum usus, autoritatem conciliat.*
38 *Humanitas illius.*
39 *Wilhelmus princeps Auraicus Nassovicus qualis fuerit.*
40 *Conspectus principis qui illi utilis.*
41 *Vita solitaria principem non decet.*
42 *Arcentes à colloquio subditos falluntur sapè.*
43 *Benevolentia doctorum, piorum virorum utilis magistratui.*
44 *Cultus corporis quis dignus principe.*
45 *Temperantia magistratum quæ deceat.*
46 *Moderatio affectuum quid.*
47 *Qui affectus imperantes corrumpant.*
48 *Sufficientia magistratus.*
49 *Contemptus magistratus.*
50 *Hic ex qua imperii forma sit.*
51 *Magistratus quando ipsemet personam suam contemnat.*
52 *Adversus casus nocet principi.*
53 *Orbitas principis autoritatem illius minuit.*
54 *Mores inhonesti magistratus, contemptum pariunt.*
55 *Humilitas nimia ejusdem, contemptum parit.*
56 *Ætas, valetudo & facies principis, quando contemptum pariunt.*
57 *Crudelitas & facilitas, stultitia ejusdem.*
58 *Negotiorum sordidorum tractatio viles facit.*
59 *Affectus vitiosi magistratus quinam.*
60 *Contentionis studium.*
61 *Affectus corrupti magistratus erga negotia tractanda.*
62 *Erga personas coram magistratu agentes affectus mali.*
63 *Insufficientia magistratus in quibus.*
64 *Calumnia subditorum in magistratum.*
65 *Opinio subditorum de se contra magistratum.*
66 *Studium propriorum commodorum corrumpit imperantes.*

HActenus de primâ specie conciliatæ & accidentariæ benevolæ affectionis Imperii: sequitur de altera reverente, autoritatem conciliante.

Reverens

Reverens igitur affectio erga magistratum est, quæ ex imperio & opinione autoritatis magistratus est concepta. Licet Boterus distinguat inter reverentiam & autoritatem.

Autoritas hæc, ut Lipsius dicit, est concepta & impressa subditis, sive exteris, opinio reverens, concepta ex Imperii administratione in mente subditorum, vel extraneorum, de magistratu summo ejusque statu nata. 1

Hæc vita & anima regni est; quæ efficit, ut tot mortalium millibus una anima præsideat, nonnunquam senis & invalidi & acre telum ad imperium, quæ magis in officio homines retinet, quàm arma & supplicia. 2

Senec. *lib.1.de clement. adde l.1.de postul.l.19. de offic. præsid.* & ut animæ negotium, pedes, manus, oculi gerunt, & illius jussu jacemus, aut inquieti discurrimus: sic hæc immensa multitudo, autoritatis quasi spiritu regitur. David *in Psa. 18.48.* hanc à Deo proficisci dicit, ubi ait, Deum esse qui cogat sibi subditos obtemperare. & Daniel *cap.5.18.* idem fatetur, & liquet ex *1.Sam.cap.10.* ubi dicitur, non omnes secutos esse Saulem, sed eos tantùm, quorum corda Deus tetigerat. Josuæ *cap.4.14. Vid.sup.c.19.n.74.75.* Tali autoritate Moses coram Pharaone erat armatus. Vires ergo Imperii in consensu obedientium sunt: consensus verò ille ab æstimatione, cui contrarius est contemptus: vide exempla in Greg. Richter. *ax.hist.cap.7. adde Josuæ cap.4.14. 1.Sam. cap.11.7.* Scipio Amir. *lib.5. discurs.8. & sup. cap.20.n.13. & seqq.*

Opinio hæc in supremo magistratu majestas, in aliis celsitudo, excellentia vel serenitas dicitur, Greg. *lib.8.c.4. de Rep.*

Constat hæc autoritas ex admiratione & metu. Utraque est ex forma imperii, potentia, vel morib. imperantis. 3

Forma imperii severa, constans & adstricta esse debet ad autoritatem conciliandam.

4 Severa gubernatio & administratio ideo, quòd perpes illa & assidua lenitas contemptum inducit.

Nam in hac colluvie morum & ho norum habendus metus, aut faciendus est. Et vulgus metu coërcendum, quod à pravis, non ob turpitudinem, sed ob supplicia & pœnas abstinet. Non igitur per segnitiem superior patiatur hebescere aciem suæ autoritatis. Ideo Cic. *lib. 2. offic.* adhibenda, inquit, Reip. causa severitas, sine qua administrari civitas nulla potest. *1. Sam. c. 11. 7.* Unde incidit pavor Jehovæ in populum, ita ut exirent unamines. Sed tamen exercendâ hæc est tempestivè & cum intermissione & per intervalla. Nam civitatis mores magis corrigit parcitas animadversionum, quâ pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat. Temperatus timor est qui cohibet, assiduus & acer in vindictam excitat, sicut nimia libertas non est libertas, sed licentia soluta & diffluens.

5 Obsequium quoque hac severitate comparatur, quo retinêtur Imperia. Nam ubi reverentia excessit animis, sequitur confusio & contemptus.

L. 19. de off. præsid. Exod. c. 22. Vulgus n. facilè insolescit, nisi aliquo legitimo metu cohibeatur. Greg. *lib. 8. 4. de Rep.* Et sicuti prudentia pro oculo est magistratui, sic strenuitas pro manu; illa consilium, hæc robur suppeditat. *Sirac. c. 7. 6.*

6 Severitas hæc inprimis adhibenda est in vindicando crimine læsæ majestatis; cujus pœnam severissimè, etiam à propriis cognatis sumet magistratus.

Vide Greg. *lib. 22. cap. 11. num. 8. 9. 10. 11.* Valer. Max. *lib. 6. c. 3. 1. Reg. c. 2.* Nam nimia indulgentia & clementia principis in reos majestatis, perdit Remp. vel subjicit periculo. Scip. Amir. *lib. 17. discur. 7.*

In primis etiam hanc severitatem & disciplinæ censuram magistratus exercebit in suos ministros.

Arg. *1. Cor. c. 15. 32.* Optimus enim magistratus & severus præsu-

præsumitur, qui familiam & satellitium habet sanctissimum & piè institutum, uti David, *Psalm. 101. 6. arg. 1. Timoth. cap. 3. 4. 5. & 2. Sam. cap. 6. 14. & seqq. Prov. cap. 29. 4. cap. 25. 5. cap. 14. 34. 1. Reg. c. 9. 3. 4. 5. 6. Nehem. c. 5.* Contrà indulgentia Eli & Samuelis in filiorum suorum delictis, mala Reip. attraxit. *1. Sam. c. 3. 13.* Indica Eli, me vindicaturum esse familiam ejus usque in seculum, propter iniquitatem quam novit, filiorum suorum, non tamen repressit eos. *& cap. 8.* & Davidis indulgentia & negligentia in vindicandis sceleribus filii Absolomi, malum Reip. attraxit, *2. Sam. c. 18.* Plura profana adfert Scip. Amir. *lib. 4. discurs. 1.*

Constans Imperii forma, est diligens & uno & 8
veteri tenore influens, mutationum crebrarum expers, imperii exercitium.

Nam leges ipsæ vim & vitam satis non habent, sed contemnuntur, quæ mutantur, vel evertuntur statim, & ipse superior vilescit, qui sic vacillat & inconstans est, & novator, ut Lipsi. probat. Deinde mutatio receptorum morum, maximè offendit populum, & novatores exosos & invisos reddit, Greg. *lib. 22. cap. 8. num. 8.* ubi illustrat exemplis Alexandri Magni, mutantis ritus Macedonum; Darii, & aliorum.

Contrà continuatio & conservatio morum, magistratum patriæ gratum reddit, atque illi subditorum favorem conciliat, & autoritatem.

Interdum tamen, quando scilicet summa utili- 9
tas, aut necessitas suadet, mutatio & novatio est admittenda, sed lentè per gradus, nec omnia simul statim.

Exemplo Augusti, de quo *Dion. 52.* & ita, ut simulachrum status veteris relinquatur. Clapmar. *l. 6. c. 5. 6. 7. & seqq. de arcan. Rerump.* Scipio Amir. *lib. 1. disc. 8.*

Omnis etiam mutatio extrema, ad extremum vitanda, tempori verò in magna infelicitate cedendum.

Non denique patietur se à populo vel poten- 10
tioribus seduci à recta semita, *Exo. c. 23. 2.* ut ad placitum illorum iniquè agat.

Uti Aaron, *Exod.32.*& Saul, qui ex metu populi sacrificabat, *1.Sam.c.15.* Sic Zidekias ad placitum suorum principum, Jeremiam innocentem tradebat incarcerandum, *Jere. cap.38.* & Darius Danielem in leonum foveam conjiciebat, *Dan.c.6.* Pilatus metu Judæorum, Christum condemnabat, *Luc.c.13. Joh.c.19.*& Herodes gratificatus est Judæis in actis Apost.

11 Adstricta imperii forma dicitur hîc, cujus à te qui es magistratus, præcipua vis & honos, imò etiapud te sit,,ut solus sis αὐτόνομος, αὐτοτελὴς καὶ αὐτόδικος.

A te, inquam, ut maxima rerum, aut agas ipse, aut firmes; ut intelligant omnes, te esse, à quo pendeant omnes, & quem omnes spectent & ab eo omnia exspectent. Itaque consultum est, ne honores nimios, perpetuos, aut longos aliis concedas, sed datos auferas, ita ut paulatim minuas & detrahas vellicatim, non simul & semel tollas. Aristot. *lib.5.c.8.polit.* Deinde, ne graviora ad alium peragenda referas, sed ipse agas.

Sic monet Siracides *c.33.v.23.* In omnibus tuis administrationibus & operibus, superiorem administrationem obtine, neque afficias labe gloriam tuam. Ita Salomon ex judicio lato à se in duas cauponarias mulieres, apud populum magnam sibi autoritatem conciliavit, *1.Reg.c.3.28.* Et Deus promittit suis & piis principibus hanc gloriam & autoritatem, *Esa.c.22.22.* ibi, Eo aperiente, nemo claudet, & claudente eo, nemo aperiet. *33.* Et infigã eum veluti paxillum in loco firmo, eritque in solio honori domui paternæ suæ. *24.* Nam appendent ei totã gloriam domus paternę ipsius &c. *& v.25.*

12 Ratio adstrictę hujus administrationis est, quia periculosum est, privati nomen suprà vel juxtà principis attolli. Nec magnos tantùm, sed nec longos honores conferas. Nihil tam utile, quàm potestatem magnam brevem esse. Libertatis n. sive principatus est magna custodia, si magna imperia diuturna esse non sinas. Insolescunt enim homines per diuturna imperia: & ob potentiæ dulcedinẽ & amorem ad res novandas,

das, nec non ad proditiones, insidias & usurpationes regni impelluntur. Non igitur oportet in urbe leonem nutrire, & serpentem in sinu fovere: Pet. Greg. *lib.8.c.4.& lib.22.cap.9. c.10.de Rep.* Scip. Amir. *lib.1.discurs.12.* exemplis illustrant. Et extat notabile in Jeroboamo, *1.Reg.c.11.c.12.* qui Rehabeamo decem tribus subtraxit ob nimiam potestatem antea concessam. Aliud in Gordiano à suo præfecto Philippo interfecto, & plura refert Greg. *d.lo.l.9.c.22.& c.10.* & Danę. *l. 6.c.3.* Solent enim ex nimio humore vermes & tineæ oriri in rebus ipsis, quas consumunt, & nisi antequam crescant, suffocentur vel excutiantur, totam rei substantiam in suam transferunt. Ad eum modum ad dignitates majores Reip. & in interiorem principum amicitiam admissi, more tinearum & vermium nimiâ prosperitate lascivientes, nisi expellantur opportuno tempore, solent Reip. substantiam in proprium commodum convertere, & eam, quæ eos peperit, potestatem conantur devorare, vel apertè vel clàm. Ita maturè à Tiberio Sejanus sublatus fuit, & Pytho ab Antigono. Greg. *d.c.10.* Danæ. *d.c.3.* Prudenter quoque hanc ob causam Joab regem Davidem in castra accersit, ut victorię laus illi soli tribueretur, ne regi invidiosus, exosus & invisus fieret, *2.Sam. c.12.29.* uti accidit Davidi apud Saulem, *1.Sam.c.17.7.* vid. Boter. *lib.2.c.10.c.11.c.9.lib.4.c.4.*& Scipio Amirat. *lib.4.discurs.2.* suadet, maximè cavendum in aulis, ne præ ipso principe colere alium videamur: & quicunque obsequia principi devovit, is cuncta feliciter ac prudenter à se gesta ejus virtuti atque fortunę attibuat. Scip. *d.loc.disc.3.* Nam quia principes instar deorum habentur, ideo à subditis venerationem exposcunt.

Ob hanc adstrictam administrationem, quidam Principes 13
Magni nomen sunt consecuti, uti Scipio, Annibal, Cajus, Marius, Julius Cæsar, Constantinus, Trajanus, Severus, Alexander Magnus, Antiochus, Quintus Fabius Maximus, Pompejus Magnus, & plures alii, de quibus Boter *d.loc.* Qui verò summam rei gestæ sibi adscribit, majestatem & existimationem principis opprimit. Clapmar. *de arcan. Reip. lib. 3.cap.11.* Ideoque princeps non debet concedere, ut aliis statuæ & insignia erigantur publicè, vel vota illis fiant, *tit.C.de oblat.votor.*

Remediũ hîc est in matura interceptione, vel po- 41

testatis usurpatæ ademptione, vel coërcitione & diminutione.

Cui rei inserviebat apud Athenienses olim ostracismus, qui erat moderatio elationis, ad patrandum facinus ac gravioris potestatis coërcitio. Vid. Plutarch. *in Alcibiade, Aristide & Niciâ.* Scipio. Amir. *lib. 14. disc. 2.* Apud Romanos affectati Imperii suspicio etiam vindicabatur. Sub alio etiam titulo tales ablegantur in alia loca, vel monentur, ut discedant: ut exemplis ostendit Amitatus *d. discurs. 2.*

Deinde, quando adimitur potestas, vel non continuatur, tollitur etiam modus crescendi & audendi facinoris.

Ideò consules & magistratus annui erant apud Romanos, & Dictator semestris, temporales præsides & rectores provinciarum & alii. Gregor. *d. cap. 10. num. 6.* Boter. *lib. 4. cap. 4.* Alex. ab Alex. *lib. gen. dier.* Scipio Amirat. *lib. 1. discurs. 12.*

Diminutio & coërcitio potestatis fit divisione, collegæ constitutione cum pari vel majori potestate, ut erant olim Ephori apud Lacedæmonienses, & Tribuni plebis apud Romanos, qui erant oppositi nimiæ potestatis coërcendæ causâ.

Greg. *d. cap. 10. num. 7. & lib. 8. cap. 4. de Rep.* Quòd si magna cum potestate quis mittitur ad regendam Remp. consultum, ut illius liberi retineantur in aula, quasi obsides fidei paternæ.

15 Potentia imperantis magistratus debet esse directa & regia ad solidam auctoritatem via, *ut ait Lipsius,* qui nimirum habet idoneārū rerum facultatem ad sua conservanda & aliena obtinenda. Hac Nebucadnezar excelluit, ut dicitur *Dan. c. 5. 19. 20.*

16 Hanc conferunt opes, arma, consilia, federa, felix successus. Lipsius *lib. 4. Polit.*

17 Opes & pecunia nervus Imperii, caput & pedes dicitur.

Omnia enim vænalia nummis, sive socios, sive milites habere

bere cupias, sive hostes, aut urbes perdere. Siquidem nihil tam munitū, quod non expugnari pecuniâ possit, ut ait Cic. *2. in Verrē.* Si princeps est tenuis fortunæ, tegat suam inopiā, & externè aliud profiteatur. Botet. *lib. 2. c. 8. de pol. const.*

Arma etiam ad potentiam necessaria, sine quibus princeps sua retinere & defendere nequit contra vim & injuriam aliorum, sine quibus etiam subditos suos feroces comprimere, vel contra alios defendere non potest. Deinde scientia rei militaris & præclarè res gestæ militares, magnum sui terrorem vicinis populis & subditis principi pariunt, *2. Sam. c. 8. 13.* 18

Consilia necessaria, quibus arma sunt temperanda. 19

Nam cautis consiliis potentia tutior habetur, & quies semper tutior. Testudinem scimus, ubi collecta in suum tegmen est, tutam ad omnes ictus esse, ubi exserit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atque infirmum habere. Multa etiam quæ naturâ impedita sunt, consilio expediri, dicit Liv. *40.* & plura consiliis, quàm telis & manibus geri, ait Tacit. *13. annal.*

Fœdera etiam ad potentiam necessaria, quibus venenum Rebuspub. paratum extinguitur, quibus duo corpora, quasi uno spiritu & vinculo conjunguntur, & vires conjunctæ efficaciores & potentiores fiunt. Augent enim fœdera & potentiam & gloriam magistratus. Cassiod. *lib. 3. epist.* & facilè vincuntur, qui non habent vicinos confœderatos: *Judic. c. 18. 7. 10. 27.* ubi Piscat. 20

Hæc ineunda sunt cum vicinis proximis, & validis, non cum miseris & afflictis, nec cum illis, quibus periclitantibus & tu pericliteris; & ineunda, quæ causæ bonitate & æquitate nituntur. 21

Optimè habet Resp. quando vicinis utitur pa-

cificè, qui nimirum sunt socii, amici, federati, qui commercii causâ accedunt, & habitant in regno, & in consortiũ nostrum recipi cupiunt, & amici sunt, qui communes nobiscum habent hostes & amicos, vel sibi inter se invicem non nocent, nec bellum inferunt, *Judic. d.c.18.*

Sic Carthaginenses confederati fuerunt Romanis. Sic Abrahã cum rege Abimelecho; cùm Josua Gibeonitæ; David cum rege Syriæ; Salomo cum Hiramo rege Tyri, fedus & pacem coluerunt, *Genes.c.21.21.2.Sam.c.8.9.1.Reg.c.5.12.1.Chron.cap.18.10.c.19.1.2.3.* Sic Achab rex Israël cum Josaphato, *1.Reg.cap.22.4.* Sic Latini cum Romanis aliique cum aliis fedus habuerunt. Vide Sigon. *lib.1.de antiq.jur. Ital.* De amicis, sociis federatis & vicinis Salustius rectè ita: Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, verùm amici; quos neque armis cogere neq; auro parare queas, officio & fide parantur. Vide Plutarch. *de civil.admin. Judic.c. 18.28.* Nemo autem fuit qui eriperet, quia remota erat à Zione, & res non erat illis cum quoquam. Est enim in illa convalle, &c.

22 Fedus cum infidelibus initum, dubium & periculosum est.

1.Sam.c.28.c.29.c.30. 2.Reg.c.8.c.28. cap.9.16. 2.Chron. c.28.2. Non commodum admodum, quod cum iis, qui in diversa politiæ forma vivunt, contrahitur. Vide *Meditam. profeder.* Warem. de Erenberg. Melch. Jun. *polit.quæst.part. 2.quæst.79.* & Richt. *ax.277.* qui in utramque partem argumenta pro & contra federa adfert, & Bod. *lib.5.c.6.de Rep. & lib.1.cap.9.* ubi octo genera federum recenset, quibus tenuiores adversus potentiores possunt se munire. Vide quæ supra diximus cap.17.

Periculosum, potenti impotentem jungi, qui nec vincere, nec vinci sine periculo tuo potest; quorum tamen alterum, aut socium aut hostem habere necesse est; cùm media via nulla ostendatur. Jacienda igitur tunc alea, & alterutri te adjungendũ, nimirum meliori: & si dispares, potiori, nisi alia opportunitas, aut utilitas vincat.

Felix successus ad potentiam ante omnia necessarius est; qui mirificè quosdam fovet, qui hoc astro sunt, ut ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus successus adjunctus illis videatur, qui majore sunt felicitate, quàm sapientiâ; quibus omnia sine labore ferè suggerit Deus. 23

2.Reg.c.18. Quia Deus fuit cum Hiskia, ideò sapienter & prudenter egit. Ita etiam favit Davidi, *1.Sam.c.16.* Gideoni, *Judic. c.6.* Jephte, *Judic. c.11.* Josuæ, *Josu.c.4.* Josaphato, Josiæ & aliis piis regibus. *Psal.127.1.* Nisi Jehova custodiat civitatem, frustra vigilant custodes. *2.Chron.c.26.5.6.*

Sed hic successus tamen inconstans, mutabilis & lubricus est, & quos aliquandu fovit, tandem destituit ob peccata. 24

Solent enim homines fieri securi ex felicibus successibus; ex securis posteà fiunt insolentes & superbi; ex superbia verò sequitur ruina. Quare evertuntur prorsus, vel ad agnitionem suæ infirmitatis redeunt. unde fortunæ humanæ tres gradus sunt: 1. securitas, quæ ex prosperis successib. 2. superbia, quæ ex securitate. 3. eversio comes superbiæ.

Moribus & vitâ magistratus sibi autoritatem conciliat virtutibus internis & externis, ut ait Lipsius *lib.4.polit.c.9.* Greg. *lib.8.c.4.c.5. de Rep.* Vid. Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.20.* imprimis illis, quæ sunt contrariæ illis vitiis, ad quæ ob regnandi potestatem, licentiam, adulatores, aliáve irritamenta, facillimè impelluntur imperantes.

Internis virtutibus, nimirum 1. pietate. 2. providentiâ, 3. fortitudine. 4. fide. 5. modestiâ. 6. temperantiâ. 7. affectuum moderatione. 8. sufficientiâ. 25

Nam vita boni principis, est censura civium, eaque perpetua. Ad eam enim omnes se conformant. Principis fidelissima est custodia innocentia, & benevolentia subditorum. Vide Pet. Greg. *lib.8.de Rep.per tot.*

26 Pietas imperantis magistratus movet opinionem subditis, quasi ille nihil sine divinâ ope aggredi videatur, & instar Dei esse facit eum.

Hujus enim mores imitantur subditi. Camerar. *in oper. succis. c. 66.* imò factis & exemplis suis efficaciùs virtutis amorem instillat subditis, arg. *Tit. c. 2. 7.* Per omnia te ipsum præbe exemplar bonorũ operum. Sicut contrà magistratus impius & sceleratus secum ruinam multorum trahit & vitia introducit, uti Manasses, Ahab, Nero & alii, de quib. latiùs *c. 28. num. 8. & seqq.*

Deinde pietas hæc obedientiam conciliat apud subditos, & gratiarum actionem & laudes.

Psal. 20. & 21. Qui minùs injustum aliquid sperant ab eo principe pati, quem religiosum, Deique verentẽ existimant, & minùs ei insidiantur, ut tutorem & adjutorem habenti etiam Deum, uti ait Arist. *lib. 5. c. 9. pol. 2. Chron. c. 15. c. 26. 5.* Fuit enim intentus quærendo Deo diebus Zachariæ, informantis eum in reb. pertinentibus ad timorem Dei: & quibus diebus quæsivit Jehovam, secundavit ipsum Deus, *v. 6. 7. Josu. c. 1. 8.* Ut cum observantia facias omnino, prout scriptũ est in eo, tunc enim prosperaberis in viis tuis. *Novell. 42. 1. Reg. c. 9. 4. & seqq. Jer. c. 22. 2. Sam. c. 23. 3.* Qui imperium tenet in homines, debet esse justus, & in timore Dei imperare, hoc est, debet esse pius secundùm tabulam primam, & justus juxta secundam tabulam. *Adde Sirac. c. 10. 17. Psal. 1. Pet. Greg. lib. 22. c. 14. de Rep.* Pietas enim habet promissionẽ hujus & alterius vitæ, ut Apostolus ait. *vide c. 28. de administratione ecclesiasticâ infra.* Inter subditos igitur magnum & valdè utile, aut damnosum est exemplum Principis, non aliter quàm intergreges & armenta pastoris & ducis prudentia & insipientia, aut conservare aut perdere pecudes potest. Utque sequitur armentum pastorem, illi confidens, sic vitam & jussa principis populus. *Greg. lib. 8. c. 2. n. 20. 21. & lib. 6. c. 3. n. 9. 1. c. de Rep.* Denique omnis virtus sine Deo est languida & infirma, juxta illud Philippi, *Nullius est felix conatus & utilis unquam Consilium si non detq; juvetq; Deus.* Ita Aharon, Gedeon, Simson, Saul, David, Salomo, Joas, & alii aliâs sapientes & pii à Deo relicti, lapsi sunt, quando impiè egerunt. Ut igitur

tur magistratus sit felix & omnia illi feliciter succedant, pietati operam dabit, juxta promissionem, *Deut. c. 28. 1. Sam. c. 12. in fin.* & exempla piorum magistratuum. Dominatoris verò attendentis verbo falsitatis, omnes ministri sunt improbi, *Prov. c. 29. 12.* Adde Antimach. *lib. 2. theor. 2. Sam. c. 23. 3.* Qui dominatur hominibus istis, justus esto, & Siracid. *cap. 10. 1. 2. 3. 4. Sap. c. 6. 26.* Multitudo sapientum salus mundi: & rex pius & prudens stabilimentum populi. *Prov. c. 29. 2. 4. Dan. c. 6.* dicitur spiritus Dei fuisse in Daniele, qui ideò excelluit inter omnes Dynastas. *2. Reg. c. 18.* Deus benedixit Hiskiæ ob pietatem. Regnantibus piis magistratibus, viget Dei cultus, disciplina & omnes virtutes: contrà accidit regnantibus impiis, ut exemplum Josuæ & sequentium judicum, docet, *Judic. c. 2. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. c. 3. 11. c. 4. 1. c. 8. 33. c. 10. 5. 6. 7. 1. Sam. c. 7. per tot.* Unde Salomo & alii reges exẽplo suo subditis in cultu divino & publicis exercitiis religionis præluxerunt, *2. Chron. c. 6. 3. 4. & seqq. c. 29. 20. & seqq. c. 30. 11. & seqq. 1. Reg. c. 8. 22. & seqq.* & pro talibus magistratibus Deo agendæ sunt gratiæ, *Psalm. 21. & 122. & 132.* Ob pietatem Davidis, Deus illi benedixit, *2. Samuel. cap. 5. 10. cap. 2. c. 12.* & Salomoni, *1. Reg. cap. 10. vers. 8. 9.* juxta promissionem factam, *1. Samuel. cap. 12. 26. 27. Deut. cap. 27. cap. 28.* Felicitas sub piis regibus describitur *Psalm. 72. & 85. & 144. 11. 12. 14. & 147.* & præclara facta eorum, *Heb. c. 11.*

27 2 Providentia quoque magistratus animis hominum illabitur, admirationis prætextu velata, si nihil magistratus aut suscipit, aut agit, nisi lentè & circumspectè.

Plerunque enim omnia summâ ratione gesta, etiam successus sequitur. Quin ipsa talis indoles, per se potens est ad amplitudinem obtinendam, si quis in actionibus tardus & naturâ cunctator, & cui cauta magis consilia cum ratione, quàm felicia ex casu placent. Pro oculo hæc providentia est: strenuitas pro manu & autoritatem conciliat. *1. Reg. c. 3. 28.* Cumque audirent omnes Israëlitæ judicium hoc, quod judicaverat, timuerunt à facie regis. *& 1. Reg. c. 4. 29. & seqq. c. 10.* ubi sapientia Salomonis celebratur, ob quam in toto mundo inclaruit.

28 3 Fortitudo magistratus est, quæ eundem animum in periculis retinet, officiumque suum constanti, firmo promptoque animo agit, nec metu, periculo, inertiâ, otio, aut negligentiâ, occasionem & tempus negotiorum omittit, vel differt. Unde hæc dicitur conjuncta cum magnanimitate & patientiâ, labore indefesso, atq; constantiâ, quæ difficultatibus, periculis, querimoniis & importunitati aliorum non cedit.

Cicer. *pro Sest.* Sudandum est his, qui magistratum gerunt pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, subeundæ sæpè pro Repub. tempestates, cum multis audacibus improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum; quæ quidem sine fortitudine fieri non queunt. Unde fortitudo magistratus omnium subditorum animos erigit & ad bene sperandum impellit, atque ad egregia facinora patranda movet, & pericula in obeundo suo munere contemnit. *Sirac. cap. 7. v. 6.* Ut quæ voluntas rectè expetit, perficiat quoque. Hæc magistratui necessaria. *Josuæ cap. 1. v. 6.* Confirmare & fortis esto, *7. 18. 2. Sam. c. 6. v. 1. c. 7. v. 1. Sirac. c. 10.* Fili, in rebus adversis ingenti sis animo, atque vocationi firmus inhære, ad quam te Deus vocavit. *1. Chron. c. 22. 13.* Confirmare, fortis esto, ne timeas. *Sirac. cap. 7.* Non nisi fortis sit judex, ne potentis faciem extimescat. Et res fortiter gestæ, magistratui magnam autoritatem conciliant, terrorem & admirationem aliis injiciunt, *2. Samuel. cap. 8. vers. 13. & 1. Samuel. cap. 11.* ibi, Invasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus. & *cap. 17.* ibi, Erit igitur Philistæus iste quasi unus ex istis. *Judic. cap. 16.* Vide Boter *lib. 2. cap. 8. de pol. rectè constit.* Ad hanc Deus Josuam excitat, *Josuæ cap. 1.* Quemadmodum cum Mose fuit, ita & tecum ero. Nemo se tibi per totam vitam tuam opponet, non relinquam te, neque deseram te; esto fortis & confirmare, non poterit quisquam consistere ante faciem tuam, *& seqq.* Principem igitur res prosperæ suo flatu non efferant, neque adversæ infringant, aut efficiant, ut à recto virtutis cursu deflectat.

4 Fides

4 Fides etiam à magistratu servata, ipsi fidem & favorem conciliat. 29

Nam hominum vita & societas absq; fide consistere non potest. Vide Rolād. à Valle *cons. 1. vol. 2.* In dictis verò factisq; constantia & veritas, principi omnes devincit & in obsequium ducit. Fidei violatio, quæ conjuncta est cum mendacio & perfidia, omnib. eum reddit invisum & detestabilem, & cujus communionem fugient, *Psal. 15.* Vide exempla apud Antimach. *lib. 3. theor. 21.* Greg. *lib. 1. c. 8.* Scip. Amir. *lib. 17. discurs. 1. Prov. c. 17.* Non decet principem labium mendax, adeò ut etiam malis fides data sit servanda, exemplo Josuæ, *Jos. c. 9* & Davidis, *2. Sam. c. 19.* & JCti dicunt, quòd princeps unum calamum & unam linguam habere, & justitiâ animatus esse debeat. Geil. *lib. 2. obs. 55. n. 3. 4. 5.* Roland. *d. loc.* & latè probat Pruckm. *in §. soluta potestas, cap. 4. memb. 2. eff. 1.* Qui dicunt, nullam esse fidem, quę infideli est data, errant, & perjurio quærunt latebram, ut dicit Cic. *3. offic.* Lipſ. *lib. 2. c. 14. politic.* Tyrannorum est, fidem datam non servare. Vide *Exod. c. 9. Esa. c. 33. 1. 2. c. 24.* quo facto efficiunt, ut perfidis ipsis nemo fidem habeat. Exempla recensēt Antimachiav. *d. theor. 21.* Scip. Amirat. *lib. 19. discurs. 8.* Adeò hanc fidem commendant, ut etiam principem, qui in defuncti locum electus est, teneri ex prædecessoris sui contractu existiment. Pruckm. *d. loc. effect. 2.* Soares *com. opin. lit. C. n. 308. & litera P. n. 267.* Cravet. *consil. 404.* Gabriel. *lib. 3. tit. de jur. quæsito non tollend. concl. 5. n. 2.*

Modestia magistratus est ratione temperatus, nec actione exultans de se suisque sensus. 30

Quæ rara apud magnos & felices, in quibus contemptor animus. Et superbia commune nobilitatis malum. Sceptrum enim & opes animos faciunt, & feroces homines reddunt & superbos. Vid. Greg. *li. 6. c. 3.* Lipſ. *lib. 2. c. 15.* Ex superbia verò sequitur eversio, ut in Saule, Nebucadnezare, Crœso, Pausania, Pompejo, Julio Cæsare, Alexandro Magno, Sennacherib, & aliis, ut suprà diximus.

Modestiæ sunt duo fundamenta: Unum sensus de se suisque temperatus. Alterum actio temperata.

31 Ex primo, princeps non minùs hominem se, quàm hominibus præesse cogitet, se ipsum noscat & officium vocationis suæ.

Cuncta verò mortaliũ incerta, caduca & in lubrico posita, & vanitas. Caduca hæc & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundiis, quæ vires & opes humanæ vocantur, ut ex Valerio Lipsius allegat. Et nihil tam firmum, cui periculum non
32 sit etiam ab invalido. Nam & leo ipse aliquando minimarum avium fit pabulum; & ferrum rubigo consumit, ut ait Lipsius. Ideoq; magistratus semper recordari debet, se hominem esse; *Dan.cap.4. Judic.c.1.2. Sam.c.15.13.14. & seqq. Psal. 82.v.6.* Ego dixi: Dii quidem estis &c. at certè ut plebeius homo morituri estis &c. *Psalm.39.5.* ibi, Profectò mera vanitas est omnis homo, quantumvis maximè excellens. *Sirac.cap.10,11.* Hodie rex, cras mortuus. *Sap.c.7.c.1.* Vide Pet. Greg. *lib. 6. cap. 3. de Repub.* Cogitet, se aliis proniorem & faciliorem esse ad vitia, lapsus & errores graviores, ob regnandi libertatem, licentiam, ob irritamenta varia, deliciarum & voluptatum, ob adulatores varios: & quò major ipsius est dignitas, eò periculosiorem & perniciosiorem casum esse posse. Exemplum præbet Saul, David, Salomo, Gideon, Josias, Alexander Magnus, & plures alii Magistratus, etiam boni, qui
33 atrocia vitia habuerunt. Neque princeps vel rex est dignitas, sed agit personam dignitatis, & similis aliis hominibus. *Sap. c.7.* Consideret, quòd in se magnum habet, non esse ipsius propriũ, sed Reip. à qua ad tempus accepit, quæ etiam q̃ suum est, recipere potest; ita ut par & similis ille fiat reliquis privatis hominibus. & certè superbiæ comes est dejectio & pœ-
34 na. Hodie rex, cras alius, vel nullus. Jugurtha, Perseus, Thomambais, Sultanus, Dionysius, Nebucadnezar, & alii plurimi principes & reges ex solio suo deturbati fuerunt & miserrimi facti. Ideò Seneca rectè: Quod est, ait, regnum, cui non est parata ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Vide Richt. *axiom.297.* Nam princeps etiam subditus fieri potest, vel tanquam plebeius aut malefícus vitam suam claudere, *d. Psalm.82.6. & Psalm.39.5. Sirac. c.10.12.* ut docet exemplum Crœsi, Cyri, Solonis & aliorum. Gregor. *lib.6.c.3.* Ideoque etiam in dignitate sua magistratus subditos pro suis fratribus agnoscere debet, *1.Chron.cap.28.2.* Et surgens David

David rex in pedes suos, dixit: Audite me, fratres mei, & populi mi &c. *Deut.c.17.20.* Ne efferatur animus ejus præ fratribus ejus, *& seq. & c.1.16.* Audiendo causas inter fratres vestros. Et Salomo de se submisse sentit, *Sap.c.17.* Deus enim superbis resistit, *1.Pet.c.5.5.* Subditos etiam fratres & amicos sui magistratus summi dici, tradit Carol. Molinæ. *in consuet. Paris. lib.2.tit.2.glos.1. in verb. arrest.n.55.* De regis Davidis insigni modestia satis docet *Psalm.131.* Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, *& v.seqq. Sirac.c.32.1.* Ductorem te homines constituerunt, ne extollitor, sed esto eis tanquam unus ex eis. Profana exempla suppeditat Mambrin. Rosæ. *de instit.princ.c.2. & 3.* Læl. Zecch. *lib.2.c.1.n.4.*

Actio moderata requiritur ideò, quòd persona 35
principis, non solùm animis, sed etiam oculis civium servire debet.

In cognoscendo non excandescat adversus eos, quos malos putat, neque se acerbum & insolentem exactorem, sed potiùs moderatum & cum efficacia benignum & cum instantia humanum præbeat.

L.19.observandum.§.1.de offic. præsid.l.33.si bene, de usuris. Maxima enim virtus est, sibi posse imperare, & affectus suos regere. Talis robustior dicitur illo, qui civitatem vincit, *Prov. c.16.32.*

Externi mores magistratus, autoritatem conciliantes, sunt in sermone & cultu corporis, & gestu, ut nimirum ore, vultu, verbis, omni denique actione cum dignitate majestatem tueatur, & plus facto ipso præstet, quàm verbis promittit.

Non enim animis solùm, sed & oculis civium servire debet. Et factum semper majus reputatur verbis. Et homines verborum parci & melancholici, semper pluris æstimantur, quàm verbosi & hilares; Boter. *lib.2.c.8.* Non tentet majora viribus suis, quæ cum laude ad finem perducere nequeat.

In sermone requiritur gravitas, humanitas & facilitas.

36 Gravitas ideò, quòd ut ſapienti viro inceſſus modeſtior convenit, ita oratio preſſa, non audax, imò paucus & parcus ſermo principem decet, in quo dignitatem & pondus ſententiarũ ineſſe oportet, ac qui à populari genere utcunq; eſt ſeparatus.

Bodin. *lib.4.c.6.* Linguaces enim loquentiæ multum habent, ſapientiæ parum; quorum omnis vis & virtus in lingua ſita eſt, & canis timidus latrare ſolet vehementiùs, quàm mordere.

37 Gravitatem etiam & dignitatis opinionem ſibi conciliat, quando miniſtris præclaris & excellentibus, virtute & progenie utitur, & cum pauciſſimis ſummæ ſapientiæ & integritatis hominibus, ſua negotia communicat.

Alexander non voluit permittere, ut alius quàm Apelles, ipſum pingeret. Auguſtus Cæſar non voluit niſi à præſtantiſſimis hiſtoriam vitæ ſuæ deſcribi. Ludoico II. regi Galliæ contemptum peperit, quòd medico pro Cancellario, & tonſore pro legato uſus fuit, ut refert Cominæus.

38 Humanitate & facilitate interpellantibus ſe facilem prębet, *l.nec quicquã.§.obſervare.de offic.proconſ.* Ægrè.n. ferunt ſubditi, quando principis ſui tutoris, defenſoris & paſtoris ædes & colloquia ſibi inhibentur, adeò ut ſæpè ad defectionem inde transeant, vel ad odium implacabile provocentur.

Greg. *l.b.8.c.4.n.2.* Inhumanâ allocutione & teſponſione Rhehabeam ſuorum ſubditorum animos à ſe alienavit, *1.Reg.c.12.* Job contrà ſe facilem etiam ſervis ſuis exhibuit, *Job.c.31.13.14.15. & ſeqq.* Julius dicitur humaniter Paulum
39 tractâſſe, *Act.c.27.3.& 28.2.7.* Quâ morum facilitate & animi moderatione, affabilitate & humanitate Wilhelmus, Princeps Auraicus, Comes Naſſovicus, Belgii gubernator, omnium animis ſibi divinciebat, Princeps aliis etiam animi & corporis dotibus excellentiſſimus.

40 Conſpectum tamen & aſpectum ſui prębeat aliis, non ex levi cauſa & ſæpè, ſed tantùm ob graves cauſas, & cũ ſingulari gravitate, *l.1.C.publ.læt.lib.12.* Paris de puteo. *de ſynd.c.de reg.exceſſ.§.fin.n.7.8.9.&c.*

Nam continuus aſpectus, minùs verendos magnos homines ipsâ ſatietate facit, & majeſtati major ex longinquo reverentia. Nimiùm civiles & familiares vileſcunt. Quâ in re principes Dei majeſtatem imitari Bod. dicit *lib.4.c.6.* qui mortalibus, non niſi latenter, & nec niſi pauciſſimis quibusdã ſummæ ſanctitatis & integritatis viris ſe inſinuat, *Num.c.12.*

Solitaria verò vita principis, vel arguit ejus incapacitatẽ regnandi, quòd per ſe non noverit reſpondere, & negotia ſubditorũ prævidere, quodq; bonis ſubditorum ad voluptatem ſine onere abutatur; vel arguit indignam paſtore & principe ſuperbiam. 41

Utrumq; indignum principatu, & rebellandi occaſionẽ dare ſolet ſubditis. Unde illud mulierculæ cujusdã ad regem ſuum recuſantem audientiam: *Si non vis*, vel, *Vacat me audire, noli eſſe rex.* Et alterius: *Cùm tu me non habeas ut ſubditũ, cur te haberem ut principem?* Nam nihil eſt quod magis provocet ſubditos in contemptum principis, quàm ſi ipſi à principe, eo quo oportet modo, nõ habeantur. Vid. *Greg.d.c.4.de Rep.*

Qui non colloquuntur per ſe ipſos ſubditis con- 42
querentibus, ſæpè falluntur per interpretes, nec intelligunt neceſſitatem urgentem, nec ambitioſorum factiones, nec oppreſſionem à magnatib. inflictã ſubditis, nec ulla eos capit libido adhibendi remedia malis, quę ignorant. Sic ſubjecti ab obedientia, ipſi verò à regimine revocantur, & alii interim tyrannidem aucupantur.

Magnam quoq; autoritatem & benevolentiam 43
magiſtratui conciliat, quando eccleſiaſticorum, politicorum, doctorum, & inſignium virorum gratiam, amorem & benevolentiam ſibi comparavit.

Nam Eccleſiaſtici volũtates, mentes & conſcientias hominum tenent: Docti verò, populi judicium in ſua poteſtate tenent. Ideoq; quidquid hi judicant, magni æſtimatur à populo. Eccleſiaſtici, ſanctimoniæ & pietatis apud populum opinionem habent. Politici & docti viri, opinionem ſcientiæ.

44 Cultus corporis in magiſtratu non exuberet; & geſtus corporis compoſitus ſit & gravis, qui viſu & auditu magiſtratum reddat venerabilem & gravem.

Vide Gregor. *lib.8.c.3. de Repub.* Bod.*lib.4.c.6. de Repub.* Scipion.Amirat.*lib.2.de reg. regnique inſtit. & lib. 2. Ethic.* dixi latiùs.

45 6 Temperantia magiſtratus impetum inhoneſtarum cupiditatum reprimit & moderatur. Hæc in omnibus actionibus, præcipuè verò in victu, cibo, potu & veſtitu commendatur.

Arg.*Sirac.c.31.* Exemplo Curii Dentati & aliorum. Vide Val.Max.*lib.2.cap.3.* Tholoſ.*lib.8.c.6.* Unde Salomo *Prov. c.31.4. & Eccleſ.c.10.14.* ait, O te beatam regionem! cujus principes ſuo tempore comedunt ad robur, non ad compotationem! *Eſa.c.28.7.* ibi, Potu inebriante oberrant, præſes ac propheta, errant potu inebriante, abſorbentur à vino, oberrant præ potu inebriante, errant in functione videntes, titubant in judicatione. 8. Nam omnes menſæ plenæ ſunt vomitu & excremento, *c.23.Eſ.c.5.*

46 7 Moderatio affectuum eſt, quâ naturales affectus pravi & vitioſi imperantium, adminiſtrationem eorundem depravantes & corrumpentes, cohibentur: quaque ſibi & ſuis affectibus, in quos illi naturâ vel occaſione adminiſtrationis ſunt proniores, imperant. Hos qui cohibere & domare poteſt, robuſtior eſt eo, qui civitatem expugnat, ut Salomo ait.

47 Ejusmodi affectus, quibus adminiſtratio imperantium eſt obnoxia, ſunt ira, amor, libido, odium, ſpes, metus, corruptio adulatorum, licentia, ſuperbia, avaritia, luxus. Horum affectuum impotentiâ in poteſtate conſtituti, facilè abripiuntur ad ea, quæ adminiſtrationem eorum culpabilem & vitioſam reddunt.

8 Suf-

8 Sufficientia imperantium eſt, quâ tum *δ' ἐυΐᾳ*, naturę bonitate & præſtantiâ, tum ſapientiâ & prudentiâ in iis, quę adminiſtrationem eorum concernunt, abundè ſunt inſtructi. 48

De quibus donis etiam Salomo Deum rogat, *1.Reg.cap.3. 9.10.* & diximus ſuprà de conſiliariis ſummi magiſtratus, *c.27. & c.28.*

Porrò auctoritati magiſtratus, quæ his, quos diximus, modis & factis comparatur, contrarius eſt contemptus, qui eſt impreſſa ſubditis, vel exteris, vilis abjectaque opinio de magiſtratu ejusq; ſtatu, ut Lipſius definit. Hæc præſens regni peſtis, quâ à Deo punitur. 49

Pſal.107.40. Effuſa eſt contemptio ſuper principes, & errare fecit eos in invia, & non in via. *1.Sam.c.2.* Qui me contemnunt, eos & ego contemnam. *Job 12.21. & ſeqq.*

Contemptus hic tribus contrariis mediis magiſtratui procreatur, nimirum formâ imperii, ſucceſſu infelici, vel moribus malis. Tholoſ.*lib.8.c.4. de Rep.*

Forma imperii, quando ea juſto eſt lenior & remiſſior, uti quando magiſtratus ſe effusè dat auræ populari, & omnem infimæ plebis rumorem affectat; vel ex populi arbitrio Remp. adminiſtrat. Negligentia & ſocordia hæc plures principes perdidit. 50

Hoc enim modo plebi omnem reverentiam excutit, & licentiam peccandi præbet, *2.Chron.cap.24. 2.Reg.c.12.l.19.obſervandum.de off.præſid.* Malum ſiquidem habere principem, ſub quo nihil ulli liceat; pejus verò eum, ſub quo omnia omnibus, ut Dio de Nerva. Maximè verò oritur contemptus ex inconſtantia illius, quem ſubditis offenſis, vel intempeſtivis blanditiis mutabilem, meritò putant ſubditi à ſe contemni.

51 Contemnitur quoque magistratus, qui ipse est humilis & sordidus, & qui se priùs ipsemet contempsit, ut Plin. *in pan.* & qui est levis, legibus & decretis variat, vel ingenii mobilitate.

Similiter, si soluta forma imperii est, & princeps rerum omnium est incuriosus & levi auditu, etiam magna transmittit, abundè ratus, si præsentibus fruatur, non in longius consultans: vel honores effusè dividit, magnos, diuturnos; hic quasi sponte videtur exire de imperio.

52 Casus adversus, sive successus magistratui contemptum parit, quando semper est contrarius & infelix. Nam sicut res prosperè pariunt obsequium, sic successus adversos omnes ex æquo detrectare solent. Vide exempla apud Richt. *axiom. 296.*

53 Deinde quando ille est orbus: tum enim convertuntur ad solem orientem.

Nam certus successor ex liberis, firmat magistratus autoritatem & non legiones, non classes, æquè firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum, ut ait Tacit. *5. hist.* Vide Greg. *lib. 8. c. 4. n. 7. 8. de Rep.*

54 Moribus inhonestis & turpibus in contemptum adducitur magistratus, quando est libidinosus, vel luxui, temulentiæ, aut commessationibus deditus.

Proverb. cap. 31. v. 3. 4. Judic. c. 16. intemperantia & omnis luxus illius invisus & detestabilis. Boter. *lib. 1.* Greg. *lib. 22. c. 3. c. 4. & lib. 8. c. 6. de Rep. Esa. c. 5. 11. & seqq. Eccles. c. 10. 6.* Jun. *lib. 1. polit. quæst. 20.* Talis custos ipse opus habet custode. Luxui, voluptatibus & temulentiæ mancipati deditique fuerunt Ninias, Sardanapalus, Alexander Magnus, Caligula, Heliogabalus & alii plurimi. & Simson scortatione sibi & regno nocuit, *Judic. c. 16.* Hæc enim dementat reges, *Prov. cap. 1. 6. c. 7. 7. c. 31. 3.* ipsosque in bestias transformat, & multas opportunitates præbet insidiantibus. Exempla habet Richt. *axiom. 295.* Luxuriâ, intemperantiâ & libidine principum

cipum multa Imperia eversa esse, docet Castel. *lib. 3. c. 1.* Bod. *lib. 4. c. 1.* Tholos. *lib. 22. c. 3.*

Deinde, quando nimia servatur humilitas, regnandi frangitur autoritas. arg. *1. Tim. c. 4. 15. Tit. c. 1. 15. Prov. c. 5. 9.* & quando magistratus sit mancipium aliorum, quorum consiliis obstrictus tenetur. Gregor. *lib. 8. cap. 4. num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.* ubi exemplis illustrat. 55

Inprimis, si accedit ætas junior vel gravior, valetudo imbecillior, aut facies parum decora, quæ etiam per se contemptum pariunt. Alex. ab Alex. *lib. 4. c. 23.* Melch. Jun. *lib. 1. polit. quæst. 21.* qui exempla referunt. 56

Contemnitur quoque, qui nimiùm est credulus, facilis, simplex, jocularis, ebriosus, libidinosus, popularis nimiùm, stolidus, ridiculus, deformis, superbus, vanus, temerarius, levis, arrogans, inconstans, qui temerè, ineptè, aut intempestivè loquitur, vel inconsideratè & stolidè agit, vel superbè & insolenter imperat. Vide Greg. *lib. 22. c. 6. lib. 8. c. 4. & lib. 6. c. 12. de Rep.* ubi exemplis illustrat. Et Jun. *d. quæst. 20.* Ebrietas verò inprimis contemptum parit, & nocet plurimùm principibus. Vide *Prov. cap. 23. 29. c. 31. 4.* Exempla hujus rei theatrum Zwingeri suppeditat. 57

Vilis quoque & abjectus habetur, qui tractat levia, vilia, sordida & abjecta negotia. 58

Uti Nero, qui poësi & picturæ operâ dedit: Domitianus, qui arti sagittandi: Valentinianus, qui statuariæ & sculpturæ: Carolus nonus, rex Galliæ, qui venationi: Alphonsus dux Ferrariensis, qui Astronomiæ: Philippus Macedo, qui Musicæ operâ dedit. Contẽptus fuit Demetrius rex Asiæ, qui in machinis bellicis conficiendis fuit excellens: Albertus dux Austriæ, qui in dolãdo, tornãdo & architectura se exercuit. Vide

Castel. *lib.1.c.24.& seqq.de offic.reg.* An venatio deceat principem, vide apud Per. Greg. *de Rep. lib.10.c.6.* Patric. *lib.3.tit.6:* Keckerm. *lib.1.c.4.syst.polit.* Scip. Amir. *lib.2.discurs.1.* Contemnitur ergo magistratus, qui tractat aliena ab arte gubernandi, & sibi non convenientia; uti si princeps musicam, poësin, aut artem jaculandi, sagittandi, venandi, aucupandi, solicitè & accuratè tractet exerceátve. Greg. *lib.10.c.6.n.ult. de Republ.* & Patric. *de Rep. lib.4.5.& 6.* Hinc Sardanapalus contemptus, quòd pensa traheret & divideret inter fœminas.

Contemnitur denique magistratus propter affectus vitiosos & insufficientiam. Vitiosi & pravi hi affectus imperantium, vel naturę pravitati inhærent, vel aliunde moventur.

59 Naturę suæ pravitate vitiant administrationem, qui affectibus suis malis indulgentes, ad ea quæ non decent, abripiuntur, uti qui irâ præcipites, qui amore, libidine, odio, spe, metúve ducuntur, & inclinantur ut faciant quod non decet.

De quibus latè Simancа *lib.6.c.5.& seqq. de Rep.* & suprà *c.21.n.7.* Sic Saul ex metu populi sacrificavit, *1.Sam.c.13.* & Zidekias ob metum suorum principum, Jeremiam tradidit incarcerandum, *Jerem.c.38.* Darius Danielem in foveam leonum conjiciebat, *Dan.c.6.* Pilatus metu Judæorum Christum condemnavit, *Luc.cap.13. Joh.c.19.* Scortatio reges dementat, *Prov.c.11.6.c.7.7.c.31.3.* David libidine victus, concubuit cum Uriæ uxore: & metu infamiæ Uriam hosti postea prodidit, *2.Sam.c.11.* Sic idem irâ præcipiti motus, Nabalem exitio devovet, *1.Sam.c.25.* Ita Saul cęco affectu & metu odioque ductus contra Davidem innocentem, multa injusta perpetrat, *1.Sam.c.18.& c.seqq.* Et Pharao cupiditate commodorum suorum ductus, mandata divina neglexit, *Exod. c.6.& c.seqq.* Ita Salomo, Rehabeã, Achab, Nebucadnezar, Holofernes, Samson aliiq; plurimi reges, pravis suis affectibus seducti & victi, multa iniquè egerunt in Reip. administratione: & Herodes Judæis gratificatus est in actis Apostolorum. Vide Richt. *axiom.265.* Simancam *d.loc.*

60 Similiter affectibus suis pravis seducuntur, qui φιλονει-

φιλονεικίας morbo laborant, atque studio contradicendi, & contentione suâ impediunt bonorum in administranda Rep. sententias: qui publica remissiùs curant, vel συνέργοις ministris, aut collegis suis curas relinquunt, laborum & molestiarum impatientes: qui commoda sua amant, & voluptates privatas, quas publicis præferunt: uti Sardanapalus, Vitellius, Wenceslaus, Belsazar, Darius & alii: qui lenitate, facilitate, vel contrà severitate, & gravitatis specie quâdam recedunt à medio, & in confinia vitiorum abeunt: qui promiscuè se benignos omnibus præbent, & muneris sui autoritatẽ prostituunt: qui præter rem misericordes & ad ignoscendum proni, dum fontibus miseris benefacere volunt, de quibus eleganter Callistratus *in l.19. observandum. de offic.præsid. & Novell.17.c.2.* qui vitio pleonexias laborant, cum studio honorum, potentię, & pecuniæ immodico: quo vitio nullum in imperantibus nocentius, potentius & frequentius. Vide *Deut.c.16.19. Prov.c.17.23. Esa.c.1.2.* ut eruditè disserit Ubbo Emmius in præfatione *decad.5.histor.Fris.*

Aliunde affectus moventur, atq; occasione datâ administratio vitiatur ex affectione imperantium erga negotia, quæ tractanda sunt, vel personas, quæ ea agunt.

Negotia quædam, circa quæ occupantur imperantes, debilitant & occæcant judicii vim, & quasi caligine aspergunt, ita ut expeditè procedere non possint. Multa bonorũ animos solicitant, ut etiam ad id quod recta ratio non suggerit, modicè deflectant, causasque quæritent, quibus hoc quod statuunt, honestè se statuere cum aliis, tum sibiipsis interdum persuadere conantur. Multa & varia sunt, 61

quæ multos scientes volentesque apertiùs à recto discedere,& vim conscientiæ facere,sæpè honorem quoque suum prostituere compellunt, ac justi injustique rationem habere non patiuntur.

Sirac.c.7. 2.Sam.c.19.19. & seqq. Ita David, occulturus suum adulterium, sub specie prælii curavit Uriam occidi, *2.Sam.c.11.* Jesebel Nabothum interfecit,& vineam illius occupavit sub juris prætextu,*1.Reg.c.21.*

62 Personarum negotia agentium,affectus,sæpè in imperantibus prædominantur, ita ut in lucta cum aliorum cupiditatibus sæpè vincantur. Nam interdum inopum afflictorumque lamentationes & preces,animos imperantium tentant,& à recto abducunt. Nonnunquam amici ipsis molesti sunt,instant,urgent,donec ipsâ importunitate aliquid impetrent.

Sirac.c.7.6. Ne quæras fieri judex, ne non valeas injustè facta tollere,ne quando metuas à facie potentis,& ponas offensionem in recto itinere tuo.*2.Sam.c.14.c.16.1.2. & seqq. c.19.19. & seqq.* ubi David precibus, importunitate & calamitate supplicantium victus,Thekoam, Sibæ,Simeon,Mephiboseth concessit,quæ aliâs non concessisset. Ita malorum consiliariorum persuasione,plurimi reges ad sævitiâ & alia scelera tracti sunt.Vide *2.Sam.cap.10.c.16. 1.Reg.c.12.1.Chron. c.10.Dan.c.6. 1.Sam.cap.29. 2.Chron.c.24.Esth.c.3. Psal.58. 2.Sam.c.3.11. Jerem.c.38.per tot.* Necessarii,consanguinei,parentes, liberi,fratres, conjux, validam ad expugnandos animos vim habent. Hoc modo Themistocles puer adhuc jactabat inter suos, se Athenas, adeoque totam Græciam regere. Nam mirantibus dicebat, se in potestate matrem habere, matrem verò imperare patri,patrem consilia publica Athenis gubernare; Athenienses denique Græciæ principes esse. Ita Jesebel regem maritum Achabum ad multa scelera pertraxit,*1.Reg.cap.19. & c.seqq.* & uxores Salomonis regis eundem ad idololatriam commoverunt. Sic Heli filiorum, & Davidis liberorum delicta manent impunita : & Joabi scelera à Davide non punita; & concubina Simsonis eundem dementavit,*Judic.16.*

Propter

Propter insufficientiam imperantium, eorundem administratio vitiatur naturæ infirmitate & defectu virtutum ad imperandum necessariarum. 63

Insufficientia imperantium nota est ex eo,quòd illi sint homines,humanis infirmitatibus obnoxii. Nullus enim tanto ingenio,sapientiâ & virtute est, ut omnia,quæ usus Reip. poscit,sciat,videat vel intelligat,omnique loco & tempore sapiat.

1.Reg.c.3.9. Des servo tuo intelligentiam ad judicandum populum tuum,discernendo inter bonum & malum. Quis enim posset judicare populum hunc numerosissimum? Multa fugiunt sagacissimos quosque,obscuraque iis sunt,quæ ex usu Reip. esset, rectoribus illius esse perspecta. De plurimis quoq; intellectis sæpe judicando à recto aberramus, & ratio humana cæcutit,nebulis densis obsita quasi,& affectibus atq; desideriis implicata & consociata est in natura hominis,atq; ita abripitur, ut rectum nonnunquam judicare minimè possit.

Defectus virtutum ad Imperii administrationem necessariarum evidens est ex literarum ignorantiâ,& inscitiâ rerum necessariarum, item ex imperitiâ, nec non stultitiâ & tyrannide imperantium; unde Reip.detrimentum.

Eccl.c.4.9. Melior est puer indigus & sapiens rege sene & stolido. *Esa.c.3.5.* Daturus sum pueros principes eorum. *Sir. c.10.* Rex rudis perdit populum suum,civitas verò intelligentiâ potentum habitabitur. de quibus *c.26.c.27.* adde *Eccles. c.9.17.18. & seqq. Sirac.c.37.*

Calumniis imperantium administratio obnoxia redditur vitio subditorum, qui pravis naturæ affectibus facilè ad contumaciam & resistentiam moventur,& odio habent imperantes ob præsumptam de se opinionem, vel commodorum suorum studium. Unde plurima bella civilia,tumultus,seditiones, commotiones, rebelliones extitisse, testantur variæ historiæ. 64

65 Opinio hominum subditorum de se concepta est 1. de libertate, quam sibi jure deberi arbitrantur. Unde fit, ut parere & subesse speciem servitutis esse existiment. Hinc contumacia & rebellio Coraci, Dathanis, Abirami & sociorum adversus Mosen, *Num. cap. 16. 1. 2. 3. 13. 14.* 2. De præsumptione homini innata, quâ quilibet se aptum & idoneum ad capescendum tenendumque in Rep. clavum arbitratur, idq; melius quàm peritissimi in hoc genere. Unde fit, ut ambire Imperia & magistratus ausint, seque iis ingerant.

Hinc Absolon, *2. Sam. c. 15. 4.* Utinam poneret me quis judicē in hac terra, ut ad me veniret, cuicunque lis est, aut causa, & justum pronuntiarem istum. Et soror Mosis, *Num. c. 12.* An tantummodò per Mosen loquutus est Jehova, nonne etiam per nos locutus est? Adde *1. Reg. cap. 1. 5. & seqq. 1. Sam. c. 10. 27.* Homines nequam dicebant, Quid servaret nos iste? contemnentes eum.

66 Studium commodorum propriorū cuilibet est innatum, ut impensè illa persequatur, incommoda & onera defugiat, vel in alios derivare conetur.

Hoc studium commodorum propriorū diversum & varium est, prout sunt ingenia & studia hominum diversa, vitæque genera institūta, sodalitia, collegia varia: unde varia & diversa de imperante judicia, ita ut quod commodum his, alteris incommodum; quibusdam gratū, cæteris adversum; unis æquum, reliquis iniquū sit, aut esse videatur. Unde omnibus in gubernatione sua placere non possunt, & quidam indignè ferunt, actaq; eorū pessimè traducunt, vel eludere & impedire conantur. Atque hinc exosum imperium, ob calumnias & pericula.

Populus etiā in bono magistratu adquiescere non potest, *Eccl. c. 4. 10. 11. 12.* Et pii magistratus calumniis obnoxii fuerunt, uti Moses, *Num. c. 13. & c. 14.* Gideon, *Judic. cap. 6. c. 8.* Jephte,

Jephte, *Judic. c. 11.* David, *1. Sam. cap. 30.* Samuel, *1. Sam. c. 12.* Daniel, *Dan. c. 6.* & plures alii, quibus populus sine judicio omnia sua mala & incommoda imputare solet, uti constat ex exemplis allatis in *c. 23.*

CAPUT XXVI.

De usu, experientia & delectu magistratus.

1 *Usus quid.*
2 *Ejus laus & fructus.*
3 *Experientia docet, amicitiæ non esse fidendum: principiis mali occurrendum, & plurima utilia.*
4 *Experientia prissimorum & optimorum principum.*
5 *Delectus quid.*
6 *Diffidentia magistratus quæ licita.*
7 *Credulitatis vitia.*
8 *Dissimulatio magistratus, quæ licita & necessaria. n. 9.*
10 *Dissimulationis usus tempestivus & decorus.*
11 *Aperti & simplices imperantes, impediuntur sæpè.*
12 *Libri arcanorum magistratus.*

TAntum de doctrina & cognitione eorum, quæ sunt magistratui administranti Remp. scitu necessaria, quod primum membrum intellectus hujus politici diximus: sequitur de altero ipsius membro, Usu nimirum.

Usus est experientia rerum cognitarum per propria pericula & exempla. *Eccl. cap. 1. 12. & seqq.* Animus meus multa didicit & expertus est, *& c. 34.* 1

Ejusmodi usus efficacissimus, omnium rerum est magister & præcepta longè superat, nudamque cognitionem ab exemplis alienis petitam, primò genuit. 2

Lipſ. *Lib. 1. c. 8. pol.* Senec. *epist. 6.* Longum, inquit, iter per præcepta, breve & efficax per exempla.

Usus & experientia magistratum docere potest de faciendis & omittendis, quibus status Reipub. & ipsius securitas 3

conſervetur, nimirum ut amicitiæ, vel conſanguinitati non fidat nimiùm: ut principiis in quolibet malo & incommodo occurrat, ne tempore creſcat malum & vires adquirat: ut in ſummis difficultatibus & periculis cedat tempori, quo omnia mutantur: contra vim multitudinis non inſurgat, ſed ut periti nautæ faciunt, vela ventis adcommodet, & quod impedire non poteſt, ad tempus permittat: ut levia errata non parvi faciat, quæ tempore majora fieri ſolent: ne multa gravia & ardua ſimul tractet, quæ ſimul expedire non poſſunt: ut in principio magiſtratus & Imperii nihil innovet, præſertim ſubitò. Simanc. *de Rep. lib.4.c.10.* Patric. *lib.6. de Repul. tit.6.* ut tempori & occaſioni ſe adcommodet, neque ſe fortunæ & caſui committat. *Prov.c.2.* Callidus videt malum, & ſe abſcondet; ut vetera novis, quietè & tranquillitatem bello, certa incertis, tuta periculoſis præferat: ut vim non inferat iis, quibus par non eſt, imprimis verò eccleſiaſticis nullam faciat injuriam: ut cum vicinis non gerat perpetua bella, neque cum ſubditis, quibus illi magis magisq; exacerbantur & alienantur ab illo: ut nunquam nimiùm ſit ſecurus, cùm pax non armata ſit inconſtans & brevis: ut in quovis negotio occaſiones oblatas amplectatur, non negligat: ut non fidat illi, quem læſit.

4 Experientia ejusmodi in magiſtratu requiritur.

Prov.c.15.12.14. & ſeqq. qualis fuit in Moſe, Joſua, Davide, Samuele, Joſaphat & aliis. Hi enim ad principatum non venerunt, niſi poſtquam variis caſibus exercitati fuerunt.

5 Sequitur de delectu, altero membro prudentiæ politicæ, quo recto judicio, honeſta, utilia & bona, ab inhoneſtis, inutilibus, illicitis & noxiis discernit & ſeligit magiſtratus, atque aptè negotio præſenti adcommodat.

1.Reg.c.3.v.9. Des ſervo tuo animam intelligentem, ad judicandum & discernendum inter bonum & malum. Hic inſtar manus ad praxin ducit, & intellectum tanquam dominum ſequitur. Boter. *lib.2.c.1. de polit. Prov.c.16.10.* Sagacitas inſideat labiis regis. *& cap.25.2.* Honor regum eſt, perveſtigare

gare rem *1.Chron.cap.22.11.* Nunc ergo, fili mi, Dominus ſit tecum; proſperare & ædifica domum Deo Domino tuo, ſicut locutus eſt de te. *12.* Det quoque tibi Dominus prudentiam & ſenſum, ut regere poſſis Iſraël, & cuſtodire legem Domini Dei tui. *13.* Tunc enim proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata & judicia, quæ præcepit Moſi, ut doceret Iſrael; confortare & viriliter age, ne timeas, neq; paveas.

Delectus hic & judicium temperandum eſt diffidentiâ & diſſimulatione quâdam.

Diffidentiâ, ut tardus & lentus ſit magiſtratus in 6
fide & aſſenſu, nihil facilè credat & omnia caveat. Hæc σωφροσύνη ἀπιστία laudabilis.

Nam credulitas error eſt, & pernicioſa magiſtratui, quæ 7
eum facit labi, errare, decipi, & injuriis aliorum obnoxium reddit. Omnia enim ferè infida: & multis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura. Frons, occuli, vultus perſæpe mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè. *Jerem.c.9.4.* Quisquis ab amico ſuo caveat, & ulli fratrum ne confidat. Nam omnis frater omnino ſupplantat, & omnis amicus cum detrectatione loquitur, *v.5.6.* Lipſ. *lib.4.c.14.* Credere verò poteſt tutò illis, quorum longo uſu, vel certò cognita illi eſt fides & pietas. Vide Greg. *lib.22.c.11. de Repub.* ubi exempla recenſet. Nihil tamen magis hîc cavendum, quàm ne diffidere videaris.

Diſſimulatio eſt eorum, quæ ſcimus & intelligimus, 8
reticentia, præſenti loco & tempore facta, frontem operiens, mentem tegens; Ideoque egregia ars dicitur, alienas artes, perinde ac ſi non intelligerentur, eludere, ut pluribus exemplis probat Scipio Amir. *lib.1.disc.4.*

Nam non ſolùm evitatur damnum, quod ex re intellecta impendet, ſed diversè rem propoſitam interpretari, ſimulando majori aſtu, & faciliùs ſimulantium deceptionem eludimus & antevertimus.

Diſſimulatio ergò hæc magiſtratui neceſſaria 9
eſt.

Nam nescit regnare, qui nescit dissimulare. *1.Sam.c.10. 27.c.11.12. 2.Sam.c.3.39. & Psal.38.14.* Quos ego tanquam surdus non audio; & tanquam mutus, non aperiens os suum. *15.* Sed sum tanquam is, qui non audit, & in cujus ore non sunt argumenta. Necesse n. est, ut ad effectum consiliorum suorũ veniant, multa simulent imperantes, etiam inviti, & dissimulent cum dolore; uti Lips. *lib.4.c.14.* ex Cic. refert. Sic & Salomo dissimulavit propositum suum, quando inter duas mulieres judicans, jussit disecare infantem vivum. Et Saul injuriam sibi illatam dissimulat, *1.Sam. cap.10.27. & c.11.12.13* & David, *2.Sam.cap.3.39.c.19.22.23.24.* Gideon, *Judic.cap.8.1.2.3. Eccl.c.7.21.* Etiam ad omnia verba quæ dicuntur, ne adhibeto animum tuum, cùm non debeas audire, vel servum tuum maledicentem tibi. *& v.16.* Ne esto justus nimium, neque sapere tibi videtor ampliùs, quare desolationem tibi quæreres? Ut enim qui captat aves, earum voces imitatur, ut in laqueos alliciat: sic ut multitudinem in tuam adducas sententiam, illius ingenio aliquandiu obsecundes & servias oportet. Utque vinum primùm servit & paret bibenti, at paulatim venis hominis admixtum, rapit eundem, & in suos mores traducit: ita qui Remp. administrat, initiò se populi moribus adcommodat, postea sensim ad sua trahit instituta. Similiter qui vult capere tauros, cavet ne veste rubrâ appareat; & qui elephantos, ne albâ veste veniat, quòd hoc colore irritentur hæc animalia: Sic qui vult feram nationem domare, se moribus istius ad tempus adcommodabit.

10 Dissimulatio hæc instituenda est aptè & decorè, non immodicè & ineptè. Aptè dissimulatio hæc fit in iis, quæ haud planè perspicua & ante pedes oculosque sunt, quæ est gratiosa. Ineptè contrà, quando fraus translucet & apparet; quæ dissimulatio est valde odiosa.

Sic Tiberius defuncto Augusto, socium aliquem se in principatu percupere simulavit, ut hoc commento senatorum voluntates introspiceret, ut ipsis exploratis, cautiùs tutiusque rebus suis consuleret; cujus simulationem simili arte senatores deluserunt. Plura exempla refert Scip. Amirat. *lib.1.dis.4.*

Non

Non est consultũ, ut se directò objiciat multitudini, quia difficulter vincitur, aut si vincitur, hoc sine benevolentiæ detrimento fit. Ideoque per obliquum populum mulcere debet, & fingere se velle, quæ tollere nequit, ut si rectà portum tenere nequeat, velificatione tamen mutatâ eundem adsequatur; & ubi leonina pellis non prodest, vulpinam assumat. Atque hunc dolum JCti bonum dolum dixerunt, *l.1.de dol.mal.* Vide Clapm. *de arcan.Rerump.*

Aperti & simplices, qui animum in fronte gerunt, sæpè 11
impediuntur. *Sirac.cap.32.* Prudens omnia experitur consilio, antequam agere incipiat. *c.31. & c.33.* Quidquid agis, prudenter ages, & modum in omnibus serva. *c.37.* Sine consilio nihil facito, ne te facti pœniteat olim. *& toto c.9. & cap.19. 1.Chron.c.22.* Det tibi dominus prudentiam & sensum, ut possis regere Israël, & custodire legem Domini Dei tui. *Prov.c.13.16. & c.14.c.15.* Astutus cautè agit in omnibus, & considerate facit omnia. Huc refero arcana Rerump. de quibus scripsit Waremund. ab Erenberg & Clapmarius: quæ nihil aliud sunt, quàm simulationes honestæ, Clapmar. *d. loc. lib.1. cap.4. & seqq.* Scip. Amirat. *lib.1. discurs.4. & seq.*

In usum arcanorum suorum & dissimulando- 12
rum, magistratus arcanos quosdam libros habent, in quos secreta quæque regni & administrationis suæ referunt.

Ita Augustus librum habuit, in quo continebantur opes publicæ, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & necessitates ac largitiones. Ex hisce libris, tanquam in speculo, semetipsos intueri possunt, & scire, quot centena millia, quot millia numorũ quotannis possideant, quot milites in ditionibus suis colligere possint, quot possideant littora, provincias, naves, ad quam summam expensæ, tam ordinariæ, quàm extraordinariæ pertingant, qui sint fines territorii, qui vasalli beneficiarii, amici, socii, confederati. Scip. Amir. *lib.1.dis.5.*

CAPUT XXVII.

De consiliariis magistratus.

1 Prudentia duplex, & utriusq; fructus.
2 Prudentia propria, quidnam.
3 Prudentia mutuatitia quid.
4 Utilitas consiliariorum & necessitas.
5 Periculum spreti consilii.
6 Consiliarii qui.
7 Qualitas consiliarii boni & sapientia.
8 Sapientia politica vera quænam.
9 Pietas & integritas illius.
10 Impiorum consilia.
11 Mali consiliarii qui, & eorum effectus.
12 Differentia inter bonos & malos consiliarios.
13 Experientia consiliarii.
14 Promptitudo illius & eloquentia.
15 Fides consiliarii, constantia & libertas.
16 Ars bona, consilia in actum apud principem deducendi. & contraria vitia, num. 17.
18 Libertas & παῤῥησία consiliarii concessa.
19 Mala & iniqua non approbet, sed iis contradicat.
20 Revelanda illi omnia ad salutem Reip. pertinentia.
21 Taciturnitas consiliarii.
22 Facilitas consiliarii.
23 Vacuus à privatis affectibus.
24 Non confidens & audax.
25 Non cupidus & festinans, sed lentus. num. 26.
27 Electio consiliarii quomodo fieri debeat.
28 Ex subditis & regnicolis consiliarii eligendi.
29 Extranei consiliarii quales plerumq;.
30 Eligendus cum commendatione præstito juramento.
31 Ex electione hac pendet honor, infamia & ruina principis & populi.
32 Utrum inter principem malum & consiliarios bonos; & inter consiliarios malos & principem bonum melius.
33 Qui non eligendi.
34 Ex omnibus ordinibus eligendi consiliarii.
35 Ex provinciis singulis subjectis eligendi.
36 Agnati & consanguinei principis eligendi, & quare.

37 Prædecessoris consiliarii probi retinendi.

38 Stultorum & assentatorum consiliis uti, malum.
39 Monitiones prædecessorum, utiles successoribus.
40 Forma consulendi & consultandi.
41 In consultatione propositio, rogatio, examen consiliorum datorum & conclusio, pertinent ad principem, dictio ad consiliarium.
42 In quibus consulendi consiliarii.
43 In negotiis arduis consulendi consiliarii & ordines regni.
44 Comitia consultatoria.
45 Judæorum comitia.
46 Species consilii, & consiliariorum collegia.
47 Consilium politicum.
48 Consistorium & dicasterium.
49 Conventus generales necessarii.
50 Maturè consulendi consiliarii.
51 Consilii apud magistratum autoritas.
52 Consilium non necessitat.
53 Consilia multorum audienda, & quare.
54 Ad consilium datum responso principis non opus est.
55 Differentia consiliorum.
56 Fidem consultorum princeps excutiat.
57 Parrhesiam nulli consiliario adimat.
58 Concordia inter consiliarios.
59 Adulatores delatores mali consiliarii.
60 Servi domestici & aulici adulatores.
61 Mali consiliarii.
62 Consiliarios omnes æquales habere debet, non unum reliquis præferre.
63 Multitudo sapientum bona.
64 Præsentia magistratus in consultationibus bona.
65 Consilium utile & bonum unde cognoscendum.
66 Quæ mala consilia.
67 Consilia suspecta.
68 Quæ periculosa.
69 Quæ consilia bona.
70 Quæ non veniant in deliberationem.
71 An remunerandi consiliarii, & num. 72.
73 Exploratio consiliariorum.
74 Contemptis reliquis se uni non reddat obnoxium.

HActenus de membris prudentiæ, sequitur nunc de speciebus prudentiæ.

1 Prudentiæ civilis species sunt duæ: Est enim alia propria, alia mutuatitia & aliena.

Ut loquitur Lipsius, allegans Ciceronem pro Cluent, dicentem: Sapientissimum esse dicunt eum, cui, q; opus est, ipsi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius benè inventis obtemperat. Et Liv. *dec.22.* Sæpè audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quod in rem sit; secundum, eum, qui bene monenti obediat; qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum esse extremi ingenii. Vid. Simanc. *lib.9.c.2. de Rep.* Ideò Xenoph. *8.pæd.* rectè; Multi regis oculi, & multæ aures. Pauca enim aliqua unus videat, unus audiat. Vid. Lips. *lib.3.c.2.pol.* Antimach. *lib.1. theor.1.* Prudentia lucerna animæ, regina cogitationũ, magistra eorum quæ bona & honesta, & ratio effugiẽdi technas, insidias & pericula multa, quæ in regno gubernando occurrunt.

2 Propria prudentia est, quâ ipse magistratus est instructus, sed nimis rara illa, licet magis necessaria, quàm opes ac potentia.

Sicuti satis intelligitur ex petitione Salomonis, *1.Reg.c.3.9.* Des servo tuo animum intelligentem ad judicandum populum tuum, discernendo inter bonum & malum: Quis enim posset judicare populum hunc tuum numerosissimum? *& v.10.11.12. 1.Reg.c.10.4.5.6.7.8.9. 1.Chron.cap.22.12.13.* David habuit sapientiam sicut Dei. *2.Sam.14.18.21.* Dominus autem meus sapiens est, quasi sapientia Angeli Dei, ad cognoscendum quidquid fit in hac terra. Moses *Act.c.7.22.* Joseph, *Gen.c.41.39. Act.c.7.10. & Sap. cap.6.10.11. & seqq. & 26.* Rex sapiens & prudens est stabilimentum populi. Vide Scipion. Amirat. *lib.3. discurs.15. supra Tacit.*

3 Aliena vel mutuatitia prudentia est, quæ petitur & sumitur à consiliariis administris & amicis.

Planè omnium regum opes & facultates, in bonorum hominum prudentia atque virtute collocandas arbitror. Nec enim princeps ullo modo potest, vel in bello victoriam consequi

sequi, vel in pace dignitatem tueri, vel in negotio callidè versari, vel in otio tranquillitatem retinere, qui non est bonorum hominum comitatu circumseptus. Osor. *lib.6. de reg. instit.* Quo pacto enim uno tantùm ingenio, cuncta quæ sunt regibus excogitanda, provideri, aut unis oculis omnia, quæ in Rep. sunt diligenter speculanda, cerni, aut unis aurib. omniũ postulata & querelæ audiri, aut unis manibus res innumerabiles effici & ad exitum perduci possunt? *Prov.c.11.14.* Ubi non sunt prudentia consilia, corruit populus: Salus autem est in amplitudine consiliarii. *& c.15.22.* Irritæ sunt cogitationes, cùm deest consilium, at in amplitudine consiliatorũ assurgit cogitatio. *& c.20.18.* Nam per consilia princeps alioquin stupidus & fatuus, fit sapientior & prudentior, cautior, peritior. *Sirac.c.8.v.9.10.11. Job c.12.12.c.32.9. Eccles.c.7.19.30.c.4.13.14.c.9.13.14.15.16. Sirac.c.10.3.* Rex insipiens & rudis perdit populum, sed per prudentiam potentum civitates inhabitantur, *Esa.cap.13.6. Prov.13.* Qui conversatur cum sapientibus, sapiens erit. *Sirac.c.9.* Ubi consilio eges, operâ sapientum utere, & cum prudentibus de tuis rebus consilium confer. *& c.37.* Piis te semper adjungito & eorum utere consilio &c. *Prov.c.12.15.* Qui bono consilio obtemperat, sapiens est; *c.13.10.c.19.20.* Doctrina sapientis vitæ fons est. *Prov.c.13.14.* De sapientiæ commendatione latiùs *Prov.c.c.23.15.24.c.24.3.5.13.14.c.28.2.* Collegium 70. Seniorum, de quo *Num.c.11.* pro consiliariis datum fuit regib. in politiâ Judaica, *Deut.c.17.* ita, ut illi sine consilio horum seniorum nihil agere potuerint. *Num.c.11. & Ex.c.33.7.* Vide exemplũ *Jerem.c.26.11.16. Matth.c.26.65.* Et quoties Deus voluit politiam aliquam florere, dedit illi heroicos viros, sapientes, justos & fortes. Tales habuisse legitur David, *1.Chron.c.12.* Salomo & Rehabeam, *1.Reg.cap.12.6. & seqq.* Josaphat, *2.Chron.c.19.11.* Pharao, *Gen.c.41.8.c.50.7.* Nebucadnezar, *Dan.c.2.48.* Darius, *Dan.c.6.12.3.* Persici reges, *Esth.c.1.13. 2.Chron.c.32.23.* ubi Ezechias iniit consilium cum principibus & dynastis suis. Contrà, quando Deus voluit punire regnum, præclaros viros, consiliarios & sapientes illius priùs sustulit: *Esa.c.3.2.3.4.5.6.7.* & testatur exemplum Joasch degenerantis, post obitum Jehojadah consiliarii, *2.Reg.c.12.3. 2.Chrõ.c.24.18. & c.22.2.3.4.* Caligulæ, Neronis, Bassiani, Maximini & aliorum. Liv. *lib.1.* tradit, ob spretum senatus consilium, Tarquinium regem expulsum. Bonus igitur ma-

gistratus utitur consiliariis bonis & prudentibus: ut Ahasuerus, *Esth.c.1.13.* Theod. Imp. *l.8.C.de leg.* Marcus Antoninus Philosophus Imperator, Jul. Capitol. *in M. Antonino.* Alexander Mameæ filius, Herodian. *lib.6.* & plures alii boni Magistratus, quos enumerat Greg. *lib.24.c.4.de Rep.* Mambr. Rosæus *de instit.princ.c.9.* Antimach. *lib.1.theor.1.* ubi probat ex historiis, Augustum, Tiberium, Vespasianum, Titum, Trajanum, Adrianum, Antoninum, Alexandrum Severum, & similes laudatos principes, omnia sua negotia cũ senatu communicasse, ejusq; dignitatẽ conservasse. Vide Spartian. *in Hadriano*, Capitolin. *in Antonino*, Lampridium *in Alexandro Severo.* Impius verò magistratus bona consilia spernit, ut Rhehabeã, *1.Reg.c.12.* Achab, *1.Reg.c.22.* Joakim, *Jer.c.36.* Heliogabalus, Nero, Caligula & alii. Contrà pius & sapiens sine illis nihil agit, exemplo Theodosii, *in l.8.humanum.C.de leg.* ubi jubet glorioſissimum cœtũ consiliariorũ, cuncta examinare, & quæ huic placuerint, confirmat. Benè n. ait, *in fine d. l.8.* cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii & ad nostram gloriam redundare. Adscribuntur enim principi, quæcunq; aguntur nomine ipsius, adeò, ut ipsius sit fama & gloria bonæ administrationis, non consiliarii. Experientiam, quam ætas aliquando principi negat, supplent consiliarii.

5 Periculosum etiam est, sibi soli fidere eum, qui errare & decipi potest: cùm princeps suâ scientiâ non possit cuncta complecti, perq; consiliarios fiat sapientior & prudentior, *Dan.c.6.* Pauca enim unus potest videre, vel audire, *Liv.44.* Princeps, si de sua unius sententia omnia geret, superbum hunc judicabo magis, quàm sapientem. Nemo enim, ut Plautus dicit, solus satis sapit: & magni viri multa ignorant, quæ abjecti scire solent, ut exemplũ Mosis ostendit, *Ex.c.18.* Multi rectius judicium, quàm singuli ferunt, ut quilibet meliùs duobus, quàm uno oculo videt; & duabus manib. quàm unâ, & duobus pedib. meliùs quàm uno agit. Atq; ita princeps defectũ suum, consiliariorum operâ supplet. Vide Osor. *lib.6.de regis instit.* Læl. Zecch. *lib.2.c.1.n.8.* Simanc. *de Rep.lib.9.c.2.* Vide Hippolyt. à Coll. *c.9. de principis consiliar.* Pet. Greg. *lib.24. c.1.& seqq.de Rep.* Antimach. *theor.1.lib.1.* Aristot. *lib.3.c.12. cap.7.polit.*

Certæ

Certæ ruinę prognosticon est, quando princeps sana consilia ampliùs non audit vel admittit, aut sequitur, *2.Chron. cap.25.16.* Agnosco Deum, iniisse consilium de perdendo te, quòd non auscultas consilio meo. Vide exemplum *1.Reg. c.12. Exod.c.10. 2.Sam.c.24. Eccles.c.4.9.* Melior est puer indigus & sapiens rege sene & stolido, qui nescit admoneri amplius. *& v.10.11.12. 2.Chron.c.25.16. Prov.c.29.18.* Et status miserrimi indicium est, quando nulli sunt consiliarii, *2.Chrõ. c.15.3.4.* & in pœnam malos consiliarios Deus magistratui dat, *Esa.c.3.4.* Daturus sum principes pueros, & facinorosi dominabuntur in eos. Nam usq; eò prosperum est imperium, dum in eo vera consilia valent; ubi gratia, timor, voluptas, avaritia illud corrupêre, imminuitur. Salust. *in lib.de ordin.Rep. Prov.c.1.5.c.10.8. Sirac.c.9.* Ubi consilio eges, operâ sapientum utere, & cum prudentibus de tuis rebus consilium confer. *& c.37.* Piis te semper adjungito, & eorum utere consilio. *Prov.c.15.22.* Irritæ fiunt cogitationes cùm deest consilium. Qui sapiens est, audit consilia. Ex consilio etiam Magistratus sibi auctoritatem & obsequium apud subditos comparat, Vide Pet. Greg. *lib.24.c.3.c.4.* Antimach. *lib.1.theor.1.* Nam boni talem Magistratum diligunt; mali verò metuunt, & talis magistratus armatur contra multorum decepriones. Itaque nullum majus indicium bonæ mentis princeps potest ostendere, quàm ut adjungat sibi & familiares habeat viros virtute & famâ celebres. Nam omnes statim judicabunt, eum talem esse, quales ii qui apud illum, ut ait Cominæus. At ἀβοηθήτους in calamitatibus & difficultatibus ab amicis etiam destituuntur, uti de Carolo Burgundiæ Duce testatur Cominæus, qui à suis etiam amicis & confederatis eam ob causam fuit derelictus.

Consiliarii sunt, qui fidi, rerum, hominumque periti, salutaria suggerunt, & veluti periti nautæ in tempestatibus maris, clavum regere juvant, sed tamen absque potestate, imperio & jurisdictione. 6

Bodin. *lib.3. de Repub.cap.1.* Lipsius *lib.3.cap.4.pol.* Arist. *lib.6.Ethic.cap.7.* Hippol. *d.loc.* Gregor. *lib.10.cap.3.num.6. 7.de Rep.*

In his consideranda 1. Qualitas consiliariorum. 2. Electio corundem. 3. Consultatio.

Qualitas consiliarii boni est, ut sit sapiens mo- 7
rum, animorumque regni subditorum & rerum politicarum gnarus, qui sit amicus magistratus & imperii, *1.Chron.c.27.32.33.34.* Cic.*lib.1.offic.* Ut quisque maximè perspicit, quid in quaque re verissimum sis, quiq; acutissimè & celerrimè potest & videre & explicare rationem, is prudentissimus & sapientissimus rectè haberi solet. Halicarnas.*lib.10.* Optimus, ait, consultor est, qui non ad odium aut gratiam, sed ad utilitatem publicam attemperat consilia, quiq; nolit præsentem statum, Reip eversum. Sapit verò, qui fructuosa & utilia Reipub. non qui multa scit.

Deinde qui cum scientia, experientiâ & usum re- 8
rum habet. *Sirac.c.37. Job.c.12.12. & c.32.7.* Annorum multitudo docet sapientiam, *Sirac.c.25. Prov.c.14.35. Num.c.11.16. Exod.c.18.21. Job.c.12.12.c.32.7.* Requisita 9
igitur boni consiliarii sunt 1. prudentia. 2. affectus sincerus & fides in Rempub. 3. mens libera. 4. taciturnitas.

De quibus donis ipsius judicandum ex ejusdem pietate, experientia, testimonio aliorum, sermone, humanitate, sinceritate, constantia.

Primò itaque sit pietatis & integritatis amans, 10
atque testimonio vitæ probè actæ ornatus.

Gen.c.41.38.39. & seqq. Prov.c.8.13.c.16.13.c.22.11. Exod.c.18.21.22. Deut.c.1. Gell.*lib.18.cap.3.* Suet.Tranq. *in Tiber. c.42.* Nam impietas omnem ex animo peccandi metum evellit, & impiorum consilia sunt fraudulenta, *Psal.35.8. Psal.38.5. Psal.7.15. Prov.c.12.5.8.* imprimis sit veritatis amans, & avaritiæ osor, *Ex.cap.18.v.21.22. Deut.c.1. Psal.101.6.* Oculi mei attendent ad veraces terræ ut consideant mecum. *Prov. c.25.4.* Ut auferendo scorias ab argento prodit conflatori vas. 5. Ita auferendo improbum à conspectu regis, stabilitur justitiâ solium ejus: ubi Piscator. *Prov.c.10.31.* Os justi profert abundè sapientiam, à lingua verò perversitatum est rescissa. 32. Labia justi experiuntur sapientiam & benevolentiam, os verò improborum pœnam perversitatum. *Prov.c.16.13.* Accepta sunt regibus labia justa: *c.22.11.* adde Pet.Greg. *lib. 22.c.6. de Rep. Vide infr.n.61.*

Ergo consiliarii mali sunt imperiti, rudes, indocti, menda- 11
ces, avari, infames, improbi, turpes, leves, futiles, stulti, scenici, joculatores, præsumptuosi, adulatores, quos princeps non patietur in suo consortio. *Ps.101.6.* Adde *Prov.c.17.7.c.29.12. c.16.13. Sirac.c.37. per tot. & c.27.* Vid. Pet.Greg. *lib.8.c.7. de Rep. & lib.24.29. & seqq.cap.6. & lib.10.c.3.n.6.7. Esa.c.19.* Nam aulici consiliarii pravi, Remp. evertunt, *2.Chron.c.22. 3.4.5.c.24.17.18.* ii autè sunt, qui vel avari sunt, vel ambitiosi. Nam cùm primùm isti fiunt regib. gratiosi, reges ipsos semper aliquibus difficultatibus implicant: item bonos & fideles regni consiliarios vexant, vel suspectos reddunt, ut principes Danielem apud Darium, *Dan.c.6.* strenuos belli duces, ipsi ignavi perpetuò accusant apud regem, ut in his turbis, vel soli regnent, cæteris dejectis, vel præcipuè præ cæteris.

In summa, quod boni consiliarii faciunt, ac conferunt in 12
statu Reip. reformando & conservando & collapso erigendo, hoc mali in eo sub vertendo: sic & præceptores boni, vel mali in futuro principe, cui bonæ vel malæ administrationis semina ingerunt, unde fructus posteà boni malive, adeò ut melior sit status Reip. sub malo principe, cujus sunt boni consiliatii, quàm sub bono principe, qui habet malos consiliarios. Nam unus malus à pluribus bonis emendari potest, at plures mali ab uno bono superari nequeunt.

II. Consiliarius varios casus ipse sit expertus, & 13
exercitatus in prosperis & adversis rebus.

Eccles.c.25. Job c.12.12. In decrepitis erit sapientia, & fortitudo illius est consilium & intelligentia. *& c.32.7.* Dicebant, Provecti ætate loquentur, & annosi notam facient sapientiam. *Sirac.cap.8.9.10.11.12.* Nam ab illis disces eruditionem & intelligentiam. Juvenes naturâ sunt temerarii & carent auctoritate. *1.Reg.c.12.* exemplum in consiliariis Rhehabeami, *2.Chron.c.11.13.* Richt. *Ax. 45.*

14 III. Sit acutus, promptus & bonus ex fama, & plurimorum testimonio, & eloquens, *Exod.c.4.* Impii eloquentes valde nocent, *2.Sam.c.16. Esd.c.32.7.*

15 IV. Sit quoq; fidus, fortis, liber linguâ, constans & firmus in bono negotio, sine veritatis occultatione vel suppressione, non mutans consilium bonum ad aliorum nutum & voluntatem.

Exemplo Danielis, *Dan.c.6.* Josephi, *Gen.c.41.* Quamvis verò sapiens non it uno gradu, sed tamen unâ viâ, nec se in aliquibus mutat, sed potiùs aptat, non cursum eundem tenens, sed portum.

16 V. Sit in dicenda sententia sua & consilio dando modestus, placidus, mansuetus, humanus & affabilis, qui specie obsequii regat, & ad omnia quæ agēda sunt ducat, quieta industria, arte & flexo obliquo.

2.Sam.c.24.3.4. c.12.17.18.19.20.21.22. Eccles.c.8. Non enim sufficit dicere quæ debebat, sed etiam quomodo debe-
17 bat. Caveat igitur, ne sit asper, durus, superbus, nimiùm liber. Nam interrogatur consiliarius, non ut statuat, aut imperet, sed ut sententiam suā dicat sine fuco, invectivis & verbis durioribus, conservatâ majestate principis, qui libertatem dicendi de iis quę justa videntur consultori, æquo animo ferre debet, Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.23.* Siman. *de Rep.lib.*
18 *7.c.12.* Hîc enim quæ meliora & utiliora videbuntur, se dicturum juravit: ideoq; interpidè suam sententiam dicet, etiamsi maximè illa displiceat summo magistratui. *1.Sam.c.20.32.* Respondens verò Jonathan Sauli patri suo, dixit, Quare morte afficeretur, quid fecit? *Job c.34.18.19.2.Sam.c.19.6.7.8.9. & c.24.3.4.* & David ob adulterium & homicidium à suo consiliario Nathane reprehensus, id æquo animo accepit, *2.Sam.c.12.* & servi Pharaonis, *Ex.c.10.7.* Dimitte homines istos, ut serviant Deo suo, an nondum cognoscis, periisse Ægyptum. Et Jethro liberè monuit Mosen, *Ex.c.18.* Et Theodosius Ambrosii monitionem admisit. Sic Daniel contradixit Nebucadnezari, *Dan.c.3.* Veritatem propugnet, etiam cum periculo vitę, & Dominus Deus dimicabit pro eo, ut dicit Siracides *c.4.* Nam accepta sunt regibus labia justa, & loquentem recta rex diligit. *Prov.c.16.13. & c.22.11.* Qui amat mundi-

munditiem animi, pro gratia labiorum ejus rex amicus ejus futurus est. Solus Micha contradixit pluribus consiliariis malis regis Achab, *1.Reg.c.22.* & Jeremias contradixit Hananiæ, *Jer.c.28.* Josephus de Arimathia non comprobat consilium & actiones Pharisæorum, *Luc.c.23.* & Jonathan patri suo Sauli regi contradixit, *1.Sam.c.19.4.* & Joab Davidi, *2.Sam.c.24. 2.Chron.c.22.* Ruben quoq; malum consilium suorum fratrum impedit, *Gen.c.37.* & Husai Achitophelis impium consilium, *2.Sam.c.17.* & Achicanis consilium bonum obstitit conatibus impiorum, *Jer.c.26.* & Nicodemus Pharisæorum consilium impediit, *Joh.c.7.* & Gamaliel, *Act.c.5.* Nun- 19
quam igitur consiliarius approbet impia vel iniqua facta sui magistratus consulentis eum, etiam suo silentio, sed contradicat, ut Joab Davidi, *2.Sam.c.24.* qui tamen in Uria interficiendo, aliud fecit, *2.Sam.c.21.* Quæcunque etiam ad regni 20
vel magistratus salutem pertinent, à consiliario sunt revelanda regi, ut principes regis Johakim fecerunt: *Jer.c.36.* adde *1.Sam.c.19.4.5. 2.Sam.c.14.2.3.4.22.23.33.* uti fecerunt famuli Abigaëlis, *1.Sam.c.25.14.15.* Nunc ergo cognosce & dispice, quid sis factura; definitum est malum contra dominum nostrum. *18. 2.Sam.c.18.3.4.* ubi à consiliariis monetur David, ne aciem ingrediatur. Vid. *Ex.c.10.7.c.18.* Adde exemplum *Jer.c.36.14.15.16.17. & seqq. 1.Sam.c.24.3.*

VI. Consiliarius sit ore pressо, quia taciturnitas o- 21
ptimum & tutissimum rerum administrandarum præsidium & vinculum est.

Neq; enim res magnæ sustineri possunt ab eo, cui tacere grave est, ut Lipsi. *d.c.5.* ex aliis ptobat. Jeremias regis verba & consilia silentio tegit, *Jerem.cap.38.24.25.26. Sirac. cap.27.16.* Qui revelat arcana, amittit fidem. *Prov.c.25.3.* Nam consilii delecti difficilior est executio. Secreti igitur & taciturni sint consiliatii, qui pars corporis principis sunt, *l.5.quisquis. C. ad l. Jul. Majest.* Arcana Persarum regum mirâ fide celabantur, adeò ut nec metu, nec spe ad arcanorum proditionem compelli possent. Vide latiùs Pet. Greg. *lib.24.c.6. de Rep. Prov.c.25.9. l. si quis 38. §. transfuga. de pœn. l. omne. 6. §. exploratores. de re militar. l.4.1. si quis. ad L. Aquil. 2. Reg. c.6.11.* Valer. Max. *lib.2.c.2.* Geil. *lib.1.c.23.* Boter. *lib.2.c.5. de polit. const.*

22 VII. Sit facilis, non contumax, pugnax, contentiosus, pervicax, pertinax, obstinatus, & αὐθάδης, qui consilii, quamvis egregii, quod non ipse attulit, sit inimicus, & qui omnes ex suo ore sapere velit. Melch. Jun. *lib. 1. pol. quæst. 23.* non rigidus, sed qui consilia sua ad eventus & tempora accommodare & inflectere sciat.

23 VIII. Vacuus sit privatis affectibus, contrariis personæ, vel negotio, de quo consilium dare rogatur; nec indulgeat iræ, amicitiæ, odio.

Ut regis Ammonitarum consiliarii, *2. Sam. c. 10.* Haman & Achitophel. Nam privati odii pertinacia, in publicum exitium stimulat, nec indulgeat propriis commodis & avaritiæ, ut principes Palæstinorum & satrapæ Darii, *Dan. c. 6. 1. Sam. c. 29. Vid. Sirac. c. 19. c. 37. per tot. c. 16. c. 29. c. 21. Prov. c. 11. c. 12. c. 28.* Nam privatæ res semper offecêre officientq; publicis consiliis.

24 IX. Non sit confidens. Nam consilia callida & audacia, ambitiosa, primâ specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia.

Vid. *1. Chron. c. 20. 1. Reg. c. 12.* Camer. *in oper. succisiv. c. 55.* Tale erat consilium Jonadabi, quod Amnoni dabat, *2. Sam. c. 13.* & juniorum consiliatorum, quod dabant Rechabeam, *1. Reg. c. 12.* Non igitur eventus omnes aptabit ad sua consilia, sed de dubio eventu cogitabit.

25 X. Non laboret morbo cupiditatis, iræ & festinationis præproperæ.

Nam canis festinans, ut habet proverbium, cæcos parit catulos: & qui citò judicat, ad pœnitentiam properat. Celeritas siquidem noverca consilii, & prudentiæ pestis, & temeritatis mater; & festinatio improvida & cæca est, & infelix. Ideò Lipsius velocia ingenia non putat esse apta ad consilia. Nam semper movent aliquid, nec quieta quieta sinunt. Deinde in multiplici inventione & rationum copia, plerunque natant, & ægrè expediunt aliquid cui insistant. Denique ea sibi proponunt, quæ non sunt, non etiam mentem consiliaque adver-

adversarii æstimant à subtili suâ mente. Cùm de consiliis alterius, ex ipsius indole & moribus sit judicandum, ut David de Achitophele, *2. Sam. c. 16. c. 17.* Oratores ad rebellionem, seditionem & tumultus plebem concitare solent, ut ostendunt exempla oratoris Demadis, Demosthenis, Periclis, Alcibiadis, & aliorum; vide Camer. *cent. 2. oper. succis. c. 51.* Bod. *lib. 4. de Rep. c. 7.*

Lentos igitur consiliarios in consulendo esse convenit, 26
non præcipitantes & præcoces. Scelera impetu, bona consilia morâ valescere, videmus. Lentè itaque consulere oportet, at consulta festinanter exsequi. Vide Arist. *libr. 6. Ethic. cap. 9.* & Lips. *lib. 3. c. 7. polit.* Gregor. *lib. 10. c. 3. de Republ. & lib. 24. c. 2. & seqq.* Camer. *in oper. succis. c. 55. cent. 2.* Gregor. Richt. *axiom. polit. 86.* nisi subitum Reip. periculum calida & prompta consilia postulet.

Alterum, quod in consiliario considerandum, 27
est ejusdem electio.

In electione consiliarii magistratus non sit præceps, sed inquisitione de moribus ipsius, naturâ, doctrinâ, virtutibus, & ætate, quas requiri in eo dixi, facta cuncta examinet; accusationes, delationes audiat, admittat, sed cum judicio & discretione.

Psal. 101. v. 6. Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut consideant mecum: ambulans viâ integrâ, is mihi ministrabit. *Gen. c. 41. 38.* Dixit Pharao servis suis: An invenire possumus huic parem virum, in quo spiritus Dei sit? *39.* Deinde Pharao Josepho dixit, quandoquidem nota fecit Deus tibi omnia hæc, nemo est prudens & sapiens sicut tu. *40.* Tu præeris domui meæ, *& seq. & c. 45. 16. 17. 18. 19. 20. 21.* ubi Pharao etiam cognatis Josephi benefacit. Sic & Daniel constitutus consiliarius. Sic & Mardochæus, *Esth. c. 6. & seqq.* Sic Ebedmelech, *Jerem. c. 38. 7. & c. 39.* Sic & Achitophel alioquin malus. Sic Nathan, & plures alii. Sic & Moses jubetur eligere viros graves, timentes Deum, qui oderint avaritiam, & in quibus sit veritas, *Exod. c. 18. 21. 22. Deut. c. 1. & Num. c. 11. 16.* Consilium senum profuisset Rehabeamo, si illud secutus fuisset, *1. Reg. c. 12. 1. Chron. c. 10. Eccl. c. 47. 28.* Porrò de bonis consiliariis & qualitatibus eorum vide Greg. *lib. 24. c. 6. de Rep. & lib. 47. Syntag. c. 25. & seqq.*

28 Sunt verò tales consiliarii ex subditis & indigenis eligendi, ne videatur princeps plus credere vel tribuere alienis, quàm suis, qui periti Reip. morumque, & ad Remp. majori affectu
29 ac fide accedunt. Extranei solent ad commodum suum, vel arbitrium principis pleraque referre. Usu Lipsius compertum dicit, consilia externa ferè esse infausta. Et, ut in quam domum vespillones veniunt, signum est funeris, sic Reip. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. In politia Judaica ex contribulibus eligebantur. Vide *Exod.c.18. Deut. c.1.* & dixi latiùs suprà *c.7.num.41.* In quibusdam locis præparantur, & à pueritiâ instruuntur quidam, ut fiant idonei. Melancholicos & phlegmaticos ad hoc munus ineptos esse contendit Gregor. Richt. *axiom.polit.111.* & cholericos, qui ingenii sunt ignei, quique magis novandis rebus, quàm gerendis apti sunt, ut Lipsius ait. Ego cholericos, sanguineos, melancholicos & phlegmaticos admitto, & temperaturam ac crasin utilem duco.

30 Postquam virtus & habilitas consiliarii est explorata, eligatur, cum commendatione & commination e.

Cum commendatione, ob præmia quæ exspectare debeat, si bene officio suo functus fuerit: cum commination e pœnæ, si secus. Deniq; fide jurisjurandi obstringendus idem, nimirum, ut promittat, se sententiam dicturum & consulturum de his, quę sibi meliora & utiliora videbuntur.

31 Cogitet igitur princeps, ex consiliarii electione pendere honorem, utilitatem, infamiam, & ruinam suam & populi, *l.8.humanum.C.de legib. l.dubium.C.de Rep.* Vide suprà *n.3.4.5.6.7.* Nam ex hujus virtutibus princeps & populus ab aliis judicatur.

David precatus est Deum, ut consiliario Absolomi, Achitopheli, mentem & judiciũ auferret, cujus consilium magis,
32 quàm arma filii pertimescebat, *2.Sam.c.16.* Tolerabilior verò est Reip. status, ubi princeps malus & consiliarii boni sunt, quàm ubi princeps bonus & mali consiliarii. Siquidem unus malus à pluribus corrigi potest, quod ex adverso difficulter fieri potest, ut suprà diximus *n.12.*

Non eligantur illi, quorum particulariter interest, sed illi, ad quos tractata non possunt singulariter pertinere, nec eligantur illi, qui pendent ab alio principe, nec qui potestate & imperio sunt instructi. 33

Bod. *lib.3.c.1.* Arist. *lib.7.c.10.polit.* Vide *Sirac.c.37.7.* Ne consilium ineas cum eo, qui subdolè observat te, & ab invidentibus tibi consilium absconde, *v.8.& seqq.*

Consultum est, ut consiliarii, non ex solâ nobilitate, nec ex solis personis ecclesiasticis, sed etiam ex 34
populo, seu plebe, & omnibus omnino ordinibus & statibus regni, seu Reip. deligantur, ne ordo & status unus in præjudicium & odium alterius quid decernat. Vide suprà *c.7.n.41.*

David inter seculares habuit etiam ecclesiasticos consiliarios, Gad & Nathan, qui regni erant prophetæ & consistoriales; & Joasch, sacerdotem Jehojádah, *2.Reg.cap.11.15.16. 2.Chron.c.9.10.* De Elia vide *2.Reg.c.2.12.* Elisæo, *cap.4.13. c.6.9.12.& 13.14.* Ecclesiasticos etiam in politicis quandoq; consulendos dicitur in *Deut.c.17. v.8.* & David ex Levitis constituit, qui docerent & judicarent populum, *1.Chron.cap. 23.v.c.26.* & Josaphat, *2.Chron.c.19.v.8.9.* Adde *Jerem.c.26. cap.37.c.38.14.& seqq.* Tholos. *lib.10.c.3.* Patric. *lib.3.tit.4.* Cas. *lib.4.c.15.* non putant ecclesiasticos in politicis negotiis adhibendos. Vide suprà *c.18.n.42.43.* Senatus populi Romani constabat ex patriciis, equitibus & plebeis. Vide Antimach. *lib.3.theor.35.* & Halicar. *lib.7.* ubi M. Valerius senator, Vix aliud, inquit, utilius est ad salutem Reip. tuendamque libertatem, quam assumi plebem ad res gerendas, & administrationem Reip. ita temperari, ut nec penes solos optimates, nec solos plebeios sit, sed utrinque mixta, & seqq. Seniores 70. qui erant à consiliis regis in politia Judaica, è toto populo, seu omnibus tribubus eligebantur, *Num.c.11.* Ephori quoque, qui sunt consiliarii summi magistratus, partim sunt ecclesiastici, partim politici, ut suprà dixi de ephoris.

35 Consultum quoque est, ut consiliarii ex singulis provinciis subjectis eligantur, ne odium neglectæ provinciæ in se princeps concitet, nec non diffidentiam, contemptum vel iram: deinde ut populi natura, & cujusq; provinciæ necessitas & incommoda à consiliario principi fiant cognita.

Exod.c.18.21. ibi, Eliges ex omni populo viros sapientes. Vide suprà *c.18.n.42.& seqq.* Falluntur igitur reges, qui ex nobilitate consilio adhibent tantùm: cujus stultitiæ sæpè pœnas luit tota Resp. Gregor.*d.c.6. & lib.10.c.3.n.6.* Antimach.*lib.3.theor.35.* In politia Venetorum quatuor habent consilia, præter senatum & cœtum optimatum. Est enim primò consilium sapientum, quod maximum dicitur: Deinde consilium sapientum, qui quæ terrâ geruntur, curare possunt: Item consilium decemvirorum & septemvirorum, quæ ut collegiis, ita & officiis sejuncta sunt, sæpè tamen pro rerum & causarum opportunitate consociantur: & quibus dux præest. Quarum rerum anceps est deliberatio, in utroq; consilio sapientum, ea cum decemviris conjunctim expediri solent. Si consilium propter sententiarum discrepantiam, exitum reperire non potest, cogitur senatus universus, à quo res explicatur. qua de re Contaren.*de Repub.Venet.* De aliorum regum & politiarum senatoribus & consiliariis plura refert Bod.*lib.3.c.1.de Rep.*

36 Utile quoque est, ut superior suos filios, agnatos & proximos, sanguine sibi junctos, consilio adhibeat, *1.Chron.c.27.32.* etiamsi in consilio dando non sint valde idonei; ne exclusio horum odium, suspiciones, aut seditiones excitet; & ut interim illi discant usu, quibus modis juvare Remp. possint.

1.Sam.c.20.32. Ita Joas avunculi Jehojadæ consilio usus, *2.Reg.c.11.& 12. 2.Sam.c.9.4. 1.Chron.c.19. 2.Chron.c.23.* & David patrui consilio, *1.Chron.c.27.32.* Greg.*d.c.6.* Antimach.*lib.1.theor.1.*

37 Est etiam consultum, ut princeps novus sui prædecessoris consiliarios fidos & probos retineat, à quibus

quibus multa discere poterit. Sed non retineat, qui autores fuerunt idololatriæ, vel aliorum scelerum, quorum usus populo invisum & execrabilem reddit principem, *1.Reg.c.15.13. 2.Chron.c.15.16.* Greg.*d. loc.* Antimach.*9.theor.lib.1.*

Præsagium principum ruinæ nullum certius est, 38
quàm ubi Deus mentem illis ita imminuit, ut sapientum consiliis & bonis consiliariis repudiatis, provehant homines novos, stolidos, vecordes & assentatores, qui omnia ad ipsorum gratiam faciant & loquantur, ut dicit Comin.*lib.5.hist.* Vide exemplum in Rehabeamo, *1.Reg.c.12.*

Consultum, ut princeps initiò sui principatus nihil innovet, priusquam firmatum sit imperium.

Valde prodest ad regnum venienti, ut à præde- 39
cessore vivente moneatur accuratè, quibus malis & rebus maximè sit medendum.

1.Reg.c.2.1.2. Antimach.*d.loc.* Ita Moses monuit successorem Josuam, *Deut.c.31.* & David filium Salomonem, *1.Reg. c.1.& c.2.*

Tertium, quod in consiliario considerandum 40
esse diximus, est forma consulendi, seu consultatio, & modus consultandi. In quo negotio, propositio, 41
rogatio, examen dictorum & conclusio pertinent ad consulentem; dictio verò sola ad consiliarium, seu consilium dantem.

Princeps igitur, seu magistratus omnia negotia 42
privata & Reip. cum senatu & consiliariis suis communicare debet.

2.Chron.c.10. l.humanum 8. C.de legib. Vide Lamprid. *in Alexand.* Dion.*in via Octav.* & Pet.Gregor.*lib.23.c.4.* plura exempla referentem. Ita David, ita Josaphat, Josias, & alii pii reges, cum suis consiliariis Reip. negotia communicasse leguntur, & latiùs dicetur infrà suo loco. Ita & alii principes, Bull. Caroli IV. *c.1.* jubet, ut electores singulis annis, suos

conventus deliberationum publicarum causâ habeant. Nebucadnezar suos habuit consiliarios: Belthasar, Assuerus rex, *Esth.c.1.13.* Vide Richt. *axiom.pol.154.* & dixi sup. Læl. Zecch. *lib.2.c.1.n.8.*

43 Negotia ardua, maximi momenti, magnates statúsve regni plures, vel unum, vel totum regnum concernentia, vel salutem subditorum, exercitium cultus divini, abolitionem idololatriæ, sanctionem legis, causam belli vel pacis, tributorum extraordinariorum collationem, non tantùm tractabit & communicabit cum suis consiliariis & senatu, sed etiam cũ consiliariis regni, scil. cum statib. procerib. & ephoris totius regni, idq; in conventibus vel comitiis œcumenicis universalib. & generalib. regni.

Arg. *l.8. humanũ. C. de leg.* Vide Vasq. *lib.1.c.23. illust. cont.* Greg. Richt. *axiom.154.* vide suprà *c.18.n.67.68.* & infr. *c.33. n.20. & c.32.n.78.* Bod. *lib.1.c.8. & 9. de Rep.* Heig. *q.18.n.6. part.1.* Hot. *de jur. regn. Gallici c.12.25.* Roland. à Valle *cons.1. n.62. & seqq. vol.2.* Natta *consil.487. lib.3.* qui de contributionibus consensu ordinum imponendis agunt.

44 Inprimis verò summus magistratus convocabit ordines regni, quãdo ad id administrandũ accedit, & ex iis exquiret, quid sub prædecessore fuit reformandum, & quid sub se sit instituendum utiliter. Vide *1.Reg.cap.12.* Comin. *lib.10. circa finem,* Certè, inquit, quod suprà non semel diximus, nemini omnium licet absq; populi consensu ullam pecuniam imperare. Et paulo-pòst: Nemo omnium est principum, qui jus habeat, vel unum teruncium colligendi à suis præter constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur. Heig. *d. quæst.18.n.6. & alleg. Dd.* Tyrannus publica negotia majoris momenti ad se solũ revocat, & res nullius momenti ad concilium publicum refert. Plin. *in paneg. in Trajan.* Boni Imperatores Romani ad senatum gravissima quæq; retulerunt, eoq; inconsulto, quicquam quod ad summam rei pertineret, decernere nefas putarunt: ita Octavius Cæsar omnia Reip. negotia cum senatu cõmunicavit, & 20. senatores, qui à consiliis essent, sibi dari petiit. Ita & Marcus Antoninus philosophus & alii Imperatores boni. Livius *lib.1.* tradit, ob spretum senatus consilium, Tarquinium regem expulsum. Hic enim

primus, ait, à patrib. morem de omnibus senatum consulendi solvit, domesticis consiliis Remp. administravit, bellum, pacem, federa, societates per se ipse, cum quibus voluit, injussu populi & senatus, fecit dimitq;. Unde in bona politia temperamentum quoddam conspicitur. Nam in populi comitiis Democratiæ imago apparet: in senatu & consiliariis Aristocratiæ; in exsecutione summi magistratus Regiæ potestatis & Monarchiæ species.

Apud Judæos olim in concilio Hierosolymitano etiam adhibitos principes tribuum singularum, & principes sacerdotum & civitatum, unà cum populi senioribus, probat Sigon. *lib.6. de Rep. Hebr. c.7. & lib.7. c.5.6.7. ex Jos. c.8.33.34. c.23.1.2. & seqq. c.24.1. & seqq. 1.Chron. c.14.1.2.3. & seqq. c. 16.2. Chron. c.1.2.3. & seqq. & c.5.2.3.4.5.6.7. Jer. c.26. Mat. c.26.2. Chron. c.19. Act. c.5. c.6. c.23. 1. Chron. c.28. 1. Reg. c.8. 2. Chron. cap.5. & 18. 1. Chron. cap.13. & 3.38. cap.29. Jer. c.26. cap.36. c.37. 1. Sam. c.14. v.45. Adde sup. c.8. §. provinciarum præsides. n.68. & cap.33. infra num.20.* Vide Steph. Jun. Brut. *de vindic. cont. tyran. q.3.* & Bonavent. Cornelius Bertram. *de polit. Jud. c.12.* De more Gallico vide Hotõ. *de antiq. jure reg. Gall. t.12. & seqq.* De comitiis, curiatis, tributis & centuriatis Romanorum testantur historici Romani. De Gallorum conventibus trium statuum, latè quoque Antimach. *lib.1. theorem.1.* Pet. Greg. *lib.24. c.4. de Repub. & cap.5.* Mosi duci Deus consilii causâ junxit 70. seniores in causis arduis, *Num. cap.11. Deut. c.27.1. Josu. 23.2. 1. Reg. c.8.1.* Unde postea synedrium. Pet. Greg. *lib.47. cap.25. & seqq. Syntag.* Ratio hujus rei peti potest ex natura mandati. Nam mandatarius (uti in Reipub. administratione habetur rex) ardua, vel insolita, de quibus expressum mandatum non habet, sine voluntate mandantis suscipere non potest.

Consilium summi magistratus in plerisque politiis Christianis Europæ, duplex est: Ecclesiasticum, vel politicum. 46

Ecclesiasticum est, in quo senatores seu consiliarii ecclesiastici & politici, de directione & gubernatione negotiorũ ecclesiasticorum, ecclesiarũ, scholarum, pauperumq; consultationes instituunt.

Politicum consilium est, in quo de rebus & causis politicis & secularibus fit deliberatio. 47

Hoc consilium est vel aulicum, consistoriale, ærarii publici, nauticum, vel militare.

Aulicum consilium est collegium consiliariorum, in quo de rebus & negotiis aulicis, jussu superioris consilia habentur.

48 Consistoriale dicasterium est, in quo quæstiones controversæ privatorum hominum examinantur, cognoscuntur & deciduntur, jussu & nomine superioris.

2.Chron.cap.19.8. Deut.c.16.18. Judices & moderatores constituito tibi in omnibus portis tuis, qui judicent populũ judicio justo. Vide *sup.cap.8.num.62.cap.16.num.10.cap.33. num.111.*

Consilium ærarii publici, seu Camera est, in qua consultatio instituitur de patrimonialibus bonis & reditibus principis ordinariis & extraordinariis, pecuniis acceptis & expositis, de collectis & contributionibus publicis, earumque taxatione & moderatione, de rationum redditione, collectorum & administratorum bonorum & pecuniarum publicarum principis.

Consilium nauticum est, in quo de navigationibus & rebus maritimis regni fit à viris harum rerum peritis deliberatio & decisio rerum nauticarum.

Consilium militare est, quod de rebus & negotiis bellicis deliberat, & salutaria consilia suggerit.

In singulis hisce consiliis tot adhibentur à principe personæ, quot res ipsa postulaverit: quarum quædam sunt principales, quædam administræ.

Principales singulorum consiliorum & collegiorum sunt eorum præsides & senatores.

Admini-

Administræ sunt secretarii, scribæ, & alii ministri consilio inservientes.

De consilio ecclesiastico Judaicæ politiæ vide *Deut.c.17. & sup.c.8.n.5.& seqq.& n.79.& seqq.* cujus præsides archisynagogi dicebantur, *cap.4.n. 6.7.sup.* De politico consilio vid. *sup. c.8.n.80.& hoc cap.n.45.*

In politia Germanorum, Cæsar hæc distincta habet consilia & collegia quæ diximus: similiter rex Galliæ qui septem habet parlamenta regni, & rex Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Suediæ.

In Belgio electio personarum ecclesiasticarum, est penes regem, confirmatio verò penes Pontificem, qui tamen extra provinciã neminẽ Romam citare potest. In hoc Carolus V. Imp. interdictum de non emendis bonis immobilib. ab ecclesiasticis publicavit. In hoc est consilium secretum, in quo omnes causæ aulæ & provinciarum, feudales, privilegiorum, immunitatum, indultorum, legum, statutorum & decretorum, item territoriorum & regalium tractantur, & deciduntur regis consensu. In hoc 10. vel 12. senatores sunt, qui sunt Doctores, vel Licentiati Juris, equites & nobiles, & præses collegii, qui est custos sigilli.

Consilium Cameræ, seu Finantiarum, ut vocant agit de reditibus regiis, de camera rationum, collectoribus & aliis ministris regias pecunias tractantibus: Item de taxatione & moderatione contributionum, earumq; solutione, de sumptib. ordinariis & extraordinariis faciendis pro regni statu conservando, de locatione bonorum regis, de thesauro regis, ejusque pecuniis. In hoc collegio sunt tres senatores, qui capita finantiarum vocantur, unus præfectus thesauri, seu thesaurarius, unus receptor generalis, & tres docti commissarii, cum duobus secretariis & scribis aliis. In hoc collegio olim duo fuerunt præsides, uterque aurei velleris, hodie verò unus est qui plerumque aulam regis sequitur: In camera rationali, huic collegio adjuncta, est unus præses, septem Arithmetici seu calculatores, quorum quatuor sunt ordinarii, & tres extraordinarii, qui rursum suos habent subministros. In hanc Cameram vocantur omnes qui regis pecunias tractant, uti thesaurarii, receptores & administratores pecuniarum harum, ut ibidem coram illis rationes reddant, & apochas ab illis accipiant.

Habet Belgica politia adhuc aliud consilium quod Parlamentum, vel Cancellariam vocant, in quo 10.11.12. vel 18. sunt senatores, Doctores & Licentiati, cum præside, seu Cancellario. In hoc consilio sedent etiam regis Advocati, procurator fiscalis, secretarius & alii à rege electi. quod permagnam habet authoritatem & potestatem, tam in civilibus quàm criminalibus causis. In hoc in jus vocari possunt, ipse rex, & omnes provinciales & regii ministri. Pro rege ejusdem procurator respondet & agit, tam activè quàm passivè. Ad hoc, à reliquarum provinciarum sententiis appellationes fiunt, & ab hujus sententia non appellatur. Revisio verò est concessa, in qua aliarum inferiorum curiarum senatores numerum dimidium hujus collegii non excedentes, sunt judices.

Præter consilia suprà dicta, Belgica politia habet consiliũ universale omnium statuum & ordinum, de quo suo loco cap. 33. Solet quoque rex, seu princeps Belgii, commissarios mittere in omnes provincias & urbes præcipuas, qui rationes acceptorum & expensorum inspectas urbium, monasteriorum & hospitaliorum examinant, & de illis ad regem referunt. Hi etiam ab omnibus præsidibus regis, senatoribus, thesaurariis & aliis ipsius ministris juramentum fidelitatis & obsequii accipiunt. Vide de his omnibus Ludov. Guicciardinum *in generali descript. Belgii.* & Honorium *part. 2. apotel. 55. prudent. polit.* qui tamen parcè attingit.

49 In generalibus conventibus regni, princeps cognoscere potest omnia, quæ in singulis provinciis fiunt, né illi à consiliariis imponi, aut illi mendaciis firmare possint dolosa consilia. Nam in hisce statibus illi tres generales cujusque provinciæ, ecclesiasticus, nobilium & plebeius liberè conqueruntur & audiuntur. Vid. *infr. c. 33.*

50 Consiliarios magistratus maturè consulere debet.

Gladiatorum est, non principis, in arena consiliũ ex tempore capere. Nam magna sunt in Rep. momenta temporum, & multum interest, idem illud utrum antè, an pòst decernatur, suscipiatur, agatur, ut dicit Seneca *in epistol.* Peccatur hîc sæpius in polyarchia. In arduis plus valet tarditas & longanimitas conctatioque quàm prępropera festinatio. Cavendum tamen, ne inutili cunctatione, agendi tempora deliberando consumantur, & subtilibus rationibus magistratus confundatur. Celeritas & prudentia in quovis negotio potiores vi & potentiâ.

Superior à suis consiliariis non ducatur, vel horum impulsu abripiatur, vel suasu occupetur, ut Zedechias, *Jer. c. 37. c. 38.* & Darius, *Dan. c. 6.* Joas, *2. Chro. c. 24. 17. 18.* Achazia, *2. Chron. c. 22. 4. 5.* Esra, *c. 4. 12. & seqq.* Neque etiam pertinaciter ab illis dissentiat. 51

Æquius enim est, ut tot taliumque amicorum consilium unus sequatur, quàm ut tot talésque amici unius voluntatẽ, ut dicebat Imp. M. Antoninus Philosophus. Nimiùm tamen est servile, quando magistratus metuit suos consiliarios, vel subditos, uti Acisch rex ab illis est coactus Davidem domi relinquere, *1. Sam. c. 20. 1. 8. 9.* & Isboseth Abnerum metuit, *Sam. c. 3. 11.* & Zedekias suos consiliarios, *Jerem. c. 38. per tot. Adde Sirac. c. 10. 4.* Vidi servos insidentes equis: Neq; etiam alienis oculis & judicio videre & sapere debet, sed proprìis potiùs. *Prov. c. 20. 8.* 52

Optimum est, ut princeps multorum sententias audiat, plures enim expiditiores sunt ad investigandum & judicandum, quàm singuli. Sæpè etiam accidit, ut prudentes etiam viri labantur & errent in dicendis sententiis, quando vel gratiâ, vel odio, vel æmulatione quâdam impulsi, diversum ab aliis sentiunt. Deinde non semper sumus eodem animi vigore. Ideò in magno deliberantiũ numero hoc boni est, quòd aliqui semper existunt, qui quod ab aliis peccatum est, emendant & sanant. Exemplis illustrat Antimach. *lib. 2. theor. 2. ex Cominæi lib. 2. histor.* 53

54 Sententiam suam princeps auditis consiliis celet, nullamque consultis adjiciat resolutionem, aut propriam sententiam, sed tacitè ex sequatur consilium, quod placuerit. Anima enim consilii, secretum. Et nulla meliora consilia, quàm quæ ignoraverit adversarius, antequam fierent. Scipio Amirat. *lib.16. discurs.1.*

Quòd si consulta non satisfaciant, amplius est deliberandum, ut pleniùs statuat secum princeps.

55 Princeps, quod fieri debet, cum multis tractet; quid facturus sit, cum pauciſſimis, vel potiùs ipse secum. In Democratia tamen & Aristocratia non est integrum & liberum, consilia retractare, vel mutare. Post mortem Principis consilia mutantur, imò simul cum ipsis moriuntur.

56 Fidem consultorum diligenter princeps excutiat. Vide Greg. *lib.22. c.11.n.9.10. de Rep.* Fidem solam, non eventum, consiliarius præstat. Et optimè cogitata sæpè pessimè cadunt.

57 Libertatem judicandi, consulendi, dicendi, nulli consiliario adimat, ne veritas reticeatur. *Vid. sup. n. 17. & seqq.* Miser, inquit, ille Imperator, apud quem vera reticentur. Sine discrimine igitur superior omnes audiat benignè. Jun. *d. quæst.23. & seq.*

58 Concordiam inter consiliarios & amicitiam conservet, & foveat. Hæc enim res est salutaris.

Psal.83. Ut fides, pax & justitia se osculentur. *&* *Psal.133.* Nam non rarò privati odii pertinacia in publicum exitium stimulat. Dissensio sententiarum in eundem scopum spectantium, non est periculosa. Vide exempla apud Richt. *ax.158. & infr.c.37.n.67. & seqq.*

59 Adulatores & assentatores, delatores, applaudentes,

dentes, placentinos, laudenses, qui pro varietate affectionum principis, consilia sua dirigunt, mutant, ac libidinem illius sequuntur, à se repellat. Exempla refert Antimach. *lib.1. theor.2.* Tholosan. *lib.24. cap.8.*

Servi domestici, cubicularii & omnes aulici adulatores, à quibus bonus princeps venditur, in consilium non admittendi. 60

Prov.c.29.12. Dominatoris attendentis verbo falsitatis, omnes ministri sunt improbi. *&* *c.25.4.5.* Remove impium à rege, & firmabitur solium ipsius justitiâ. *Psal. 101.6.7.* *2.Chron.c.22.3.4.5.* ubi rex Achabus consiliis malis matris & aulicorum seductus. & Joas, *2.Chron.cap.24.17.18.* Vide Lipsi. *lib.3.polit.c.8. & 9.* Greg. *lib.10.cap.3. & seqq. & lib.24. c.6.c.7.* Hippol. à Colli. *c.9. de consiliar.*

Nec executio vel administratio negotii illi est committenda, qui in deliberando dissuasit. 61

De malis consiliariis regis Ammonitarum eundem seducentibus vide *2.Sam.c.10.* Rhehabeami, *1.Reg.c.12. 1.Chron. c.10.* Darii, *Dan.c.6.* Achis, *1.Sam.c.29.* Achaziæ, *2.Chron. c.22.1.2.3.4.5.* quorum consilio reges à lenitate ad crudelitatem & sævitiam traducuntur, & ad omnia mala impelluntur. Tales fuerunt consiliarii Saulis, ut conqueritur David *Psal.58.* Tale & Achitophelis fuit consilium datum Absolomo contra Davidem. De consilio malo principum Jehudæ regi Joas adulantium, *2.Chron.cap.24.* regis Arthasastæ, *Hesr. c.4.* Hamanis, *Esth.c.3.* Abneri contra Davidē, *2.Sam. c.3.6.* Hanonis regis contra Davidem, *2.Sam.c.10.1.2.3.* De consiliarijs Ahab, *1.Reg.c.22. 2.Chron.cap.18.* regis Zidekiæ, *Jer.c.38.* regis Cores, *Esra c.4.* Malo consultori verò malum consilium pessimum. Vide exempla apud Greg. Richt. *ax. polit. & seqq.*

Quando plures consiliarios princeps habet, nunquam cuipiam ex illis soli, negotiorum suorum directiones committere debet, sed omnes consiliarios habere æquales convenit: ne ob favorem unus cæteris imperare velit, neque liberæ vo- 62

ces cæterorum in consulendo maneant, dum dilecto consiliario nemo adversari velit, quem cæteri ideo odio habent.

Facit huc *Genes.cap.37.3.4.8.* Unde consiliorum corruptio facilis,& perniciesReip. Vid. Cominæum. *lib.1.c.3.lib.4.c.34. com.* Hipolyt. à Collib. *c.9.* Petr. Greg. *lib.24. de Rep. c.7.n.2*

63 Camerar. *meditat. succisiv. c.90.* Deinde in magno deliberantium numero semper aliqui existunt, ut supra dixi, qui, quod ab aliis peccatum est, emendant & sanant. Et prudentissimos quosque non rectè semper sentire, sed labi aliquando & errare, experientia & exempla testantur. Vide Antimach. *theor.2.lib.1.* Audax etiam princeps nimiùm, qui ut amet unum, sese reliquis omnibus exosum facit. Consideret & illud *Exod. c.23.2.* Non sequêris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.

64 Consiliariorum suorum consiliis magistratus ipse interesse debet; Nam in præsentia ipsius, mali & improbi minùs audebunt, sed meliùs consulent, & factiones atq; rixæ cessabunt. Boni consiliarii præsente principe, fideliùs & diligentiùs officium suum sunt facturi, & Reipub. negotia fideliùs tractaturi, & in arduis negotiis suæ fidei specimen exhibituri.

65 Consilium utile & bonum princeps ex eo cognoscere potest, quod ad finem & scopum utilem & honestum, ad salutem & utilitatem Reip. secundùm vocationis limites est directum, quodque mediis licitis ad exitum, vel in actum à principe deduci, & sine alterius injuriâ expediri potest.

66 Nullum consilium in subtilitatibus consistens, bonum est; siquidem per se illud est difficile, & rarò boni exitus. Consilia callida & audacia primâ specie læta,

læta, tractatu dura, eventu tristia existunt. Vide Boter. *lib.2.c.6.* Greg. Richt. *ax.pol.145.*

Consilia pomposa & splendida sunt suspecta: 67
prolixa, inexplicabilia; quæ per inepta, aut impossibilia media expedienda sunt, stulta.

Consilia periculosa sunt, quæ nimis sunt ambitiosa, audacia, confidentia, procacia, temeraria; 68
Consilia moderata, tarda & cum ratione suscepta, decent principes.

Bona igitur consilia sunt, quæ tempestiva sunt, 69
& æquitate nituntur, quæque minùs sunt obnoxia casibus, periculis & varietati atque mutationi circumstantiarum. Mala contrà.

De quibus exempla vide *2.Sam.cap.10. 1.Reg.cap.12. 1.Chron.cap.10. Prov. cap.12.cap.26.cap.29. Psal.12. in fine. Hos.cap.7.3.4.* Tale consilium fuit Jonadab, *2.Sam.cap.13.* & quod est Achabo & Rehabeamo datum, *1.Regum cap. 12.cap.22.* & Ahasiæ, *2.Chron.cap.22.* & Zidekiæ, *Jerem. cap.38.*]

In deliberationem non cadunt immutabilia, 70
necessaria, non frequenter contingentia, impossibilia & illicita. Læl. Zecch. *lib.2.c.1.n.7.8.*

Princeps, quò consiliarios in fide, officio ac di- 71
ligentia retineat, de ipsis honorandis, amplificandis ac locupletandis curam suscipiet.

Sed tamen nec bona consilia præmiis afficienda, 72
ne quis spe præmii adipiscendi à vero deflectat: nec mala consilia suppliciis punienda. Defuturi enim sunt, qui suadeant, quando malè suasisse periculosum est. Præmiis affecti, à vero deflectunt, & ad gratiam loquuntur, vel superbi fiunt.

Benevolentiam tamen suam princeps erga bonos declarabit, *Prov.c.16.13.* Accepta sunto regibus labia justa, & loquê-

tem recta, rex diligito. Nebucadnezar Danielem magnifecit, *Dan.c.2.48.49. Prov.c.24.35.* Benevolentia regis erga servum intelligentem. Vide exempla *Genes.c.41.41. & seqq. c.45.16.17.18.19.20.21.c.47.5.22.* Imperatores quidã consiliarios suos portionem sui corporis vocârunt, *l.4. ex Divi. C. Locat. l. quisquis. C. ad l. Jul. majest.* & in senatorium ordinem seipsos numeratunt, *l. jus senatorum 8. C. de dignit. lib.10.* Vasq. *lib.1. quæst. illust. c.1. n.18.* Ratio est, quia Senatus est ornamentum Reip. & splendor civium, quem Cic. *in orat. de aruspic.* principem salutis vocat. Et ut principis salus, privatorum dicitur; ita & auctoritas & dignitas consiliatiorum, dignitas principis censetur: nec fieri potest, ut magnifiat princeps, cujus senatores contemnuntur.

73 Consultum est, ut magistratus suos consiliarios sæpe exploret & observet, ut intelligat, quinam ex his impii, vel avari, vel crudeles sint, aut tales evaserint, & si cognoverit illos, expellat.

Psal.101.6.7.8. Nam nimia confidentia & negligentia inquirendi in suspectos & malos, multos principes perdidit. Vide exempla apud Greg. *lib.22.c.11.n.7. & seqq. de Rep.*

74 Fatuus est magistratus, qui uni addictus & obnoxius est, ad cujus nutum & consilium, contemptis reliquis, agit cuncta, quæ ad imperii administrationem pertinent, atque ita uni cuncta regenda committit. Vid. Scip. Amirat. *lib.15. discurs.1.*

Sed experientia testatur, verum illud proverbium Germanicum: Ein jeglicher Herr hat seinen Narren / den er plaget / vnd einen Narren / von dem er eyngenommen vnd geplaget wirdt *Eccles.c.10.4.* Vidi servos insidentes equis, principes autem euntes, tanquam servos super terram. *Jerem.c.38.25.* Vide Antimach. *de regno rectè administrando.* Talis fuit Sejanus apud Tiberium: apud Alexandrum Ephestio; apud Commodum Imperatorem servus Cleatchus; apud Severũ Imp. Plantianus; apud Constantium Cæsarem Eusebius Eunuchus; apud Arcadium Eutropius; apud Carolum Simplicem, Galliæ regem, Haganon; apud Fridericum Imp. Frid. Schenck; apud alios alii. Camerar. *in med. hist.*

hist.c.90. oper. succis. Tholos. *lib.22.c.9.* Quòd sibi boni sunt tales consiliarii, felicia sunt Imperia; secus, contrà. Exemplum est in Hamane & Mardochai, *Esth.c.10.* in Jeremia & aulicis, *Jerem.c.38. per tot.*

CAPUT XXVIII.

De administratione ecclesiastica.

1 *Species administrationis.*
2 *Administratio universalis quid.*
3 *Publicorum negotiorum regni administratio.*
4 *Administratio ecclesiastica quid.*
5 *Quæ partes magistratus, & quæ ministrorum hic.*
6 *In hac consilium & consensus ecclesiasticorum necessariũ.*
7 *Administratio hæc magistratui injungitur Dei mandato, & piorum exemplis commendatur.*
8 *Rationes hujus administrationis graves.*
9 *Commoda hujus varia & plurima.*
10 *Verus Dei cultus fons omnis felicitatis, fundamentum Reipub. & virtutum seminarium.*
11 *Negligentia & contemptus religionis orthodoxæ causa calamitatum multarum.*
12 *Hæc administratio ecclesiastica in quibus consistat.*
13 *Doctrina & exercitium religionis orthodoxæ.*
14 *Cognitio Dei & ejus cultus liberrimus & publicus per totum regnum, & impedimentorum omnium remotio.*
15 *Pactum religiosum quid.*
16 *Juramento confirmatur.*
17 *In pacto hoc religioso debitores correi sunt magistratus summus & Ephori.*
18 *Formula pacti hujus publici in politia Judaica.*
19 *Dei promissio & mina in hoc pacto.*
20 *Titulus & professio imperantis de hoc jure Dei.*
21 *Titulus regum, Nos gratiâ Dei &c. unde.*
22 *Populus subjectus Dei hæreditas dicitur.*
23 *Barclajus refutatur non agnoscens fedus hoc.* (tur.
24 *Quando & quomodo uno ex correis solvente, alter libere*
25 *Prius officium magistratus quod.*
26 *Sacrum ministerium quid.*

27 *Mandata publica de professione religionis orthodoxæ.*
28 *Confessionis publicæ orthodoxæ religionis promulgatio.*
29 *Constitutio presbyteriorum & consistoriorum ecclesiasticorum.*
30 *Cura specialis ministerii in singulis provinciis.*
31 *Magistratus imperium in ecclesiasticas personas quale.*
32 *Quale imperium magistratus habeat in ecclesiasticis negotiis & personis.*
33 *Scholarum institutio qualis esse debeat.*
34 *Scholarum commoda & antiquitates.*
35 *Scholarum species.*
36 *Liberi magistratus in his in vera religione informandi.*
37 *Conservatio & defensio ecclesiæ ad magistratum pertinet.*
38 *Conservatio veræ religionis & cultus divini in quibus consistat.*
39 *Conventus & visitationes ecclesiasticæ.*
40 *Examen doctrinæ & vitæ in conventibus.*
41 *Convocatio & gubernatio conventus hujus ad magistratum pertinet.*
42 *Presbyteria parœciarum, classes, synodi.*
43 *Examen, quale in hisce conventibus specialibus, & executio decretorum.*
44 *Visitatio domestica cujusq; ecclesiæ.*
45 *In hac examen de doctrina & vita, & de aliis.*
46 *Auxilium politicorum præstandum ecclesiasticis.*
47 *Testamentum magistratus de religione orthodoxa conservanda.*
48 *Legum promulgatio de ceremoniis ecclesiasticis.*
49 *Præmia quomodo piis tribuenda.* (lis,
50 *Emendatio & purgatio ecclesiæ ab erroribus & corruptequomodo à magistratu instituenda.*
51 *Restitutio cultus divini collapsi vel depravati.*
52 *Atheorum, profanorum, hominum refractariorũ relegatio.*
53 *Judæi quatenus tolerandi.*
44 *Quæ cautiones hîc observandæ.*
55 *Quatenus liceat conversari cum impiis atheis.*
56 *Papistæ quatenus tolerandi.*
57 *Hæretici qui puniendi, & quomodo.*
58 *Qui tolerandi.*
59 *Edicta magistratus de non damnandis traducendisve orthodoxis, vel infirmis fratribus.* 60 *Con-*

60 *Contemptus publicus religionis, quomodo emendandus.*
61 *Quid agendum magistratui in dissensionibus subditorum mutuis de religione.*
62 *An religionis exercitium concedere paucis petentibus possit, invitis reliquis membris regni.*
63 *In fidem & religionem subditi inquirere non licet, neq; ad credendum quem cogere.*
64 *Errantes in religione quomodo regendi.*
65 *Persecutio ob religionem facta, multa incommoda importat.*
66 *Tolerandi dissentientes in religione, & quomodo.*
67 *Omnia impedimenta religionis tollenda à magistratu.*
68 *Libri hæreticorum publico edicto pœnali prohibendi.*
69 *Collegia improbata religionis non ferenda.*
60 *Ministrorum persona venerabilis.*
71 *Epicurei, athei & profani puniendi.*
72 *Procuranda omnia ad ecclesiæ ædificationem necessaria.*
73 *Preces & jejunia quando indicenda.*

HActenus de prudentia politica, pro regula & norma in administratione Reipubl. & imperii suscepti adhibenda: sequitur de speciebus administrationis.

Species administrationis hujus duæ sunt. Est 1
enim alia universalis, alia particularis. Illa est publica, hæc privata administratio.

Primùm enim à Magistratu totum Reipubl corpus curandum est, deinde illius membra & partes. Argum. *1. Cor. cap. 12. cap. 1. de prohibit. feud. alienat. per Frederic. cap. 1. de prohib. feud. alienat. per Lothar.* Cicer. *lib. 1. offic.* Vasqui. *quæst. 1. n. 102.* Justin. *de nov. cod. faciend. §. ult. & tit. de novo codice confirmando in princ.*

Universalis administratio est, quâ publi- 2
ca regni, seu Reipubl. & universalis consociationis negotia & bona in toto regni territorio ad utilitatem & salutem totius Reipublicæ

à Magistratu tractantur, diriguntur & diligenter curantur.

L. 2. §. novissima. de orig. jur. Novell. 1. de hæred. & falcid. Novel. 4. l. 3. de offic. præfect. vigil. l. 8. C. de legib. l. 32. præcipimus. C. de appellat. l. 20. C. de nupt. l. bene à Zenone. C. de quadr. præscript. Nam si quis suis, & maximè domesticis, non providet, fidem abnegavit, & infideli est deterior, *1. Tim. c. 5. 8.* & qui præest, in solicitudine præsit, *Rom. cap. 12. 2. Sam. cap. 23. 3.*

Hæc universalis administratio est duplex. Una negotiorum publicorum, altera rerum publicarum.

3 Publicorum negotiorum regni administratio est ecclesiastica, vel civilis.

Deut. cap. 17. 8. & seq. 2. Chron. c. 19. 8. 9. 10. 11. ubi Junius. *2. Sam. c. 23. 3.* ubi Piscator, in voce justus, ibi, Intelligitur ex secunda tabula, dominans in timore Dei secundùm primam tabulam. Utraque ad magistratum pertinet, uti exemplis piorum regum demonstrari potest, nimirum Davidis, *1. Chron. c. 23. c. 24. & seqq.* Salomonis, *1. Reg. c. 4. & seqq.* & aliorum regum sequentium, *2. Chron. c. 2. 12. c. 14. 2. 6. 7. & seqq. c. 15. cap. 17. c. 19. c. 23. c. 30. c. 31. c. 34. c. 35. 2. Reg. c. 12. c. 18. c. 22.* & exemplis seqq. latiùs doceri potest.

4 Ecclesiastica administratio est, quâ negotia ecclesiastica, (quibus regnum DEI introducitur, promovetur, curatur & conservatur in Repub. vel regno politico) juxta præscriptum verbi DEI, administrantur.

Quæ sint negotia ecclesiastica, diximus suprà *cap. 8.*

5 Hæc ecclesiastica summi magistratus administratio consistit in rerum ecclesiasticarum suprema inspectione, defensione, cura atque directione. Officiorum verò ecclesiasticorum functio & administratio ad personas ecclesiasticas pertinet.

2. Chron. c. 26. Magistratus igitur officiarios & ministros ecclesiasticos gubernat & regit, *2. Chron. cap. 24. & seqq. c. 27. 1.* atq; ut illi officium sibi demandatum sedulò, diligenter & fideliter faciant, curat, eosque in exsequendis iis in quibus auxilio suo opus habent, juvat. Ecclesiastici ministri tractant, agunt & faciunt, quæ functio ecclesiastica ab iisdem exigit, seu quæ magistratus ex verbo Dei ipsis imperat, *Ex. c. 4. 12. 15. 16.* ubi Deus præcepit Mosi, at Moses Aharoni, hic verò populo, *Ex. c. 16. 33. 34.* Unde quæ ecclesiastici ministri faciunt, ex mandato magistratus, ab ipso magistratu facta dicuntur. Vide exempla *Josu. c. 4. 16. c. 6. 6. c. 5. 2. 3. c. 8. 30. 31. 32. 33. 34. c. 23. c. 24. 2. Chron. c. 27. 1. c. 24. & seqq. c. 8. 15.* latè Carolus Molinæus *in libro de monarchia Franciæ, n. 160. & seqq.* Fidei, conscientiæ & ecclesiæ non dominantur, *2. Cor. cap. 1. 24. c. 4. 5.* sed hujus sunt ministri, *Esa. c. 49. 23. c. 50. 10. 1. Cor. c. 4. 5.*

Duplex igitur est rerum ecclesiasticarum administratio: una, quæ ad summum magistratum, altera quæ ad ministros ecclesiasticos pertinet, quarum altera alteri præcipit & obtemperat, & quarum altera alteram in administratione separata sibi demandata, juvat, exemplo Mosis & Aaronis.

Summi magistratus administratio ecclesiasticis præcipit, dum officii sui partes ipsis, secundùm verbum DEI obeundas, injungit, aliaq; quæ ad verum DEI cultum instituendum, conservandum & ad posteros transmittendum necessaria sunt, mandat & fieri curat.

De quibus latiùs & specialiùs hoc cap. acturi sumus. Atque in his omnibus ecclesiastici & omnes alii magistratui obedire tenentur, *Rom. c. 13.*

Ecclesiasticorum administrationi & potestati contrà, summus magistratus subjicitur, quoad censuras, admonitiones & quoad illa, quæ vitam & salutem æternam concernunt.

Uti docent exempla Davidis, *2. Samuel. cap. 12. cap. 24.* Hiskiæ, *2. Reg. cap. 20. 19.* Asæ, *2. Chron. cap. 16.* Josaphati,

2.Chronic.cap.20. Jeroboami, *1.Reg.cap.13.* Jehu, *1.Reg.c.16.* Achabi, *1.Reg.c.21.* Ochoziæ, *2.Reg.c.1.* Manassis, *2.Reg.c.21. Jerem.c.1.10. Ezech.c.3.2. & seqq. Hebr.c.13.17.*

6 In administratione rerum ecclesiasticarum nihil aget magistratus sine consensu & consilio ecclesiasticorum ex verbo Dei sumpto, *Deut.c.24.8. Malach.c.2.7.*

7 Hæc administratio, quam diximus, magistratui injungitur Dei mandato, & exemplis piorum atque rationibus plurimis commendatur.

Rom.c.13. ibi: Est minister tibi in bonum, curabit id quod summum bonum est. *Jos.cap.1. vers.8. Deut. cap.17. 18.19. Psalm.24.* Aperite portas vestras, ut ingrediatur rex gloriæ. *Esa.cap.49.cap.60. Psalm.2. v.10.11.* Colite Jehovam, reges, cum reverentia. *12.* Exultate cum tremore; osculamini filium, ut non irascatur & pereatis. *Deut.cap.17.18.19.cap.27. cap.28.cap.13. & 2.Chron.cap.19.* & plurimis aliis in locis. Sic Moses exorsus est suum magistratum ab administratione hac, quam postea confirmavit agno paschali, *Exod.cap. 12.* Gideon ab altaris erectione, *Judic.cap.6.* David arcam federis in principio officii sui deduxit Jerusalem, *2.Samuel. cap.6.* & Salomo, *1.Reg.cap.2.cap.3.cap.6.cap.7. 2.Chron. cap.1.* & Asa, *1.Reg.cap.15.vers.12.13.15.* Joas domum Jehovæ in principio administrationis suæ renovavit, *2.Chron. cap.24.* Hiskia, *2.Chronic.cap.29.* Josias, *2.Regum cap.22.* Et quilibet summus magistratus suos subditos ad cultum Dei admonere debet. Vide exempla, *Deut. cap.32. Josuæ cap.23.cap.24. 1.Chronic.cap.29. 1.Regum cap.8. 2.Chron. cap.14. cap.20. & cap.30. cap.34. 1.Samuel.cap.12.vers.14. & sequentibus. Hesr. cap.3.vers.1. & sequentibus. Nehem. cap.3. Psalm.122. & 132. & 22. Levitic.cap.8.cap.10.vers.16. 17. Num.cap.4.vers.15. & sequentibus.* Nam initium sapientiæ timor Domini, *Psalm.111, & Psalm.19.vers.8.* Doctrina Jehovæ integra est, restituens animam: Testimonium Jehovæ verax, sapientiam adferens imperito, *& Psalm.119. vers.96.97.100. & seqq. Prov.c.8.v.15.* Per me reges regnant, & dominatores decernunt justitiam. *16.* Per me principes gerunt

gerunt principatum, & ingenui omnes judices terræ. *Deut. c.4.6.* ibi: Nam hæc est sapientia vestra & prudentia vestra. *1.Sam.c.12. Deut.c.17.18.* Postquam rex sederit in solio regni sui, describit sibi deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplaria à sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominũ Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus quæ in lege sunt præcepta. Nec elevetur cor ejus superbiâ super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filii ejus super Israël. *Psal.101. Es.c.49.23.* Et erunt reges nutrices tuæ &c. *c.60.10.* Et ædificabunt alienigenæ muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. *& c.11.* Nam apertas tenebunt portas tuas, ut introducant ad te copias gentium, etiam regibus earum adductis. *12.17. Amos c.6.6.* Neq; afficiuntur ægritudine propter confractionem Josephi. *2.Chron.c.15.* Maximæ pœnę loco ducitur, quòd multi dies in politia Judaica transierint absq; verò Deo, absq; sacerdote, doctore & lege. *1.Sam. c.2.30.* Diligam qui me diligunt, & odio prosequar, qui me oderunt. *Psal.122.* Postulate pacem Jerusalem, & propter domum Jehovæ Dei nostri quæram bonum tibi. *Psal.91. & 125.* Ethnicos quoque maximam religionis curam habuisse, testantur exempla allata à Botero *lib.2.cap.13. de polit.constit.* Melch. Jun. *quæst.pol.lib.1.quæst.6.* Pet. Greg. Tholos. *lib.12. c.4. de Repub. & lib.8.c.2.* Danæ. *lib.1.polit.* Sueton. *in Octav. c.31.* ut meritò hanc communem politicorum sententiam dixerim. Latè Carol. Molinæ. *de monarch. Franc. per tot.* Honor. *thesaur.rer.polit.part.2.apotelesi.1.*

Rationes præter mandatum Dei & exempla allata, sunt prægnantes & graves. 8

Nam sincerus Dei cultus & metus in Rep. est omnis felicitatis publicæ & privatæ causa, fons & origo; & contrà contemptus Dei & negligentia cultus divini, omnis infelicitatis & mali causa, *Deut.cap.27. 2.Chron.c.17.3.4.5. & seqq.c.26. 5.6.7.8. cap.27.3.4.5.7. cap.31.21. c.32.27.28.30. c.28.6.7.8.9. 10. cap.29.6.7.8. & sequentib.* Deinde religio Christiana magistratui non solùm bona & corpora piorum subditorum subjicit, sed etiam animos & conscientias eorundem magistratui devincit & ad obedientiam informat: *Rom.c.13.* Pacem

& concordiam colit, scandala omnia abominatur, & homines pios atq; justos reddit. Ideò in primitiva ecclesia, Christiani, licet gravissimas persecutiones perpessi sint, non tamen à magistratu suo defecisse, aut se illi opposuisse, sed pacem constanter coluisse leguntur. Religionis orthodoxæ professionem & exercitium esse omnis publicæ & privatæ felicitatis causam, constat ex eo, quòd pietas promissionem benedictionis quam cultores illius in hac & altera vita accipient, habeat, ut Apostolus Paulus dicit, & Moses *Deut. cap. 4. 40. & c. 6. 18. c. 28. 1. Sam. c. 2. 30.* Diligam qui diligunt. *Psal. 147. 1.* Acceptos habet Jehova timentes sui, qui exspectationem suam habent in benignitate ipsius. Hierusalem lauda Jehovam, lauda Deum tuum, ô Sion. Nam confirmat vectes portarum tuarum, benedicit filiis tuis in medio tui. Disponit terminis tuis pacem, adipe frumenti satiat te. Ob hanc causam Deus Davidi regi benedixisse dicitur, *2. Sam. c. 5. 10. c. 6. 12. c. 8.* & Salomoni, *1. Reg. c. 10. 8. 9.* & aliis piis regibus, *2. Chrō. c. 17. 3. 4. 5. 6. & seqq. c. 27. 3. 4. 5. 6. c. 28. 6. 7. & seqq. c. 29. 6. & seqq. c. 31. 21. c. 32. 27. 28. 30.* Quærendum igitur primùm est magistratui regnum Dei, & cætera omnia adjicientur ipsi, uti Christus apud Matthæum promittit, *c. 6.*

Commoda quoque, quæ à piis Dei cultoribus subditis in Remp. totam redundant, & contrà mala & pericula, in quę ab impiis Resp. præcipitatur, magistratus ad hujus administrationis studium & diligentiam movere debent. Nam pii Remp. etiam malam tanquam fulcra sustinent, quò minùs justâ Dei irâ corruat, & pœnas meritas avertunt ab ea. *Esa. c. 6. 13.* ibi, Ejus ergo statumen futurum est semen sanctum, sicut in quercub. illis & sicuti in roboribus, quæ sunt ad portam injectus, statumen est; ut Piscator notat. *Esa. c. 1. 9.* Nisi Jehova exercituum reliquos fecisset nobis superstites, utcunque paucos, ut Sodoma essemus, Hamoræ similes essemus. Ita Deus Abrahamo promittit se Sodomum ob justos paucos ibi viventes non perditurum, *Gen. c. 18. 23. & seqq.* ubi Piscator notat, pium virum esse ingentem & pretiosum thesaurum in Rep. opponit enim se exitio Reip. ne terra perdatur à Deo. Nam pii orant pro salute Reip. quorum preces Deus exaudit. Ita Abraham, pro Sodomitis intercedens accipit promissionem. Ita Samuel pro salute populi orans, exauditus est, *1. Sam. c. 12.* Ita Mosis preces servarunt Judæos, quos Deus perdere

perdere volebat, *Exod. c. 32.* Ita Pauli precibus servati sunt omnes qui erant in navi, *Actor. cap. 27. Prov. c. 11. 1.* Benedictione rectorum effertur urbs, ore autem improborum destruitur. *Jerem. c. 5. 1.* Percurrite plateas urbis Jerusalem, & videte jam & cognoscite, & disquirite in plateis, an inveniatis virum, an sit qui exerceat jus, requirat fidem, & condonabo illi. ubi Piscat. Præterea pii optimi & utilissimi sunt cives & subditi. Faciunt enim hi justa & utilia, *Philip. c. 4. 8.* proximi sui commoda quærunt, *Philip. c. 2. 4.* eumque diligunt, *1. Joh. cap. 4. 7. & seqq.* pro eo orant, *1. Johan. c. 5. 16. Jacob. c. 5. 13. & seqq.* errantem monent, *Matth. c. 18. Deut. c. 13. Act. c. 16. 31. & seqq.* in viam reducunt, *d. c. 18.* vivunt in pace, concordia & beneficentia erga subditos, *Ephes. c. 4. 2. 3. 4. 5. 6. c. 5. Col. c. 3 12. & seqq.* de eorum salute sunt soliciti, *Ephes. d. c. 5. 21. Roman. cap. 12. 15. 1. Cor. c. 12. 26.* oppressis auxilium ferunt, *Proverb. cap. 24. 11.* Quæ cùm ita sint, magistratus ante omnia statim 10
ab initio administrationis suæ religionem Christianam, & verum Dei cultum tanquam fundamentum imperii sui curabit & plantabit. Quod si facit, vigebunt omnes virtutes inter subditos, & in omnibus suis actionibus prosperabitur. *Jos. c. 1. 8.* Ne discedito liber iste legis ab ore tuo: tunc enim prosperaberis in viis tuis, & secundaberis, *1. Reg. c. 2. 2. Reg. c. 3. Deut. c. 28. c. 6. 18. c. 4. 40. 1. Sam. c. 12. 14. & seqq.* ut exemplis Davidis, Josaphati, Josiæ, & aliorum doceri potest. Contrà, hanc administrationis suæ curam præcipuam negligens, 11
se & Remp. seu regnum suum variis calamitatibus certissimis involvet, & per impios, profanos subditos, justam Dei iram in se concitabit, *2. Chron. cap. 24. 20. 24. & tot. lib. 1. & 2. Reg. c. 16. c. 17. 1. Sam. c. 15. 16. & seqq.* Carol. Molinæ. latè *de monarch. Francor. n. 16. & seqq.* Nam impii subditi in Repub. viventes, gaudent nocere, *Proverb. cap. 12. 12. cap. 21. 15. cap. 29. 10.* & destruere, *Prov. c. 11. 11. c. 28. 12.* Dei iram provocant, & varias sibi atque Reip. pœnas attrahunt, uti Samuel populo & regi Judaico concionatur, *1. Sam. c. 12. per tot.* in primis *27. v.* Quòd si ultrò, ait, malefeceritis, tum vos, tum rex vester consumemini. *Deut. c. 31. 29.* Novi enim fore, ait Moses, post mortem meam, ut omnino corrumpatis & recedatis ab hac via, quam præstitui vobis: unde obveniet vobis hoc malum extremis temporibus, cùm feceritis malum in oculis Jehovæ, provocando eum opere manuum vestrarum.

Deut.c.28.c.29. Jerem.c.5.25. Iniquitates vestræ avertunt ista, & peccata vestra cohibent bonum hoc à vobis: *Jerem. lament.cap.4.c.5. Dan.c.9. Esa.c.60.12.* Gentes & regnum quæ non servierint tibi, Jehova, peribunt; gentes, inquam, vastando vastabuntur. *c.7. Jerem.c.22.c.36.* Ideo *Sirac.c.16.v.5.* dicuntur impii totas civitates sæpe perdere: & qui seminavit iniquitatem, tandem metet mala, *Prov.c.22.v.8.* Ideoque Deus gravissimè regionem aliquam puniturus, publico religionis orthodoxæ exercitio eam privat, *Amos c.8.v.11.v.12. & 13. 2.Chron.c.18.* Vide *Tzephanjam c.3. & lament. Jeremiæ. Mich.c.1.c.2.c.3.* Nam contemptu cultus & religionis divinæ, avertuntur commoda & benedictiones, quę Dei cultores sequuntur & comitantur, & contrà attrahuntur ab impiis omnia mala, & eorum pœnæ divinæ, *Deut.c.28. & 29.* Ex his omnibus igitur, quæ dixi, apparet, quàm necessarium, quámq; utile sit summo magistratui, ut primâ & præcipuam curam religionis orthodoxæ habeat, eamq; in suo regno introducat, exercitiisq; publicis pietatis, de quibus in sequentibus dicemus, foveat & conservet. Philip. Honor. *d.apotel.1.*

12 Hæc ecclesiastica administratio consistit in cura doctrinæ, religionisq; orthodoxæ publicè tradendæ & docendæ, atq; in illius professione libera per ejusdem usum & exercitium publicum instituenda & conservanda.

Respicit igitur hæc administratio tria: nimirum doctrinam de Deo ejusq; cultu, & vitam sanctam piamque membrorum regni.

Doctrina pia est, quâ ex verbo Dei homines informantur ad Dei & sui ipsius cognitionem, & ad vitam sanctam. *Tit.c.2.12. Joh.c.17.* Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum &ç. *1.Sam.c.12. Jos.c.1.7.8.*

Cultus Dei est usus & exercitium liberum religionis orthodoxæ publicum & privatum.

Vita pia & sancta dicitur, quæ doctrinæ & cultui prædictis respondet. Unde regnicolę professione, & vitâ veri Christiani dicuntur. *Matth.*

Matth.c.10. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem, qui est in cælis. *Joh.c.13.* Beati vos, si scientes illa, faciatis eadem. Aret. *in problem.loc.45.tom.1.*

Administratio hæc ecclesiastica duobus potissimùm officiis peragitur. Prius est de doctrina & exercitio religionis orthodoxæ in regnum introducendis. Alterum est de iisdem conservandis, defendendis, & ad posteros transmittendis. 13

Illud occupatur in hoc, ut Deus rectè cognoscatur & colatur; hoc est, ut in toto regno vigeat verus de DEO sensus, seu cognitio Dei, & rectus Deo cultus præstetur, idq; liberè publicè à singulis & universis in toto regno, absque ullo metu & periculo. Hoc verò in omnibus, quæ prioribus adversantur, removendis occupatur. 14

Quibus duobus magistratus officiis, regnum Dei erigitur & conservatur inter homines in hac humana politica societate. *Matth.cap.21.43. Luc.c.8.1.10.c.9.2.11.60.62. Marc. cap.9.1. 1.Cor.cap.4.20. Johan.c.3.3.5. Actor.c.28.31. Coloss. c.4.11.*

Utrumque hoc officium, pacto religioso, magistratus cũ regni membris Deo solemniter in regni comitiis, communi consensu promittit, quòd nimirum & magistratus & regni membra, operam sedulò dare velint, quò perpetuò Deus verè à singulis & universis membris in toto regno cognoscatur & colatur, atque sub eâ conditione, regnum suum à Deo recognoscunt, eiq; fidem & obsequium tanquam subditi & vasalli spondent. 15

Est enim Dei terra & plenitudo ejus, *Esa.c.66.1. Psal.24.* qui est Dominus dominantium, & rex regum, *1.Reg.cap.8.* qui omnium creaturarum est Dominus proprietarius, atque

earum administrationem concedit cui vult, ita tamen, ut jus suum ideo non amittat, *1. Chron. cap. 29. 10. & seqq. Dan. c. 2. 21. c. 4. Rom. c. 13.* & diximus suprà de ephoris. Exempla hujus pacti religiosi videre licet *Deut. c. 26. 17.* A Jehova stipulatus es sponsionem, hodie fore tibi Deum, tum ut ambules in viis ejus, tum ut observes statuta ejus, præceptaque ejus & judicia ejus, & auscultes voci ejus. *18.* Jehova verè stipulatus est sponsionem à te hodie, te fore ei populum peculiarem, quemadmodum edixit tibi, observaturum omnia præcepta ejus. *19.* Tum ut efficiat te sublimem supra omnes gentes, quas fecit, laude, & nomine & gloriâ, tum ut sis populus sanctus Jehovæ Deo tuo, quemadmodum locutus est. *Deut. c. 27. c. 28.* & disertiùs *c. 29. 1. 2. 3. 9. 10. & seqq. c. 5. 7. 8. 9. 10. 11. Dan. cap. 3. 12. cap. 5. 18. 2. Reg. cap. 18. cap. 11. 2. Chron. cap. 23. 16.*

Hodie quoq; in capitulationibus reges adstringuntur ad curam religionis approbatæ, & ad exterminationem improbatæ. Vide *constit. Imper. de anno 1555. & seqq.* & suprà *cap. 19. n. 39. & seqq.*

16 Religiosum hoc pactum juramento promittentium, populi & magistratus summi, confirmari potest, quo jurent illi, se operam daturos, quò fiant illa, quæ pertinent ad ecclesię regniq́ue Dei conservationem.

Psal. 101. & 50. & 35. & 2. Esa. c. 49. 23. Ob quam causam reges plurimi, sacerdotes & Pontifices esse voluerunt, ut refert Gregor. *lib. 8. c. 2. n. 6. 7. 8. 9. de Rep.* qualis etiam fuit Melchisedecus, *Genes. c. 14.* & Samuel, *1. Sam. c. 3. & seqq.* Et Eli ante Samuelem, *1. Sam. c. 2.*

17 In hoc religioso pacto inito debitores & correi promittendi sunt, summus magistratus regni, & ephori illius cum toto populo, Deus verò creditor, cui promittitur: Debitores correi sese conjunctim obligant, quòd velint Deo tribuere, quæ sunt Dei, ut nimirum vera Dei agnitio, & cultus Dei sincerus in regno vigeant, secundùm verbum Dei, non mandata, vel placita hominum.

Matth.

Matth. c. 15. 9. Deut. c. 12. 8. Col. c. 2. 23. In hisce tota tabula Decalogi prima continetur, & regnum Dei in Rep. constituitur, ita ut populus & magistratus Dei sint populus, *2. Chron. c. 6. 16. & seqq. cap. 23. 16. c. 15. 12. 13. 14. 15. Jos. c. 1. per tot. 1. Reg. c. 2. 3. 45. 2. Reg. c. 11. 17. Nehem. c. 10.* ubi formula federis hujus cum subscriptione principum populi traditur, *vers. 30. 31. 32. 33. & seqq.* his verbis: Firmè se adjungentes fratribus suis, magnificis eorum, & ineuntes exsecrationem & juramentum, nos ambulaturos in lege Dei, quæ tradita nobis fuit per Mosen servum Dei, id est, observaturos & facturos omnia præcepta Jehovę, judiciaq; ejus & statuta ejus. *Esa. c. 17. 19. & seqq.* Ita verò correi sunt summus magistratus regni & ephori populum repræsentantes, ut in solidum & in continenti ab uno quoque promissum peri possit, tanquam à principali reo, *l. pen. de duob. reis stipul. 2. Chron. c. 33. 2. Reg. c. 24. 4. Deut. c. 29.* Nam Deus non voluit unico homini ecclesiam, seu curam agnoscendi & colendi sui committere, sed toti populo, quem ejusdem ministri ephori & summus magistratus repræsentant, ita ut hi administratores, quasi unius personæ vicem sustineant; arg. *l. mortuo 22. de fidejuss.* & quilibet ex iis in solidum sit obligatus; arg. *Jer. c. 17. 20.*

18

Sed adferamus etiam exempla obligationis hujus, quâ summus magistratus & populus se Deo obligant, ad agnoscendum & colendum Deum, *2. Reg. cap. 11. 17.* Tunc pepigit Jehojada fedus inter Jehovam, & regem & populum, ipsos fore populum Jehovæ; & inter regem & populum. *2. Chron. c. 23. 3.* Tunc pepigit tota illa congregatio fedus in domo Dei cum rege, cùm dixisset eis Jehojada, Ecce filius regis regnaturus est. *Versu 19.* Pepigit autem Jehojada fedus inter se, universumque populum & regem, ut esset populus Domini. *2. Chron. c. 15. 12.* Iniverunt fedus de requirendo Jehova Deo majorum suorum, ex toto corde suo, & ex toto animo suo. *13.* Adeò, ut quisque non requisiturus esset Jehovam Deum Israëlis, morte afficiendus esset, sive parvus, sive magnus, sive vir, sive fœmina. *14.* Et jurarunt Jehovæ cum sono magno & clangore, tubisque ac buccinis. *15.* Lætabanturque omnes Judæi de illo juramento. *2. Reg. c. 23. 2.* Ascendit rex in domũ Jehovæ, & omnes viri Jehovæ & Jerusalimorum cum eo, cùm sacerdotes, tum prophetæ, ac totus populus à minimo usque ad maximum, & legit ipsis audientibus omnia verba

libri federis,qui inventus fuerat in domo Jehovæ. 3. Deinde stans rex ad columnam suam,pepigit fedus coram Jehova,se secuturos Jehovam,& observaturos præcepta ejus & testimonia ejus, ac statuta ejus ex toto corde & ex toto animo, præstando verba federis illius,quæ scripta sunt in libro illo: cui adsistebat populus in ipso federe. 4. Tunc præcepit rex &ç. *2.Chron.c.34.29.30.* Ubi legit ipsis audientibus omnia verba libri federis &ç. *31.* Deinde stans rex in statione sua,pepigit fedus ipsum coram Jehova,se secuturum Jehovam,& observaturum præcepta ejus, testimonia ejus & statuta ejus &ç. *Vers.33.* ibi,Et addixit quemque inventum in Israële ad colendum Jehovam Deum ipsorum, omnibus diebus ejus non recesserunt à sequendo Jehova,Deo majorum suorum. *2.Chron.c.17.per tot.& c.33.16.* ibi: Edixit Jehudæ,ut coleret Jehovam Deum Israëlis, *Nehem.c.10.1.* Pro hoc autem toto pepigimus constitutionem federis,& scripsimus: idque cum obsignatione principum nostrorum,Levitarum nostrorum, sacerdotum nostrorum. 2. Fueruntq; in istis obsignationib. *& seqq.per tot. inprimis vers.29.30.31.32.& seqq.& c.2.13. Deut.cap.29.10.11.12.* Vos statis hodie omnes ad ineundum fedus Jehovæ Dei tui, cum adjuratione ejus, quod Jehova Deus tuus pangit tecum hodie. *13.* Ut statuat te hodie sibi in populum,& ipse sit Deus, quemadmodum dixit tibi &ç. *Vers.14.15.16. & seqq.& c.31.* De renovatione istius federis extat *Jos.cap.24.per tot.* Videre quoque licet de hoc federe *2.Chron.c.6.1.2. & seqq. cap.24. 20.29.36. c.30.12. c.34.10. c.23.16. 1.Sam.c.12.13.14.15.16.17.22.& seqq. 2.Reg.c.11.17. Nehem.c.9.c.10. Jos.c.24.per tot.* Hinc liber federis dicitur codex sacer,continens capita federis, *2.Reg.c.23.2. 2.Chron. c.34.30. Nehem.c.9.* disentit Barclajus,qui refutatur *c.38. in fine.*

19 Magistratui & populo hæc facientibus,Deus in hoc pacto religioso promittit, atque negligentibus vel violantibus fedus hoc,minatur:facientib. promittit,se illis futurum Deum benignum, & clementem protectorem: minatur verò inobedientibus & fedus hoc violantibus,se severum & justum fore pœnæ exactorem.

Jos.c.5.

Jos.c.5.c.24. Judic.c.4.1. 1.Sam.c.12.14.& seqq. c.13.13.14. cap.15.26. 1 Reg.c.11.33. 1.Reg.c.9.4.& seqq. Deut.c.28.c.29. Psal.72.& 83.& 85.& 147.12.13. Atq; hinc reges & populus hæc pacta non servantes,perfidi vocantur, *2.Chron.c.28.22. c.29.6.19.c.30.7. c.33.19.c.36.14.* Hinc quoque florentissima regna sub piis regibus,uti sub Davide,Salomone,Josaphat, Josia & aliis, quorum mors futurarum calamitatum præsagium esse solet, præsertim, quando impii illis succedunt, *2.Reg.c.25.28. Judic.c.2.19. 2.Chron.c.35.2.3. Esa.c.3.5.c57.1.* sub impiis verò miserrimus Reip. status fuit,uti sub Achab, & omnibus regibus Israëliticis, item sub Caligula,Nerone, Claudio, Heliogabalo & pluribus aliis.

Pacti igitur hujus initi,quando à magistratu vel ephoris populum repræsentantibus violatur,vindex est Deus. Tenetur enim alter correus, alterius correi culpam præstare, & peccatis illius communicat, si peccantem & violantem correum hoc suum pactum, non continet in officio, nec illi se opponendo resistit,eumq; , quantũ potest,nõ impedit. *1.Reg. c.14.16.* Exponet Israëlem propter peccata Jeroboami &ç. Steph.Jun.Brut. *de vind.contra tyran.quæst.2.* Ideo tenentur ephori magistratum exorbitantem,officii sui admonere,arg. *Jer.c.17.20. 1.Reg.c.18.19.* & illi resistere,& contrà. Quòd si ephori hoc non fecerint, sed tacendo,cessando,dissimulando, permittendo,patiendo magistratus summi pacti hujus violationem non impediverint,meritò illi à Deo ob culpam & permissionem hanc puniuntur, uti ostendunt exempla, *1.Sam.c.12.17.* Sed si non auscultaveritis Jehovæ, sed rebellaveritis præstituto Jehovæ, utique erit manus Jehovæ contra patres vestros. *25.* Quòd si malè feceritis,tum vos,tum rex vester consumemini. *& cap.13.14. Ezech.cap.7.23. & seqq. Deut.c.28.45. & seqq. & c.29.12.13.& seqq.* Vide exempla, *2.Reg.cap.25.9.c.17. 2.Chron.c.21.14.c.24.20.23.c.15. 1.Reg. c.11.33. Jud.c.2.20. 1.Sam.c.15.26.* Sprevisti verbum Jehovæ, ideo sprevit te Jehova, ne sis rex, *2.Sam.c.21.1.* Fuerat enim fames temporib. Davidis,trib.annis continuis,deinde requisivit David faciem Jehovæ: cui dixit Jehova,Propter Saulẽ & domũ illius sanguinariã est,eò quòd morte affecit Gibeonitas, *2.3.& seqq. & 2.Sam.c.24.2.3.10.11.12.13.14.15.17.* Cùm allocut⁹ David Jehovã,videndo angelũ,qui peutiebat populũ,dixisset,Ecce,ego peccavi,& ego iniquè feci,hi autem hæ oves,

quid fecerunt? 18. Sit quæso manus tua contra me, & contra domum paternam meam, & v. 25. ubi Petrus Martyr. *Jerem. cap. 15. 4.* Et tradam eos in commotionem omnibus regnis terræ, propter Manassem filium Jehiskiæ, regis Judæ, ob ea quæ fecit Jerusalaimis. *5. 6. 7. & seqq. cap. 17. 20. & seqq. 1. Reg. c. 16. 2, 4. & seqq. 2. Chron. c. 21. 13. 14. c. 34. 23. 24. 1. Reg. c. 14. 16. 2. Reg. c. 17. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. Psal. 82.* Vide Petrum Greg. *lib. 22. c. 14. de Republ.* Danæ. *lib. 3. polit.* imò tota regna etiam florentissima ob violatum & ruptum hoc pactum, idololatriam & peccata regnicolarum eversa fuerunt, *2. Reg. cap. 25. 9. c. 17. Esa. c. 60. 12.* Gentes & regnum, quæ non servierunt tibi, Jehova, peribunt. *Psal. 73. 27. Psal. 2. 10. 11. Psal. 94. 15. 20. 1. Reg. c. 12. 23. & seqq. Esd. c. 6. 12. Jos. c. 24. 11. 20. Judic. c. 6. 6.* Profana exempla enumerat Pet. Greg. *lib. 8. c. 2. & lib. 13. c. 10. de Repub.* Danæ. *lib. 3. polit. tit. quæ evert. Remp.* Steph. Jun. Brut. *quæst. 1. & 2. de vind. cont. tyran.* Melch. Jun. *lib. 1. polit. quæst. 6.* Exemplum resistentium violantibus pactum religiosum, vide *Jud. cap. 20.* ubi Israëlitæ conventu indicto Benjaminitas citant, & in incontumaces ob maleficiũ commissum, bellum decernunt & suscipiunt, atque victos interficiunt. & *Jos. c. 22.* ubi audientes Israëlitæ de defectione & apostasiâ Rubenitarum, bellum ob eam causam contra fratres suscipiendum esse judicant. Adeò verò impio ejusmodi magistratui est resistendum, ut mandata contraria magistratus non sint curanda, *Actor. cap. 4. 19. 1. Reg. c. 18. Dan. c. 3. 16. 17. 18. Exod. c. 1. 15. 16. 17. 1. Reg. c. 18. 19. & seqq.*

20 Regnum verò & imperium suũ magistratus & populus, ut vasalli à Deo tanquã domino suo, se habere agnoscunt, titulo{que} quo utuntur, hoc ipsum profitentur, se nimirum ex solâ Dei gratiâ & beneficio illud esse, quod sunt.

Nam à Deo seu gratiâ Dei habere & accipere hunc magistratum imperium suum, ex sacra scriptura abundè probari potest, ex *Prov. c. 8. 15. 2. Chron. cap. 9. 8. & c. 20. 7. 8. Roman. c. 13. 1. Sap. cap. 6. 4. 1. Chron. c. 29. 10. & seqq. Dan. c. 2. c. 4. 22. Esa. c. 45. 2. Reg. c. 8. 13. Rom. c. 13. 1. 2. 3. Judic. c. 5. 13. cap. 2. 19. cap. 15. 11. 2. Pet. cap. 2. 19. Num. cap. 27. 16. 17. 1. Sam. cap. 8. 19. 20. cap. 12. 15. cap. 16. 2. 3. Job 10. 34. cap. 12. 18. Joham. cap.*

cap. 19. 11. 1. Reg. c. 10. 9. 2. Sam. cap. 7. 18. 20. 21. Hest. cap. 1. 2. Novell. 28. c. 4. in fin. l. 1. C. de vet. jure enucl. Atque idipsum 21
etiam agnoscunt hodierni Reges & Principes in istis titulis suis, quibus utuntur, Von Gottes gnaden Keiser / König / Hertzog / Fürst ꝛc. Rodolphus Dei gratiâ Imperator &c. Henricus Dei gratiâ, rex Galliæ &c. *l. 1. C. de veteri jure enucleand. Novell. 28. in fin.* Hinc quoque solium regis, dicitur Dei solium, *2. Chrõ. c. 9. 8.* Item populus regni, Dei populus & hæreditas Dei vocantur, *2. Sam. cap. 7. 1. Chrõ. c. 29. 11. 12. 13. & seqq. 1. Sam. c. 10. 1. 2. Reg. c. 20. 5. 1. Reg. c. 8. 5. 2. Reg. cap. 11. 17. Ex. c. 15. 16. Dan. c. 2. c. 5. Psa 33. 4. & 14. 4. Mich. 3. c. 3. Job. c. 12. 18. c. 41. 25.* & servus Dei, *1. Reg. c. 3. 8. 9.* Dei enim est terra, quam creavit & conservat, *1. Chron. c. 29. 11. 12. & seqq. Esa. c. 37. 16.* ibi: Tu Deus ille solus es, in omnib⁹ regnis terræ, *Psal. 115. 16.* Ipsi cæli sunt Jehovæ, terraque quam dedit filiis hominum. *Sap. c. 6. 4. 2. Sam. c. 6. 21. Psal. 24. 1.* Orbis terrarum est Domini, & omnes ipsius habitatores. *Lev. c. 25. 23.* Mea est terra: & vos estis peregrini & inquilini. Vid. Matth. Vogel. *part. 4. memb. 3. in pen. theol.* Magistratus verò hujus 22
hæreditatis dominicæ administrator, dux, pastor, minister, vel antecessor populi dicitur *1. Chron. c. 11. 2. 2. Sam. c. 5. 2. c. 7. 8. c. 6. 21. 2. Reg. c. 20. 5. Dan. c. 2. 36. 37. c. 4. 14. Rom. c. 13. 4. 6. & dixi supra c. 18. 19.* & judiciorum Dei administrator & executor, *2. Sam. c. 7. 18. 1. Sam. c. 15. 17. 2. Sam. c. 9. 1. 2. Psal. 72. & 82. 2. Chron. c. 19. 6. 7. 1. Reg. c. 10. 9.* de quo suo officio Deo rationem reddere cogetur, *1. Sam. c. 12. Deut. c. 17. 18. 19. 20. Sap. c. 6. 4. & seqq.*

Alii putant, hac supradictâ formâ eos uti, quia non recognoscunt superiorem, nisi Deum & ensem. Lancellot. *lib. 1. c. 2. §. 1. n. 7. in templo omn. jud.* Matth. Stephani & alii. Sed malè. Agnoscunt n. etiã in mundo superiorem legem, *Deut. c. 17. 16. 17. & seqq. Josuæ c. 1. 8.* uti diximus *sup. 18. n. 40. & seqq.* & politiam, seu universalem consociationem à qua sunt constituti: *sup. c. 18. c. 19.*

In his, quæ de pacto hoc & fœdere diximus, contradictorem habemus Barclajum *lib. 4. c. 6. de regno & regali potestate*; ubi asserit tale fœdus tempore interregni & in statu democratico apud Judæos fuisse initum, atque sic accipit *Deut. c. 27. Judic. c. 17. c. 18. c. 21.* Quâ in re valde errat. Nam in monarchia quoque ejusmodi fœdus inter principem & 23

populum interceſſiſſe, convincunt apertiſſimi textus, *1. Chron.c.11.3.5. & 2.Sam.c.5.3. 1.Sam.cap.10.17. & ſequent. 2.Chron.c.23.3.2.Reg.c.11.17.c.14.21.2.Reg.c.11.17.* & reliqua quæ ſuprà attulimus teſtimonia. Sed & ratio, ſeu cauſa atq; natura federis hujus evincunt, in quovis Reipub. ſtatu id eſſe neceſſarium & utile. Subjungit præterea Barclajus *c.8. d.lib. 4.* de federe cum Deo à rege & populo inito: hoc quemlibet per ſe præſtare putat, atque populum id facere, quando ſe à religione abduci non patitur. Fedus hoc nullum perſe, neque populo in regem, neque regi in populum jus & imperium tribuere ait, ſed tantùm ſoli Deo utrosque debitores conſtituere. Barclajus hîc aliquid dicit, & aliquid omittit. De federe populi & regis cum Deo inito, extant plurima teſtimonia, *2.Reg. c.11.17. c.23.1.2.3.4. 2.Sam.c.5. 20. 2.Chron.c.15.12.13.14.15.c.23.16.* Formula federis hujus cum ſubſcriptione contrahentium extat Nehem.*cap.10. per tot.* Quin tale fedus, ſeu pactum, obligationem & jus Deo atque inter correos promittentes, nimirum populum & regem conſtituat, dubium non eſt. Res, ſive negotium, quod in obligationem deducitur, eſt non ſolùm exercitium publicum cultus Dei ſinceri, & religionis orthodoxæ, ut vult Barclajus, ſed etiam tabula ſecunda, juſtitiæ adminiſtratio recta & ſincera, hoc eſt, utraque Decalogi tabula, uti conſtat ex *Deut.c.17.16.17. & ſeqq. Joſu.c.1.8. 1.Sam.c.12. 15. & ſeqq. Exod.c.19.c.20.* & latius *ſup. & in c.28.cap.29. &*
24 *30.* Concedo Barclajo, in duobus reis promittendi obſervari, ut uno ſolvente, quod promiſit, alter liberetur. Ergo, quando rex, vel populus ob delicta ſua atque federis inii transgreſſionem, pœnâ à Deo eſt affectus, alter liberabitur.

Verùm hæc regula, uno correo ſolvente, alterum liberari, exceptionem patitur in caſu, quo non in ſolidum & in totum correus ſolvit, ſed pro parte. uti hîc unus ex correis pœnas perſolvens Deo, non in ſolidum ſolvere poteſt. Deinde hæc regula non procedit in delictis. In his enim uterque correus delinquens, & criminis ſocii puniuntur in ſolidam, neque unus pœnas luendo, alterum liberare poteſt, *1.Sam.cap.12.27.* Quòd ſi malè feceritis, tum vos, tum rex veſter conſumemini. Et docent id latè JCti. Denique prædicta regula non procedit in caſu, quando uterque correus ſe in ſolidum obligavit ad idem factum, uti in hoc federe accidit, *2.Chron. cap.15.13.* Adde textum in *2.Chron.cap.15. 13.* ibi, Morte afficiendus, ſive parvus, ſive magnus &c. reſpondeo, illum de pœna ſubditorum & regis loqui, uti *1.Sam.cap.12.7.* expreſsè de rege & de ſubditis loquitur, & plures alii ſimiles textus. In cap.9. Barclajo concedo, regem ad petitionem Eliæ conventum indixiſſe, & congregaſſe populum. *Reg.cap.18.19.20.* Sed tamen populus in illo conventu, invito rege, falſos prophetas ad mortem condemnavit & comburendos tradidit, *dict. cap.18.39.40. & c.19.12.*

Perſequamur nunc duo, quæ diximus, officia eccleſiaſticæ adminiſtrationis.

Prius eccleſiaſticæ adminiſtrationis officium, quod eſt de doctrina & exercitio religionis orthodoxæ in regnum introducendis, conſiſtit in inſtitutione ſacri miniſterii, & ſcholarum. 25

Sacrum miniſterium eſt publicum munus docendi veram agnitionem Dei, & exercendi cultum illius ſincerum, miniſtris electis demandatum, *2.Chron. c.17.7.8.9. c.19.9.c.29.4.* vocatur ab Apoſtolo *2.Chron.c.5.v.18.19.20.* miniſterium reconciliationis, ſermo reconciliationis, legatio Chriſti, & *Act.c.6.4.* adminiſtratio ſermonis. 26

1 In conſtituendo hoc miniſterio ſummi magiſtratus officium eſt, primum, ut edicta publica pœnalia, de agnoſcendo & colendo vero Deo, juxta ſacram ſcripturam proponat, & in toto regno & ſingulis illius provinciis, quocunque ipſi viſum fuerit tempore, promulget, pœnâ 27

sancitâ in violatores edictorum, exemplo piorum regum, *Daniel.cap.3.29.& seqq. cap.4. cap.6. Vide sup. cap.9.*

28 2 Deinde ad magistratum pertinet, ut orthodoxæ fidei canones, seu veræ religionis solemnem formulam, quam confessionem vocant, de doctrina & œconomia ecclesiastica, hoc est, de ritibus & officiis ecclesiasticis, ordine & decorè peragendis, juxta normam sacrarum scripturarum, legitimè sanciat.

Sic Moses Dei religionem & cultum in politia sua constituit & Aaroni præscripsit. Sic Josua curavit circumcidi populum, *Josu.c.5.* legem promulgavit, *Josuæ c.8.* fedus renovat, *cap.24.* David Levitis ordines & officia præscripsit, *1.Chron.c.23.c.24.c.25.c.29.& cap.9.22.c.15.16.* & Salomo *2.Chron.c.8.c.31.* Josaphat idola abolevit, *2.Chron.cap.23.* Joas sacerdotes negligenter curantes templi fabricam, officii admonet & mulctat, *2.Reg.c.12. 2.Chron.c.24.* Hiskias repurgat templum & cultum instaurat, *2.Reg.c.18. 2.Chron. c.29. 25.* & Josias, *2.Reg.c.34. 2.Chron.cap.34.c.35. v.2.* Sic Constantinus Magnus, Theodosius, & pii alii reges fecerunt, ut Ecclesiastici historici scribunt: Vide *2.Chron.c.34. v.29.& c.15.v.13.Dan.c.3.v.29.c.6.v.25.26.c.4.Hesr.cap.7. v.11.& seqq. Nehem.c.6.v.1.2.3.c.7.5.Josu.c.23.v.6. 2.Reg.c. 11.v.17. 2.Sam.c.6.v.4.c.17.v.2.18.* Exempla constitutionũ ecclesiasticarũ videre licet *Novel.123.c.31.Novel.127.Novel. 137.Novel.17:l.cunctos. l.sancimus. C. de sum. trinit. & fid. cath.l.4.l.6.l.7.C.d.t.* De rebº & psonis ecclesiasticis latas ab Impp.leges videre licet *in tit.C. de sacrosanct.eccles.tit. C.de episcop.& cler.tit.C.de episcopali audient.& Novel.5.6.7.16.46. 56.58.59.67.83.Nov.123.& 146. etiã in jure canonico.c.principes seculi.c.administrat. caus.13.q.5. c.ecclesia. c.victor.96. dist.c.principali.63.dist.C.de illicita: caus.24.q.3. c.omnibus. caus.2.q.1.* Plura exẽpla & textus adducit Molinæus *in libro de monarch.Franciæ n.169.& seqq.* Pii reges etiã in publico cultus divini exercitio solemni aliis præire soliti sunt, *Esræ c.1.v.1.2.& seqq.c.7. 1.Chron.c.16.v.7.& seqq. 2.Chron.c.6. 3.& seqq.c.19.v.6.& seqq.c.29.v.20.& seqq.c.30.& seqq.* & latiùs

latiùs ex citatis locis apparet, & dixi supra c. 9. allatis exemplis. Ex his quidam pios & doctos viros per omnes regni civitates miserunt, qui populum ubique de vera Dei religione, agnitione & cultu ejusdem ex verbo Dei docuerunt & instituerunt, *1.Chron.c.17. 2.Reg.c.23.tot.libr.Hesræ & Nehemiæ.*

29 3 Tertiò officio magistratus incumbit, judicia ecclesiastica ordinaria, presbyteria, synedria & consistoria ecclesiasticorum constituere, & per ea de episcopis & pastoribus vocandis, examinandis, ordinandis, in officio dirigendis, judicandis, vel removendis, leges dare.

Quod probatur exemplo Salomonis, *1.Reg.c.2.v.27.* Josaphati, *2.Chron.cap.19.v.11. 2.Chron.cap.8.27. Exod.c.28.1. Levit. c.8. Num.c.20.28.c.25.13.* Constantini Magni, Euseb. *lib.10.c.5.* Theodosii, *l.3. C. de summ.trinit. & fid.cathol.* & aliorum Imperator. *l.9.l.31.l.40.l.47.l.48. C.de episc.& cleric. Novel.123.c.13.c.1.c.10.Novel.l.6.c.1.c.4.c.16.Novel.173. c.24.Novel.123.c.1.c.10.Novel.131.c.4.*

30 4 Quartò magistratus hujus partes sunt, curare ut Ephori regni & præsides provinciales singuli in provinciis suis specialem curam de ministerio hoc suscipiant, nimirum ita, ut in singulis parœciis suæ provinciæ, ex consensu & electione cujusque ecclesiæ, presbyterium, hoc est, senatum ex ministris ecclesiæ & alis piis, sanctis, integris & prudentibus è plebe electis, ad gubernacula ecclesiæ, ad ejus conservationem & ædificationem in Christo constituat, & autoritate sua confirmet; de quo presbyterio *supra c.8.de provinciæ administr.n.5.6.7.8.& seqq.*

31 5 Quintò ejusdem magistratus officium est, curare, ut ministri ecclesiæ cujusque, legitimè, internè & externè vocentur, eligantur & confirmentur, *Exod.c.28.1.2.41. vide sup.c.8.num.18.19.20.21.& seqq.* &

ita vocati, doctrinam Legis & Euangelii sincerè ex verbo Dei, verè, plenè, ordinatè, populariter, idque publicè & privatim, *Act. c. 20. 20.* in ecclesia proponant, doceant, & explicent, *2. Chron. c. 17. 7. 8. 9. 10. c. 19. 9.* arg. *1. Chron. c. 16. 4. 5. c. 23. c. 24. & seqq. Esræ c. 7. 6. 10. 11. 12. 25. Nehem. c. 8. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 14. c. 9.* Deinde sacramenta, sigilla fidei, rectè administrent & dispensent. Tertiò, præsint precibus & presbyterio bonis consiliis & admonitionibus, ejusque actiones dirigant in proponendo, in sententiis colligendis, & præcipuis peragendis: Quartò, cum sibi adjunctis presbyteris disciplinam ecclesiasticam rectè exerceant, & reliqua, quæ collegio presbyterorum injuncta sunt, peragant; de quibus singulis vide *1. Tim. c. 5. 27. Act. c. 6. 4. c. 20. 20. Matth. c. 28. 19. & c. 18. 18.* & latiùs *supra c. 8. de provinciis* diximus.

32 Ex hisce apparet, summum magistratum circa doctrinam fidei, habere judicium cognitionis, discretionis, derectionis, definitionis ac promulgationis, idque eundem exercere secundùm scripturas sacras, & juxta eas Episcopis imperare. Sic Constantinus de Arriana controversia judicium sibi sumpsit, Euseb. *lib. 3. c. 10. & seq.* Unde & hoc constat, quòd ecclesiastici regum potestati subjecti sint, exceptis illis, quæ sunt ministerii propria, in concionibus verbi & administratione sacramentorum, in quibus Deo & ecclesiæ subjiciuntur; quatenus verò sunt cives, ipsi cum familiis & rebus potestati civili sunt subjecti, *Rom. c. 13.* ibi, Omnis anima. arg. *Matth. c. 17. 27. Act. c. 26. Novel. 83. in præfat. Novel. 86. c. 1. Novel. 123. c. 20. c. 21.* Vide defensorē pacis Marsilii *part. 2. c. 4.* atq; tempore Justiniani Imp. sub potestate ejusdem ecclesiam fuisse, testatur *Novel. 3. 5. 6. 19. 37. 39. 67. 83. 117. 133. & 146.* quod probat Musculus & Pareus theologi.

33 Scholarum institutio est, quâ publicæ scholæ & officinæ pietatis & bonarum artium in omnibus provinciis jussu & autoritate summi magistratus regni aperiuntur & eriguntur.

Schola

Schola enim est bonorum & piorum civium officina & seminarium artium morumq; honestorum, imò ecclesiæ & Reipub. armamentarium, ex quo omnis generis arma depromuntur, non tantùm ad propugnandum verum & sincerum Dei cultum adversus hæreticos, sed etiam ad defendendā & conservandam Reip. salutem & incolumitatem: imò schola est unicum remedium, quo purus & putus Dei cultus & cognitio conservatur & ad posteros transmittitur. Studia enim oculos mentis aperiunt, & judicium acuunt atque informant.

Scholæ ejusmodi, optimis & doctissimis cujusvis artis & facultatis, quam pollicentur, professoribus, eodem summo magistratu procurante, instruendæ sunt, qui excellentes sint in vitæ sanctitate & eruditione, fide, diligentia, & patientia, atque docendi dexteritate. Deinde curandum est, ut sint celebres & frequentes, privilegiis honestis munitæ & fundatæ reditibus annuis. 34

Tertiò ut constituantur in loco, in quo aëris & victus salubritas, fructuum copia, commerciorum facilitas, incolarum humanitas & commoditas reperiuntur. Quartò in talibus scholis habeatur ratio docentium & discentium. Docentium, ut illi rectè eligantur, vocentur & officium suum faciant in recta doctrinę communicatione & idonea disciplinę gubernatione. Discentium, ut illi rectè percipiant & promptè obediant, ubi etiam privilegia corundē & stipendia, φιλομάθεια & ἄσκησις, de quibus latiùs scholarū Rectores & gubernatores tradunt.

Vid. Pet. Greg. *lib. 18. & lib. 12. de Rep.* Danæ. *lib. 4. c. 3. polit.* Zepper. *lib. 1. de polit eccles.* Casm. *c. 25. & seqq. vitæ politicæ:* & Quintilianū. Schola enim est omnis felicitatis causa & fons, atque totam regionem ditare solet, non secus atque aurifodina vel argentifodina lucupletissima. Contrà illius privatio in Repub. omnis mali & exitii causa. *Deut. cap. 4. 10. cap. 6. 18. cap. 28. per tot. Prov. cap. 29. 18.* Cùm non est

visio, (hoc est doctrinæ prædicatio ex lege & prophetis) nudatur populus. *Esa.c.24.5.6.& seqq. & Psal.74.7. Ezech. c.7.26. Esa.c.30.20.& seq. Deut.c.6.6.* Et erunt præcepta ista quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, eaq; acutè ingeres filiis tuis, ac loqueris de eis quū sedes domi tuæ, cùm ambulas per viam, cùm cubas, cùm surgis, *& seqq. & c.4.10.* Ut discant timere me, quibuscunque diebus victuri sunt super terra, & doceant filios suos, *&c. cap.11.19.* Docebitis ea filios vestros, loquendo de eis cùm sedes domi tuæ, cùm incedis per viam, & cùm jaces, & cùm surgis. *Malach. cap.2.* Sacerdotis labia custodient scientiam, & legem requirent ex ore ipsius, quia angelus Domini est, *Deut.cap.17. 8.9.* De ejusmodi scholis latiùs videre licet *1.Sam.c.19.20. & seqq. 1.Reg c.18.13. 2.Reg.c.2.5.7.15.16.17.c.4.1.2. & seqq.* Testimonia ex novo testamento de scholis vide *Matth.c.4. 23.c.6.2.5.c.23.6. Act.c.13.23.14. & seqq. cap.15.21.* Moses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, quæ eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbathum legitur. *Act.c.22.* ubi Paulus dicit, se institutum in schola Gamalielis. *c.17.2.17.c.17.c.9.19.8.c.6.9.2. 2.Chron.17.6.* Elato itaque animo suo ad vias Jehovæ, ampliùs adhuc amovit excelsa & lucos ex Jehuda. *7.* Et anno tertio, ex quo regnare cœpit, misit cum præfectis suis, cum Benchayle, & cum Hobadja, & cum Zacaria, & cum Nethanaële, & cum Micaja, ad docendum p civitates Judæ. *8.* Cum illis, inquā, homines Levitas *&c.9.* Qui docuerunt in Jehudā, habentes secū librū legis Jehovæ, & obiverunt omnes civitates Jehudæ, docentes populū. Nebucadnezar rex juventutis doctores & informatores aluit, *Daniel.c.1.4.19.20.21,* Et propheta, exulceratissimum Reipstatū descripturus, dicit, non fuisse sacerdotem, non doctorem, neq; legem, neq; principem in populo. *2.Chron.cap.15.* Vide *Lamenta, Jeremiæ.*

35 Constituendæ verò & aperiendæ sunt, tum scholæ privatæ, vulgares, paganæ, oppidanæ, triviales, tum cultiores, publicæ Academiæ, in quibus brabeiā doctis & ad ecclesiæ vel Reipub. gubernationem idoneis, decernantur & conferantur.

Primi generis scholas ephorus quilibet in sibi demandata provincia; posterioris verò generis,

Academias nimirum, summus magistratus instituit, vel suâ autoritate confirmat.

Renat. Choppin. *de domanio regis lib.3.tit.27.per allegat. ibid.* Matth.Stephan. *lib.3.part.2.c.2.* Unde Academia dicitur auditorium publicum seu imperiale, *l.unic. C. de studi. lib. urb. Rom.lib.10.* de quib. vide Zepper. *lib.1. de pol.eccles.&* Jacob Middendorp. *de Academiis.* Chassan. *in lib. de gloria mundi.* & Pacian. *lib.2.c.46. de probation.* Pet.Greg. *lib.18.de Repub.*

Inprimis autem curabit magistratus, ut liberi sui 36
in scholis ejusmodi, in vera orthodoxa religione diligenter informentur.

Ita David filio Salomoni successori suo prophetam Nathan præceptorem & informatorem constituit. Nam vera religio tandiu in regno permanet, quandiu magistratus ita informatus vivit & Deo servit. *Jos.c.24.31. Judic.c.2.7.8. Adde 2.Reg.c.22.3. 2.Chron.c.24.18.* Scholæ insuper clavem scientiæ custodiunt, & Dei agnitionem veram & cultum sincerum conservant, & ad posteros transmittunt. Vide *Jos.c.24. 15.& seqq. Nehem.c.13.10. & seqq.*

Alterum officium summi magistratus in admi- 37
nistratione ecclesiastica, consistit in conservatione & defensione ecclesiæ, exercitii & usus publici cultus divini & scholarum.

Nam hanc quoque curam & inspectionem magistratus summi esse, patet ex pluribus scripturæ locis, *2.Chron.c.8. 27.* Neque recesserunt à præcepto regis imposito sacerdotibus & Levitis in omni officio. *Num.c.27.v.16. Psal.78.v.70. 71.72. Judic.c.2.16. Esa.c.44.v.28. & c.49.v.29. Psal.24. v.7.* idque exemplo Mosis, *Exod.c.12.v.32.* Josuæ, *Josu.c.5. vers.2.c.6.v.6.c.8. v.30.35.c.22.* Davidis, *2.Sam.c.6. v.10. 1.Chron.cap.23.24.25.26.* Salomonis, *1.Reg.c.5.6.7.8.* Asæ, *2.Chron.c.15.8.* Josaphati, *2.Chron.cap.17.6.c.19.v.8.* Joas, *2.Chron.c.29.v.31.* Josiæ, *2.Chron.c.34.35.* Zepperus *de polit. ecclesiast.* Pet.Greg. *lib.8.c.2. de Rep.* Socrat. *hist.eccles.lib.5. cap.10.* David Deum precatur, ut exercitium cultus divini semper retineat, & in domo Dei maneat, *Psal.61.5. Psal.65.5. Psal.48.& 122.& Ps.132.& 42.1.2.3.4.5.* ubi Piscator.

Cura igitur hæc complectitur duas partes, quarum una est de conservatione ecclesiæ & cultus divini atq; scholarum: altera verò de defensione earundem contra illius hostes, persecutores & turbatores.

Deut.c.13.v.12. & seqq. 1.Reg.cap.18.v.40. Nehem.cap.4. v.16.17. Psalm.104. & 118. & 119. Esa.cap.49.v.23. ubi magistratus dicuntur ecclesiæ Dei nutrices. *Vide sup.c.9.n.36. & seqq.*

38 Conservatio veræ religionis & cultus divini est, quâ doctrinæ cælestis puritas atque orthodoxus consensus conservatur & ad posteros transmittitur. quod duobus mediis & modis à magistratu procuratur.

39 Primò conventibus & visitationibus ecclesiasticis indicendis & habendis à fidelibus & piis regni ecclesiæ ministris, in qualibet illius provincia, & si opus est in toto regno, quibus gubernatores & pastores ecclesiæ in officio continentur, & religionis controversiæ & vitia quævis œconomiæ ecclesiasticæ cognoscuntur, corriguntur & tolluntur. Deinde præmii competentis contributione piis Dei cultoribus.

40 Curabit igitur & mandabit magistratus, ut conventus generales publicos habeant personæ ecclesiasticæ, in quibus de doctrina & vita subditorum regni inquisitio & examen instituatur, quo illæ sint sanæ, integræ, & ad verbum Dei conformatæ.

41 Conventus hosce convocare & regere, est summi magistratus.

Sic Deus mandat Mosi convocare populum, *Num.c.10. 11.* & Josua convocavit, *Jos.c.24.1.* & David, *1.Reg.c.23.* Salomo, *2.Chron.c.15.* Josaphat, *2.Chron.c.20.* & alii. *2.Chron.c.29.*

Sic David convocavit sacerdotes ad reducendam aream, *1.Chron.c.13.12.* & ad ordinandos sacerdotes, *1.Chron.c.23.1.* Salomo in dedicatione templi, *1.Reg.c.8.* Ezechias, *2.Chron. c.29.4.* Josias, *2.Reg.c.23.1.2.* Sic Concilium Nicenum est indictum à Constantino; & Constantinopolitanum à Theodosio seniore: Ephesinum à Theodosio juniore: à Constantino, Constantinopolitanũ v 1: à Marciano, Chalcedonense. Carolus Magnus in Gallia quinq; Cõcilia provincialia convocasse legitur. Justinianus Imp. jubet unumquemq; archiepiscopum singulis annis synodos celebrare, & episcopos ad se convocare: *Novel.123.c.10. Novel.131.c.1.c.2. Novel.137. c.7.* Vide Pareum *ad Rom.c.13.* in dubiis, ubi Pontificios dissentientes refutat.

Conventus speciales sunt presbyteria cujusque parœciæ, conventus classici, synodi particulares provinciales 42

De quibus singulis latè Zepper. *in lib. de polit. ecclesiastica.* & Franciscus Junius *in lib. de commun. sanctor.*

In conventibus hisce, ecclesiastici dispicere debẽt, & ex verbo Dei examinare, an doctrina sit sana, & vita huic respondeat; an cultus divinus sit sincerus, an sacramenta rectè administrentur, & disciplina ecclesiastica vigeat, scholæ sint bene constitutæ, & denique bona ecclesiastica rectè administrentur, an falsi doctores & seductores se ingerant, falsaq; dogmata spargant, an diaconia pauperum rectè administretur, & quilibet in domo Dei suum faciat officium. 43

Curabunt etiam, ut utiles libri de religione orthodoxa in regno imprimantur, edantur, vel vendantur & publicentur, nec non ut ecclesiæ, vel Reip. utiles, insignes & eximii viri in regnum vel provinciam pertrahantur & alliciantur.

Decreta horum conventuum à summo magistratu executioni sunt mandanda, in toto regno & singulis illius provinciis.

44 Conventibus hisce respondent visitationes ecclesiarum, quarum quædam visitatio est domestica specialis, quæ fit per ministrum ecclesiæ illius loci, adjuncto seniore ejusdem presbyterii: quædam etiam generalis visitatio, quæ fit per inspectorem ecclesiæ, adjuncto illius loci officiario politico, in conventibus ecclesiasticis: fit deniq; visitatio quædam in synodo provinciali, per deputatos aliquot inspectores & consiliarios quosdam politicos magistratus.

45 In his visitationibus itidem fit examinatio, inquisitio, scisitatio & exploratio de doctrina & vita.

De doctrina, secundùm fidei articulos & catechismum: De vita, secundùm decalogi præcepta instituta.

Fit quoq; in hisce inquisitio de statu ecclesiarũ, scholarum, & de dispensatione bonorum ecclesiasticorum, de vita & doctrina ministrorum ecclesiæ cujusque, & denique de sustentatione ministri ecclesiæ cujusque & juventutis informatore, ne hi egeant, vel ob rei familiaris penuriam cogantur tale vitæ genus exercere, quo vocatio ipsorum ecclesiastica interturbetur, impediatur, vel vilipendatur, ne post mortem ipsorum uxores, liberi & familia ad stipem prorsus adigantur & in ignomina vivant.

Exempla piarum visitationum licet videre *1.Sam.c.7.3. 2.Reg.cap.2.4.6. 1.Reg.c.15.11. 2.Chron.c.31.4.11.c.34.3.8. & c.19.4.5.6. Act.c.14.21.c.15.36.41.c.18.23.* & plura alia refert Zepper. *de polit.ecclesiast.lib.3.c.11.*

46 Curabit quoq; magistratus, ut non solùm ministri ipsius ecclesiastici rectè officio suo fungantur, sed & ut in hoc illos politici ministri juvent, si necesse fuerit. Ideoque mandabit, ut ecclesiastici & politici sibi mutuas operas tradant, consilia & auxilia communicent & conjungant, uti fecit Moses & Aaron.

Ex.c.12.1. Levit.c.9.1.c.11.1.c.13.1.c.15.1. Num.c.2.1.c.4.1. c.19.1.c.20.23.c.26.1. 2.Chron.c.17.7.8.9. & David ecclesiasticos adhibuit; *2.Sam.c.7.2. 2.Chron.c.29.25.* & Joas, *2.Reg. c.12.1.2.10.* & Josias, *2.Chron.c.34.15.20.* Exẽpla auxilii à magistratu in negotiis ecclesiasticis præstiti, vide *Jos.c.5.2.c.6.6. c.8.30.35. 2.Sam.c.6.10.1.Chron.c.23. & seqq. 1.Reg.c.5.6.7.8. 2.Chron.c.15.8.c.17.c.24.c.34.35. Ex.c.5.1. Num.c.1.17.c.14. 15.c.27.2.cap.32.2.* Exemplum Davidis vide *2.Sam.cap.7.2. 2.Chron.c.29.25.* Salomonis, *2.Chron.cap.29.15. 1.Reg.c.8.1.* Joas, *2.Chron.c.34.15.20.* Zerubabel, *Esd.cap.3.2.* Hiskiæ, *2.Chron.c.29.* Non igitur permittet magistratus, ut politici ecclesiasticos in suo officio impediant vel turbent. Neq; etiam murmerent Aaron & Mirjam contra Mosen: Neq; Jeroboam extendat manum contra virum Dei; Salomo etiam sacerdotem seditiosum ab officio deponat: Et Nathan Davidi dicat, Tu es vir ille: Et Azaria Uziæ dicat, Non licet tibi suffitum facere. Zepper. *d.lib.3.c.13.de polit.eccles.*

In testamento suo magistratus religionis puræ & 47
orthodoxæ rationem habebit, ejusque curam, propagationem & conservationem suo successori & populo regni demandabit, & docebit, quibus remediis, malis & quibus sit medendum.

Argum. David. *1.Chron.cap.22.17.18. & seqq. & c.28.8. & seqq.c.29.19. 1.Reg.c.2.2. & seqq.* Adde Theodoret. *lib.5.c.25.* Nicephor. *lib.13.c.1.*

Denique magistratus promulgabit & sanciet leges de prædicandâ sanâ doctrinâ, de Sacramentis rectè administrandis, de adiaphoris ad ἐυχημοσύνην & τάξιν, verbo Dei conformem componendis, de catechisationibus, scholis, synodis indicendis & cogendis, ecclesiæ ministris inutilibus & malis deponendis & exautorandis. Argum. *Exod. cap.32.21. 1.Reg.cap.2.v.27.cap.1.v.7. 2.Chron.c.8.26.27.* 48

& puniendis, *2.Reg.cap.12.v.7. 2.Reg.c.13.7.* de disciplinâ ecclesiasticâ, de vocationibus pastorum, diaconi â pauperum, de bonis ecclesiasticis dispensandis & administrandis, nuptiis, sepulturis, & si quæ alia sunt necessaria ad ecclesiasticam administrationem, quæ omnia suis constitutionibus sancit, certamque omnium & singulorum rationem, ordinem & modum verbo Dei respondentem, præscribit. Sed hac in re omnino cavendum magistratui politico, ut manus suas hisce negotiis non applicet, sed illa ecclesiasticis personis committat & demandet, *2.Sam.cap.6.6. 1.Reg.cap.13.4.* ipse curet, ut externæ hominum actiones sint conformes legibus; & ad harum obsequium omnes etiam ecclesiastici conformentur. Zepper. *lib.3. cap.13. de politia ecclesiastica.*

49 Præmii competentis contributio ad religionis amorem & studium populo ingenerandum, multum facit, nimirum, quando pii Dei cultores in precio, honore & existimatione habentur, ad publica officia, munera, ad quæ idonei & pares esse possunt, promoventur, ita ut pietas tum alterius vitæ, tum hujus benedictionem & fructus habeat & percipiat, juxta Apostoli dictum. Deinde quando magistratus ministros Dei reveretur, privilegiis & muneribus ornat, eorum consiliis utitur, & iis occasionem præbet, quâ possint dona sua & talentum aliis fructuosum reddere, ut re ipsâ experiantur, in verbo laborantes duplici honore dignos judicari à magistratu, secundùm Apostoli dictum *1.Tim.c.5.*

Psal.15.4. In cujus oculis contemptus est reprobus, timentes verò Jehovæ honorat. Ob quem honorem etiam Patres in scriptura vocantur, & aliis honorificis appellationibus & elogiis ornantur, & ab Impp. privilegiis magnis & immunitatibus sunt donati, ut dictum supra *cap.15. de concessione privilegiorum.*

Sequitur de defensione & protectione orthodoxæ religionis & cultus divini, quæ in duob. capitibus consistit: nimirum primò in purgatione ecclesiæ: & deinde in impedimentis quibuscunque removendis & tollendis.

Quin emendatio purgatioq; ecclesiæ ab omni 50
errore, hæresi, idololatriâ, schismate & corruptelâ, ad magistratum pertineat, non est dubium.

Idq; exemplo piorum aliorum regum, *2.Chron.c.17.* ubi Josaphat legitur idem fecisse, & alii. *2.Chrō.c.22.per tot.c.31. c.34. 2.Reg.c.22.* nec non Hiskias, de quo *2.Reg.c.18.* Josias, de quo *2.Reg.cap.23.* Moses, de quo *Exod.c.32.* Asa, de quo *in Chron.* & Israëlitæ, de quibus *Josu. c.22.* Vide Socrat. *histor.eccles.lib.5.c.10.*

Hoc ut faciat magistratus, primò proponet edicta publica de exterminandâ & abolendâ omni doctrinâ impiâ, verbo Dei non consentaneâ, ejusque usu & exercitio sub pœna gravissima omnibus & singulis regni membris interdicet: Deinde instituet diligentissimam observationem & inquisitionem impostorum, seductorum, deceptorum & pseudodoctorum, *2.Timoth.c.3.13.* & luporum, *Matth.cap.7.15. Actor.cap.20.29. Tit.c.1.13. 2.Cor.12.13. Phil.c.3.2.* & quæstum facientium ex pietate, *2.Pet. c.2.* quos omnes & singulos in lucem protractos, manifestos reddi curabit, & pro merito puniet, *2.Reg.c.2.*

Collapsum vel depravatum Dei cultum restitu- 51
et, atq; reformationem ecclesiarum ex verbo Dei ad illius normam suscipiet, omnia ad perfectiorem statum reducendo, exemplo piorum regum, *2.Reg. cap.18.4. cap.23.15. 2.Chron.c.24.6.c.34.6. Deut.c.12.7.*

32.c.18. Josu.c.23.6. 1.Sam.c.2.3.c.7.16.c.8. 2.Chron.c.14. 4.cap.17.9.c.19.8.c.29.c.30.c.35. in qua reformatione, etiam exiguæ reliquiæ & radices idololatriæ relictæ, exstirpandæ omnino sunt, *1.Reg.cap.22.44.c.23. 8.9. 2.Reg.cap.3.2.cap.14.4.c 15.4. 2.Chron.c.30.13.c.31. 1.c.34.3.4.* & errorum initia tollenda, *Jud.c.cap.2.10. Nehem.cap.13.10.* Molinæ. *de monarchia Franciæ*, latè exemplis probat. Non enim est verus Dei cultus ibi constitutus, ubi idolis suus cultus relinquitur, *2.Reg. c.17.41.c.18.4. 2.Chron.c.27.c.33.17.c.34.3.* sed dicitur zelus Jehu, *2.Reg.c.10.16. Oseæ c.1.4.* Ideoq; unam religionem, eamque veram in regno suo stabilire & permittere administrator illius debet.

2.Chron.c.34.c.17. Josu.c.22. Josu.c.24.11.20. Judic.c.6.25. 2.Reg.c.11.17.18. Nehem.c.13.10. Vide Pet. Greg. *lib. 8. c.2.n. 19.21. de Republ. per 1.Regum.c.18.21. Apocalyps.c.2.14.c.3. 15. Num.cap.24.c.25.* Francis.Burghar. *de autonomia*: & dixi *sup.c.9.* Adde Johan.Gerard. *polit.quæst.cent.ult.*

52 Atheos omnes, impios & profanos homines, insanabiles & refractarios ejiciet, *Psal.101.per tot.Exod. c.22.20.* Quin etiam magistratus, impios & profanos, de quibus spes emendationis est, ad sanum & purum cultum divinum seu ad media illa externa, quibus Deus vult hominem ad veram religionem deducere, adigere possit, dubium non est, *1.Tim.c.2. 2.* Vide exemplum Josiæ & Josaphati & Ezechiæ, *sup.c.9.* sed in regno atheismum, epicurismum, libertinismum, hoc est, manifestam impietatem & profanitatem nullo modo permittet.

53 Puto etiam, pium magistratum bonâ conscientiâ posse permittere, ut Judæi in suis ditionibus & territorio habitent, & cum fidelibus conversentur & negotientur, idque exemplo juris civilis, *tit.C.de Jud. & cælico. & tit. ext. de Jud. & Saracenis.* Petrus Martyr *Judic.c.1.36.* Hieron. Zanch. *in explicat.præcepti 4. loc.5.* Georg.Sohnius *in Psal.59.* Danæ. *lib.4. c.2.polit.* Socrat. *Eccles.histor.lib.3.c.25. & lib.5.c.2.* sed synagogas suas Judæis permittere, non puto magistratibus concessum.

Arg. *1.Joh.c.4. & c.2. & Joh.c.8. Rom.c.11.25.26. Sophon. c.3.8.* quamvis prædicti Theologi, Martyr. & Zanchius, illas concedi posse, existiment, modò in illis contenti sint lectione Bibliorum, precibus, nec in iis Christum vel ecclesiam illius blasphement, *l.Judæos. C.de Jud.& calicol.* Siquidem Christus & apostoli horum synagogas ingressi leguntur, & cum aliis contulisse. Adde *l.1. C. de Jud. Novell.146. Recess.Imperii de anno 1530. & 1538. & 1551.* Johan.Gerard. *polit.quæst.cent. ult.*

In conversatione Judæorum civili cum regnicolis, sequentes cautiones plerique prudentes & pii putant esse observandas: 1. Ne fideles cum Judæis connubia contrahant, *2.Cor.cap.6.14. Deut.c.7.2.3.4.* 2. Ne in religione, illorumq; ritibus communicent, aut etiam nimis arctam colant amicitiam, vel familiariter cum iis versentur, sed separatim Judæi habitent, ut fit Francofurti; & signa seu notas gestent, quibus ab omnibus facilè dignoscantur. 54

Curabit igitur magistratus, ne fideles ab infidelibus ad cultus impios adigantur, vel ceremoniæ aut ritus impii in territorio regni exerceantur. Qua in re graviter peccavit Salomo cum suis uxoribus infidelibus.

Deinde operam dabit superior, ut assiduè & diligenter in diœcesi sua viventes infideles erudiantur in verbo Dei, *2.Chron.c.19.4.c.20.32.33.* Tertiò prohibebit, ne usuras rodentes & iniquissimas tales Judæi exerceant, & blasphemias in Christum evomant.

Vide Mattyr. *d. loc.* & Aug. *de civit. Dei lib. 4. cap. 18. super Psal. 58. l. 6. l. 7. & passim in tit. C. de Judæis. & tit. de Jud. & Saracenis. extra.*

55 Quatenus privato liceat conversari cum infidelibus, atheis, impiis, vel diversæ religionis hominib. & cum iis habitare, distinguunt theologi inter eruditos, constantes, indoctos, infirmos, & scopum, quo ductus quis, cum talibus habet commercium. Vide Pet. Mart. *Jud. c. 1. 36.* & diximus in Ethica.

56 Idem dicendum est de Papistis in territorio magistratus natis, vel domicilium habentibus, quibus magistratus bonâ conscientiâ permittere potest, ut habitent inter regni fines, modò pii cum superstitionibus illorum non communicent, aut cum aliis familiariter illi conversentur, aut matrimonia contrahant: *2. Cor. c. 6. 14.* Templa verò ad suos cultus idololatricos exercendos, magistratus ipsis permittere nequaquam debet, arg. *Deut. c. 13.*

De hæreticis in bene constituto imperio tolerandis, distinguendum est. Sunt enim quædam hæreses, quę fundamentum fidei convellunt, uti Arianismus & similes. Aliæ verò, etsi in quibusdam fidei articulis errent, tamen fundamentum non evertunt, ut Novatianorum & similium hæreses.

57 In prioris generis hæreticos & sectariorum coryphæos severiter magistratus animadvertere debet, exilio, carcere, vel gladio, ut nullam cum fidelibus possint habere consuetudinem vel consortium, aut scabiem suam aliis affricare, eosque inficere, vel perdere & seducere, *l. 5. l. 11. & seqq. C. de hæret. & Manich. Exod. cap. 32. 27. Deut. cap. 13. c. 17. Jos. cap. 22. 12. & seqq. Actor. c. 5. 5. 10. c. 13. 8. 10. 2. Chron. c. 15. 13. 2. Reg. c. 10. 24. c. 23. 20.* Ab horum etiam consortio, ut alii

ut alii abstineant, publicis interdictis magistratus mandare debet, arg. *Matth. cap. 5. 18. 1. Cor. c. 15. 33. 34. cap. 5. 9. 10. 11. 2. Cor. c. 6. 14. & seqq. Johan. c. 4.* Posterioris generis hæretici, si convicti sunt hæreseos, & admoniti ab ecclesia, neque tamen resipiscunt, sunt excommunicandi, *Matth. c. 18. 1. Cor. c. 5.* Polan. *lib. 10. c. 65. syntag. theol.*

Illi verò, qui errorem aliquem, vel doctrinam, 58
quæ nondum manifestæ hæreseos est damnata, defendunt, non sunt ideo ab ecclesia pellendi, neque illis sacris cœtibus interdicendum, neque eorum consuetudo est vitanda.

Exemplo Pauli apostoli, qui Corinthiacam ecclesiam multis erroribus infectam, non est aversatus, *1. Cor. c. 15.* neq; Christus apostolos suos, licet in magnis erroribus versarentur, rejecit, sed tolerandi & meliùs informandi, *2. Chron. c. 19. 4. c. 20. 32. 33.* Vide suprà *c. 9. n. 42.*

Potest etiam magistratus edictis publicatis 59
mandare, ne orthodoxi eos, qui non in fundamento doctrinæ errant, & vicissim, ne hi orthodoxos publicè damnent, conviciis contumeliosè traducant, exagiténtve, sed ut colant inter se amicitiam, idque tantisper, dum in libera synodo legitimè ea de re disceptetur, & quid definiatur.

Tale est consilium Apostoli *ad Philip. c. 3. 15. 16.* quod ex principibus evangelicis plurimi nostro seculo sunt imitati exemplo suo. Vide suprà *cap. 9.*

Veræ & orthodoxæ religionis, publico consen- 60
su receptæ, manifestus contemptus, vel abnegatio, ab una aliqua regni parte, provincia, vel civitate facta, potest ab ephoris specialibus, vel generalibus ejusdem regni vi & armis, si admonita non resi-

piscat, vindicari. *Deut. cap. 13. 12. 13. & seqq. Jos. c. 22. per tot. Act. c. 17. 11.*

61 Quando verò falsa religio ab una parte regni abjicitur, non potest neque debet illud alia pars illius, vel summus magistratus vindicare, sed dissensio mutuâ συζητήσει & collatione, in concilio publico, tolletur, in consilium adhibitis doctis.

Sic David audivit Nathanem, *1. Reg. c. 7.* Rex Asa prophetam Azariam, *2. Chron. c. 15.* Rex Joas sacerdotem Jojadem, *1. Chron. c. 10.* Ezechias Levitas. Vide Danæ. *lib. 3. an aphoris. tit. vera religio immutata evertit Remp. Jud. c. 6. 24. & seqq. Jos. c. 22. 18. 23. 29. 34. Act. c. 17. 11.*

62 Quòd si quidam pauci, vel plures in regno, in quo veræ Dei agnitionis & cultus sinceri nulla est professio, liberum religionis exercitium, contra communem totius regni usum & consuetudinem, petant à magistratu, tum hic observabit; primò, ut ex Dei verbo diligenter, συζητήσει & collatione institutâ, inquirat & examinet eam religionem, cujus exercitium publicum petitur. *Jos. c. 22. 18. 19. c. 23. 29. 34. Act. c. 17. 11. 2. Chron c. 15. 10. c. 24. 20. 29. 36. cap. 30. 12. Nehem. cap. 10.* nec facilè & temerè cuivis spiritui credat, *1. Johan. c. 4. v. 1. Act. c. 17. Johan. c. 5. 39.* Exemplo Theodosii Magni Imp. denegantis exercitium Arrianismi.

Deinde, quando cognovit, cum Dei verbo convenire petitum religionis orthodoxæ exercitium, concedet petentibus, & Deo tribuet, quæ ei sunt danda, & hujus veræ religionis liberam & tutam professionem exercitiumq; publicum omnibus & singulis concedet in regno suo, ejusque professores & cultores contra vim & injuriam defendet.

Exem-

Exemplo Constantini Imp. *l. 1. C. de sacrosanct. eccles. & aliorum.* Vide *Hezr. c. 7. 11. & seqq. Dan. cap. 4. c. 6. 26. 27. 28. Jon. c. 3. 7. 8.* Qui enim tales veros Dei cultores ex regno suo ejicit, Deum ejicit, *Matth. c. 10.* Vide Danæum *in polit. c. 2. lib. 3.* Zepper. *lib. 4. in explic. ll. Mosaic.*

In hominis fidem & religionem, quæ in solo animo & conscientia consistit, magistratus talis, in cujus regno Dei cultus verus non viget, caveat sibi imperium vindicet. Deus solus in hæc habet imperium, *Matth. c. 10.* & huic soli arcana, cordisque recessus intimi sunt noti, *Act. c. 10.* & suum regnum, quod non est de hoc mundo, *Joh. c. 18.* per suos ministros verbi administrat, *Ephes. c. 1. c. 5. 1. Corinth. c. 12. Act. c. 20.* & fides ideo donum Dei, non Cæsaris dicitur, quæ nullo modo vult, vel potest cogi. 63

In religione si animus est aversus, jam sublata, jam nulla est, ut dicit Lactantius. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus. Fides suadenda, non imperanda: docenda, non jubenda est. latè Bodin. *lib. 4. c. 7. de Republ.* Ad discipulos, perdere volentes Samaritanos, Christus ait, *Luc. cap. 9. 55.* Nescitis cujus spiritus filii sitis? Constantinus Imp. apud Eusebium, *lib. 1. c. 38.* ait, Hominibus qui cum mente capti sunt, pœnas infligere, extremæ dementiæ & insciticæ est.

Errantes igitur in religione, non vi externâ, vel armis corporalibus, sed gladio spiritus, *Matth. c. 13.* verbo & armis spiritualibus, per quæ Deus potens est, ad quosvis sibi subigendum, regantur, & ministris verbi Dei curandi & instituendi traduntur, *2. Cor. c. 10. 4. 5.* Arma nostræ militiæ non sunt carnalia, sed divinitus valida, ad subversionem munitionum, *2. Tim. c. 2. 24.* Servum Dei oportet esse mansuetum erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, *Esa. c. 11. Eph. c. 6.* à quibus, si ex verbo Dei persuaderi non possunt, multò minùs magistratus minis aut pœnis cogi queunt, ut sentiant vel credant, quod magistratus vel alius credit. Magistratus igitur Deo hac in re relinquat & tribuat Deo, quæ sunt Dei, qui solus impellit, movet, mutat corda, sibi reser- 64

vet, quæ Deus sibi dedit, imperium scil. in corpora, *Matth. c.22.* Cogitationibus hominum, pœnam in politica administratione imponere vetatur, *l. cogitationis 18. de pœn.* Quatenus hæretici externis actionib. delinquunt, sunt illi puniendi, sicut quilibet alii subditi, etiam aliâs pii.

65 Quòd si magistratus Dei imperium invadit, suæ jurisdictionis limites excedit, atq; in hominum conscientias imperium sibi vindicat, nõ impunè hoc maleficium feret. Nam ob hoc factum otiuntur in regno ipsius seditiones & tumultus, quos parere solet persecutio. Ita tempore Macchabæorum ob persecutiones longa bella extiterunt & tumultus. Scribis & Pharisæis Christi doctrinam persequentibus, turbæ motæ sunt, quæ antea non erant. Paulo docente Ephesi, Demetrius ob persecutionem Pauli, seditionem excitavit. Similiter Judæi Paulum in templo persequentes, tumultus excitarunt. Hodie in Gallia, Belgio, Hungaria, Polonia, & aliis regnis persecutiones quæ fiunt, sunt causę turbarum, tumultuum & seditionum. At ubi nullæ sunt persecutiones, ibi quamvis diversę sint religiones, omnia sunt tranquilliora. Rectè ergo dicimus, persecutiones Christianorum maximorum malorum semper causam extitisse. Quicunq; igitur regnum tranquillum habere cupit, à persecutionibus abstineat. Nec tamen religionis improbatæ exercitium concedat, ne illi accidat quod Salomoni contigit, *1. Reg. c. 11. 4. & seqq.* Si tamen sine Reip. exitio id prohibere nõ potest, ferenda est illi ea religio, quam sine Reip. interitu auferre non potest. Bodin. *lib. 3. c. 7.* Sic Constans Imperator Constantini magni filius, Arrianorum religionem & collegia pertulit, non quòd illis, sed quòd Reip. faveret: ita & Theodosius eandem sectam ferebat invitus. Errat igitur Franciscus Burghardus, & cum eo Jesuitę, existimantes, magistratum non posse diversas religiones in regno tolerare. Non enim hîc quæritur, an duæ plurésve religiones esse possint, quod cum illis negamus. *Ephes. cap. 4.* Nec quæritur, an magistratus ipse duas religiones diversas amplecti possit, quod negamus. Nec quæritur, an magistratus habeat potestatem disponendi de religione, contra ver-
66 bum Dei, quod negatur. Verùm quæritur, quando in regno civitates vel status quidam discrepantes in confessione sententias amplectuntur, pro quarum defensione quilibet verbũ Dei allegat: an tum magistratus, qui unius partis sententiam amplectitur, reliquos dissentientes armis & gladio persequi possit. Hoc in casu dicimus, quòd magistratus qui sine Reip. periculo & turbatione mutare, vel tollere non potest religionis & confessionis discrepantiam, ob pacis & tranquillitatis publicæ causam, tolerare debeat dissentientes, connivendo & permittendo exercitium religionis improbatæ eousque, donec Deus reliquos illuminet, nealiâs totum regnum & cum eo ecclesiæ hospitium evertatur. Vide *Luc. c. 24. 11. 25.* Vide exempla *1. Reg. c. 14. c. 22. 2. Reg. c. 12. c. 14. c. 18. Dan. c. 3. c. 6.* & alia apud Joh. Gerard. *quæst. polit. cent. ult.* Diversarum igitur religionum exetcitium non aliter tolerabit, quàm peritus nauclerus diversos & contrarios ventos & inter se certantes fluctus. ut sicut hic inter ventos & fluctus pugnantes navem salvam in portum adducit, ita ille Remp. à ruina immunem ad salutem ecclesiæ gubernet.

Alterum protectionis & defensionis ecclesiæ 67
caput consistit in removendis & amoliendis omnibus obstaculis & impedimentis, quibus salus, incrementa & progressus ecclesiarum & scholarum impediuntur. Quæcunque igitur talia sunt, ut ecclesiæ & cultus divini propagationi, exercitio & incremento, vel conservationi, impedimento sint, vel esse possint, illa magistratus removebit, tollet & adimet.

Itaque interdicta publicabit, ne libri hæretico- 68
rum in provinciam importentur, vendantúrve.

Nec permittet, ut hæretici, vel athei ad publica 69
officia ecclesiæ, vel scholarum, aut magistratus admittantur, nec, ut conventicula & collegia improbatæ religionis clam habeantur, feret: nec permittet, ut ministri ecclesiæ contemnantur, aut vilipendantur, sed autoritatem & existimationem potiùs illis conciliabit, eamque illis sartam tectam apud omnes conservabit & defendet, contra omnes illorum obtrectatores, diffamatores, contemptores & hæreticos.

Quoscunque patitur magistratus contemnere ministros ecclesiæ, hos Deum, qui ministros suos legatos vocat, spernere permittit. Redundat enim in legantem injuria, quæ infertur legato, ut etiam JCti asserunt. Reddit quoque ministrorum Dei contemptus religionem divinam exosam & ingratam. Debet igitur ministrorum persona omnibus sacrosancta & venerabilis esse, qui ideo tot tantisque privilegiis & beneficiis ab Impp. sunt ornati.

70

71 In omnes atheos, epicureos, sectarios, hæreticos, seductores, sabbathi profanatores, religionis veræ contemptores, magos, ariolos, pythonicos, perjuros, vanos, apostatas, idololatras, superstitiosos, blasphemos, irrisores Dei, libertinos & quosvis alios tabulæ primæ violatores, diligentissimè inquiret, & animadvertet, publicè ad terrorem aliorum, pœnis irrogatis & illatis.

Deut. c. 19. 13. Ne parcito oculus tuus ei, sed tolles reatum, ut bene sit tibi. *c. 13. 5. & seqq. c. 17. 2. 3. 4. & seqq. cap. 18. 19. & seqq. Num. c. 25.* & in principio capitis hujus diximus.

72 Curabit denique & prospiciet magistratus omnibus, quibus potest modis, ne quid desit, quod sit ad verum Deum cognoscendum vel colendum necessarium, sed ut omnia, quæ sunt tum de rebus ipsis, in quibus externus Dei cultus positus est, tum personis, quæ illi cultui inserviũt, exhibendis commoda, subministrentur. *1. Chron. cap. 22. & seqq. 2. Chron. c. 31. 3. 4. 5. 6. c. 34. 5. 6. cap. 17. 7. 8. Nehem. c. 3. & 4. Hesr. c. 3. Judic. c. 2. 7. 8 9.*

73 Si quid in hisce omnibus desit vel desideretur, à magistratu corrigendum est, qui in publicis calamitatibus atque indictionibus publicarum ecclesiæ precum & jeiuniorum ad seriam pœnitentiam suos subditos monebit.

Exemplo Josaphati, *2. Chron. c. 20. 3. 4. 18. 19. 20.* Ezechiæ, *2. Chron. c. 32. 6. 7.* regis Ninevitarum, *Jon. c. 3. 6. 7.* Vide *Psal. 24. 6. Es. c. 49. 23. Deut. cap. 17. 18. 19.* Nam seria magistratus summi & populi ad Deum conversio, paratissimas clades avertit, *2. Chron. c. 12. 7. c. 34. 27. 1 Reg. c. 11.*

CAPUT XXIX.

De sanctione legum & administratione justitiæ.

1 *Civilis administratio quid.*
2 *Regula hic observanda quænam.*
3 *Cura magistratus circa generale jus regni.*
4 *Sanctio legis quid.*
5 *Legis requisita.*
6 *Abrogatio legum.*
7 *Inventa aliorum suæ politiæ adcommodare licet.*
8 *Leges novæ & legum mutatio an utilis.*
9 *Leges regni fundamentales non mutandæ.*
10 *Leges sumptuariæ ferendæ.*
11 *Leges de commerciis ferendæ.*
12 *Leges de discordiis tollendis.*
13 *Leges de cura miserabilium personarum.*
14 *Exsecutio legis.*
15 *Justitiæ administratio quomodo fieri debeat.*
16 *Regnum malis hominibus purgandum.*
17 *Mala justitiæ administratio perdit Rempub.*
18 *Pœna de sceleratis sumenda publicè, & quare.*
19 *Præmia bonis decernenda, & quare.*
20 *Distributio præmiorum quomodo facienda.*
21 *In quibus consistant præmia illa.*
22 *Quis præmia & quis pœnas distribuere debeat.*
23 *Præmia quandoq; plus honoris, quandoq; plus commodi habent.*
24 *Honores non vendendi.*
25 *Honorum species.*
26 *Justitiæ administratio sine respectu ullo fiat.*
27 *Ejus utilitas & effectus.*
28 *Omissæ hujus administrationis detrimentum.*
29 *Subjectum hujus duplex.*
30 *Magistratus an ipse causas subditorum cognoscere debeat.*

31 *Cognitio hæc quomodo instituenda.*
32 *Bodini & Tiraquelli sententia contraria de regis præsentia in judiciis.*
33 *Decisio controversiarum æqua, secundùm leges.*
34 *Pœna à sceleratis sumenda, est Dei jus.*
35 *Affectus in jure dicendo absint & respectus personarum atq; munera.*
36 *Judicia quotuplicia.*
37 *Civilia.*
38 *Criminalia.*
39 *Judices intermedii dati, quales esse debeant.*
40 *Plures judices necessarii.*
41 *Consistorium juridicum.*
42 *Criminum impunitas noxia Reip.*
43 *Causa horum judicum & magistratuum.*
44 *Per eos non minuitur potestas superioris constituentis.*
45 *Judices apud Romanos qui olim, & qui hodie.*
46 *Abusus judiciorum in quibus.*
47 *Corrupti mores judiciorum taxantur.*
48 *Rabulæ forenses.*
49 *Judicia publicè habere expedit.*
50 *Pragmaticorum numerus.*
51 *Ars rabularia & rabulæ tollendi.*
52 *Litium multitudo & frequentia tollenda.*
53 *Multitudo subalternatorum judiciorum.*
54 *Modus impensarum litis constituendus.*
55 *Sordes personarum publicarum coërcendæ.*
56 *Pœna judicum, advocatorum & procuratorum negligentium.*
57 *Supremum tribunal.*
58 *Hoc totius regni esse dicitur tribunal.*
59 *Ejus usus apud Judæos.*
60 *Camera imperialis, & parlamenta aliorum regnorum.*

DE ecclesiastica magistratus administratione hactenus, sequitur de civili, seu seculari.

1 Civilis administratio est, quâ negotia secularia tabulæ secundæ Decalogi, pertinentia ad εὐταξίαν, εὐνομίαν, εὐπάρεσειαν & ad disciplinam externam, in Republica constituendam & conservandam, vel ad vitæ hujus præsidia & commoda promovenda, & incommoda avertenda, rectè & fideliter curat magistratus.

Psal.72.2.Sam.c.23.3.2.Chrō.c.19.8.10.11. ubi Junius, *1.Reg. c.10.9.* Ideò posuit te regem, ut exerceres judicium & justitiā. *1.Reg.c.3.9.* Des igitur servo tuo animum intelligentem, ad judicandum populum tuum, discernendo inter bonum & malum, *& v. seqq. Esa.c.32.* En justè regnaturus est rex, & principes jure principatum gerent. *Jer.c.22. 2.Chron.c.19.5. & seqq. Rom.c.13. 1.Pet.c.2.13.14. Psal.85. 1.Reg.c.1.52. Jerem. c.21.11.12.* Exercete quolibet mane jus, & eripite eum, qui rapinam patitur, è manu opprimentis, *& c.22.2.3.4.* Atque hac justitiæ administratione solium suum magistratus firmat, *Prov.c.16.12.c.29.4.* De mala administratione politiæ conqueritur Jeremias in *lament.c.2.cap.3.* & passim. *& Tzephan.c.3.1.2.3.4. Mich.c.2.c.3.* Vide Matth. Scholastic. *lib.2. c.1. de vero & Christ. principe.*

In hac justitiæ administratione pro regula ob- 2
servandū semper, ut in ea moderatio adhibeatur, ut Reip. membro cuilibet suum jus conservetur, non minuatur, aut in perniciem alterius augeatur. Non ita regis imperiū extendendum, ut populi libertas opprimatur; nec status & ordines ita amplificandi, ut regem contemnant & plebem violent. Populari licentiæ non tantum permittendum, ut regis dignitatem affligat & statum Reip. turbet.

Est verò in hac civili administratione negotiorū 3
regni, magistratus cura & officiū duplex. Prius pertinet ad jus generale regni, & est de tractandis & procurandis mediis, ad conservandā justitiam, pacē, tranquillitatem & disciplinam in Rep. necessariis. Alterū pertinet ad jus speciale, & est de procurandis mediis ad vitæ socialis commoditates necessariis.

Prioris generis sunt, 1. sanctio & exsecutio legū utilium, & administratio justitiæ, *νομοθεσία & δικαιοδοσία.* 2. studium concordiæ conservandæ.

Cæterùm, qu a elegantissimè hæc magistratus administratio describitur in *Psal.101.* ideo verborenus eum hîc referam. *1.* Benignitatem & jus canam, tibi, ô Jehova, psallam. *2.* Animadvertam etiam viâ integrâ quando venturus sis ad me: indesinenter ambulabo in integritate animi mei, intra domum meam. *3.* Non proponam mihi ob oculos rem nefariam, factum declinantium odi, non adhærebit mihi. *4.* Animus perversus recedet à me: malum non agnoscam. *5.* Linguâ lædentem apud me clam proximum suum, ipsum exscindam, elatum oculis & tumentem animo non potero ferre. *6.* Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut consideant mecum: ambulans viâ integrâ, is ministrabit mihi. *7.* Non habitabit intra domum meam faciens dolum: loquens mendacia non stabilietur coram oculis meis. *8.* Singulis matutinis exscindam omnes improbos terræ: ad rescindendum à civitate Jehovæ omnes qui operam dant iniquitati. In quem Psalmum commentarius elegans Junii extat. Huc etiam pertinet elegantissimus *Psal.82.* Deus stat in cœtu Dei fortis, inter magistratus judicat. *2.* Quousque judicabitis iniquè? *& seqq. versiò. & Psal.72.1.2.3.4.12.13.14. Prov.c.20.8.26. Esa. c.28.5.6.*

4 Sanctio & exsecutio legum imprimis ad magistratus officium spectat. *Prov. c.8.* Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. *Esa. c.33.*

Sanctio legis est, quâ legem æquam, utilem & necessariam Reipub. constituit, consensu optimatum & statuum imperii, seu regni sui.

L.8. humanum est. C. de legibus. Esa. c.10. Hesræ c.7.26. In *Psal.108.9.* Judas dicitur legislator, ob demandatam regni administrationem & potestatem legum ferendarũ. Curabit verò magistratus imprimis, ut mores, ingenia, jura veterà gẽtis inspiciantur, & ad ea novæ leges accommodentur. Itaq; in novis legibus & edictis scribendis, moderatio adhibenda est & voluntas eorum, qui legibus illis teneri debent, perconctanda est, hoc est, optimatum & consiliariorum regni. Ita Impp. Romani de consilio senatus leges tulerunt in monarchia: In Democratia verò per classes & centurias singulas; lege

lege novâ per trinundium publicatâ. Ita hodie in comitiis leges generales conduntur. Temerariæ enim & stolidæ arrogantiæ esset, unum hominem, aut paucos, tantum sibi sumere, ut satis aptas genti alicui leges se condere posse existimẽt, absque illius consensu & multorum simul consiliis & sententiis conjunctis. Vide Antimach. *lib.3.theor.22.* Stephan. Jun. Brut. *de vindic. contra tyran. quæst.1. & 3. Vide suprà cap.10.*

Æquam verò legem sanciet, quia æquitas legem efficacem, sanctam & inviolatam præstat: Utilem, quia utilitas desiderium & amorem illius excitat & conservat. Utilis dicitur, quæ vitia emendat & virtutes commendat. unde pœnæ metus & spes honoris; ille depravatos impetus hebescere cogit, tardioresque facit, hæc ad honesta studia alacriores reddit. Utilis verò sit toti corpori Reip. & singulis illius membris. 5

Nam, ut medicus primùm, dum membrum hominis ægrum est, propinat quidem pharmacum, quod ex toto corpore malos humores educere possit, sed ibi non subsistit, vel finem remedii facit; verùm etiam loco adfecto singularia adhibet remedia, & si videat membrum aliquod incurabile, cujus etiam morbus serpendo, alia membra inficere possit; ut salva alia membra conserver, putidum abscindi jubet. Sic etiam gubernator Reip. mores optimos, bonis legibus instituit, respiciens ad totum corpus & generaliter ad actus privatorum, communi lege bona disponit & formar, facienda jubet, vitanda prohibet; circa actiones de rebus adquirendis & conservandis in dominiorum adquisitione, de contractibus, ultimis voluntatibus, maleficiis, judiciis, & de reliquis actibus quibus vita socialis symbiotica conservari potest, regulas constituit, ordinat, & ut exsecutio fiat, curat.

Et si quoddam Reip. membrum intelligit, nempe aliquem ex humana societate, in morbum, seu peccatum adversus proprtiam salutem & societatis humanæ commodum incidere, adhibet localia καὶ πάντες, ut vocant, remedia; & si membrum est putidum, quod totum Reip. corpus possit

inficere, nocere aliis & turbare societatem, illud tollit & truncat. Arg. *l. ita vulneratus. ad L. Aquil.* Pet. Greg. *lib. 1. c. 1. n. 14. & seqq. de Repub.*

6 Leges verò impias, iniquas, vel idololatricas, inutiles ob non necessarium usum, vel æquitatem cessantem, tollet. *Vasquius lib. 1. c. 16. illust. contr.* & pias alias & justas substituet.

Deut. c. 7. 5. 11. 25. 26. c. 12. 1. 2. 3. 4. 5. & seqq. exemplo Chiskiæ, Josiæ, & aliorum piorum magistratuum, *2. Reg. c. 23. per tot. imprimis v. 15.* Adde *Esa. cap. 10. 12. Dan. cap. 3. 10. 16. 17. 18. Deut. c. 16. 18. 19. 20.* Ab eo verò quod diu æquum visum fuit, non recedet, nisi evidens suadeat utilitas, *l. 2. in rebus. de constit. princ. l. 23. minimè. de legib.* Patric. *lib. 6. de Rep. tit. 6.* Aristot. *polit. lib. 2. c. 6.* Jun. *lib. 3. polit. quæst. 89.* Greg. *lib. 7. c. 19. de Repub.* & in nova lege sancienda observabit, ut ea conveniat Reipub. statui, conditioni & naturæ, loco, tempori, personæ, rebus, aliisque circumstantiis. Vide Francis. Jun. *libell. de polit. Mos. observ.* Greg. *lib. 10. c. 5. de Repub.* Imprimis verò observabit, ut talis sit lex quæ divites inducat, ut ultrò ad Reip. necessitates sint munifices, & prosint pauperibus, contra aliorum injurias, & ad vitæ subsidia quærenda juvent: non verò quæ sint multitudini impedimento, & locupletum rei insidietur.

7 Quæcunque ab aliis, etiam ethnicis, ad politicam administrationem inventa & constituta sunt, magistratus etiam ad usum Reip. suæ transferre & adcommodare potest.

Exemplo Mosis, *Exod. c. 18. 17. 18. 19. 20. & seqq.* Vide Calvin. *lib. 2. Instit. Christ. cap. 2. sect. 14. 15. & seqq.* & Aret. *probl. 149. & seqq. tom. 2.*

8 Leges novas parcè ferat. Nam corruptissimâ Repub. plurimæ leges, ut ait Tacitus *4. annal.*

Legum mutatio Reip. plus incommodi, quàm comodi solet adferre, legum contemptũ parit, magistratusque autoritatemq; minuit, atque populum ad seditionem excitat. Ideoq; ad otium civitatis & concordiam stabiliendam valde conducit, veterũ legum morumque conservatio.

Nam moribus antiquis res stat Romana virisq;. Prov. c. 22. Ne transferas limites, quos statuerunt patres tui. *Eccles. cap. 10.* Qui diruit sepem, à colubro mordetur. Non necessariæ igitur legum mutationes & morum receptorum cavendæ sunt, & incommoda parva toleranda potiùs, quàm novis mutationibus ægrum Reipub. corpus exagitandum. Bodin. *lib. 4. c. 3. de Repub.* Richt. *ax. 291.*

Leges regni fundamentales, adhibito ephororum consensu, interpretabitur, & non nisi expresso horum arbitrio, volũtate & jussu, quid in his abrogabit, tollet, vel antiquabit: multò minùs leges de legitimo Dei cultu semel in regno introducto, mutabit, aut convellet, vel tollet. Heig. *quæst. 5. nu. 1. 2. 3. 24. part. 1* Pruckm. *de soluta potestate effect. 4. & effect. 3. n. 3. & seq.* Pacian. *l. 2. c. 35. n. 50. & seqq. de probat.* quin potiùs veram religionem ejusq; exercitium, secundùm verbum Dei, non mandata hominum, confirmabit, *Matth. c. 15. 9. Deut. 12. 8. c. 4.* Deinde leges fundamentales regni ab ipso sunt defendendæ & retinendæ, etiam bello & armis ab una regni parte contra aliam, quamvis majorem. 9

2. Reg. c. 11. per tot. Deut. c. 13. 12. 13. 15. Josu. c. 22. 2. Reg. c. 8. 22. c. 23. 15. Nam hisce fundamentalibus & cultus divini legibus tanquam columnis & fulcris sustinetur regni status, incolumitas ac præsidium, quibus sublatis, totum regnum corruit, ut suprà dictum est *c. 28. n. 8. 9. c. 19.* Heig. *d. loc. quæst. 3. n. 2. 73. lib. 1* Pruckman. *d. effect. 3. n. 3. & seqq.*

Præscribet verò leges sumptuarias, pœnâ in transgressores constitutâ. Nam victus frugalitas & temperantia publica, à multis malis ac vitiis Remp. liberat. 10

Necessariò quoq; sunt leges præscribendę de cõmerciis, rerũ permutationib. negotiationib. populi

de modo usurarum concessarum, similiter de mensuris, ponderibus, stateris publicis, justis, de valore monetæ, & similibus aliis negotiis pluribus, quæ sine lege certâ tractari & peragi non possunt, absque discordiis & dissensionibus, vel sine deceptione & fraudatione, hoc est, in quibus facilis est lapsus, quando certa determinatio non est constituta, & quorum natura certitudinem in hominum commercio requirit.

12 Constituendæ quoque sunt leges, quibus dissidia & discordiæ inter cives tollantur, factiones, seditiones, & otia, nec non quibus egestas & inertia ex regno profligentur, & necessaria quæ desunt, in regnum importentur, superflua verò exportentur, & ita unius provinciæ inopia ab alia sublevetur.

Utiles etiam leges, quibus vetantur importari in regionem, quæ solent homines corrumpere & deteriores reddere.

13 Similiter necessariò sunt leges constituendæ de cura miserabilium personarum, pupillorum, viduarum, pauperum, cæcorum, furiosorum, mutorum, surdorum, valetudinariorum, senum & similium. *Deut. cap.10.18. cap.24.17. 19.20. cap.14.29. Psalm.82. & 72. & 146. infr.cap.37.n.86.& seqq.*

Certus quoque locus & reditus pro talibus constituendi. *Deut. cap.24.17. cap.19.20. cap.26.12.cap.86. cap.15.7.8.* uti sunt xenodochia, nosocomia, orphanotrophia, ptochotrophia', gerontocomia, certis annuis reditibus fundata, de quibus in *Novell.7. cap.12.Novell.123. cap.23. Vide cap.37. num.86. & seqq. infr.*

Executio legis accuratè & exactè est procuranda.

Lex enim carens executione, est quasi campana aut nola sine pistillo, & quasi magistratus mutus, aut mortuus. Et tandiu vigent Respublicæ, quandiu leges in his bonæ (quæ illarum anima) observantur. Vide Melch. Jun. *polit. quæst. lib.1.quæst.6.* Bodin. *lib.3.c.1.de Rep.*

Hujus executionis faciendæ gratiâ magistratus constitutus est, ut sit ille lex vivens, minister & custos legis mutæ. Et ut in navi necessarii navarchi & vectores: sic in Rep. executores legis. Pompon. JCtus. Parum est, ait, jus in civitate esse, nisi sint qui jura reddere possint. *Adde Novell.161.* Qua in re Deum imitari oportet, qui unicuique secundùm opera sua retribuit. Lex, quid faciendum, vel omittendum sit, indicat; sed ipsa non facit, vel exsequitur. Lex circumstantias generales habet, uti medicina: sed magistratus, uti optimus medicus, adhibitâ temperamenti ægroti distinctione, pharmaca sua adhibet, causarum auditis circumstantiis propriis, judicat, & legibus negotia adcommodat.

Executionis hujus species est justitiæ administratio & censura. Justitiæ administratio consistit in tribuendo suum cuique secundùm justitiam commutativam vel distributivam, ita ut illic æqualitas & proportio arithmetica, in numeris consistens; hîc verò geometrica in pondere, vel mensura, observetur in pœnarum & præmiorum distributione. 15

Hisce enim, pœnâ & præmio, Remp. contineri, olim Solon dixit. Illa malis, hoc bonis debetur. *Rom.c.13.3.4.* Nam magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autē non metuere potestatem? & bonum est facito, & laudē ab ipsa obtinebis. 4. Dei minister est bono tuo; quòd si feceris quod malum est, metue; non enim frustra gladium gerit. Nam Dei minister est, vindex ad iram ei, qui quod malum est, fecerit, *1.Chron.c.18.14. Exod.c.18. Deut.c.17.5.6.7. 8.& seqq. 1.Sam.c.7.15.16.17. Psal.101.1.Pet.c.2.13.14. Prov. c.20.28.c.25.5. c.39.14.* Magistratus perperā distribuens pœnas & præmia, est instar medici perperam medicamenta adhibentis, ex quo prodit interitus, ut ex recta distributione & adhibitione, salus & vita. Ideoque jus & æquitas vincula

civitatum. Nam remotâ justitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia, ut ait Augustinus. *4. de civit. Dei.* Et quid sine justitiâ potest esse laudabile? Hinc fruendæ justitiæ causâ, olim reges bene moratos constitutos asserit Cic. *lib. 2. offic.* & Arist. *lib. 5. polit. c. 10.* Rex debet & vult esse custos, ut nec opulenti injustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat, aut cuiquam injuria inferatur.

16 Hinc provinciam suam magistratus malis hominibus purgare jubetur. *l. 3. in fine. l. 13. congruit. de offic. præsid. 1. Reg. c. 22. 47. 31. 2. Reg. c. 23. 5. 7. c. 19. 2. Chr. c. 30. c. 31. Prov. c. 20. 26 27. Psal. 101. Psal. 72. 1. 2. 3. 4. 12. 13. 14. 2. Chron. c. 14. 3. 5. 6. c. 15. 16. c. 19. 2. 3. 4. 1. Sam. c. 28. 9. Lev. c. 20. 27. Deut. c. 18. 10.* Nam auferendo improbum à conspectu regis, stabilitur solium illius, *Pro. c. 25. 5. c. 16. 12.* & judicio stabilit regionẽ, *Prov. c. 29. 4.* & regis qui fideliter judicat tenues, solium in perpetuum stabilitur, *c. 29. 14. c. 20. 28.* quibus addantur *1. Reg. c. 9. 3. 4. 5.*

17 *& seqq. arg. 1. Sam. c. 15. & 1. Reg. c. 20.* Contrà indulgentiâ & impunitate delictorum Reipub. maximè nocetur, & perversa juris justitiæque administratio mutationem imperii inducere solet: *Ezech. c. 34. per tot. 1. Sam. c. 8. 4. 5. 6. 1. Reg. c. 16. 4. 5. Esa. cap. 60. 12. Prov. c. 29. 4. c. 28. 2. Eccles. c. 5. 8.* Plin. *in panegyr. ad. Trajan.* Pessimè, ait, consulit Reip. princeps, cùm vel malignitate, vel negligentiâ malè agentibus, & in officio versantibus provinciarum præfectis, aut aliis magistratibus togatis, aut bellicis, ipse procurat impunitatem. Imò Dei iram & fatale exitium sibi attrahit: *Psalm. 55. 10. 11. 12. Esa. cap. 24. 5.* ut exemplum Sodomæ & Gomorrhæ ostendit, & factum Achanis, *Josu. cap. 7.* & Benjaminitarum, *Judic. cap. 20. c. 21.* & alia, *1. Reg. c. 20. 42. 1. Sam. cap. 15. Prover. cap. 28. cap. 29. 8. 16.* Nam cùm crescunt improbi, crescit defectio. Profana exempla refert Pet. Greg. *lib. 9. cap. 1. & lib. 4. cap. 6. num. 6. 7. 8. de Republ.* & Bodin. *lib. 5. cap. 4. de Republ.* Lips. *lib. 4. polit. cap. 10.* & dixi supra *c. 10. n. 8.* Concludo igitur, hanc justitiæ administrationem in pœnis & præmiis decernendis, omnino esse necessariam, quâ si Resp. vacat, necesse est, interitum illius consequi, cùm scilicet sceleratis impunè peccare licet, & bonorum & fortium virorum præmia nulla sunt.

18 De sceleratis verò delinquentibus contra primâ vel

vel secundam tabulam Decalogi, magistratus publicè pœnam sumet, ut alii videntes hoc, timeant, & formidine pœnæ à malefaciendo deterreantur, atque ita audacia peccandi & cupiditas illis adimatur.

Psal. 72. 1. 2. 3. 4. 12. 13. 14. Prov. c. 20. 8. 26. Rom. c. 13. 3. 4. 5. 6. Prov. c. 19. 16. & in fin. c. 19. Sirac. c. 20. 22. 23. 24. Deut. c. 13. 11. 1. Timoth. c. 2. 2. c. 5. 19. 20. 1. Sam. c. 28. 9. 10. ubi Pet. Mart. *1. Pet. c. 2. 13. 14.* Pernicioſa verò valde est intempestiva misericordia, Aristot. *lib. 5. cap. 8. polit. Proverb. cap. 29. 16.* Nam cùm crescunt improbi, crescit defectio. Neque cujusquam noxas meritis compensandas existimat Scipio Amirat. *lib. 2. ducurs. 7.*

Præmia bonis bene merentibus, *l. 4. C. de statuis.* 19 *l. 1. C. pro quib. caus.* distribuet ideò, ut virtutis amor & desiderium apud alios excitetur, foveatur & conservetur, *2. Sam. cap. 5. 8. 8. 1. Chron. c. 11. 6. Judic. c. 1. 12. 13. Deut. c. 28. & seqq.* Nam cùm indignis honores & præmia tribuuntur, gloria jacet & fordescit, atque stimulus virtutis nullus est.

Præmium enim esca, pabulum & incitamentum virtutis est. Nam homini cupiditas boni & gloriæ naturâ insita est, cujus gratiâ etiam extrema audet, & virtus æmula exemplo alieni honoris alitur, ita ut præmia plus quã pœna efficiant.

Contrà, cùm subditi vident magistratum, non nisi virtutis amore, asperum, qui tam benignum eundem vident in eos, qui habent illam; incitantur, ut eò impendant laborem & periculum, unde honos atque emolumentum speratur.

Nam virtus honore alitur & sustentatur. Et quidquid in honore est, augetur & crescit. Contrà quidquid in contemptus deficit & minuitur. Tam validus stimulus ad virtutem est præmium, quod signum & argumentũ benè constituti imperii, ut Lips. refert ex aliis *lib. 4. polit.* Symmach. *lib. 1. epist. 73.* Scimus, ait, bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis Reip. ut disciplinæ professoribus præmia

opulenta pendantur. Itaque princeps nobiles & præclaras familias, etiam collapsas, restituere debet, & bene meritas & merentes de Rep. fovere & augere. Vide Bod. *l.5.c.4. de Rep.* & catalogum bene meritorum habere debet.

19 Distributio prȩmiorum fit justè & mediocriter, habitâ ratione personæ distribuentis & accipientis, benefactorum loci & temporis. *Vide sup. c.24.* Si in excessu hîc peccatur, honores profusi sordescunt; si in defectu, præmia sæpe iteranda & virtus resuscitanda.

Hinc aliud militi, aliud pagano ignobili; aliud consuli, aliud legatis, præmium decernitur. Vide Bornit. *de præm. c.1.*

20 Præmia verò ista consistunt in honoribus, gloria, laudationibus, in magistratibus, muneribus, donis, immunitatibus & privilegiis, nobilitate, & dignitate, & ordine honorifico atque in similibus aliis præmiis virtutis.

Bodinus præmia illa ad tria summa genera revocat. Alia enim ad decus, alia ad utilitatem, alia ad utrumq; referuntur. Injustissimus fuit Alexander Magnus, qui pro præmio merito, Parmenionem jussit interfici: & Justinianus, qui Belisarium bene de se & Rep. meritum sustulit. Romani triumphos Imperatoribus suis decernere solebant, & aliis ovationes concedebant. Vide Bod. *d.c.4. lib.5.* Sed qui reddit malum pro bono, ab ejus domo non movebitur malum, *Prov. c.17.13.* &, Negatus honor gloriam, ut ait Tacitus, intendit & auget, Scipio Amirat. *lib.4. discurs.6.*

21 Præmia ipsa, princeps ipsemet, intra modum, virtute præditis hominibus tribuat, conferat, uti imperia, magistratus, largitiones, honores, sacerdotia, curationes, muncra, beneficia, restitutiones.

Unde fons & culmen omnium dignitatum & honorum princeps dicitur, *l.5.C. de dignit. lib.12. Gen. cap.41. Dan. c.2. Esth. c.6.* Ideò privata autoritate sine principis consensu, nemo sibi titulos aut insignia usurpare debet, *l.5.§.1. qui se pro milite. de falsi. tot. tit. C. de dignit.*

Pœnam

Pœnam verò ipse nemini irroget, sed magistratibus integerrimis & prudentissimis permittat irrogationem pœnarum: illud benevolentiam, hoc odium excitat. utrumq; derivatur in eum qui fecit. 22

Bod. *lib. 4. c. 6. & lib.5. c.4.* Habent verò præmia quandoq; plus honoris, quàm utilitatis; quandoq; contrà plus commodi, quàm honoris, ut exemplis illustrat Bodinus. Quò verò præmia majora, eò virtus clarior, & multitudo major bonorum virorum. Sunt enim hæc fomenta virtutis & illecebræ, & conferendi adferunt benevolentiam & obsequium. 23

Magistratus igitur interest, bonorum & fortium virorum merita erga se, erga Remp. erga singulos habere cognita & perspecta, ut cæteri ad bene de se merendum acriùs incitari possint. Honores verò virtuti debitos, nulli precio vendet, vel venales esse permittet, quo modo studiũ virtutis elanguescet, & aditus ad omnia vitia datur. Atque hinc honores, qui ob virtutes conferuntur, honores, inquam, Ducis, Marchionis, Comitis, Baronis, nobilis, equestris ordinis, equitis aureę perisceIidos, doctoratus, laureæ, magisterii, immunitates, privilegia, de quibus Chassan. *in catal. glor. mundi.* Tiraquel. *de nobilit.* Pacian. *lib.2. de probat. cap.25. & seqq.* Heigius *lib. 1. quæst.2.n.35. & seqq.* De equestri dignitate & honore ejusque privilegiis vide Pacian. *d. loc. c.42.* & extat *tit. C. de equest. sign. lib.12. ubi Dd.* De jure aureorum annulorum, civitatis Romanæ, Comitis Palatini, & aliis privilegiis & immunitatibus, quæ virtutis præmia sunt, latiùs suis in locis JCti agunt. 24 25

Porro justitiæ administratio diligentissimè fiet à magistratu, sine respectu ullius rei. 26

Psal.101. 1. Chron. c.18.4. Regnabat itaque David supra Israëlem totum, exercebatque judicium & justitiam. *Prov. cap. 16.10.11.12. c.29.14. Psal.72.1.2.3. & seqq.*

Talis administratio justitiæ in Rep. est, quod anima in corpore, & quod clavus in navi: imò vinculum & custodia humanæ societatis & Reip. rectè dicitur. 27

Psal.82.5. ibi, Dimoventur fundamenta terræ &c. *Psal.75. 4.* ibi, Fundamenta erigã in terra. ubi Piscator & Junius. *Pro-*

verb.c.14.34. Justitia exaltat gentem &c. *& c.16.12.* Nam justitiâ stabilitur solium ejus. Patric. *de Rep. lib.6.1.9. & c.* Ideo *Sapient.c.1.* scitè dicitur, Diligite justitiam, qui judicatis terram. & Salomo in hac sibi sapientiam dari petiit, *1.Reg.c.3.9.* Vide Pet. Greg. *lib.10.c.2. de Rep.*

28 Unde absentia magistratus, ob omissam administrationem justitiæ & inspectionem, multa vitia latenter inducit, *Deut.c.9.10.11.12. & seqq.* Imò sæpe totam Remp. protractio, vel denegatio justitiæ evertit, *2.Sam.cap.13. 1.Reg.c.21.7. 2.Reg.17.7.8.9. Judic. c.20. & c.21. Prov.c.16.*

29 Est verò administratio justitiæ duplex: Una, quę fit inter magistratum & subditos: Altera, quæ fit inter subditos & subditos.

Prior habet, ut quæ debet populus magistratui, ea det: & contrà, quæ populo magistratus debet, reddat. Debent autem subditi suo magistratui omnia ea quib. opus habet pro justitia administranda, pro defendendis subditis contra vim & injuriã, ad incommoda, vel pericula patriæ amovenda, & commoda illius promovenda, *de quibus dixi sup.c.20.*

Altera habet ea, quæ pertinent ad curam subditorum; ut lites componantur, semoto abusu, dolo, circumventione & maleficiis punitis, *2.Chron.c.15. 2.Sam.c.14.*

De litibus & controversiis subditorum suorum, ipsemet magistratus judicare, vel alios judices integros & pios constituere debet.

30 Ipse magistratus, quantum fieri potest, in persona propria cognoscere debet & judicare, secundùm leges causâ probè cognitâ, *c.1.C. quand. Imp. inter pauper. & alias miser ab. person. Joh.c.7.v.51.* Num lex nostra condemnat quempiam, nisi priùs ex ipso audierit & cognoverit, quid fecerit? *1.Reg.cap.3.16.17.* exemplum Davidis extat *2.Chron.c.15.* imprimis verò in negotiis arduis & gravibus.

Exod.c.18.19. Deut.c.1.17. Prov.c.25.2. Honor Dei est, abscondere rem: honor autem regum, perveſtigare rem. *Prov. c.20.8.* Rex insidens solio judiciali, ventilat in oculis suis omne malum. *Prov.c.29.7.* Cognoscit justus causam tenuium, improbus non animadvertit, ut cognoscat, *vers.14.* Regis, qui fideliter judicat tenues, solium in perpetuum stabilietur. *Deuteron.c.16.* Juxta legem Dei omne judicium & causam judicent, nec declinent ad dextram, neque ad sinistram. Ita David audivit Thekoham fœminam, *2.Sam. cap.14.* & præfectus ille puerum missum à Paulo, *Actor.c.23. 18.* & Salomo, *1.Reg.c.3.* Paulus judicem contra legem judicantem reprehendit, *Actor.cap.23.* Adde *Dan.c.6. & Johan. c.18.* Vos igitur eum accipite & judicate secundùm legem vestram.

Sèd & debet diligenter inquirere de facti qualitate & circumstantiis. *Deut.c.17.c.13.13.14.15. Act.c.21. c.22.c.23.c.25.c.19. Gen.c.3.* & accuratè causam litigantium examinare & dirimere. 31

Jer.cap.21.12. O domus Davidis, sic ait Jehova, Exercete quolibet mane jus, & eripite eũ, qui rapinam patitur ex manu opprimẽtis, ne prodiens veluti ignis excandescentia mea, ita ardeat, ut nullus extinguat, propter malitiam actionũ vestrarum. Alia exempla vide *2.Sam.c.14.5. & seqq. & c.7.14.* Judicavit aũt Samuel Israëlem omnib. dieb. vitæ suæ *15.* Profectus enim de anno in annum obibat domum Dei fortis & Gilgalem & Mizpam, ut judicaret Israëlem in omnibus locis istis *16.* Erat verò regressio ejus Ramam, quia ibi erat domus ejus &c. *Num.cap.27.1.2.3.4.5.c.32.16.17.20.c.36.1. & seqq. Deut.c.25.1.2.3. Jer.c.1.10. c.21.11.12. c.22.1.2.3.4.5. Psal.82. 2.3.4. Judic.c.4.4.5. 2.Chron.c.19. Exod.c.18.13* Accidit autem postero die, sedente Mose ad judicandum populum, cùm adstaret populus ipse Mosi, à mane illius diei usq; ad vesperã. *15.16.16.17. & seqq.2.Reg.c.15.* Ob hanc causam David pro filio ita Deum rogat, *Psal.72.1.* O Deus judicia tua regi da, & justitiam filio regis. *2.* Judicet populum tuum justè, & pauperes tuos jure. *12.* Quoniam eripiet egentem, vociferantem & pauperẽ cui non fuerit adjutor. *13.* Parcet attenuato & egenti, animasq; egentium servabit; *& v.seq.* Vide gravem admoni-

tionem pii regis Josaphat, *2.Chron.c.19.5.& seqq.& Psal.87. 1.2.3.* Hinc illud mulierculæ cujusdã ad regem suum audientiam sibi recusantem: Si me audire non vacat, noli esse rex. Quod rectè eandem dixisse arbitror. Nam constat, reges justitiæ administrandæ causâ potissimùm constitutos. *1.Sam. c.8.5.* Constitue nobis regem, ut judicet nos. Adde, quòd illa mutuâ communicatione subditorum & regis charitas amicitiâ & benevolentiâ conciliatur: Bod. *lib.4.c.6.* & sordes ac aliæ
32 judiciorum corruptiones, præsentiâ regis impediuntur. Sed distinguit Bodinus inter ineptum, vitiosum, integrum & virtute præditum regem, quem in propria persona jus dicere debere asserit, & deniq; cõsultius putat, per integerrimos ministros jus dicere, ob occupationes varias & molestias litigantium. Exempla profana contraria ex historiis refert Tiraquel. *de nobilit.c.28.* & de Augusto refert Suetonius, illum jus laboriosissimè dixisse, & plures alios, Domitianum, Servium, Galbam, Trajanum, Adrianum, Antoninum, Severum, Alexandrum, ut Antimach. refert *theor.35.adde 1.Chron.c.18.14.* Regnabat itaq; David super totum Israëlem, eratq; exercens judicium & justitiam in toto populo suo. *2.Sam.c.9.1.c.15.14. & Prov.c.16.10.* Sagacitas insideat labiis regis, in judicio ne prævaricetur os ejus. *11.12. & c.29.14. 1.Reg.c.9.3.4. & seq.* Sed dissentit, ut dixi, Bodin. *lib.4.de Rep.* ob varia incommoda, quæ accidunt ipsis regibus judicantibus, & affectiones & perturbationes vehementiores.

33 In decidendis controversiis, non mitior, neque acerbior sit ipsâ lege.

Latè Vasq. *lib.1.illust.controv.c.15. 1.Sam.c.25.8.9.10.19.& seqq.* Ideò, quòd virum à me anathemati devotum dimisisti è manu, ideò erit vita tua pro vita ejus, & populus tuus pro
34 populo ejus. *Deut.c.17.5.& seqq.c.13.5.8.9.10.15.* Cogitet, pœnas sceleratis sine justa causa & lege prohibente, remittendo, se de alieno jure, Dei scilicet, esse liberalem.

Est enim pœna Dei jus, quod ipsi debetur, *2.Chron.c.19. 6. & seqq.* cujus juris administratores sunt magistratus. *Rom.c.13.* non domini.

35 Affectibus suis non indulgeat, *1.Sam.c.22.17. & seqq.* in cognoscendo non excandescat adversus eos, quos malos putat, neq; illachrymetur precib. calamitosorum, *l.observandum 19.§.1. de off.præsid. Novell. 17.c.2.Exod.c.23.3.4.Levit.c.19.15.* neq; respectum personarum habeat, neque munera accipiat. *Deut.c.16. 19. c.27.25. Psal.82. & 58. 2.Chron.c.19.5.6. & seqq. Esa. cap.1.23. Mich.c.3.10.Prov.c.24.24. Levit.c.19.15.* quæ eversionem regni parant, *1.Sam.c.8.4.5. Novell.9.* neq; in gratiam cujusque contra conscientiam judicet, uti Darius fecit, Danielem in leonum foveam conjici jubens, *Dan.c.6.* & Zedechias Jeremiam, *Jerem. c.38.5.* & Pilatus Christum condemnans, *Marc.cap. 15.14.*

Judicia verò illa sunt civilia, vel criminalia, *Deut.* 36
c.17.8.& seqq. 2.Chron.c.19.8.10.11.

Civilia dicuntur, in quibus de controversiis civilib. ex conventionibus, ultimis voluntatibus, & rerũ dominiis provenientibus, agitur à litigantib. Atq; hæc rursum distinguuntur in matrimonialia, & ecclesiastica judicia, vel secularia; ita dicta à rebus, quæ in illa deducuntur, & à litigantibus disceptantur. 37

Criminalia appellantur, in quibus de crimine perpetrato ejusque pœnâ agitur, quæ rursum sunt capitalia, in quibus de vita hominis tractatur; vel injuriarum judicia, in quibus de fama, quæ est altera hominis vita, agitur. 38

Judicabat verò summus in politia Judaica magistratus solus, ut *1.Reg.c.3.16.c.15.* vel in concilio, cum principibus tribuum, familiarum & civitatis, & senioribus 70 populi, *Jer. c.26. Num.c.36. 2.Chron.c.19.* & aliis in locis. Vide suprà *c.8. de prov.*

Alios judices, in justitiæ administratione cum jurisdictione & potestate necessariâ ad muneris sui expeditionem, *l.ult.l.1.§.1. de offic.ejus cui est mandat.* 39

jurisd.l.2.de jurisd. constituet summus magistratus in causis levioribus, sed tales, qualis ipse esse tenetur, alioquin culpa in constituentem rejicitur.

Exod.c.18.19.& seqq.c.23.2.3.6.7.8.Deut.c.1.17. 2.Chron. cap.19.45. Constituissetque Josaphat judices in ea regione per omnes civitates Judæ munitas, cuique civitati 6; edicens judicibus, Videte quid sitis facturi: Non enim pro homine judicaturi estis, sed pro Jehova: qui vobiscum futurus est in rebus judiciariis. 7. Quare nunc insit pavor Jehovæ vobis: observate & facite; non enim est apud Jehovam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio personarum, aut sumptio muneris. 9. Et præcepit eis dicendo, Sic facitote cum timore Jehovæ, cum fide, & cum animo integro. 10. Ut quæcunque fis pervenerit ad vos à fratribus vestris residentibus in civitatibus suis, de discrimine inter cædem & cædem, inter legem & præceptum, statuta & judicia, admoneatis eos, ne rei fiant Jehovæ, & incumbat fervens ira vobis & fratribus vestris; sic facitote, ut non sitis rei. *Jerem.c.45.9.10.* Judices hi ex tribu Levi eligebantur, *1.Chron.cap.23.5.& c.26.29.30. Deut.c.17. 9.10.*

40 Plures verò judices constituet in gravioribus. Nam certum est, plures communicato consilio, meliùs & certiùs quàm singulos judicare. Ita enim error, vel ignorantia unius ab altero corrigi potest, & minùs corruptio & sordes, vel gratia animos seducent, ut dixi suprà de consiliariis, *c.27.*

Ordinandi autem tales intermedii & inferiores judices in singulis civitatibus regni.

Deut.c.16.18. Judices ac moderatores constituito tibi in singulis portis tuis, quas Jehova Deus tuus dat tibi, per tribus tuas, qui judicent populum judicio justo.

41 Auditorium juridicum in singulis regionibus regni, unum vel plura pro populi conventuri amplitudine ædificabit.

1.Reg.c.7.7. 1.Chron.c.13. 2.Chron.c.19.5.& seqq. Ita Parlamenta hodie in regno Galliæ constituta: ita & in aliis regnis bene constitutis sunt curiæ superiores cujusque provinciæ, eæque

eæq; statę & ordinarię ad lites cujusq; provinciæ decidendas, à quibus appellatio conceditur ad supremum regni tribunal & consistorium. Vide suprà *c.16.n.10.& hoc cap.n.60.*

Intermedii magistratus, vel provinciarum præfecti & præsides curiarum, curent omnino, ut nullum crimen maneat impunitum, & severè, exactè diligenterque justitiam omnibus administrent nomine superioris, & negotia ardua difficiliaque ad suum principem superiorem referant. 42

Exod.c.18.in fin. 1.Sam.c.15.33.Nehem.cap.13.25. 2.Chron. cap.19.5.Psal.82.2.3.Psal.72.1.2.3.4.12.13.14.Psal.101.8. Proverb.cap.20.8.26. Greg.*lib.4.c.5.c.6.de Rep.* Ratio horum mediatorum judicum & administratorum justitiæ constituendorum est, ne deficiant, qui lites decidant, & res controversas dirimant, ne injustitiæ, calumniæ, aut impunitatis occasio detur, & omnibus paratissimis & oblatis remediis quies societatis humanæ & Reip. retineatur. Hinc distincta judicia & subsellia judicum majorum & minorum. Vide Greg.*lib.2. c.6.* ubi exemplis variarum Rerump. illustrat, & Danæ.*lib.6. c.2.polit.* Antimach.*lib.3.theor.35.* 43

His justitię administratoribus mediatis, summi magistratus autoritas & potestas non minuitur, sed potiùs in suo vigore conservatur. Nam quemadmodum non infirmior est manus, quòd sit in digitos disecta, sed est ad agendum agilior: ita nec imminuitur summa potestas à pluribus explicata, & negotia multis communicata in Rep. faciliùs expediuntur, *Exod.cap.18.19.& seqq. Deut.c.16.18.* Et quemadmodum virtus animæ per totum corpus & membra diffusa, sua per instrumenta exsequitur mandata: Sic summa potestas per ministeria præpositorum suam exercet autoritatem. Itaque subordinatæ potestates & magistratus, non utuntur summâ potestate, quæ communicari non minùs potest, quàm unitas, sed autoritate habentis eam, cum effectu utuntur: Sic ab unitate sumuntur numeri alii, duo, tres, quatuor & sequentes, ut tamen unitas ideo non sit numerus, sed principium numeri, ut punctus non linea, sed principium lineæ, quę ex punctis consequentibus oritur. Pet. Greg.*lib.1.c.1.n.9. de Rep.* 44

45 Apud Romanos, judices alii rerum privatarum, alii publicarum constituti erant. Illorum judicia privata, horum publica dicebantur: illi vocabantur judices, arbitri, centumviri, decemviri litibus judicandis, & recuperatores; hi duumviri perduellionis. Populus Romanus in comitiis centuriatis, curiatis, & tributis judicabat de gravissimis negotiis, Remp. & regnum totum concernentibus. Vide Greg. *lib.4. c.5.n.8.& seqq. de Rep.* Quales judices fuerint apud Judæos supremi & intermedii, & quales apud Athenienses, refert Pet. Greg. *lib.4.c.5.n.29.34. de Rep.* & latè Carolus Sigon. *de Rep. Hebr. & lib. de Rep. Athenienſ.* & Danæ. *lib.6.c.2.polit.*

46 Hodie quidam distinguunt hosce judices in regios, immediatè scil. à rege constitutos: & municipales, ex permissione superioris à municipibus, vel aliis intermediis magistratibus præpositos. Sic & Octavius Cæsar magistratus partim ipse designabat, partim populo plebique creandos permittebat. Dio Cassand. *lib.53. histor.*

Ejusmodi justitiæ administratores causas dubias & controversas in judiciis cognoscent, & sine ullo affectu, aut præjudicio decident, remotisque omnibus litigantium subterfugiis, inutilibus dilationibus, fraudibus & circumventionibus, quibus justitiæ cursus impeditur, & judiciorum exitus eluditur, lites definient: denique summo studio abusus in hac re sanctissima corrigere & declinare laborabunt.

Vide *Jer.c.5.26.27.28.* ibi, Causam non judicant, causam pupilli, tamen prosperantur: jus egentium non judicant. *& cap.22.15.16.17. Ezech.c.45.9.10.11.12. Tzeph.c.3.3.* Principes ejus in medio ejus sunt leones rugientes, judices ejus lupi vespertini &c. *Eccl.c.3.16.* loco juris, ibi, Improbitatem, loco justitiæ improbitatem esse. *Amos c.5.7.* Mutantes in absinthium jus & justitiam, humi collocantes, *& versib. seqq. Mich.c.3.9.* Audite jam primores domus Israëlis, domus Jacobi, & ductores domus Israëlis, qui abominantur jus, & quicquid est rectum, pervertunt. *10.* Quisquis ædificat Zionem cædibus, & Jerusalem iniquitate. *11.* Quorum primores munere judicant, & quorum sacerdotes pretio docent, & quorum

quorũ prophetæ pecuniâ divinant: interea Jehovâ nituntur, dicendo, Annon Jehova in medio nostri est? non superveniet nobis malum. *12.* Idcirco vestrâ causâ Zion ut ager arabitur, & Jerusalem in acervos abibunt, & mons ipsius domus sylvosa in excelsa. Idcirco intermittitur lex, & non procedit unquam jus; quia improbus circumsidet justum, idcirco prodit jus perversum. *Tzephan.c.3.3. Psal.82.& 72.*

Abusus justitiæ reddendæ magnus & noxius est 47
in eo, quòd dilationibus & actis inutilibus litis definitio & decisio prolongatur, ut sæpiùs fuerit satius, re caruisse, quàm victoriam in judicio reportasse. Plus enim impensum invenitur in lite persequenda, quàm sit principale negotium. Et judices imperiti, vel negligentes & avari, comperendinationibus judicia differunt, ut hoc modo litigantes expilent, & ipsorum patrimonia abliguriant.

Talis judex fuit Felix, qui Paulum ob spem lucri vinctum reliquit, *Actor.c.24.* & judex iniquus, de quo Christus *Luc. c.18.* & tales sunt plerisq; in locis Scabini analphabeti, rustici ex arbitrio judicantes, compotationibus litigantium patrimonia devorantes, confusè omnia, sine certâ consuetudine, sine ordine & stilo, aut ullâ scripturâ transigentes, mutantes, alterantes, sordidantes, *Eccl.c.38.35. & seqq.* Huic malo remedium adferendum est, & judices periti, docti & pii constituendi, *Exod.c.18.19. & seqq. Deut.c.1.17. 2.Chron.c.19.5. & seqq.* Pet. Greg. *lib.4.c.8.n.10.11.* Boter. *lib.1. de pol. bene const.*

Sed & nimia festinatio, judiciorum noverca & labes dicitur, in qua scil. legitimus cognitionis ordo & processus est prætermissus.

Plato *lib.6. de legib. & lib.9.* & JCti latiùs. Qua in re peccavit etiam David ad accusationem Sibæ, condemnans statim Mephiboseth, *1.Sam.c.19.29.* Atque hoc morbo & vitio tribunalia illa scabinalia, quæ vocamus, plerumque laborant.

Abusus itaq; hi judiciorum præcavendi, quibus sæpe malè 48
audiunt tribunalia, tanquam prædonum & latronum conciliabula; ut plerumq; satius esset, incidere in viarum grassa-

tores,quàm in forenſes ejusmodi harpyias,procuratores,rabulasque,avaros,ſycophantas,accipitres,pecuniæ devoratores,vultures, canes & corvos fori, qui paulatim ſugunt litigantium facultates, uſq; ad ſanguinem,& extremam deſperationem ſæpiſſimè producunt,ut illis ſatius dulciusque ſit mori potiùs,quàm vivere. Itaq; rectè dicitur,comitem æris alieni & litis eſſe miſeriam. Vide Pet.Greg.*lib.2.c.6.n.14.de Rep.* Rhodig.*lib.28.c.9.* Geil.*lib.11.c.18.* Quamobrem boni magiſtratus eſt, malis, quæ oriuntur ex abuſu rabularum & judicum corruptorum,remediis & pœnis occurrere, & fori neceſſitatem rectis legibus reformare, & abuſus emendare. De hisce rabulis & corvis vide Hering. *de fidejuſſ.c.7.n.590. & ſeqq.* & latiùs Tiraq.*de nobilit.c.29.*

49 Judicia etiã publicè habere expedit,quia magna autoritas judicatis;& ab illis diſcunt,qui ſimilia habent negotia, litem non movere; & exemplo edocti,metuunt: & judices corruptè judicare reformidant,dum cenſuram publicam adhibendam ſciant. Greg.*d.loc.lib.11.c.18.de Rep.*

50 Pragmaticorum quoq; numerus in quavis Rep. certus conſtituendus eſt,ne effrenis numerus,velut hirudo privatorum opes exſugat, & omnia litibus impleat.

51 Ars rabularia & rabulę ipſi ex Rep.vel tollantur, vel coêrceantur. Conſcientias enim hominũ pervertunt, & judiciorum ſanctitatem in cautelas, technas atq; perjuria commutant.

Plato *lib.11. de legib.* Sed hodie,ut vis morborum,pretia medentib. ſic fori tabes,pecuniã advocatis ferre ſolet. Unde publicæ mercis nihil tam venale,quàm hodie advocatorum perfidia,ut ex Tacito refert Lipſ. addens ex Columella, caninum hoc ſtudium conceſſum latrociniũ dici.Ideo principi providendum, ne legibus fundata civitas,legibus evertatur.

52 Remedia itaq; princeps quęrat,quibus multitudo litium,aut impediri,aut minui poſſit, atq; lites ſerentes & foventes expellantur, vel reprimántur. Privatas litium vel controverſiarum compoſitiones probet & commendet.

Judicum

Judicum quoque & judiciorum ſubalternorum multitudinem Reip. pernicioſam eſſe,experientia teſtatur. Hinc enim judicia longiora & perturbatiora erunt cum periculo & damno litigantium, quibus turbatiùs & tardiùs,magnoq; cum ſumptu jus redditur. Antimach. *lib.3.theor.35.* 53

Modus impenſarum conſtituendus judicibus & advocatis procuratoribus,& aliis perſonis judicialibus,cum pœna in eos,qui ultra ſalaria & ſportulas definitas, aliquid etiam à volentibus litigantibus accipiunt, alioquin non parcit litigator ſumptibus inanibus, dum viderit perſonas illas accipere ſine metu reſtitutionis & caſtigationis. Adde *Deut.c.16. 19. Prov.c.17.23.* 54

Avaritia itaque & ſordes perſonarum publicarum coërcendæ. Nam munus excæcat oculos ſapientum,& pervertit verba juſtorum, *Deut.c.16.19.* quæ reddunt magiſtratum exoſum,deteſtabilem, & mutationem ſtatus inducunt. *1.Sam. c.8.2.3.4.5.* ideo iſtæ harpyiæ forenſes puniendæ. Vide *Novell.17.& 25.de mandat.princ.c.1.& l.fin.C.ad l.Jul.repet.* 55

Judicibus, advocatis & procuratorib. qui craſsâ ignorantiâ in jure offenderunt,aut qui negligenter inſpectis cauſis in facto lapſi ſunt,dies dicendus,& pœna irroganda eſt ab illis,qui conſtituti ſunt cenſores, & errorum caſtigatores. 56

Libera quoq; ad ſuperiorem magiſtratum provocandi poteſtas ab hisce intermediis,ſeu inferioribus judicibus concedenda illis,qui ſe iniquè contra jus horum ſententiâ gravatos eſſe exiſtimant. *Exod.c.18. Act.c.25.* ſuprà *c.16.n.10.* 57

Ideo magiſtratus ſupremus,ſupremum tribunal & conſiſtorium in cauſis appellationũ conſtituet, in quo cauſæ quævis, de quibus malè judicatum

dicitur, recipiuntur, examinantur & discutiuntur à pluribus judicibus ex omnibus ſtatibus & ordinibus Reip. ſine poteſtate provocandi, vel appellandi, *2. Sam. c. 15. v. 2. Exod. c. 18. 19. Deut. c. 1. 17.* De appellationibus verò latè JCti. Vide ſuprà *c. 16. n. 9. 10.*

58 Sed hoc tribunal ſuperius, non tam ſummi magiſtratus, quàm totius regni eſſe dicitur. In hoc enim nomine regni judicant rex & ephori, ſeu ſtatus & ordines totius regni, vel viri docti & pii illorum nomine.

Vide ſuprà *c. 16.* De ultima provocatione & comitiis, quæ inter majeſtatis jura retuli, vide & ſuprà *c. 27. num. 42. & ſeq. & cap. 18. num. 68.* ubi ſine conſilio ephororum in arduis magiſtratum ſummum nihil conſtituere debere, dixi & *cap. 33.*

59 Apud Judæos de cauſis levioribus cognoſcebant Primùm Chiliarchi, Centuriones, Quinquagenarii & Decuriones, unà cum ſuis præfectis, quisque in ſua Chiliade, Centuria, Quinquagenaria & Decuria. Deinde ſi quid gravioris negotii ſuboriretur, res tota ad ſeptuaginta, eorumque præfectos referebatur. Hi utplurimùm præſente Moſe de rebus decernebant. Imò & ipſe Moſes aliquando ſolus de rebus graviſſimis ex Dei reſponſis ſtatuebat.

60 In Imperio Germanico ſummum tribunal, ſeu prætorium totius politiæ, eſt Camera Imperialis, quæ locum & ſedem ordinariam Spiræ Nemetum habet. In hac Camera Imperiali judices & adſeſſores à ſtatibus & ordinibus certis Imperii nominantur, qui conſtituunt ſenatum Imperii, uti vocantur *in viſitat. de anno 70. §.* Dann ob wol ꝛc. qui ſtatus Imperium & Cæſarem repræſentare dicuntur *in ordinat. Camer. tit. 8.* ubi Ciſner. *part. 1.* Pet. Heig. *lib. 1. quæſt. 9.* Vide Guid. Pap. *quæſt. 29. & 42. 3.* In regno Galliæ & Angliæ ſunt Parlamenta, quæ vocant. Vide Johan. Montaigne *de Parlament.* Thom. Smit. *lib. 2. cap. 2. de Rep. Anglor.* Pet. Greg. *lib. 47. cap. 27. ſyntagm.* Vide ſuprà *cap. 16. n. 10. cap. 17. 61. c. 33. num. 111. & ſeqq.*

CAPUT

CAPUT XXX.

De cenſura.

1 *Cenſura quid.*
2 *In quibus delictis locum habeat.*
3 *Præfecti cenſuræ, cenſores olim & hodie.*
4 *Hodie cui demandata.*
5 *Inquiſitio cenſuræ, in quæ delicta fiat.*
6 *Mores mali qui hic.*
7 *Licentia & pecuniæ immoderatum ſtudium Reipubl. peſtes.*
8 *Laſcivi, prodigi, ſumptuoſi, luxurioſi notandi.*
9 *Actiones publicæ & privatæ & ſermones moderandi.*
10 *Otium non permittendum.*
11 *Remedium otii.*
12 *Curioſitas prohibenda.*
13 *Validi mendicantes arcendi.*
14 *Præpoſiti ptochotrophiis & noſocomiis.*
15 *Conciones non frequentantes obſervandi.*
16 *Luxus, ejuſq; mala.*
17 *Studium pecuniæ nimium damnatur, & quare.*
18 *Subditos divites habere expedit.*
19 *Paupertas & divitiæ nimiæ ſubditorum, nocent Reip.*
20 *Sumptuoſa ædificia & ſtructuræ.*
21 *Convivia ſumptuoſa prohibenda & quare.*
22 *Victus frugalitas & temperantia publica Reipubl. utilis.*
23 *Veſtitus luxurioſus prohibitus, & quare.*
24 *Notatio cenſuræ quid.*
25 *Ignominia quid.*
26 *Mulcta.*
27 *Ergaſteria.*
28 *Eccleſiaſtica cenſura hodie uſitata, & ejus gradus.*
29 *Cenſura quomodo introducenda, idq; paulatim.*
30 *Delatores, exploratores, quatenus laudandi.*
31 *Proditores quatenus non peccant.*

Universidad de Deusto Biblioteca

DE justitiæ administratione, primâ legum executionis specie, capite præcedenti satis est dictum: sequitur de censura, alterâ illius specie.

1 Censura est inquisitio & animadversio in mores & luxus eos, qui legibus non arcentur & puniuntur, quibus tamen subditorum animi corrumpuntur, vel bona illorum inutiliter consumuntur.

2 Censura igitur corrigit illa, quæ pœnâ quidem nondum digna sunt; neglecta tamen, aut contemptui habita, multorum magnorumque malorum causam præbent, ut ex Dione Lipsius dicit, imò paulatim omissa, funditus Rempub. trahunt. Cic. *in Pison.* censuram magistram pudoris & modestiæ vocat. Greg. *lib.4.c.12.* Danæ. *lib.6.c.4.* & Bodinus eam valdè commendant.

3 Censuræ præfecti à summo magistratu censores, morum magistri, disciplinæ observatores & inspectores, inquisitores, vocantur ζητηταὶ καὶ νομοφύλακες. Sigon. *de Repub. Athen. lib.4.c.3.*

4 Hodie apud nos morum censura & inquisitio collegio sacro, seu presbyterio demandari solet; qui huic non obtemperat, illi sacris interdicitur, ut erubescat exclusionis ignominiâ, *1.Corinth.c.5.* Contemnens hanc exclusionẽ & excommunicationem, ob maleficium hujus contemtus à fiscali accusatur apud magistratum, à quo pœnâ meritâ punitur. Vide *Matth.c.18.*

Apud Judæos videtur prophetis jus censuræ demandatum fuisse, etiam in reges, uti apparet ex exemplo Samuelis, *1.Sam.c.12.per tot.c.13.14.* nec non Esaiæ, Jeremiæ & aliorum: *Jer.c.1.10.c.20. 1.Reg.c.17.1. 2.Reg.c.3.13.* Et acri censurâ Jeroboam fuit à propheta reprehensus, *1.Reg.c.13.4.* Asa à Hanano, *2.Chron.c.16.10.* David à Nathan, *2.Sam.c.12.* Sic & Jeremias populum & regem, *Jer.c.17.20.* & Elias Achab, *1.Reg.c.18.19.* verbis reprehendisse legitur, & Johannes Herodem, *Matth.c.14.3.4.* Elisa regem Israël, *2.Reg. cap.3.13.* Vide exempla plura si libet, *2.Reg.c.3.13. 1.Reg.c.14.9.c.16. 2.3.c.18.*

2.3.c.18.21.22.c.19.10.c.21.19.. 2.Chron.c.16.7.8.cap.19.2. & c.20.37.c.23. Sic & Jehojadah Joasum informavit, *2.Chron. c.24. 2.Reg.cap.12.* Zacharias Huziam, *2.Chron.c.26.v.5.6. 19. 1.Reg.cap.18.18. & seqq.* Zepper. *de polit.eccles. lib.2.c.15. c.17.* Non enim vitia regum vel principum sunt dissimulanda, *1.Reg.c.18.18. 2.Reg.c.13.13. Matth.cap.14.3.4.* Romani quoque semper suos morum censores habuisse leguntur. Lacedæmonii suos ephoros, regum censores habebant. Atq; his ephoris, optimatibus & ordinibus regni, censuræ jus & potestas in ipsum summum magistratum est data, prout dixi *sup.cap.18. & c.38.*

Praxis & forma censuræ consistit in inquisitione & notatione.

Inquisitio censuræ fit in vitia illa, quæ in judicium defectu accusatoris, vel denunciatoris non veniunt, & tamen oculos piorum & bonorum civium offendunt & merentur, propter exemplum, maximè seriam reprehensionem & notationem, quamvis à pœna abstineri possit. 5

Vitia ejusmodi sunt duo, mores mali, & luxus, secundùm Lipsium.

Mores malos intelligo hîc pravas artes, lascivias, libidines, ebrietates, jurgia, errores, schismata, hæreses, perjuria, & quidquid tale probitas & modestia damnant in omni ætate & sexu, quo subditi abusu bonorum suorum depauperantur, vel vitiis depravantur & corrumpuntur. 6

Bonorum itaque & sanctorum morum Reip. duæ sunt deterrimæ pestes & corruptelæ, nimirũ publica luxus voluptatisque immoderatæ licentia, & pecuniæ quocunque pacto congerendæ laudatum, tanquam rei honestæ, studium. 7

Xenoph. *8.lib.de pædia Cyri*, ait, impietatem & perfidiam regnum Persarum ditissimum & florentissimum perdidisse.

8 Pravas malasque libidines à juventute prohibebit & castigabit censor, & notabit luxuriosos, lascivos, prodigos, decoctores, helluones, comessatores, ganearum popinarumque frequentatores, ebrios, temulentos, molles, delicatos nimiùm, sumptuosos, pomposos & similes, de quibus Greg. Tholos. *lib.39.syntag.c.7. Juris univers.*

9 Sed & libelli obscœni, famosi, sermones turpes, inhonesti coërcendi, atque cantus, ludi, saltationes, convivia, exercitationes publicæ & privatæ legibus certis ab illo sunt definiendæ, ut cives voluptati modum ponere adsuescant, & honestis exercitiis delectentur, non occasio illis ad delinquendum præbeatur.

A senibus eas voluptates, quas eorum ætas sine dedecore non attingit, arcebit & prohibebit.

10 Ab universa plebe otium (quod est ἀπαξία, introducta contra legem Dei, de victu comparando & honestis occupationibus) tanquam omnium vitiorum & malorum causam & pestem Reipub. prohibebit, *2.Thes.c.3.6.7.8.9. & seqq. Ezech.c.17.49.* & curabit, ut habeat negotia sua, quibus à malo publico retineatur.

Greg. *lib.22.c.7.de Rep.* ubi honestæ occupationes, quæ otiosis demandari possunt, describuntur. Vid. Bened. Aret. *tom.2.probl.loc.140.* Camerar. *lib.1.c.16.med.hist.*

11 Itaque consultum (uti apud Chinenses fieri historiæ referunt) ut subditi & cives doceant apud censorem, quâ ratione sibi victum inter suos concives comparent, & mendicitas omnis è Repub. tollatur. *Plato lib.11.de legib.* & omnis ἀπραγμοσύνη. Bodin. *lib.5.c.2.de Repub. Deut.cap.15.4. & seqq.* Valer. Maxim. *lib.2. c.1.* Nam qui nihil habent unde vivant, &

vant, & otiari volunt, fucis sunt similes, & inutiles societati humanæ, unde fiunt vel mendicantes, vel latrones & fures. Vide Scipio. Amirat. *lib.17. discurs. 6.* Castellan. *lib.3.c.17. de offic.reg.*

12 Πολυπραγμοσύνην & curiositatem prohibebit, & monebit censor, ut quilibet necessaria & propria vocationis officia diligenter faciat, non necessaria omittat.

1.Cor.c.7. In quâ quisque vocatione vocatus est, in hac ambulet. *Sira.* Quæ sunt tibi mandata, cogita sanctè. *1.Thes. c.4.* Sitis quieti, & agite propria. Vide Gregor. Richt. *ax.24.* Camer. *lib.1.c.16. medit.*

13 Consultum quoque, ut censores hi in vagos, validos & sanos mendicantes animadvertant, eosque cogant ad honestos labores, vel ejiciant ex politia & consortio hominum, ne diligentum operas devorent, & consumant quæ laboribus aliorum sunt adquisita. Vide *tit.C. de valid. mendic.* uti fit Argentinæ, Basileæ, & aliis in locis. In ergasteria colastica, zuchthäuser / in Belgio tales truduntur.

14 Præpositos quoque hosce esse inspectores ptochotrophiis, gerontocomiis & nosocomiis, utile esse judico Vide Camerar. *1. medit. histor. cap.16. & cent.2.c.64.*

15 Dabit etiam operam censor, ut omnes probitati atque industriæ studeant, inprimis verò observabit, an singuli conciones sacras frequentent, sacrâ synaxi utantur, & pietati studeant, cultui atque religioni sacræ vacent in diebus sacris & festis solemnibus; an in hæresin, vel errorem quis lapsus sit, vel à professione sua alienam vitam agat.

Curabit similiter, ut qui alieni sunt à religione approbata & recepta, quive in alieno territorio u-

tuntur sacramentis, tales in consistorium ecclesiasticum vocentur, & meliùs ibi instruantur, arg. *1. Corinth. c. 5. Galat. c. 6.*

Luxus, autore Lipsio, in quatuor consistit, nimirum in pecuniâ, domo, conviviis, vestibus.

16 Luxus & voluptates & multa magna imperia perdidêre, uti Romanum, Græcũ, Babylonicum. Nam luxus animos hominum effœminat, fortitudinem tollit, mentes consopit, easq; cœno & sordibus voluptatum suffocat, & quasi dulci veneno inficit, & ad virtutes inutiles reddit.

Luxu Romani inescati & evirati, pertulerunt tyrannos immanissimos, Tiberium, Caligulam, Neronem, Heliogabalum, hominum portenta. Luxu Romanorum virtus extincta fuit, horumq; fortitudo in theatralibus ludis evanuit, in Luculli hortis reddita languida, in Messalæ piscinis immersa, & otio sepulta fuit. Est. n. hæc luxuriæ & voluptatum natura & conditio, ut in supremo gradu existens, vermib. voluptatum corrumpatur & rubigine indomitæ & effrænis petulantiæ & insolentiæ consumatur. Quomodo. n. Romana prisca virtus locum habere potuit, ibi, ut piscis majoris, quâ taur⁹ vendebatur? *Zephan. c. 3. 1.* Vę ingluviei & contaminatæ civitati huic, opprimenti &c. Curandũ itaq; magistratui est legibus constitutis, ne subditi bonis suis abutãtur, atq; coërcẽda luxuria in cultu, victu, conviviis & cæteris rebus cupiditatib. & sumptibus faciendis modus constituendus, ne homines semetipsos ad inopiam redigant. Atque talis parsimonia paupertatem & rei familiaris angustias tolerabiles reddet. Simanc. *lib. 9. c. 29.*

17 Pecuniæ, quæ nutrix & mater omnis luxus est & maxima pernicies, verum usum inter cives conservabit, in mediocritate consistentem.

Deinde etiam è re subditorum est, desiderium divitiarum minui.

Nam ubi illarum cupido invasit, ibi neque disciplina, neque bonæ artes satis pollent, & omnia bona vilia sunt, fides, probi-

„bitas, pudor, pudicitia. Nam ubi divitiæ, ibi plerunq; vitia: Ideo Deo nõ carus, cui carę sunt opes; & magna pecunię cura solet virtutis esse incuria. Itaq; censor nimiũ pecuniæ studiũ tollet, aut, quoad res feret, minuet, avaritiam coërcebit, & fœnus & usuras rodentes & quæstus sordidos, & deniq; „pfusiones vetabit, & finẽ atq; modum sumptuum statuet. Unde leges sumptuatiæ apud Romanos. Nam benè rescripsit Hadrianus, se malle hominum adjectione, quàm pecuniarum copiâ, imperium ampliari, *l. cùm ratio. de bon. damnat.* Bodin. *lib. 6. c. 2. de Repub.*

Divites tamen habere subditos, copiâque rerum mediocri abundantes, utilissimum Reipub. & magistratui. 18

Vide exempla & rationes referentem Antimach. *lib. 3. theorem. 32.* ubi refutatur Machiavellus. Sanè thesaurus principis certissimus in subditorum loculis, qui neque certiores quæstores ærarios, quàm subditos habebit.

Ut igitur nimia paupertas Reipub. noxia est, sic & nimiæ divitiæ. Utraq; solet ad mutationem status publici homines impellere. utriq; modum ponet censor. Scipio Amirat. *lib. 17. discurs. 6.* Ita tamen, ne fiat exæquatio pauperum & divitum; ignavia in pauperibus, & in divitibus industria exasperetur. Nam omnes sumptuariæ leges, quibus gulæ, vestib. & servitiis, cæterisque pompis modus imponitur, nihil aliud spectant, nisi ut subditi non depauperentur, & mores eorundem corrumpantur. 19

Sumtus circa ædificia etiam censor observabit, ne quis nimis struat, vel instruat ædes signis, aulæis aliisque operibus exornet. In iisdem modum ponet argento, supellectili, familiæ. 2

Augustus Imperator sumptus immoderatos ædificantium voluit temperare & moderari edicto proposito: Tiberius sumptus conviviorum: Vespasianus & alii idem tentarunt.

21 In conviviis damnabit exquisita ingenia cœnarum, & helluones istos, quibus mos vescendi causâ terrâ mariq́ue omnia exquirere; & uno verbo videbit, ne luxus mensæ, profusis sumptibus exerceantur.

Nam magnificus apparatus conviviorum & sumptuosa largitio ab opulentia, parit mox egestatem & æs alienum, à quo spes nova & causa civilis belli. Quippe publicam ruinam quisque mavult, quàm sua proteri: & privatam calamitatem & miserias Reipub. malis operire: & rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri, vel pecunia, sed sola vitio-
22 rum instrumenta remanent. Unde Polyb. *lib. 6.* rectè dixit, victus frugalitatem & temperantiam publicam à multis malis & vitiis Remp. liberare. De legibus sumptuariis Romanorum vide Rosin. *lib. 8. antiq. c. 13.*

23 In vestitu providebit censor, ne is sit luxuriosus, promiscuus viris & fœminis, nobilibus & plebeis, utque sui & certi quidam cultus sint, hi qui ordinibus & dignatione antistant, ita ut nec in materia & forma sit luxus, lascivia, vel affectata novitas & varietas inusitata. Tholos. *lib. 4. c. 11. de Repub.*

Nam rectè Seneca *in epist.* Conviviorum luxuria & vestium, ægræ civitatis indicia sunt, imò morituræ. Nam hæc novitatem, vel mutationem in Repub. inducunt, & juventutem, ubi familiares opes defecerunt, ad facinora incendunt. Nam quis non videt, ex profusis sumptibus egestatem, ex egestate desperationem, ex desperatione facinora capitalia, quibus Resp. in discrimen inducitur, oriri? Nam res abit, fides perit, eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Itaque hæc in Rep. seminarium Catilinarum est. Et rectè Arist. *5. Polit.* Mutationes in Repub. fieri, cùm homines sua consumunt prodigè viventes. Hi enim, tales res novas quærunt, aut ipsi tyrannidi imminent, aut ad eam alios vocant. Vide Greg. *lib. 4. c. 11.* ubi exempla & pœnas refert. & Rich. *ax. 295.* Accedit ex delicato & luxurioso ornatu pernicies adolescentum, qui mulierum perditis ornamentis, ad voluptates noxias, velut per aucupium, per-

trahuntur, quorum reatum incurrunt fœminæ, quæ se ornant & comunt, ut in se irritent omnium oculos. Decipiuntur etiam improvidi superfluo & splendido illo ornatu, ob quem omnes illos ditiores & honestiores, quàm sunt, existimantes, inescantur. Itaque mulieres ejusmodi comtæ, fucatæ & ornatæ crispatis capillis, tinctis oculis, unctis genis, pilis junctis, fluxâ togâ, catenis & gemmis, aliisque ornatibus compositæ, quibus homines decipiunt, sunt similes templis Ægyptiorum, uti ex Clemente Alexand. retulit Greg. Plura Simanca *lib. 9. c. 28. de Rep.*

Notatio censuræ, est pudefactionis & ignominiæ vel mulctę alicujus, ob vitam minùs decentem, indictio à censore facta. 24

2. Thess. c. 3. 14. Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, ut erubescat.

Ignomina & pudefactio propria est censuræ. 25

Nam censoris judicium, ait Cic. *lib. 4. de Rep.* nihil ferè adfert damnato, nisi ruborem. Nam quemadmodum censores in ordines, honoris causâ, cives referre poterant, vel in senatorum, vel equitum ordinem, sic ab iisdem censoriâ notâ pellebantur & ejiciebantur: plebeium tribu movendo, equum equiti adimendo, senatorem senatu ejiciendo notabant & ordine ejiciebant, Greg. *lib. 4. c. 12.* Ideoq; Dio Cassius, censoris, ait potestas erat, quâ privatim quoque in cujusque vitam inquirendi, meritosque infamandi jus haberet: Ideo timoris causam, non vitæ pœnam, in illius potestate esse voluerunt. Vide Bodin. *lib. 6. de Rep.*

Mulcta statuitur in perseverantes in malis moribus, nec ignominiam curantes, qui depudêre dedicêrunt, & voluptatum non illecebris tantùm, sed ipsâ infamiâ gaudent, ut dicit Valer. Max. *lib. 6. c. 9.* Atque ita non solùm à magistratu, sed etiam à censore idem delictum puniri potest. *Esd. c. 10. 8.* De morum judicio Gell. *lib. 5. cap. 20. l. 11. in fine. C. de repud. l. 5. illud. de pact. dotal.* 26

Hodie in quibusdam locis etiam Ergasteria, seu 27

trahuntur

domus certæ destinatæ sunt, quas Germani Zucht häuser vocant, quibus inclusi ejusmodi indomiti, effrænes & petulantes homines, jejunio macerãtur, vel laboribus exercentur tamdiu, donec pœnitentiam egerint, vel spes melior de eorum vita appareat.

Talis domus est in civitate Amstelrodamo & plerisq; urbibus Hollandiæ, & pluribus aliis in locis, atque alia pro masculis, & alia pro fœminis; quem morem valde laudo.

28 Nostratium censorum, presbyterorum scilicet, animadversio & nota consistit in suspensione ab usu sacramentorum, seu interdictione, excommunicatione & commercio piorum.

2.Thess.c.3.6.14. ibi, Ut subducatis vos ab omni &c. & ibi, Et ne commercium habete cum eo, ut erubescat: *Ezech.c.3.17.1.Cor.c.5.6.c.15.33.* Vide Zepper. *de polit.eccles.lib.1.c.14. & seqq.* Atque hic dicitur gladius spiritualis, seu potestas clavium. Aret. *tom.2.loc.140.in probl.* Zepp. *d.loc.*

Sunt tamen hîc gradus observandi à censoribus. Nam primò admonitio, postea correptio, mulctáve, & denique post contemptum horum, excommunicatio locũ habet, *Matt.c.18.Lev.19.Gal.c.6.*

Atque talis disciplina ecclesiastica vocatur meritò magistra virtutis, fidei custos, seps & munimentum pietatis, nervus & vinculum ecclesiæ. De qua re latiùs Theologi.

Censorum Judaicorum censura & animadversio erat triplex. Suspensio, aversatio & amandatio, seu exilium temporale: Devotio, seu excommunicatio; & deniq; adjudicatio, seu anathema. Vide Bonav. Cornel. *de polit. Judaic.c.7.* de quibus vide *2.Tim.c.4.14. Gal.c.5.12. 1.Cor.c.5.3.*

29 Ubi talis censura non est, commodè institui & introduci potest vitâ principis, secundùm honestatem & pietatem conformatâ. Nam rectè dixit Plin. *in panegyr.* Vita principis, civium censura est, eaq; perpetua, ad quam dirigimur & convertimur.

Deinde consultum est, ut non omnia simul emendentur, sed paulatim.

Neque enim, ut Cicero dicit, potest quisquam nostrûm subitò fingi, nec cujusquam repentè vita mutari aut natura converti; tempore opus est. Et vitia quædam tollit faciliùs princeps, si patiens eorum est. Quosdam pudor, alios necessitas, nonnullos satietas in melius mutat. Nam peregrinatur quorundam animus in nequitia, non habitat, uti ex Seneca & aliis Lipsius docet. Greg. *lib.4.c.12.* Danæ. *lib.6.c.4.*

Censoribus adfines sunt delatores & exploratores, qui clàm illicita dicta, factáve aliorum, magistratui patefaciunt. 30

Exempla delationis hujus ex sacra scriptura occurrunt, *Gen.c.37.2.* Joseph Jacobo primùm detulit delicta fratrum suorum. *Lev.cap.5.1.c.19.17.* præcipitur illa & approbatur. *Act.c.23.* ubi nepos Pauli, conjurationem Judæorum defert: *2.Sam.cap.16.* David fugiens, reliquit exploratores, Chusai, Zadoch & Abjathar, qui negotia Absolonis ad Davidem deferunt. *1.Sam.cap.19.* Jonathan defert consilia Saulis ad Davidem. *1.Sam.cap.2.* Heli audit scelera filiorum suorum à delatoribus. *1.Corinth.cap.1.* Paulus per domesticos Chloes ad se delata fuisse dicit peccata Corinthiorum. Josua quoque exploratores misit Jerichuntem, quos juvit Rachab. Et domus Joseph similes misit ad Luzam urbem. Adde *tit. C. de delatorib.l.28. C. de episc. & cleric.* Exempla pluta extant apud Bened. Aret. *tom.2.loc.106.in probl.* Ratio est, quòd qui dissimulat aliena maleficia, peccatis alienis communicare dicitur, *Eph.c.5.7. 1.Tim.c.5.22.* & ad peccandum alios invitare. *Prov.c.13.24.* De illicitâ delatione ob scopum impium accipienda sunt dicta, *Psal.101.vers.5. & Psal.140. v.12. Prov.c.20.v.19. & c.11.*

Proditio quoque licita esse dicitur, quando proditor certò scit, se bonam causam promovere: deinde prodit amore justitiæ & honestatis, non verò mercedis ac præmii spe, vel timore alicujus infortunii, vel odio, vel cupiditate inimicitiæ privatæ satisfaciendæ; & denique, quando alia remedia illi desunt, atque mendacium nullum miscetur. 31

Vide exempla Rahab, *Josu. cap. 2.* collatione facta cum *Heb. c. 2.* Josephi, *Gen. c. 37.* Jonathanis prodentis Davidi patris facta, *1. Sam. c. 20.* Chusai Absolonis, *2. Sam. c. 15. 33. & seqq. c. 17.* Aliæ proditiones sunt prohibitæ, *1. Tim. c. 2. & 1. 1. Sam. c. 23. c. 26.* Petr. Mart. *Judic. c. 1.* An revelare verò maleficium alienum quis teneatur, tractant latiùs JCti, inprimis verò Menoch. & Farinacius.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPUT XXXI.

De studio concordiæ conservandæ.

1 *Concordia inter subditos quid.*
2 *Hujus necessitas & utilitas exemplis illustratur.*
3 *Cura concordiæ in quibus consistat.*
4 *Partes factionum diversæ.*
5 *Conjuratio & conspiratio quid.*
6 *Factio quid.*
7 *Plures factiones minus periculosæ.*
8 *Causæ factionis.*
9 *Exitus discordiarum, & n. 12.*
10 *Remedia factionum.*
11 *Seditio quid.*
13 *Causæ seditionis.*
14 *Oppressio, & exactio.*
15 *Metus facinorosorum hominum.*
16 *Laxitas nimia, vel angustia & inopia vel divitiæ.*
17 *Scelerum impunitas & injustitia.*
18 *Spiritus tribunitii.*
19 *Plebis contemptus.*
20 *Religionis diversitas & discrepantia.*
21 *Extranei.*
22 *Discordiæ & contentiones.*
23 *Otium subditorum & nimia felicitas & copia, vel inopia.*
24 *Res secundæ plebis, motus urbanos excitant.*
25 *Libertatis prætensio.*
26 *Remedia seditionum generalia tria.*
27 *Præcautio seditionis.*
28 *Voluntas & facultas seditiosis adimenda.*

29 Volun-

29 *Voluntas rebellandi quomodo subditis adimatur.*
30 *Voluntatem & facultatem adimentia.*
31 *Facultatem tollentia.*
32 *Cognationes amplæ potentiam augent.*
33 *Potentiores urbe ejicere, periculosum.*
34 *Juvenes excellentes aliò transferendi.*
35 *Arma adimenda: & n. 45.*
36 *Munitiones adimendæ.*
37 *Pecunia quomodo subditis adimenda.*
38 *Conventicula prohibenda.*
39 *Diffidentia.*
40 *Conventicula quomodo tollenda.*
41 *Paupertas & inopia.*
42 *Metropolis custodienda.*
43 *Remedia seditionum tollendarum in conventu publico.*
44 *Religio inviolabilis & sancta.*
46 *Discordiarum causæ tollendæ.*
47 *Autores seditionis inseandi.*
48 *Populo permittenda quædam.*
49 *Largitiones faciendæ.*
50 *Labores injungendi.*
51 *Mutationes cavendæ.*
52 *Seditionis incipientis emendatio.*
53 *Delatores, exploratores.*
54 *Inquisitio per quæstionem.*
55 *Seditionis proceres avellendi & separandi.*
56 *Promissionibus ad se alliciendi præcipui.*
57 *Propugnacula præoccupanda.*
58 *Conventicula tollenda.*
59 *Querelæ de magistratu.*
60 *Flabella seditionum tollenda.*
61 *Demulcendi ars hic utilis.*
62 *Dehortatio magistratus quando utilis.*
63 *Potentiorum provocatio & irritatio cavenda.*
64 *Dissimulanda multa & toleranda.*
65 *Periculosa conjuratio à regni proceribus mota.*
66 *Lenienda seditio.*
67 *Autores seditionum tollendi.*
68 *Pœnæ temperatio.*

69 *Severitas in quos exercenda.*
70 *Ἀμνηστία.*
71 *Compromissum partium in socios, vel potentiores.*
72 *Bellum civile quando necessarium.*
73 *Incommoda ejus.*
74 *A quibus gerendum hoc bellum.*
75 *Confœderatio cum vicinis.*
76 *Pax cum vicinis.*
77 *Cum quibus fœdera sancienda.*
78 *Potentiæ vicinæ crescentis incommoda.* (petit-
79 *Autoritate & consilio discordias tollere, vicinis com-*

TAntum de justitiæ administratione & censura: sequitur de studio concordiæ & tranquillitatis publicæ conservandæ.

Vide exempla & rationes apud Antimach. *lib. 3. theor. 30. & 31.* Boter. *lib. 1. c. 8.* Bodin. *lib. 4. c. 5.*

1 Concordia & tranquillitas inter subditos, est eorundem mutua inter se & cum suo magistratu consensio, pax & benevolentia, sine simultatib. & odiis mutuis ad status publici conservationem. Vide *Novel. 4. l. congruit. de offic. præsid.*

2 Hæc summè in Republ. est necessaria.

Nihil enim melius Reip. quàm unio; nihil perniciosius, quàm divisio. Patric. *de Rep. lib. 6. tit. 6.* Ideo rectè concordia Reip. munimentum dicitur inexpugnabile: contrà discordia ipsius eversio; concordia nutrix benevolentiæ & amoris, atq; vinculum societatis arctissimum. Discordia compagum Reip. solutio, vel navis dissoluta. Ostendit id Agrippa legatus ad plebem Romanam dissidentem à Patribus, missus, fabulâ de membris corporis inter se cũ ventre dissidentibus. Nisi enim membra corporis, mutuis præsidiis & auxiliis ad universi corporis salutem procurandam consensu & concordia conspirent, necesse est ut corpus pereat. Antimach. *theor. 3. & 31.* Concordiâ enim res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur: & civiles discordiæ publicas & privatas opes exhauriunt, agriculturæ, commerciorumq; usu sublato, Remp. bene constitutã subvertunt, dum altera pars, vel tertius, libertati & privilegiis Reip. insidiantes, seipsos dominos faciunt. Agesilaus Lacedæmoniorum dux & rex, olim percunctanti, quare

Sparta nõ cingeretur mœnibus: ille ostendens cives armatos, hi, respondit, sunt Spartanę civitatis mœnia. Christus *Matth. c. 12. 25.* Omne, inquit, regnum dissidens adversus seipsum, vastatur: Planè concordiâ nihil jucundius & firmius, *Sirac. c. 28. Psal. 135.* ut etiam ostendere voluit Scilurus olim, sagittis divisim facillimè confractis, collectim verò validissimis & infractis manentibus. Tales factiones nobiles Resp perdiderunt, vel maximè læserunt, uti in urbe Constantinopolitana factio Veneta & Prasina. apud Pistorienses alborum & nigrorum. In Athenienſi Rep. Alcmeonitarum & Calliarum. In Romana, Ursinorum & Columniorum. In Mediolanensi Vicecomitum & Turrianorum. In Gallia factio inter domum Aurelianensem & Burgundicam. Plura exempla vide apud Greg. *lib. 23. c. 3. de Rep.* Antimach. *lib. 3. theor. 30. & seqq.* Ita nimia subditorum inter se contentio, æmulatio & ardor, penè ipsum Davidem & totum Israëlis regnum perdidit, dum certant reliquæ tribus adversus unam Judaicã: *1. Reg. c. 12. c. 16. 2. Sam. c. 19. 41.* Sic Gibellini & Guelphi mutuis discordiis & odiis suis Rẽp. in summa pericula adduxerunt. Discordiæ enim fructus sunt lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, obtrectationes, susurri, simultates, rumores, tumultuationes, *2. Cor. c. 12. 20. Gal. c. 5.* & eversio Reip. *Luc. cap. 11. 17. Eph. c. 4. 3.* Studentes conservare unitatem spiritus, per connexum pacis. *4.* Unum est corpus, & unus est spiritus, sicut & vos vocati estis in unam spem vocationis vestræ.

Concordiæ hujus cura magistratui est commendata, quam inter subditos conservabit, removendo & tollendo omnes causas factionis & seditionis. *arg. & exemplo Abrahami, Gen. c. 13. 7.* & confœderationes ineundo cum vicinis. 3

Civitas, vel Resp. corpori similis est: motus civiles, morbis: medico rex seu magistratus; cujus officium prius est in tuenda valetudine bona; alterum in restituenda, si morbo fuerit labefactata, ideo etiam custos communis societatis dicitur magistratus.

In omni autem animorum distractione, factione & seditione, semper duæ sunt partes dissidentes. Una, quæ leges & jura Reip. defendit contra iniquè agentes, quæ optima. 4

5 Altera pars est, quæ non justis de causis ad vim concurrit. Hæc factio & seditio, quando juramento partis confirmatur, vocatur conjuratio: si pacto initur, dicitur conspiratio.

6 Factio est paucorum, vel plurium inter se conspiratio & coitio, & cum reliquis civibus dissensio.

7 Quòd si in plures, quàm duas factiones, populus abit, tertia, quarta vel quinta factio, duas amicitiâ copulabit, aut cum altera conjuncta, alteram franget & superabit. Bod. *lib.4.c.1.de Rep.*

8 Hæc oritur ex privatis vel publicis familiarum diversarum odiis, vel ambitione, disfidiis, discordiis, inimicitiis, simultatibus, suspicionibúsve sinistris.

Talis olim fuit inter Guelphos & Gibellinos. Item inter Samaritanos & Judæos, Israëlitas & Judæos, *2.Sam.c.19.43.44.* eosdem & Ægyptios, & plures alios. Vide Pet. Gregor. *lib.23.c.3. de Rep.* ubi historicis exemplis illustrat, & Antim. *theor.30.* Propter odium igitur vel ambitionem disfidium fit, ut familiæ se trudant, ut fluctus fluctum: unde contentio & bellum civile. Nam pars, quæ viribus superior sibi videtur, statim ad manus & arma tendit: illa verò, quæ inferior, alios

9 potentes ad se trahit. Exitus harum discordiarum est, aut universorum interitus, aut victoris dominatus & regnum. Vide Bod. *lib.4.c.1.& c.5.*

10 Factiones tollit magistratus, quando semina earundem sustulit, odium, ambitionem, disfidia, simultates, contentiones, quæ sunt causæ harum, & disfidentes partes conciliavit. Vide *2.Sam.cap.19.43. c.13.22. Gen.c.16.2.c.21.30.* & præcavet, ne altera pars in alteram sit contumeliosa, eamque verbis irritet, *2.Sam.c.19.43.* & quando non patitur intermedios magistratus & regentes odia & factiones inter se nutrire. vide exemplum apud Val. Max. quod extat *lib.4.c.2.* & invidiam, quę oritur ex virtute & gloriâ, justis

justis rationibus antevertit, & bonos viros à calumnia & injuriis invidorum defendit. Nam parva sæpè scintilla neglecta, magnum incitavit incendium.

Deinde etiam nomina & insignia factionum abolebit.

Tertiò, secretas consultationes & conventus non permittet.

Quartò, sub pœnâ gravi ἀμνησίαν & ἀμνησικακίαν sancire debet & promulgare, de qua amnestia Scip. Amirat. *lib.20.discurs.8.*

Quintò, non magis vel plus uni, quàm alteri parti favebit.

2.Sam.c.19.42.43.44. Antimach. *lib.3.theor.15.* Non unam curet, alteram negligat, vel alteram minùs sibi fidam credat, vel contemnat, *2.Sam.c.19.43.& 44.*

Seditio est discordia unitæ multitudinis in magistratu; vel subitus & violentus motus contra magistratum. Virgil. *lib.1.* Æneid. 11

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Tumultus ejusmodi describitur in Actis *c.19.24.25.26.* 12
32. Salomo *Prov.c.24.* Time Dominum, fili mi, & regem; & cum seditiosis ne commiscearis, quia subitò venit exitium eorum, & ruinam seditiosorum quis novit? Talis fuit Absolon, Cassius Brutus, & similes.

Hujus variæ sunt causæ: I. Nimia, vel insolita 13
exactio & oppressio, præsertim ad sumptus non necessarios imposita, quâ subditos exhaurit magistratus.

Prov.c.28.15. Ut leo rugiens & ursus discursans, est do- 14
minator improbus in populum tenuem. *16.* Antecessor carens omni intelligentiâ & multis oppressionibus, decurtabit; qui autem odit quæstum, prolongabit dies. *& c.29.4.* exemplum Salomonis & Rechabeam, *1.Reg.cap.11. & c.12.*

Pharaonis, *Exod.c.2. & seqq. 2.Reg.c.12.20.* Joas rex Judæ dicitur trucidatus à servis suis, per seditionem. Sic Galli, Hispani & Frisii rebellârunt sub imperio Romano, ob nimium tributum impositum. Sic Belgium imperium Ducis de Alba ob eandem causam à se rejecit.

Quantò quoque magis magistratus resistit justæ postulationi populi, tantò magis populum in se concitat & acuit. Exemplum extat in Pharaone, *Exod.c.5.* & Rehabeamo, *1.Reg c.12.*

15 Secunda causa seditionis, est metus eorum, qui fecerunt injuriam & pœnas metuunt, vel eorum, qui exspectant & metuunt injuriam aut oppressionem, quam prævenire volunt priùs, quàm opprimantur. Item clades magna accepta, vel gravis periculi alicujus metus.

1.Sam.c.30.4.5.6. Exod.c.16.c.17. Vide Pet. Greg. *lib.23.c.5. de Rep.* ubi exempla recenset Aret. *tom.2.probl.loc.156.* Bodin. *lib.4.c.1.* Scip. Amir. *lib.17.discurs.5.*

16 Tertia causa est indulgentia & laxitas nimia; vel angustia & inopia egentium, vel divitiæ nimiæ. Multæ divitiæ luxuriam, segnitiem, rerum novarum desiderium & turbas pariúnt: paupertas eandem rerum novarum cupiditatem, multa scelera & inhonesta gignit. Pauperes, inopes, egeni, audaces sunt, & odio rerum suarum mutare omnia student, & privata incommoda & mala, Reip. malis tegere cupiunt, publicaque ruinâ potiùs quàm suâ perire malunt.

Hinc usura vorax, avidumq; in tempora fœnus,
Et concussa fides, & multis utile bellum.

Solent quoq; illi, quibus opes nullæ sunt, bonis invidere, malos extollere, vetera odisse, nova exoptare. Vide Antimach. *lib.3.theor.32. 1.Sam.c.30. & Exod.c.16.c.17.* Bod. *de Rep. lib.5.c.2.* Divites verò multarum divitiarum auxilio ad imperia adspirant, dignos se aliosque indignos existimant, & facilè corruptionibus & largitionibus alios plures sibi devinciunt.

vinciunt. Vide Scip. Amir. *lib.17.discurs.6. & de regni regiq. instit. lib.2.*

Quarta causa est scelerum impunitas, & præmiorum iniqua distributio, negligentia, vecordia, ebrietas, & luxuria magistratus, & injustitia, cùm vulgus injustè fieri multa cernit, cùm leges neglíguntur, civitatis jura & privilegia vilescunt, studio, ambitu & largitione, aut demum civium ipsorum dissimilitudine. Scip. Amir. *de regni & reg. inst. lib.2.* Bodin. *lib.4.c.7. in fine. 1.Reg.c.16.11.* 17

Quinta causa est spiritus tribunitius eorũ, quos ambitio impellit, quò potestatem & honores, quos quietâ Rep. desperant, eâ perturbatâ, consequantur; vel quos æs alienum cogit, ideo quòd iis afflicta fides in pace, & spes in turbata pace; ideo turbatâ aquâ, meliùs pisces capi posse existimant: vel quos vanitas incitat & exagitat. 18

Exempla vide *2.Reg.c.12.21.* de conjuratione contra Joas, *& 1.Sam.c.30.6. Judic.c.8.2. Judic.c.11. & 1.12.1.2. Exod.c.15. 24.c.16.3.4. 2.Sam.c.15.c.16. 1.Reg.c.11.26.c.12.11. 2.Sã.c.20. 1.Reg.c.1.5.6.7. c.2.22.c.16.11. Num.c.16.c.17.* Valer. Max. *lib. 9.c.7.* Danæ. *lib.3.c.5.polit.* Bod. *d.lib.5.c.2.* Richt. *axiom.299.*

Plebs quoque, quando ab honoribus arcetur, contumeliosè tractatur, spernitur & vexatur, indignatur se contemni, & res novas molitur. Bodin. *lib.4.c.1.* ut populus Romanus olim à Patribus dissidens, gravissimas seditiones concitavit. & fieri solet, inprimis quando videt, honores turpissimis hominibus deferri, & bene meritos viros submoveri. Exempla recenset Bodin. *d.loc.* de Nerone, Heliogabalo & aliis. 19

Sexta causa est negotium religionis, sententiarum & opinionum discrepantia in religionis professione. Unde schisma, secta vel sectio. 20

Exemplum *Actor.c.21.*in Judæis Asianis contra Paulum. Item in Core, Datham, Abiram, contra Mosen, *Num.c.16.* Hodie exemplum præbent Papistæ in Belgio, Hungaria, Polonia, item in Germania, Gallia & Anglia.

Unde apostasia, quâ veram religionem consensu procerum constitutam, ipsis invitis mutat & deserit magistratus, seditionis causa dicitur, *2.Reg.c.8. 22. c.12.19.20.21.c.15.10.c.16.5. 2.Chron.cap.21.10. c.28.33. Act.c.19.*

21 Septima causa seditionis, est extraneorum admissio in consortium civitatis, ex diversitate morum, odio & invidiâ felicitatis advenarum, & contemptu illorum. Pet.Greg. *lib.23.c.6.* ubi exemplis illustrat. Arist. *lib.5.c.3.polit.*

22 Causa octava est odium, discordia, disfidium, contentio, item simultas, suspiciones & inimicitiæ inter diversas partes excitatæ; de quibus vide Bod. *lib.4.c.1.* Danæ. *polit.lib.3.c.5.* Quò refero etiam famosos libellos, convicia, contumelias, diffamationes, publicas & privatas injurias plurium.

Hisce enim concordia turbatur, & facilè seditio excitatur, ut ait Plutarch. *in libell.de civili admmistrat.*

23 Nona causa est otium subditorum, ex nimiâ felicitate, satietate, indulgentiâ, quæ sæpe turbant Remp.

1.Reg.c.20.10. 2.Reg.c.14.8. Lipsi. *lib.6.c.2.* Greg. *lib.23.c.7.* Valer.Max. *lib.7.c.2. Ezech.cap.17.49.* Similiter ex nimiâ copiâ vel inopiâ seditiones oriri putat Plato *lib.3.Dialog.4. de Rep.* Nam rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri aut fœnus, sed sola instrumenta vitiorum manebunt. Atque tales miscêre cuncta, & privata vulnera Reip. malis operire statuunt. Vide Petrum Gregor. *lib.23.c.1.n.2.3. & seqq.* ubi historicis exemplis illustrat. Alex.ab Alex. *lib.3.c.20.* Valer.

24 Max. *lib.1.c.5.* Plebs in periculo constituta, citiùs & facilius facit suum officium, quàm si feliciter omnia eunt: secundæ res motus urbanos sæpe excitarunt: bella verò coërcuerunt. Bodin.

Bodin. *lib.4.c.1.* Ideoq; συμμετρία, mediocritas & moderatio observata in divitiis, honoribus & amicitiis parandis, optranda in Rep. ob quam ostracismus, nec non petalismus à quibusdam inventus.

Deniq; quidam, ut imperium evertant, libertatem præseferunt; si perverterint, ipsam aggrediuntur, ut ait Tacitus *lib.16.* Scip. Amir. *lib.29.discurs.10.* 25

Remedia seditionum tollendarum sunt generalia, vel specialia.

Generalia remedia Petrus Greg. *lib.23. c.9.* tria ponit.

Primum est in præcautione & præmunitione, atque in providentia, ne accidant seditiones. 26

Secundum est in emendatione opportuna.

Tertium est in pœnis & supplicio exemplari seditiosorum.

In præcautione sunt προφυλακτικὰ, uti est virtus, vigilantia & sapientia magistratus moderatoris, qui exemplo nautarum, pacato mari de subitâ tempestate cogitantium, providet semper, ut societas humana lapidum fornicationi sit similis, quæ casura esset, nisi invicem sibi obstarent, ut dicit Seneca *epist.97.* 27

Qua in re studebit, & operam sedulò dabit, ut seditionis movendæ voluntatem & facultatẽ omnibus tollat, ut neque velint, neq; possint subditi esse rebelles, ut dicit Boter. *lib.4.c.1.& seqq.& lib.5.c.4.* 28

Animus & voluntas adimitur subditis, quando audaciâ omni sublatâ, redduntur timidi, omniaque quæ animos & audaciam pariunt, adimuntur: uti sunt magistratus, munera, nobilitas, usus equorum & armorum, propugnacula, munitiones, vestitus splendidus, nimia penuriâ & potentia. 29

Unde fit, ut divites & pauperes facilè moveantur & im-

pellantur ad seditionem; illi ob potentiam & arrogantiam, hi ob penuriam & inopiam.

30 Voluntatem quoq; & facultatem movendarum seditionũ adimunt onera & gravamina imposita, servitia, angariæ, agricultura, operæ, quibus occupati subditi detinentur. Usus hisce est Pharao & alii.

Opificia etiam hominem domi detinent in officina, ex qua se & suos alere cogitur. Unde fit, ut pacem & tranquillitatem amet.

Studia liberalium artium animos hominum occupant, detinent, & sibi addicunt, atq; à cura aliarũ rerum avocant, ut ostendit exemplum Archimedis. Hæc etiam homines melancholicos reddunt, & inutiles ad bella & arma.

Educatio mollis & delicata animos hominum effœminatos reddit, & à studio aliarum rerum abstrahit, ut dicit Boter. *lib. 5. c. 4. de polit. const.*

31 Facultas seditionẽ movendi, tollitur & adimitur subtractione & privatione eorũ, quæ conferunt facultatẽ, aut vires & audaciã pariunt; uti est potestas, imperiũ, juventus, arma, equi, elephanti, tormenta militaria, propugnacula, munitiones, loci opportunitas, pecunia, divitiæ, conventicula privata.

32 Potestatem & potentiam conferunt cognationes amplæ, vel familiæ amplitudo: item benevolentia, & favor populi, feuda possessa.

Unde Turcarum Impp. fratres, consanguineos & quosvis potentiores tollunt, quamprimùm ad imperium evehuntur. Quidã verò cognatos regis mancipant carceri, vel certo loco detinent, unde exiré non possint. Boter. *lib. 4. c. 2.* Possunt etiã quodam ostracismo sub specie & titulo honoris, legationis, vel aliorum ministeriorum ablegari, ne nolentes etiam præsentem dominationẽ plebi invisam faciant. Clapmar. *lib. 4.*

33 *c. 11. de arcan. Rerump.* Sed periculosum tamen est, potẽtiores urbe ejicere, & in exilium agere, qui exules non cessabunt quovis

quovis modo Rempub. evertere, ut dicit Bodin. *lib. 4. cap. 1.* & exemplis probat. Sunt igitur tales vel tollendi, vel ingentibus beneficiis & gratiã obligãdi, exemplo Augusti. Dio *lib. 55.*

Optimi & excellentissimi juventutis sunt subtrahendi, & aliò transferendi, promovendi, aut eorum opera ad alios usus adhibenda, uti hodie facit Turcarum Imperator Christianis; & olim Julius Cæsar & Heraclius Impp. 34

Arma adimuntur, quando ab illis auferuntur, vel usus eorum illis interdicitur, aut materia armorum subtrahitur, quod à Romanis, Hispanis & Belgis sæpius factum legitur. 35

Munitiones & locorum opportunitas adimuntur, quando mutantur, destruuntúrve loca munita, homines, vel incolæ transferuntur. 36

Quod Romanos feciſſe ſæpius, hiſtoriæ teſtantur. Cæſar Probus, Iſauros & Palfurios ex ſedibus ſuis tranſtulit in alium locum: Aurelianus Dacos: Carolus Magnus Saxones: Turca Chriſtianos. Vide Greg. *lib. 23. c. 7. de Rep.*

Pecunia & divitiæ adimuntur subditis, impositione collectarum, contributionum, vel mulctarum exactione, commerciorum usu adempto, monopoliis, & pluribus aliis illicitis modis, quos Harpyiæ illæ & Hirudines populi optimè norunt. 37

Conventicula audaciam & animos augent & cordatos efficiunt, ut exemplum sub Tiberio, Duce Sejano, docet. 38

Ne igitur talia conventicula habeantur, curandum est magistratui, & voluntas & occasio habendorum horum subditis adimendæ.

Voluntas illis adimitur, quando inter illos discordiæ, diffidentia, aliæque suspiciones per exploratores disseminantur, ita ut nullus sine periculo alteri se patefacere, vel fidere audeat, & uniones atq; confederationes quovis modo impediantur. 39

Universidad de Deusto Biblioteca

40 Occasio habendorum conventiculorum tollitur variis modis: 1. Edictis & interdictis pœnalibus. 2. Prohibitione matrimonii inter suspectos, ut à Romanis factum Latinis. 3. Conviviorum inter se habendorum prohibitione. 4. Consultum est ut antesignani & duces seditiosorum aliò transferantur, vel tollantur. Ita Carolus Magnus nobilitatem Saxoniæ in Galliam transtulit. 5. Ut talibus non concedatur jus collegii, senatus, corporis, aut potestatis. Ita Romani Capuam debilitarunt, sublatis omnibus eorum collegiis. 6. Ut illis campanæ & nolæ adimantur. 7. Non ad custodiam urbis vel propugnaculorum admittantur. 8. Urbs in locis diversis, per fossas, canales, munitionésve distinguatur, quasi in pagos diversos. 9. Castella & munita loca, quibus cohiberi facillimè possint, erigantur. 10. Custodia militaris, qua tumultuantes reprimantur, in urbe ponatur & conservetur. Quæ duo media hodie in Belgio & Turcia usitata. 11. Relegatio & dissipatio tumultuantium & suspectorum in loca diversa fiat, ut Judæis ab Assyriis & Babylonensibus accidit. 12. Librorum malorum usus & lectio prohibeatur.

41 Paupertas etiam voluntatem seditionem movendi præbet, quamvis facultate destituatur.

Ita enim Salustius: Semper in civitate quibus opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt: vetera odêre, nova exoptant, odio rerum suarum omnia mutari student. Sunt igitur egeni & pauperes tempore periculoso seditionis, ex regno vel ablegandi, sub prætextu causæ justę: vel ipsorũ ministerio est nobis utendũ: Illud fieri potest per colonias, vel bellum, vel legationem: Hoc, quando magistratus eorum opera utitur in agrorum cultura, opificiis, vel aliis ministeriis, ex quibus se alere possunt, vel largitione illorum necessitatibus subveniendum.

In

In seditionum & conjurationum metu ac suspicione justa, metropolis nunquam est deserenda, sed occupanda, vel conservanda. Sic Tiberius Imp. in Germanicarum legionum seditione fecit. 42

Ad præcautionem etiam inservire potest coactio comitiorum & statuum regni, ut cognoscat & intelligat magistratus, inquisitione habitâ, quid novi quisque in provincia quavis moliatur. Vide Greg. *lib.13.c.12.num.13.4.5.& seqq.* deinde, ut intelligat necessitates provinciarum, & de remediis adhibendis cogitare & deliberare possit. 43

Deinde curet magistratus, ut leges religionis sint inviolabiles, & ut quæ inter ecclesias controvertuntur, ea in concilio liberè discutiantur, errores tollantur, disidia mutuâ συζητήσει componantur. 44

Tertiò, ut causas discordiarum tollat, rixas, dissidia, simultates, suspiciones, odia, discordias, diffidentiam, otium, metum, ignominiam, contemtum, injuriam, calumnias, annonæ caritatem, usuras, & similia incommoda, ex quibus seditiones excitari solent. Contrà necessitas ostendenda, concordiæ suadendæ, ut amore patriæ, privatas inimicitias oblivioni tradamus, cui patriæ vitam, bona & existimationem aliaque charissima debemus. 45

Quartò, ut arma privatis adimat, quæ aliàs animos dant. Arg. *1.Sam.c. 13.19.20.21.* ut sæpe factum in Italia & Gallia. Greg. *d.c.9.l.23.de Reip.* 46

Quintò, ut seditionis autores, beneficiis, largitionibus, favore in partes suas magistratus ducat, vel inescet contrariis mediis, quibus moti seditionem exciratunt. Exemplis illustrat Greg. *d.c.9.* Bod. *c.7. lib.4.de Rep.* 47

48 Populo etiam aliquid dandum est, & interdum ea, quæ cum iniquitate conjuncta sunt, permittenda, maximè verò in popularibus & optimatum imperiis, ad secessiones & seditiones cohibendas hoc faciendum, sed ita tamen, ut libertatis fræna nec constringi, nec omnino laxari videantur.

Vide Bodin. *lib.4.c.7.* ubi exempla recenset. Nec, si possit princeps universum populum suo arbitrio cogere, vim adhibere debet, sed moderatis imperiis ac justis uti melius est.

49 Si inopia causa seditionis est, quædam tritici largitiones sunt faciendæ, & tolerabile pretium annonæ statuendum: sed & quandoque sancienda σεισάχθεια & ἀμνηςία. *Neh.c.5.per totum.* Greg. *d.loc.cap.5. lib.23.* Bod. *lib.5.c.2. lib.4.c.7.*

50 Ad otia tollenda & desidiam, labores injungendi honesti, vel ad bellum otiosi mittendi. Greg. *d. loc.c.7.* Bodin. *lib.4.c.1. de Rep. & lib.5.c.5.* vel metu hostis adventantis tumultuantes coërcendi. *d c.7.*

51 Sextò, ut magistratus, non pro quibusvis exiguis & parvi momenti rebus, innovationes & mutationes instituat, sed tantùm pro necessariis, quæ moram non patiuntur. Ideoque rerum novarum studiosi puniendi. Greg. *dict. lib.23.c.9.n.9.*

Secundum remedium seditionum est in emendatione opportunâ, dum vel incipit seditio, vel dum vires accepit, adhibendâ. Bodin. *lib.4. cap.7. de Rep.*

52 1 Incipiens seditio, ejusque initia statim sunt comprimenda.

2.Sam.c.15.2.3.4.31. c.20.6. Siquidem nascens malum facilius, quàm inveteratum, opprimitur. Nam ex festuca incensa, vel ignis scintillâ neglectâ, sæpe tota urbs conflagrat: sic ex domesticis odiis neglectis, publica pernicies sæpe oritur. Vide exemplum *2.Sam.c.15.10.11. & seqq.c.20.6.* In seditione,

ditione, nisi prima & tentata rerum initia statim feliciter succedant, facilè postea tota conjuratio elangueſcit ac dissipatur: *2.Sam.c.17.1.2.3.c.19. 2.Reg.c.10.4. & seqq.*

2 Ad quē usum inserviunt delatores & exploratores, qui incogniti, se cœtibus hominum clàm immiscent, & collecta dicta, facta, aut intellecta, magistratui referunt. 53

Uti & Chusai amicus Davidis fecit, *2.Sam.c.16.17.* Vide Patric. *de Rep.lib.4.tit.4.5.6.*

3 Inquisitio per quæstionem & tormenta in uno conjuratorum facta, reliquos complices manifestat. 54

4 Laborandum magistratui quoque, ut partes divellat, & disjungat seditiosos, & sibi quosdam, imprimis proceres, adjungat, *1.Sam.c.15.34. 1.Reg.c. 1.10.* & cum populi magistratibus rem tractet, *Ex.c.3. 10.c.4.29. Deut.c 1.15.* Deinde etiam occultis præmiis, vel promissis ambiguis, nec non verbis demulceat & inducat, seducat, persuadeat, non dicto factóve aliquo aspero exacerbet, sed omnibus modis leniat & mitiget animos seditiosorū. *Judic.c.8.1.2.3. & seqq. vid. 2.Sam.c.15.34. & seqq.c.17. & c.2.6.7. cap.3.7.12.13. c.19.23.* imprimis conjuratorum consiliarios sibi conciliabit princeps, ut disturbet conjurationem, *2.Sam.c.15.31.32.* & ad partem cum quibusdam agat, ut faciliùs vinculum conjurationis dissolvat, & deinde potentiores vel tollat vel sejungat, *2.Sam.c.15. 31.32. c.16. & c.3.c.4. c.18.15.16. c.20.21.22. cap.19.14.15. c.20.4.5.20.21.22.* Vide Lipsi. *lib.6. polit. c.4.* & arma subditis ad tempus adimat, arg. *1.Sam.cap.13.19.20.21.* imò & propugnacula validiora occupet. *2.Reg.c.9. 32.c.10.* & nolas ac tintinabula, quibus convocantur & inflammantur seditiosi, ut suadet Bod. *lib.4. c.7. de Rep.* adimat. 55 56 57

5 Utile similiter est, ut nocturnos conventus & 58

colloquia, coitiones & conventicula magistratus impediat, nec non commercia cum extraneis inimicis vel hostibus. Greg. *lib.23.c.4.de Rep.*

6 In conjurationibus etiam non facilè à principe, calumniæ adversus absentes sunt admittendæ. Nam eo tempore conantur aulici astuti privatas injurias, vel odia ulcisci, prætextu neglecti ab
59 absentibus in regem officii. Solent etiam de absentium bonis rapinam facere. Offeruntur enim illis plausibiles occasiones calumniandi, qui alienis bonis & dignitatibus inhiant, *2.Sam. cap.16.1.2. & seqq.*

7 Querelæ & ambigui de magistratu sermones, quibus vitia præsidentium, oppressio, tyrannis, exactio, luxuria exagitatur, libertas prætenditur, ut imperium evertatur, quod iidem postea invadunt, inhibeantur & comprimantur.

60 8 Flabella quoque seditionum & zizaniorum seminatores, removendi & arcendi, qui spes vanas libertatis, mitioris & æquioris gubernationis, publicæ tutelæ & majoris commoditatis, apud vulgus leve & credulum faciunt; quales sunt fervidi, procaces & audaculi quidam, qui præmia promittunt juvantibus, qui deterrimum quemque scelestum, temerarium, criminibus oneratum, ære alieno onustum, ob crimina sibi metuentem, ambitiosum, nec non imperitos, simplices, leves, credulos & similis farinæ homines ex fæce populi congregant, & in ministerium adhibent & eligunt.

Vide exemplum *2.Sam.c.15.1.2.3. 1.Reg.cap.1.5.6. 1.Reg. c.13.13. 2.Reg.c.17.20.21. Num.c.16. Judic.cap.9.3.4. & seqq.* Greg. *lib.23.c.3.c.8.* Danæ. *lib.3.pol.c.5. & in aphorism.* Conjuratio subditorum evertit Remp.

9 Con-

9 Consultum quoque, ut auctoritate præditos, 61
fidissimos & facundia excellentes, artem demulcendi tenentes, mittat magistratus, qui moneant seditiosos & suadeant utilia.

2.Sam.c.15.19.34. Greg. *lib.23.c.9.n.12.14.* Bod. *lib.4.c.7.* qui exempla referunt. & Virgil. *1. Æneid.*

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus.
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant;
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

10 Quòd si non acris est seditio, ipse magistra- 62
tus seditiosos dehortetur & deterreat, vel placet populum, vel suâ auctoritate vi compescat.

2.Sam.c.14.31.c.15.34. & seqq.cap.20.21.22.23. Act.c.19. ubi scriba populum seditiosum mitigat. Vide Lipsi. *lib.9.c.4. polit.*

11 Prodest hîc etiam principis patientia moderata & prudens. Vide *1.Sam.10.* in fine, nec non auctoritas inflexibilis. Greg. *d.lib.23.c.9.* Sueton. *in Julio Cæsare c.69.* Lipsi. *lib.6.c.4.*

12 Hoc tempore etiam non irritandi potentio- 63
res, vel injuriis provocandi, sed tempori cedendũ: *2.Sam.c.3.7.8.9.10.29.30.c.19.6.7.8.* nec non multa dissimulanda & toleranda: *2.Sam.c.3.7.8.13.27.* & sedes imperii non deserenda, & milites præsidiarii frequenter mutandi, atque navis Reip. in sævis maris tempestatibus, à gubernatore, tanquam nauclero prudente, regenda & fluctibus submittenda.

Ut fecit David & Ezechias *1.Sam.c.22. 2.Sam.cap.18.3.* 64
2.Reg.18.14. Vide Cominæ. *lib.2.hist.c.44.c.47. & 93.* Non enim summa rerum temerè in discrimen adducenda, aut si in periculum venerit, statim subvertenda: præsertim verò urgente hoste externo, nequaquam temerè res certamini committenda, sed conditionibus, quantũ fieri potest, æquio-

ribus, aut quæ tolerari poterunt, nubes illæ tempestatesque periculosæ sunt discutiendæ, & cum hostibus paciscendum; imò dissimulanda multa, & applausu quodam consentiendum, donec ira efferbuerit, ne ponamus populi rumores ante salutem Reipub. Vide exemplum *2.Reg.cap. 23. & 1.Regum cap.20.31. & 2.Samuelis cap.19.22.23.24. cap.3.38.39. cap.16.10.cap.19.23.*

65 Formidolosæ verò imprimis sunt & periculosæ conjurationes, quæ moventur à regni proceribus, aut consanguineis magistratus: *2.Samuelis cap.20.12.* vel à potentioribus, magnatibus, præsidibus provinciarum, vel magistratibus, aut urbibus oppidisve, vel à populo. *Bodin. lib. 4.cap.7.de Repub.*

66 13 Blandis insuper verbis rixa, contentio & seditio est lenienda & dissipanda, *Judicum cap.8.2. 1.Samuelis cap.30.6. Numerorum cap.14.6.7.8. cap.16. Judicum cap.8. 2.Samuelis cap.20. Nehem. c.9. Judith cap.7. Actorum cap.19.* nec omnium quæ in seditione sunt facta, ratio exigenda, ut pax facilius coëat, *2.Samuelis cap.16.9.10.11.c.1.c.19.23.* & plebi arma deponenti ignoscendum, *2.Samuelis c.18.16.c. 19.14.c.20.22.& seqq. 1.Reg.c.4.* & curandum, ut clades prior sit apud seditiosos, qui tum facilè elanguescent, *2.Samuelis c.1.9.c.17.1.2. & seqq.* Pet. Greg.
67 *lib.23.c.4.c.5.c.9.de Rep.* Et autores seditionis tollendi, *Judic.c.8. 2.Samuelis c.20.c.15. Luc. c.23.19. 2.Chron. c.25.* quibus sublatis dilabuntur cæteri, *2.Samuelis c.19.4. 1.Reg.cap.1.49.50. Actorum cap.5. 2.Samuelis cap. 4.1.*

68 14 Est etiam remedium motarum seditionum in pœna, quæ exacerbanda & temperanda secundùm qualitatem & speciem seditionis.

Aliquando in multos, aliquando in paucos animadversione utendum, ubi periculum magnum imminet.

Præci-

Præcipuè autem puniendi sunt autores seditionum & factionum, *2.Reg.c.3.19.Num.c.16.c.17. Judic. c.8. 2.Sam.c.15.c.20.*

Severitas exercenda in peccata paucorum; & 69
lentè illi, sed graviter puniendi: ubi autem imminet populorum strages, detrahendum aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. Hîc igitur in uno, vel paucis, omnes puniendi & terrendi, ultio moderanda, & priùs securitati consulendum. Vide exempla apud Greg. *d.lib.23.cap.9. n.15.* Bodin. *lib.4.cap.7. de Rep.*

Quando ad majorem interitum res spectare vi- 70
detur, ad lenitatem declinandum, cum ἀμνηστίας decreto; quamvis hîc decimatio, vicesimatio, trigesimatio, locum habere poterit. Vide Greg. *dict. loco num.16.17.* Planè convictis de crimine læsæ majestatis, etiam cognatis principis, non parcendum. Vide Greg. *lib.22.c.11. n.9.10.11.* Val. Max. *l.6.c.3. tit. C.de seditios. 2.Sam.c.20.21.22. 2.Reg.c.3.19.* quamvis, quando multitudo deliquit, in singulos non sit inquirendum. Scip. Amirat. *discurs.9.lib.2.*

Specialia remedia tollendarum seditionum sunt duo; Prius consistit in pactione & compromisso, posterius in bello civili.

Prius est utilius & melius. Quòd si igitur pactio- 71
ne & arbitrio bonorum virorum, vel aliorum sociorum vicinorum judicio tolli & componi potest seditio, ad arma civilia non est deveniendũ, etiamsi pax illa temporaria & parum firma esset: Animi enim dissidentes interea coalescunt, nec quævis statim exacta esse possunt. Vide Bodin. *l.4.c.7. de Rep.*

Alterum speciale remedium tollendarum sedi- 72
tionum est bellum civile, quo certandum est, quã-

do coaluit, & jam fortis est seditio, & imperium detrectatur, sed tamen, ut semper locus pœnitentiæ detur, & spes & metus intendatur, ut dicit Lipsi. Sic Iphtach Ephraimitas seditiosos, quos oratione non poterat, ferro & vi compescit, *Judic. cap. 12.* David Absolonem & Schebaum bello persequitur, *2. Sam. cap. 18. & cap. 20.* Et centurio in *Actis cap. 21.* armatâ manu furori Judæorum eripit Paulum. Vide exempla *2. Reg. cap. 17. cap. 24. 25. Genes. cap. 14. 4.*

73 Hoc bello civili nihil miserius, nihil fœdius, quod meritò mare calamitatum dixeris. Castra ex una parte contraria, parentum liberorumque sacramenta diversa: proscriptiones innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum illustrium; vastæ urbes fugâ & cædibus; civium miserorum bona, quasi hostilis præda, vænum, aut dono data: In eo nulla disciplina, aut obedientia; in eo plus militibus, quàm ducibus licet, & victoria aspera & misera.

Olim apud quosdam etiam monomachia obtinuit, quæ tamen rectè improbatur communi rectè sentientium judicio. Vide Bodin. *lib. 4. c. 7.* quamvis bello civili illam præferendam existimet. Vide *infr. c. 34. n. 33.*

74 In hoc bello civili consultum est, ut non sit præsens magistratus, sed suis ducibus auxilia & necessaria procuret, *2. Sam. cap. 18. 3. 4. 5.* Hoc bello finito, plebs leniter est tractanda, *2. Sam. c. 18. 16. 17. c. 19. 10. 11. 14. & seqq.* imò etiã conjurati superstites, non obstinati, sibi conciliandi sunt, *2. Sam. c. 19. 14. c. 3.* Vide infrà *c. 35.*

75 Atque hæc de prima causa concordiæ conservandæ; alteram dixi consistere in confederationibus. Nam confederatio cum vicinis contrahitur pacis, tranquilitatis atq; concordiæ, vel auxilii contra hostes causâ.

1. Reg.

1. Reg. c. 15. 15. 16. 17. 18. 19. 2. Reg. c. 16. 6. 7. Nam facilè vincuntur, qui non habent vicinos confederatos, *Judic. c. 18. 7. 10. 27.* ubi Piscator. *Act. c. 12. 20.* Ob pacem & tranquillitatem regnum Salomonis floruit, *2. Chron. c. 1. 15. 1. Reg. c. 16. c. 4. 24.* Quamobrē magistratus ab injuriis abstinere debent, & suis vicinis infirmioribus non injuriam inferre, aut metũ, vel terrorem, ne cogantur quærere auxilia & confederationes contra eos, *1. Reg. c. 15. 17. c. 18. 2. Reg. c. 26. 7. 7.* Nam qui societatibus & federibus magnorum nituntur, facilè solent esse injurii in vicinos, *2. Reg. c. 15. 37.* Tranquillitatis & concordiæ causâ, Abraham cum rege Abimeleco, David cum rege Syriæ, Salomo cum Hiramo rege Tyri, fedus & pacem coluerunt, uti constat ex *Genes. c. 21. 21. 2. Sam. c. 8. 9. 1. Reg. c. 5. 12. 1. Chron. c. 18. 10.* Sic etiam Achab rex Israël cum Josaphato, *1. Reg. c. 22. 4.* Sic Latini cum Romanis, & Carthaginenses cum Romanis, & alii cum aliis pacis & concordiæ causâ federa habuerunt; de quibus latè Waremundus ab Erenberg *in meditamentis suis.* Vid. *sup. c. 17. n. 25. & seqq.* Sed tamen hic cavendum, ne novis federibus, vel eorum occasione bello aliorum nos implicemus, & cum potentiori collidentes, ruinam nobis acceleremus. Scipio. Amir. *lib. 20. discurs. 11.*

Pacis verò cum exteris diuturnæ, magnam esse felicitatem, apparet ex Salomonis regno pacato & tranquillo, *2. Chron. c. 1. 15. 1. Reg. c. 16. c. 4. 24.* Quapropter decet magistratum, maturè & studiosè hanc pacem quærere & sancire cum vicinis. *Gen. c. 21. 27. 2. Sam. cap. 3. 37. & cap. 14. 3. Act. cap. 12. 20. cap. 11. 40.* & antiqua federa renovare & fovere, *1. Reg. cap. 5. 1. 2.* cum impiis tamen fedus semper solet esse periculosum & dubium, *1. Sam. cap. 29.* neque horum auxilia fausta piis. *2. Reg. cap. 8. cap. 9. 2. Chron. cap. 28.* 76

Federa autem facienda imprimis cum iis, qui eâdem nobiscum politiâ utuntur, ea enim fir-

miora: item cum fidis, & iis maximè, qui ad clauſtra & aditus noſtræ regionis objecti ſunt hoſti, quibus maturè totisque viribus eſt ſuccurrendum. Item cum iis qui nobis plurimùm prodeſſe poſſunt, ſi amici; vel obeſſe, ſi ſunt hoſtes. Quæ civitates imperant mari, ſunt amicæ & ſociæ habendæ, præſertim vicinæ, ne nos commeatu prohibeant, vel ex improviſo adoriantur imparatos.

Xenoph. *in lib de Rep. Athen.* Calamitas communis facilè disſidentes principes conciliat inter ſe & conjungit. Mutuus metus, vel mutua æquitas, fedus inter vicinos principes conſervat firmum & diuturnum. Vid. *ſup. c. 17. n. 27. & ſeqq.*

78 Initiis vicinæ potentiæ nimiùm ac manifeſtè creſcentis, à vicinis maturè occurrendum & ſyncretiſmo reſiſtendum eſt. Neque hîc pars neutra fovenda eſt duobus disſidentibus, neque ex eventu electio facienda; Scip. Amir. *lib. 18. diſcurſ. 7.* ſed obſiſtendum, ne cujusquam potentia eò magnitudinis perveniat, ut vicinos opprimere poſſit, ut exemplis adductis probat Scip. Amirat. *lib. 20. diſcurſ 10.*

79 Eſt quoque boni principis, vicinorum populorum discordias ſtatim ſedare, ſeq; interponere, & bella vicinorum potentum incendiaque extinguere ſtatim, ne & ille in idem malum & incendium trahatur, præſertim verò ubi vicini populi ruina & funus ad nos uſque pertingere poteſt.

CAPUT

CAPUT XXXII.

De adminiſtratione civili mediorum ad vitæ ſocialis commoditates neceſſariorum.

1 *Commerciorum cura circa res, perſonas, locum, tempus & formam.*
2 *De quibus rebus commercia inſtituenda.*
3 *Facilitas negotiationum procuranda.*
4 *Itinera publica & portus regni & commercia tuta.*
5 *Nautica mercatura utiliſſima.*
6 *Importatio rerum noxiarum prohibenda.*
7 *Exportatio rerum neceſſariarum impedienda.*
8 *Diſtractio rerum inutilium & ſuperfluarum.*
9 *Quibus negotiari interdictum.*
10 *Locus inſtituendorum commerciorum.*
11 *Locus extranearum mercium.*
12 *Tempus commerciorum quod commodum.*
13 *Divitiarum quarendarum facultas danda.*
14 *Forma & modus commerciorum exercendorum.*
15 *Rerum æſtimatio.*
16 *Pondera, menſura, ſtatera.*
17 *Æqualitas ponderum, menſurarum in regno &c.*
18 *Cauſæ dominii adquirendi.*
19 *Fraudes, deceptiones & uſuræ in commerciis.*
20 *Monopolium quid.*
21 *Monopolium quando licitum.*
22 *Quando illud prohibitum.*
23 *Commerciorum uſus promiſcuus.*
24 *Media licita communicandi neceſſaria.*
25 *Monopolii prohibiti ſpecies novendecim.*
26 *Annonæ fraudatores & flagellatores.*
27 *Dardanarii qui.*
28 *Cura rei frumentariæ.*
29 *Media hujus.*
30 *Horrea granaria.*
31 *Monetæ cudendæ & mutandæ poteſtas & ratio.*

32 *Linguæ usus.*
33 *Linguæ usus quomodo introducendus.*
34 *Linguæ vernaculæ usus.*
35 *Distinctio munerum.*
36 *Munera publica majora & minora quibus & quomodo imponenda.*
37 *Sapientum multitudo in Rep. quid præstet.*
38 *Cognitas præclarorum virorum virtutes habere oportet.*
39 *Distinctio inter officiales Reip. & regis.*
40 *Officiarii regni, in Rep. Judaica & regis qui.*
41 *In Rep. Romana, qui Cæsaris & qui Reip. officiales.*
42 *In politia Germanorum.*
43 *In politia Gallica qui regis, qui regni ministri.*
44 *A quibus eligantur officiarii utriq;.*
45 *Officiarii regni officium.*
46 *Officiarii regis officium.*
47 *Officiarii seculares & ecclesiastici.*
48 *Officiarii ecclesiastici qui.*
49 *Officiarii seculares qui.*
50 *Senatores curiarum.*
51 *Armati officiarii.*
52 *Distinctio munerum servanda.*
53 *Observatio horum officiariorum, pœna & præmium.*
54 Πολυπραγμοσύνη *prohibita.*
55 *Ordo dignitatum & honorum servandus.*
56 *Quo ordine cives collocandi.*
57 *Tres ordines civium.*
58 *Classes civium & paræcia.*
59 *Virorum fortium & optimorum copia utilis.*
60 *Vestitus distinctio.*
61 *Gravamina munerum tollenda.*
62 *Opificia, reditus plebis.*
63 *Utilia & varia artificia non desint.*
64 *Cura magistratus in his.*
65 *Agriculturæ cura magna.*
66 *Pagorum & oppidorum curæ.*
67 *Locorum sterilium cura.*
68 *Servorum & otiosorum usus.*
69 *Opificum curæ quæ.*
70 *Materiæ rudes inelaboratæ, non exportandæ.*

71 Αὐτάρκεια

71 Αὐτάρκεια *procuranda.*
72 *Matrimoniorum cura.*
73 *Provinciarum potentiores matrimonio devinciendi inter se.*
74 *Protectio plebis & pauperum indigentium.*
75 *Advocatorum & medicorum numerus.*
76 *Hospitiorum & tabernarum inspectio.*
77 *Potentiorum observatio.*
78 *Collationes & indictiones quomodo indicendæ.*
79 *Cautiones in hisce.*
80 *Thesauri Reip.*
81 *Contributionum legitimus usus.*
82 *Privilegiorum ratio & modus.*
83 *Privilegiorum cessatio.*
84 *Privilegia nundinarum.*
85 *Collegia ordinum singulorum conservanda, & quomodo.*
86 *Securitas publica præstanda.*
87 *Munera publica quomodo distribuenda.*
88 *In electione officiariorum quid observandum.*
89 *Idonei & probi eligendi, & quomodo.*
90 *Conservatio officiariorum.*
91 *Causæ conservantes integritatem officiariorum.*
92 *Magistratuum intermediorum ordines quinam.*
93 *Superiorum duo genera.*
94 *Perpetui an temporales esse debeant.*
95 *Senatus constans & perpetuus.*
96 *Optimum Reipubl. genus quod.*
97 *Magistratus intermedii pauci.*
98 *Polypragmon.*

ATq; hæc sunt de civili administratione juris generalis, nimirum de officio magistratus in administrandis mediis, servientibus ad justitiam, pacem, concordiam & disciplinam inter subditos & regnicolas conservandam. Sequitur de juris specialis administratione civili, nimirum de administratione mediorum, quæ pertinent ad commoditates vitæ socialis procurandas, vel incommoditates illius avertendas & declinandas.

Horum specialium jurium administratio con-

tinet inſpectionem & curam 1. Commerciorum: 2. Monetæ: 3. Linguæ; 4. Munerum & privilegiorum; 5. Securitatis publicæ; 6. Comitiorum; 7. Armorum.

1 Inſpectio & cura commerciorum regni verſatur circa eorundem res, perſonas, locum, tempus, modum, & formam commerciorum agitandorum, pro utilitate, neceſſitate & honeſtate regni.

Nam divitiæ principis conſiſtunt in bonis ſubditorum, bona verò & facultates ſubditorum in negotiationibus & commerciis, quibus adquiruntur, conſervantur & augentur. Commerciis ſublatis, minuuntur paulatim bona, & omnium rerum penuria ſequitur. Hinc Venetorum Respubl. ob commercia ditiſſima, Genuenſium verò & aliorum Respegenæ. Boter. *lib. 1. c. 14. de polit. conſtit.* Teſſaur. *deciſ. 264. tit. C. & D. de nund.*

2 De rebus illis commercium & negotiationem permittet magiſtratus, quæ ſine læſione animæ aut corporis exerceri poteſt.

3 Curabit autem magiſtratus, ut illarum rerum, quæ ad quotidianum victum & vitam neceſſariæ ſunt, importatio, comparatio & negotiatio ſit facilis & expedita, & ob hanc nundinæ, ſeu mercatus ſolemnes & frequentes. Ideoque providendum, ne neceſſaria ejusmodi à mercatoribus anticipentur, & cariora fiant.

4 Itinera publica, portus, & commercia in toto regno tuta, libera & facilia reddenda, & aditus liber ad commercia agitanda, etiam Turcis aliiſque infidelibus concedendus, ut pace & otio fruentes ſubditi diteſcant.

Danæ. *lib. 4. cap. 2. per Nehem. cap. 13. 21.* Adde exempla. *2. Chron. c. 1. 16. c. 8. 20. c. 9. 21.* Antimach. *lib. 3. theor. 23.*

5 Nautica verò mercatura & peregrinatio imprimis

primis mercatores ſolet ditare & regiones eorum. Quamobrem illa eſt inſtituenda & retinenda, *2. Chron. c. 8. 20. c. 9. 21. 1. Reg. c. 9. 26.* Sed quibus in locis mercatura, artes nauticæ & mechanicæ maximè vigent & ſunt lucroſæ, ibi quoque eſt magna ſervorum, inquilinorum & opificum licentia & petulantia, cui leges ponendæ ſunt, & occaſiones peccandi tollendæ. Vide Scip. Amir. *lib. 12. diſcurſ. ult.*

Impedienda eſt importatio rerum, quarum uſus, tractatio vel imitatio eſt noxia, & bonos civium mores corrumpit, quales ſunt res ſeplaſiariorum, pigmentariorum, cupedinariorum & omnium denique, quæ corpora & animos hominum effœminare & rem publicam & privatam exhaurire ſolent cum omnium pernicie. 6

Impedienda ſimiliter exportatio rerum ad victum neceſſariarum in regno, ne penuriâ regnicolæ laborent, maximè tempore opportuno, aut caritate imminente. 7

Cavendum quoque eſt, ne ex regno transportentur res ad barbaros hoſtésve, quibus illi contra nos juvari poſſint, *tit. C. quæ res export. deò.*

Exportatio & diſtractio rerum non neceſſariarum, inutilium, ſuperfluarum, vel abundantium, ut facilior ſit, providendum eſt, ne quandoq; poſt certum tempus aliunde merces importentur ejusmodi, quibus illarum, quę in noſtra Rep. ſunt, vilis poſſit eſſe uſus, vel inutilis, aut impenſæ in eas inanes reddi. Pet. Greg. *lib. 4. c. 7. n. 8. 9. de Rep.* 8

Si qua regio regni, inopiâ frumenti premitur, vel annonæ caritate, vel aliâ re, ea aliunde ſublevanda à magiſtratu in tempore. Vide *2. Chrõ. c. 2. 6. & ſeqq. Act.*

c.12.20. unde facilè pax inter diversos populos, ob commercia conciliatur & conservatur, *Act.d.loc.*

9 Personę commercia exercentes tales sint, quibus jure permissum est negotiari, non proditores, vel exploratores regni, & corruptores civiũ, *Gen.c.42.9.* non clerici, non nobiles, & alii qui subditis occasionem adquirendi & commerciorum usum, qui debet esse communis & publicus, intercipiunt, & monopolium introducunt, ut sunt usurarii, propolæ, Dardanarii, annonæ flagellatores, & similes.

Magistratus quoque & magnates aut nobiles regni, non debent ex mercaturis & negotiationib. suas augere facultates, & privatorum lucra impedire, vel intercipere, aut vitæ tolerandæ occasionem aliis præripere.

L.nobiliores 3. C.de commer. & mercat.l.milites. C. de re milit. Pet.Greg.*lib.4.c.7.n.5.6.de Rep.* Bodin.*lib.3.c.8.* Antimach.*theor.32.lib.3.latè.* Tiraquel. *de nobilit.* Quod de minutis negotiationibus intelligendum. Nam magnas, sumptuosas & splendidas, quibus publicam augent utilitatem, atque notitiam regionum & aliarum terrarum accipiunt, illos exercere, valde est utile, uti alibi dico *c.17.n.22.23. & hoc cap.n.21.22.*

10 Quo in loco regni, commercia instituenda & habenda sint, magistratus providebit: nimirum ut locus certus, aptus & idoneus eligatur, ad quem facilis est accessus, & ubi commodior commerciorum tractatio, & ubi forum extraneorum mercatorum cum civibus sit extra civitatem, ubi hospitia sua illi commodè disposita habent, non in templo, locisve aliis sacris, vel religiosis, *Matth.c.21.Zach.c.12.*

Forum civium inter se sit, in ipso oppido, & intra mœnia civitatis.

Certus autem locus commerciis ideo destinatus esse

esse debet, ne per totam regionem extranei vagentur liberè, & pro mercatoribus fiant exploratores.

Mercium extranearum cuiq; generi suus locus 11
ad majorem, faciliorem & certiorem civium & extraneorum mercatorum conventum destinatus esse debet, ut alius locus vini, cereviſiæ, frumenti, panni, aliarúmve mercium vendendarum & emendarum designetur & habeatur.

Sic Dantiscum frumenti emendi facultatem præbet. Utraque Frisia butyri & casei emendi. Sic Middelburgum in Zelandia est mercatus, & emporium vini Gallici importandi. Dordracum verò in Hollandia, vini Rhenani advehendi.

Tempus commerciorum agitandorum relin- 12
quitur in arbitrio negotiantium. Panegyris, seu nundinarum, sive mercatuum tempus, commodius esse videtur, quod in illud anni tempus est rejectum, quod solet esse serenum, tranquillum, sine pluviis, frigore, vel nive magnâ.

Providendum tamen hîc erit, ne dies cultui divino destinatus, mercatibus illis tribuatur, & negotiis hisce profanis profanetur. *Esa.17.23. & seqq. 1.Esd. c.ult. Nehem.c.13.15.16.17.18.19.20.21.22. Ex.c.20.8.9.10.*

Summa est, ut magistratus, quantum potest, cu- 13
ret, ut omnes suæ ditionis partes divitiis abundent, sintq; quamplurimę locupletes & opulentę domus.

Nullos enim certiores habebit quæstores ærarios, quàm subditos, nec qui pecunias ei liberaliùs, quoties necesse erit, suppeditent. Nobilitas egregiè armis equisq; instructa, suo etiam sumptu, si res ita feret, ultrò ad bellũ ibit. Mercatores & plebeii homines pecuniam & milites conferent. Ecclesiasticus ordo decimas ad militiæ impensam volens dabit. Denique omnes pro suis quisq; facultatibus magistratum adjuvabunt, eosq; habebit locupletissimos & certissimos thesauros, quos in loculis subditorum condiderit. Paupertas ad res novas moliẽdas impellit. Tempore Salomonis in felicissimo

& florentissimo Reip. statu subditi locupletes & divites fuisse leguntur. Atque has divitias in regno potissimùm suppeditat mercatura summatia major, quæ majoribus summis absque parvis mensuris ponderum, vel ulnarum exercetur.

14 Forma & modus commerciorum exercendorum certis legibus & regulis à magistratu præscribendus est, nimirũ certi & justi adquirẽdi dominii, modi & causæ, quas titulos JCti vocant, certæ obligationum species, quas conventiones, contractus & pacta vocant, quibus res inter homines permutantur: sed absq; fraude, dolo, circumventione & fallaciâ, usuris quoq; prohibitis, monopolio, aliisq; artibus malis.

Vide JCtos. Sed hæc vitia tamen in locis, in quibus commercia agitantur, plerumq; grassantur. *Jon.c.1.2. Nahum c.3. 1.2.3.* quibus quasi cuniculis quibusdam publica pax & tranquillitas evertitur, & usus commerciorum minuitur & sistitur. *Mich.c.2.* Væ cogitantibus iniquitatem, & dantibus operam malo in cubilibus suis, quod illucescente mane faciant, quum est in potestate manus ipsorum. 2. Qui concupiscunt agros, quos rapiant, & domos quas adimant: opprimentes virum cum domo ejus, quemq; cũ possessione suâ. *& 8.* Atq; heri populus meus quasi hostis insurgebat; cùm adest vestis, detrahitis togam à transeuntibus securè, quietis à bello. *& v.11.* Atque ideo JCti dicunt, interesse Reip. ne cuiquam jus suum detrahatur, *l.2.de his qui sunt sui vel alien.jur.* Item interesse Reip. ne quis re suâ malè utatur, *§.pen.Inst.de his qui sunt sui vel alien.jur.* & ut delicta puniantur, *l. ita vulneratus.ad L.Aquil.* ut suprema judicia exitum sortiantur, *l.vel negare.quem.test.aperiantur.*

15 Æstimatio rerum permutandarum, statuenda est ex copiâ, inopiâ, abundantiâ & indigentiâ earundem, ex labore & impensis factis, ex bonitate, qualitate & aliis circumstantiis.

De qua re JCti in disputatione de interesse, & rerum æstimatione & taxatione. Latè Mascard. *de probat. in voce æstimatio, & interesse, pretium.*

Huc

Huc quoque pertinent mensuræ, pondera, trutinæ, statera publica, & moneta à magistratu approbata, sine quibus commercia commodè tractari & agitari non possunt. 16

Mensura, trutina, statera & moneta, quantum fieri potest, sit una, *Deut.c.25.13. Amos c.8.5.6.7.* & ad vicinorum, quibus cum commercia agitamus, rationem & usum accommodata, ut commerciorum expediendorum facilior sit ratio. *Lev.c.19. Prov.c.20. Mich.c.6.* 17

Causæ dominii adquirendi usitatæ in permutationibus & commerciis sunt traditio & acceptatio, quæ proveniunt vel ex mutuo, commodato, depositio, pignore, stipulatione, vel literarum & verborum obligatione, aut ex emtione, venditione, locatione & conductione, mandato vel societate, negotiorum gestione, transactione, apochâ, antapochâ, solutione, compensatione, retentione & pluribus aliis, de quibus latiùs JCti. 18

Sed in hisce omnes deceptiones, fraudes & circumventiones tollendę & puniendę; inprimis verò usuris & fœnori illicito, monopoliis & annonæ difficultatibus, remedia adferenda sunt. Adde *Mich. c.6.9.10.11. & seqq.* Boter. *lib.1.c.14.de polit.const.* Vide suprà *c.11.* 19

Monopolium est commercium emendi, vendendi, permutandíve à paucis, vel uno etiam usurpatum, reliquis civibus præceptum, quo pretia augentur, cum lucro negotiantis & reliquorum damno. *tit. C.de monopol.* Hoc uno casu licitum esse potest, aliâs semper prohibitum. 20

Licitum esse potest, quando superior illud tempore necessitatis, ob publicam utilitatem & summam necessitatem ad pecuniam & nervum Reip. comparandum, exercet, idque eâdem ratione, quâ 21

vectigalia instituit; vel tum, quando ex privatorum & suis bonis, reditus ad usus publicos imperii & necessitates incidentes non sufficiunt: vel quando commerciorum usus ob hostium impetum & pericula, vel itinera non tuta, haberi non potest.

Pet. Mart. *1. Reg. c. 10.* ubi etiam monopolium Salomonis *in d. c. 10.* non illicitum fuisse defendit, quòd equos in Ægypto extraneis, sine Salomonis ipsiúsve institutorũ potestate & concessione emere, vel educere non licuerit. Sic & Joseph in Ægypto monopoliũ in frumento vendendo exercuit: non ad quæstum, sed ad populi & Reip. utilitatẽ & necessitatem, tempore famis ex jussu regis, *Gen. c. 41. 34. 35. 37. & seqq.* Et negotiatio nautica magistratui concedenda, quâ maris imperium & retineat & Remp. ditet, *1. Reg. c. 9. 26. 27. 28.* Sic rex Portugaliæ commercia & negotiationes in Æthiopiam vi armatâ aperuit & conservavit.

Quando etiam negotiatio est nimis ampla, ita ut negotiatores ex ea ingentem divitiarum vim adquirerent, tum eam magistratus exercendam sibi sumere potest: ut hodie Venetiani faciunt in usu commerciorum, in Flandria, Anglia & aliis locis.

Denique quando negotiationes ejusmodi inserviunt usui publico, & fructus ferunt toti Reip. uti quando ad annonæ caritatem sublevandam, frumentum emitur & venditur subditis, in quibus omnibus casibus monopolium & negotiatio magistratui rectè conceditur, suprà *c. 17. n. 22.*

22 In cæteris casibus monopolium omnino est prohibitum: ideo, quòd via compendiaria existimetur ad quæstum faciendum, & ad plebem evertendam, & tyrannis sit rerum ad vitam sustentandam necessariarum usum, à paucorum nutu & arbitrio pendere, quo vitæ necessariorum subsidiorũ comparandorum via intercluditur aliis, atque rerum caritas introducitur contra charitatem proximi.

23 Deinde, quòd commerciorum promiscuus sit usus,

usus, eaq; juris publici, *l. si quis 17. §. si impubes. de instit. act.* quo cuivis conceditur licitis modis & titulis alienare vel adquirere, pro utilitate & necessitate vitæ suæ, & contrà nemini interdictum est adquirere, emere, vendere, distrahere, alienare, *per l. 24. §. 1. de minorib. l. 5. ex hoc jure. de just. & jur. l. 1. de cont. empt.*

Tertiò, causæ adquirendi, alienandi, seu commerciorum jus introductum est, ut essent licita media, quibus homines ultrò citróq; communicarent necessaria vitæ subsidia. Arg. *d. l. 5.* Quorum usum auferre hominibus, quid aliud, quàm vitam ipsam adimere? 24

Unde & commerciorum privationem propheta inter calamitates & pœnas ponit, *Ezech. c. 27. per tot.* Nam hinc subditorum egestas & paupertas, quos divitiis abundare & ditescere interest principis. Hi enim tempore necessitatis certiùs & liberaliùs ad regni incidentes necessitates conferre & suppeditare possunt arma, pecuniam, milites. Vide eleganter disserentem Antimach. *lib. 3. theor. 32.*

Sunt autem variæ & multiplices technæ monopolii prohibiti, quibus damnum publicum, ob privatum unius vel paucorum quorundam quæstum, infertur; de quibus Tiberius Decian. *lib. 7. tract. crim. c. 21.* & Menoch. *lib. 2. cas. 569. arbit. judic. quæst.* 25

Nam primò exercent monopolium, qui emunt vestes, pisces, aut aliam quampiam speciem, ut soli vendant.

Deinde, qui illicitis conventionibus conjurant vel paciscuntur, ut species diversorum corporum negotiationis, non minoris quàm inter se convenerint, vendant.

Tertiò, ædificiorum artifices vel ergolabi, laborum susceptores, aliique artifices monopolium exercent, quando paciscuntur inter se, ne quis ipsorũ,

quod alteri commissum est opus, impleat, perficiat, aut injunctam alteri solicitudinem incipiat.

Quartò, qui actu quodam perficiunt, ut agricolę victualia necessaria ad forum non deferant, ut ipli in villis omnia ab illis coëmant, & postea pro arbitrio vendant.

Quintò, qui dolo malo efficiunt, ne ullæ merces usui nostro necessariæ, ad forum deferantur, quò dominus illius loci, vel cives ejusdem sua cariùs vendant, cùm aliâs abundantia pretium imminueret.

Sextò, committunt monopolium artifices inter sese pacisscentes, ut cariùs operas suas locent, vel non perficiant minori pretio, quàm inter eos est conventum; vel cives conveniunt inter se, ne quis eorum domos, vel habitationes locet, nisi pretio tanto.

Septimò, illi artifices, qui inter se pacisscuntur, ne quisquam eorum in illa arte alios instruat, præter filios, vel nepotes eorum, vel ne quis eorum artem, seu artificium doceat, nisi tanto pretio, vel tempore minori.

Octavò, monopoliũ committunt laniones, qui conjunctis bursis & crumenis omnia circumemunt, apud se servant, & certam tantùm quantitatem ad macellum deferunt, ut cariùs vendant.

Nonò, qui pręsciens magnam rerum penuriam, datâ pecuniâ comparat illas res, quarum penuriam prævidet.

Decimò, qui certas leges inter se constituunt, ut omnem carnem inflent, ut frusta graviora, majora & elegantiora appareant, idq; eâ de causâ, ut cariùs distrahant.

Unde-

Undecimò, pistores, coctores, caupones & similes negotiatores, qui clam inter se collatis ad hoc consiliis procurant, & statuunt aliquid, quod ad proprium commodum spectare videtur, in detrimentum & perniciem Reip.

Duodecimo, quando artifices, vel rustici pacisscuntur inter se, ne quis eorum operas civi habitanti in urbe, vel in villa ipsa præstet.

Decimotertiò, quando aromatarii conveniunt, vel statuto cavent, ne pro exequiis defuncti, eorum quis possit vendere aromata, vel ceram hæredibus, nisi priùs solverint hæredes, quod aliis aromatariis defunctus debebat.

Decimoquartò, monopolium sapit statutum, quo cavetur, ut nullus possit ire ad aliud molendinum, quàm tale, talis domini: quia tollit libertatem publicam.

Decimoquintò, monopolium sapit, quando cives statuto cavent, ut factiones & partialitates foveantur: sicuti & quando nobiles civitatis per se & plebeii separatim faciunt aliquod statutum.

Decimosextò, cõmittitur monopolium, quando cavetur statuto, ut nullus in collegium coopteţur, nisi sit ortus ex familia tali, vel tali civitate.

Decimoseptimò, quando inter Notarios conventum est, ut nullus possit scribere, nisi ex tali factione ortus.

Decimooctavò, omnis conventio & statutum fovens partialitates, ut loquuntur, & factiones, sapit monopolium. Latiùs Menoch. & Decianus *de speciebus monopolii, in dictis locis.*

Quib. addo decimononò, monopolium quoq;

committere sortiarios, sive sortilegos, ex quorum sortilegio ipsimet commodum & lucrum ex carâ rerum suarum distractione, plures verò alii pecuniam inferentes, damnum sentiunt, lucrandi spe illecti. Keckerm. *in polit. system. lib. 1. c. 22.* ubi & plures alias rationes adfert de prohibito sortilegio.

36 Hujus generis sunt quoq; annonæ fraudatores & flagellatores, qui faciunt, ut annona carior & gravior fiat ad privatam ipsorum utilitatem.

Amos c. 8. 4. Audite, qui anhelatis, dejecturi egentem, & deleturi pauperes terræ. *5.* Dicendo, Quando transiverit hoc novilunium, ut vendamus commeatum & sabbathum, ut aperiamus frumenti horrea, minuendo epham & majus faciendo pondus, ac pervertendo lancibus dolosis. *6.* Comparando pecuniâ tenues, & egentem pari calceorum, ut deniq; quisquilias frumenti vendamus &c. & *Amos c. 2. 3.* ibi, Non avertam malum, eò quòd vendunt pecuniâ justum & egentem pro pari calceorum, *v. 5. c. 3. 10. 11. & c. 5. 11. 12. Zephan. c. 1. 11.* ibi, Succidetur totus populus mercaturam faciens, excindentur omnes agentarii, *12. 13.*

Annonę autem appellatione hîc continetur frumentum, panis, caro, acetum, vinum, lardum, fœnum, vestes, ligna, oleum, legumina, & si quæ sunt alia ad vitam sustentandam necessaria.

27 Ad annonæ flagellatores refero etiam Dardanarios, annonam attemptantes, vexantes, onerantes. Vide Decian. *in crim. tract. lib. 7. c. 22.*

28 Curam verò rei frumentariæ & aliarum rerum necessariarum diligentissimam habebit magistratus; Neque enim saturo populo, ut dixit olim Aurelianus, quicquam potest esse lætius.

Ideoq; frumenti copiam conquirere debet, quò subveniat subditis tempore annonæ caritatis, quo beneficio se illis gratissimum reddet.

Hîc

Hîc prima cura erit de emptione, altera de importatione, & tertia de dispensatione annonæ, quæ citò emenda, cautè importanda, & bona œconomia dispensanda est. 29

De qua re vide prudentiam œconomicam Josephi, *Gen. c. 41. & seqq.* & Petrarch. *de Rep. optimè administranda.* Romani præsides sæpe tempore caritatis frumentum populo dederunt, uti Cassius, Melius, Manlius, Gracchus & Cæsares plures. Vespasianus operam dedit, ut semper omnium rerum copia in Rep. esset. Severus Imp. hac in re adeò diligens fuit, ut post mortem ipsius tanta frumenti copia reperta fuerit, ut eâ populus per septennium ali potuerit. Aurelianus, ut minoris pretii essent victualia, pondera graviora esse voluit. Nihil enim saturitate gratius & jucundius putavit esse populo: contrà invisa & exosa caritas, vel victus inopia.

Constituenda igitur horrea & granaria, ex quibus tempore necessitatis ad sublevandos egenos & pauperes, annona haberi possit. His præsunt inspectores, curatores, visitatores & erogatores annonæ. 30 *tit. C. de condit. in horre. lib. 12.* Franciscus Ripa. *in tract. at. de peste. c. 4. Genes. cap. 41. 33. & seqq.* Scip. Amir. *lib. 12. ducurs. 3. 30.*

Deinde cura monetæ, seu numismatis cudendi & signandi ad magistratum pertinet, quod summus ejusmodi magistratus in materia publicè electa statuit, *l. 1. de cont. empt. tit. C. de veter. numis. pot.* cum certo pondere, *Genes. c. 23.* charactere & formâ publicâ, ac magistratus inscriptione & imagine, *Matth. 22. 17. 18. 20.* valore quoque & functione decretâ & adsignatâ. vide Pet. Greg. *lib. 36. cap. 2. Syntagm.* ut hoc medio hominum commerciis & necessitati subveniat. *d. l. 1. de cont. empt.* vide Bodin. *lib. 6. c. 3. de Repub. & sup. c. 11. n. 11. 12. 13.* 31

Mutatio quoque monetæ ad solum magistra-

tum pertinet. *tit. C. de vet. numiſ. poteſt. toll.* Greg. *lib. 9. c. 1. n. 31. de Rep.*

Adulteratores monetæ, falſarii, monetarii, & ſimiles coërcendi pœnis ſeveris.

Ratio cudendæ monetæ, miſcendæ materiæ & taxandæ, à magiſtratu pendet. Vide de hac re conſtitutiones Imperii Germanici, quas alii populi hac in re imitantur.

32 Linguæ etiam uſus & dialectus, ex præſcripto ſuperioris magiſtratus pendet, qui in toto regno unam cultam, decoram & facundam, vel cuique regioni diverſas linguas præſcribere & imperare poteſt.

33 Quò faciliùs autem magiſtratus linguæ uſum introducat, conſultum eſt, ut leges & ſtatuta regni eâdem linguâ promulget. Deinde, ut judiciorum, proceſſus & ſententiæ promulgatio in eadem linguâ ubique in toto regno celebrentur & peragantur: Item inſtrumenta publica, legationes, commiſſiones & negotia publica eodem idiomate & dialecto peragantur.

Romanorum exemplo, quâ de re vide *l. 48. de re judicat.* & Judæorum, *Eſd. cap. 17. 23. & ſeqq. Neh. c. 13. 23. 24.* Refert quoque, ut magiſtratus hiſtorias rerum geſtarum & memorabilium linguâ uſitatâ ſcribi curet à docto & idoneo hiſtorico, cui ipſe, qui omnia melius habet cognita, materiam ſuppeditare debet: uti fecit Carolus Magnus, Julius Cæſar & Alexander Magnus. *Adde Eſra c. 4. c. 5. c. 6. adde ſup. cap. 11. n. 16. & ſeqq.*

34 Ad autoritatem Reipub. conſervandam permagni intereſt, ut ſanctè obſervetur & uſurpetur lingua vernacula.

Vide Valerium Maximum *lib. 2. c. 2.* Magiſtratus, inquit, priſci, quantopere ſuam populiq; Romani majeſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quòd inter cætera obti-

obtinendæ gravitatis judicia, illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, ne Græcis unquam niſi latinè reſponſa darent: quinetiam ipsâ linguæ volubilitate, quâ plurimum valent, excuſa per interpretem loqui cogebant: non in urbe tantùm noſtra, ſed etiam in Græcia & Aſia: quò ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant ſtudia doctrinæ, ſed nulla non in re pallium togæ ſubjici debere arbitrabantur, indignum eſſe exiſtimantes, illecebris & ſuavitati literarum Imperii pondus & autoritatem donari. Adde *Nehem. c. 13. 23. 24.*

De propria cujusque regionis lingua, vide *2. Reg. c. 19. 26. 27. Judic. c. 12. 5. 6. Matth. c. 26. 73. Actor. c. 2. 6. & ſeqq. Marc. c. 14. 70. 1. Corinth. c. 14. 11. Eſth. c. 1. 22. c. 3. 12.* In bulla aurea Caroli 4. de electione Imperatoris edita, mandatum eſt, ut filii electorum à primis annis Italicam, Latinam & Illyricam linguam addiſcant, ut cum multis gentibus loqui poſſint. Mithridates rex Ponti, 22. gentium linguas calluit. Latina lingua hodie in omnibus ferè nationibus eſt uſitata. In ſchoIis hæc cum Græca & Hebræa docetur & diſcitur. Varia variorum principum & regnum edicta de lingua excolenda & introducenda, refert Greg. *lib. 15. c. 3. c. 4. &* Zuinger. *in theat.* Clapmar. *lib. 3. c. 22. de arcan. Rerump. ſup. d. c. 11.*

35 Officium magiſtratus circa munera eſt, ut curet, quò idoneis & aptis perſonis publici commodi ſtudioſiſſimis, hæc demandentur, & quò diſtincta munera in regno ſerventur, & gravamina munerum tollantur. Exempla vide *1. Reg. cap. 4. 1. Chron. c. 23. c. 24. & 25. c. 18. 15. 16. 17.*

Nam cùm ipſe magiſtratus non poſſit ſufficere adminiſtrationi, utetur aliorum bonorum operâ. *Exod. c. 18. 18. 22. Num. c. 11. 14. Deut. c. 1. 9. 12. 1. Reg. cap. 3. 2. Chron. c. 19.*

36 Munera publica, majora ſine imperio, ſed cum dignitate & honore eximio conſtituat; minora, vel mediocria, cũ jurisdictione & imperio. Bodin. *lib. 3. de Rep.* nulla verò demandentur ambitioſis,

levibus, mendacibus, insolentibus, superbis hominibus, vel iis, qui gratiâ apud populum valent. Nihil n. periculosius & pernicioſius in imperio hisce, in quibus concurrit potentia & superbia, item levitas, inconstantia & fraudandi decipiendíve cupiditas, ut ait Bote. *lib.4.c.4.* Melch. Jun. *lib.1. quæst. pol. q.14.* Nec etiam tutum vel consultum, uti ministerio & operâ eorum, qui propriam habent potestatem, ne propria & aliena potentia concurrant.

Illis verò potestas & munera tutiùs committuntur, quorum maximè interest pacem & tranquillitatem conservari, atque quibus nocet novatio & mutatio.

37 Operam dabit magistratus, ut in Rep. sapientum multitudinem habeat, quæ secundùm Salomonem est salus & firmamentum politiæ, sicuti inopia horum illius detrimentum: deinde curabit, ut virtutes excellentium virorum in regno suo cognitas & exploratas habeat, utiis uti possit ad offi-
38 cia & munera publica. Qua in re, si cæcus est, similis habetur rustico, qui pretiosissimos lapides margaritásve ignorans possideret, neque illis uteretur; unde fit, ut virorum præstantium & excellentium, ob principis ignorantiam, nulla habeatur ratio.

Augustus Cæsar præcipuos & egregios viros omnes Romæ viventes cognitos habuit. Ludovicus 11. Galliæ Rex virtutes & egregia dona sibi subjectorum imò & hostium cognita habuit, & iis uti scivit, ut refert Comin. Vide Rich. *ax. 97.* Scip. Amir. *lib.1. discurs. & lib.13. discurs.9. Vide infra hoc cap. num.87.88. & sequent. ubi de electione horum.*

39 Distinctio inter officiales observanda est & conservanda, ut nimirum officiales suos proprios summus magistratus habeat, iisque utatur. Respub. seu

seu corpus universalis consociationis, vel regnum, seu illius nomine proceres & ephori regni, suos etiã officiales habeant. Vide *1.Chron. cap.23. cap.24. 25. cap.26.* Illi à summo magistratu eliguntur & constituuntur, hi verò à corpore consociato, seu ephoris. *Vid. sup. c.14.*

In politia Judaica, officiales seu magistratus regni & Reip. 40
erant seniores ex toto populo electi, qui capita populi vocabantur, qui convocati in rebus negotiisque publicis gravioribus definiendis conveniebant & de illis statuebant, uti ex *1.Chrõ.c.7.1.2.c.26.c.27.1.Reg.c.8. Esdr. c.9. Neh.c.5. & 8. 2.Sam.c.9.2.c.20.24.2.Reg.c.18.37.1.Reg.c.4.1.* constat; adeò, ut contemptis & neglectis hisce, tribus Israëlitæ seditionem movere solerent, utpote ad quos publicorũ negotiorum inspectio pertineret. Vide exemplũ in *2.Sam.c.19.43.44.* ubi contra Davidem se commoverunt. *& in 1.Reg.c.12.15.* ubi adversus Rehabeam convenerunt & contenderunt. Adde *1.Chron.c.26.29. 2.Chron.c.29.*

Magistratus summi officiales in politia Judaica erant Scriba regis, magister militiæ, *2.Sam.c.9.2.c.20.24.* de Davidis officiariis super negotiis regiis, extat *1.Chron.cap.27.25. & seqq. 2.Chron.c.19.11.c.28.* de Salomonis, *1.Reg.cap.4. 1.Reg. c.9. 2.Chron.c.8.* Chiskiæ, *2.Reg.c.18.37.* Josiæ, *2.Reg.c.22. 8.9.11.12.* Ahasueri, *Esth.c.1.* Josaphati, *1.Chron.c.17.* Darii, *Dan.c.6.* Nehemiæ, *Nehem.c.11.*

In politia Romana, olim alii fuerunt privatarum rerum 41
principis officiales & magistratus, veluti comites stabuli principis, & palatini sacrarum largitionum & rerum privatarum, procuratores Cæsaris, magistri sacrorum scriniorum, & similes, de quibus *in lib.12. C. Justiniani. & lib.1. tit.26. 27. & seqq.*

Alii verò erant officiales ipsius Reipub. Romanæ, veluti consules, prætores, præsides & rectores provinciarum, præfectus urbi, quæstores ærarii, proconsules, & similes, de quibus *tit.9.10.11. & seqq. d. lib.1.*

Ab initio quoque istius Reipub. aliæ provinciæ fuerunt, quas Cæsares, seu Imperatores sibi peculiariter retinuerunt; aliæ verò, quæ à populo vel senatu retinebantur & demandabantur.

42 In politia Germanorum qui sint Imperii officiarii, consiliarii & ministri & quot, latè describitur in constituit. Imperii, Augustæ habitis anno 1500. & in aurea bulla Caroli quarti Imp. in qua Moguntinus Elector Imperii archicancellarius per Germaniam, Colonienſis per Italiam, & Trevirenſis per Galliam dicitur: Elector Palatinus verò Imperii archidapifer, Saxo archimareſcallus, Brandeburgenſis archicamerarius Imperii dicitur: Cæſaris verò & Imperatoris Germanici officiarii & miniſtri alii.

43 Sic etiam in Gallia alii ſunt officiales regis, & alii officiales regni. Regis officiarii ſunt ipſius cubicularius, præfectus domui regię, quos magiſtros domicilii regii vocant, Equiſo magnus, qui ſtabulo principis præeſt, & alii plures. Regni verò Gallici officiales ſunt, Cancellarius Franciæ, Comeſtablius, Mareſcallus, Hamiralius magnus, magiſter Franciæ, theſaurarii, quique hos omnes ordine & dignitate præcedunt principes ipſi Franciæ, qui è ſanguine regio ex patribus, non autem ex matribus ſunt orti. *Vide ſupra c.14.*

44 Conſultum autem eſt, ut & ſolet fieri, ut officiales regni, ſeu coronæ, eligantur à populo, ex iis qui ſunt indigenæ regni, & jus civitatis à nativitate habent. Vide rationes quas dixi ſup. *c.7.n.41. & c.27.n.28.34. 42. & c.18 n.59. & ſeqq.*

Regii officiales, ſeu ſummi magiſtratus miniſtri ab eodem, quivis etiam extranei, eliguntur. Unde fit, ut illi priores officiales ſoleant plerunque eſſe hereditarii: hi verò poſteriores, temporales, ex prima eorum inſtitutione & naturâ ſuâ, licet quandoque pro arbitrio principis fiant hereditarii ex peculiari gratia & beneficio illius.

45 Officiales regni, ſeu coronæ, commodis regni ejuſque ſaluti inſerviunt, ad quos cura & tutela totius regni pertinet, quique in commune conſulunt, *ſup.c.18.n.60. & ſeqq.c.27.n.34. & ſeqq.*

46 Officiales regis, hominis unius regis commodis inſerviunt, & in negotiis concernentibus regnum publicis, pro privatis habentur, *2.Sam.c.9.*

Regii hi officiales varii eſſe ſolent, pro cujusque 47
principis amplitudine & potentiâ; ſumma illorum diſtinctio eſt, quòd quidam eorum conſtituti ſint cum imperio & jurisdictione datâ vel mandatâ: quidam verò ſine jurisdictione. De quibus agunt latè JCti.

Officiales illi, qui ſunt ſine jurisdictione & magiſtratu ſeu poteſtate, ſunt duorum generum: ſunt enim eccleſiaſtici, vel ſeculares politici. *1.Chron.c. 26.32.c.18.14. & ſeqq. 2.Chron.c.19.*

Eccleſiaſtici ſunt, qui negotiis ſacris & divinis 48
vacant, *1.Chron.c.25.c.26. c.27. 2.Sam.c.9.* de quibus dixi ſupra *c.8.* qui poteſtatẽ ſecularem ſibi uſurpare prohibentur, *Luc.22.25. Matth.c.20.25. & ſeqq. Joh. c.8.7.8.10.c.18.30. 1.Pet.c.5.3. 1.Cor.c.12.12.28.*

Seculares ſeu politici officiales ſunt, qui negotiis ſecularibus ad hanc vitam pertinentibus in- 49
ſerviunt, *1.Chron.c.25. & ſeqq capp.* & ſunt togati, vel armati. Togati ſunt ſenatores, decuriones, legati, patricii, palatini, & ſimiles, de quibus ſupra. *c.8.*

Senatores in ſummis curiis & tribunalibus regni 50
conſtituet & eliget magiſtratus ex diverſorum ordinum & regionum perſonis, ut ex temperamento diverſarum perſonarum, corpus Senatus conſtet.

Erunt igitur in judiciali hoc conſeſſu nobiles, clerici & plebeii. Vide Antimach. *lib.3.theor.35.2.Chron.c.19. Deut.c. 16.18.c.17.* & Judæorum Synedrium talibus conſtabat, *Num. c.11. & ſup.c.27.n.34. & ſeqq.*

Armati officiales ſunt, qui armis, ad defenſionẽ 51
Reipub. contra vim & injuriam illatam, inſerviunt Reip. de quibus latiùs infra *c.34. & 35.*

Diſtincta verò manent munera, quando omnis 52
confuſio & ἀταξία in officiis, ordine dignitatum & veſtimentis præcavetur, vel tollitur.

Vide *Esa.c.3.c.24.* Nam sicut in corpore humano oculus non potest neque debet simul esse os, auris vel caput, aut pes, horumque membrorum munera & functiones obire, & contrà: sic nec in Rep. unũ membrũ plura & diversa tractabit munera, *arg. 1.Cor.c.14.* & ut deforme spectaculum esset, si fœmina virilibus vestibus, manus calceis, pedes pileo, uterentur; sic & si privati publicarum personarum vestitu utuntur, vel persona honorabilis publica vestitu vulgari militarive.

Ergo in officiis demandatis curabit magistratus, ut quilibet status ordoq; se intra limites suos contineat, seculares non immiscеant se ecclesiasticis, & contrà ecclesiastici secularib. negotiis abstineant, & quilibet sibi demandata & adsignata negotia vocationis suæ agat & tractet diligenter & fideliter ad commune Reip bonum.

1.Reg.c.4.& c.10.4. 1.Chron.c.23.& capp.seqq. Jer.c.5.31. Ezech.c.13.6. Seduli enim, vigilantes & industrii magistratus, tum hostibus, tum civib. sunt terrori, grati bonis & sibiipsis, & Reip. utiles. Autoritatem & jus, quod ratione vocationis suæ quilibet in fidei suæ commissos homines habet, salvum, sartum & tectum contra violatores servabit. Argum. *Deut. c.21.19.20.21.*

53 Deinde princeps curabit, ut sanctè & innocenter intermedii magistratus se gerant, & maturè obviam ibit ipsorum vitiis, primò delinquentibus officium adimendo, & pœnas irrogando; contrà fideliter & sedulò obeuntibus, præmia digna persolvendo.

54 Πολυπραγμοσύνη mulierum, immiscentium se negotiis ecclesiasticis aut politicis, semper est infelix, & turbat regna & Resp.

Vide Greg. Richt. *ax.pol.75. arg. Esa.c.8.* πολυπραγμοσύνη etiam quævis cujusvis improbanda & tollenda, *1.Thes.c.4. 11.* Sitis quieti, & agite propria. Greg. Richt. *axiom.24.*

55 Ordo dignitatum, honorum distinctio, & gradus

dus variorum officiorum & subditorum in Rep. scilicet digniorum, præstantium, vilium & intermediorum, observandus, ne confusio fiat.

Vide *tit.C. ut ordo dign.servet. Esaiæ c.3.& c.24.* ubi indicium corruptæ politiæ hanc confusionem ponit: contrà bene constitutæ politiæ, ubi εὐταξία ista observatur: vide *1.Reg. cap.10.* Inferiores igitur & minùs digni cedant dignioribus, præstantioribus. Vide Greg. *lib.4.c.10.* Bod. *lib.3.c.8.de Rep. & sup.c.13. in fin.& medio.* & dixi in Ethic. *lib.2.c.1.& seqq.* & Chassan. *in libro catal.glor. mundi.*

Ad popularem libertatem & concordiam tuendam, ordines ita collocari oportet, ut omnes omnibus societatis & communionis jure faciliùs conciliari possint.

Quo verò ordine cives Reip. sint collocandi, 56
arbitrio cujusque Reip. & magistratus relinquendum censet Bodinus *lib.3.cap.ult.* Solet tamen plerunque primum locum obtinere post summum magistratum, ordo ecclesiasticus sacer, qui vitam contemplativam agit: Secundum senatus: Tertium, ordo militaris: Quartum, ordo togatorum, in collegiis magistratuum, judicum, jurisconsultorum & forensium: Quintum, ordo scholasticorum; Sextum, ordo mercatorum negotiatorumque: Septimum opificum ordo, agricolarum & pastorum. Ultimum locum tenet ordo tibicinum, histrionum, saltatorum, agitatorum, ludionum, pigmentariorum, scenicorum & similium voluptatum artificum.

Omnes hi ordines in tres facilè conferri pos- 57
sunt: ut sit primus ordo nobilitatis: alter ecclesiasticorum: tertius, plebeiorum, seu populi; quorum singuli rursus suos habent gradus, & ejusdem

ordinis homines, alii aliis in dignitate & excellentia præferuntur.

Vide Tholosan. *lib.4.c.6.num.9. & seqq. & c.10. de Rep. per l.1. & seqq. de alboscrib.l.2. C. ut dign.ord.serv.lib.12.* de quâ re *in Ethic.lib.2.c.2.& seqq.* tractavimus. & Chassan. *in glor.mundi.consid.25.part.4.* Romæ ordo patriciorum primum, ordo equestris secundum, & ordo plebeius ultimum locum obtinebat. Vide Bodin. *d.c.8.lib.5.de Rep.*

58 Ordo & distinctio civium in certas classes, facit, non solùm ut administratio sit facilior, commodior, sed etiam ut illa sit firmior & robustior. Civitates igitur in classes, centurias, parœciasque suas distinguere necesse est. Vide Scip. *lib. 2. de regni regnique instit.*

59 Singularis Dei benedictio est, habere in Republ. plurimos fortissimos & optimos viros, uti David enumerat *1.Chron. c.11.10. & seqq.c.20.1.2. & seqq.* & Salomo, *1.Reg.c.10.* Josaphat, *2.Chron.c.17.7.13.14. & seqq.* qui sunt decus & ornamentum Reipubl. *Hesr.c.8.18. 1.Reg.c.10.* Contrà pernicies, quando impii & non idonei ad officia publica promoventur, *Psal.12.9.Esa.c.3.3.4.* Virtute ergo viros spectabiles, magistratus amabit & fovebit. Nam præterquam quòd virtutis alienæ laus, & rerum ab ejus ministris benè gestarum gloria ipsi principi adsignari soleat; etiam exiguæ virtutis hominum operâ in rebus magnis uti non potest. Quippe egregia facta virtutis effecta sunt, & quemadmodum ex rubis uvæ aut poma decerpi nequeunt, ita princeps à vitiosis, aut modicæ virtutis hominibus, summâ laude digna officia frustrà exspectabit. Neque tales virtute præditi homines facilè adducuntur, ut aliquid se indignum aggrediantur. De qua re latiùs Antimach. *lib.3.theor.16.* Scip. Amir. *lib.2. discurs.8.* Exemplum habes in Justiniano Imp. qui egregiis suorum ministrorum factis, celebris factus: in Davide rege: in Joas: in Antonino Imp. & aliis, qui & ipsi boni, egregiis egregiorum ministrorum facinoribus illustriores sunt redditi.

60 Ordini & distinctioni honorum & dignitatum inservit etiam distinctio vestitus, cuiq; hominum generi

generi, ordini, statui conveniens, juxta muneris, vel officii suscepti qualitatem & conditionem.

Greg. *lib.4.c.11.de Rep.* ut provinciæ etiam à provinciis, & regnicolæ à peregrinis distinguantur. *Sophon.c.1.8.* Sic alia vestimenta Germanorum, alia Romanorum, alia Gallorum, alia Turcarum, alia aliarum gentium. Vide Isidor. *in etymol.* & Greg. *d.c.11.* & alia olim, alia hodie.

Alia vestimenta secularibus, alia ecclesiasticis personis: alia militibus, alia plebeiis; alia illustribus, alia nobilibus conveniunt.

In summa, curandum est, ut distincta sint vestimenta, quibus sexus, qualitas, status & conditio personarum agnoscatur. Vide *Deut.c.22.5.11.12. Num.c.15.38. Exo.c.28.c.29. Gen. c.27.15. Matth.c.22. Sirac.c.40. 1.Tim.c.2. Prov.c.7.l.1. & seqq. C. de vestib.holoser. & aurat.lib.11.* Adde Tholos. *d.lib. 4.c.11. & quæ diximus in lib. de civili conversat.* Mutatio vestitus & consuetorum vestimentorum, atq; imitatio externi vestitus prohibenda. *Tzeph.c.1.8.* Cujus rei exempla & rationes vide apud Pet. Greg. *lib.4.c.11.de Rep. & lib.9.Syntag.c.19.*

Gravamina officiorum & munerum tollet magistratus, interdictis & pœnis; atq; ut bonâ fide opificia fiant, constituet præfectos artificiis singulis, quib. injunctum sit munus & necessitas speculandi, inquirendi, inspiciendi, ut rectè & bene omnia fiât. 61

Gen.c.40.2.3.4. Greg. *lib.4.c.9.in fin.* Sunt enim opificia reditus & divitiæ plebis; unde vivere coguntur & familiam suam alere, *Eccles.c.5.8. & seqq.* 62

Curabit quoq;, ut necessaria, & utilia ac varia artificia Reip. non desint, atq; ut singula opificia & artificia suas habeant leges, & statuta à se confirmata, secundùm quæ opificia sua exerceant, quibusq; inter se utantur; contra quæ, si quid ab aliquo contribulium ejusdem collegii committatur, illud etiam puniatur; unde libri statutorum & privilegiorũ, curiarum, collegiorum, contribulium, in quibus scripta sunt illa jura, Germanicè vocantur Rollẽ der 63

Handwercker/ oder Güldenrechte vnd geſetz der Zünften.

64 Non patietur, multos ad unicum & idem vitæ genus ſe conferre, ſed pro Reip. neceſſitate & hominum multitudine officia variè diſtribuet.

65 Imprimis verò providebit magiſtratus diligenter, ne ruſticationes & opera ruſtica impediantur. Hinc enim annonæ caritas & fames, & neceſſariorum inopia.

Vide *tit. C. ne ruſtic. ad ult. obſeq. devoc. 1. C. de collat. fund. patrim. Jer. c. 32. 16.* Ideoque ſanctos & inviolabiles ruſticos veteres dixerunt, & plurima privilegia iisdem conceſſerunt. Vide Greg. *lib. 4. c. 8. n. 5. 6. 7.* Nam agriculturâ & paſtoritiâ vitâ augemus patrimonium noſtrum ſine alterius læſione & damno. Sunt etiam agricolæ & paſtores nervi Reip. Ideoque horum curam diligentem habebit magiſtratus, & omnia quæ faciunt ad rem agrariam & prædiorum utilitatem, ordinabit, nimirum de paludoſis & aquoſis agris ſiccandis per ſulcos, vel rigandis aridis, foſſis ductis, de arboribus plantandis, inutilibus ſuccidendis. Providebit, ut locus nullus ſterilis, vel inutilis, uſpiam relinquatur, exemplo Tiberii Cæſaris, Regis Maſiniſſæ & aliorum, de quibus Boter. *lib. 8.*

66 Curabit ergo imprimis magiſtratus, ut pagis, oppidis & urbibus pluribus exornata & culta ſit quælibet provincia: Deinde ut ſit fertilis, frugifera, & in omnibus locis excolatur, etiam exoticis alienisve plantis, arboribus, ſeminibus aliunde allatis, item beſtiis utilibus, & opificiis neceſſariis, utilibus & variis non careat. Vide *2. Chron. cap. 27. 3. 4. & 1. Chron. c. 27. 26. & ſeqq. c. 4. 39. 40. & ſeqq.*

67 Ad quas operas & labores miniſteriis ſervorum vel damnatorum, validorum mendicantium, aut militum aliorúmve otioſorum, inutilium aliàs terræ ponderum, operâ uti licet, ne audiant illud Apoſtoli,

ſtoli, *Qui non laborat, nec manducabit:* & ne nihil agendo, malè agere diſcant. Nam ut avis ad volandum, ſic homo ad laborem naſcitur.

Opificum quoq; & artificum curam habebit magiſtratus. Sunt enim & illorum quidam neceſſarii ad vitam ſocialem: quidam inſerviunt voluptati & jucunditati hominum. Hinc hominum concurſus, & divitiarum variarum copia, quæ provinciæ magnum commodum adferunt. 69

Nam artifices materiâ præbent, important vel exportant, vendunt emúntve res, induſtriâ, labore, artificióve opificum factas. Ideo Turcarum rex Selimus, Conſtantinopolim divitem redditurus, aliquot millia artificum peritorum illuc vocavit & transtulit. Nam exempla & hiſtoriæ teſtantur, artem induſtriámve hominis & laborem prævalere naturæ, ejuſque vires ſuperare, plusque præſtare, quàm naturalis loci fertilitas producere & gignere poteſt. Elaborata quoque arte & induſtriâ hominis, meliora & præſtantiora ſunt iis, quæ natura producit. Hæc enim exhibet materiam nudam & rudem: Illa formam induit variam & diverſam, quâ res catior præſtantiorque redditur & utilior. Exemplum præbet lana, ex qua induſtria & ars hominis, varia, eaq; eximia producit, quorum uſus omnino neceſſarius eſt in humana vita. Ars facit, ut excrementum vermiculi bombycis deformis, producat ſericum, quo tamen utuntur magnates & divites. In ferri fodina, ferri materia effoditur, ex ferro verò innumerabilia alia fiunt & parantur. Quàm varia & diverſa induſtria hominis ex rudi materiâ ligni producit & efformat? Ad hoc ipſum verò, ut ex rudi quâvis materiâ aliæ res fiant, plurium hominum opera requiritur. Unde fit, ut arte, operâ, induſtriâ labore ſuo plures homines alantur, quàm reditu vel fructu rerum quovis naturali, qui ſine hominis labore ex re producitur. Exemplum exhibent Italiæ civitates plurimæ; imprimis Florentia, Genua, Veneti, in quibus tot hominum millia ſolo ſuo artificio & arte aluntur. Sola provincia Flandriæ, ob multitudinem & varietatem opificum & artificum plurimas totius Europæ regiones ſuperat. Quicunq; igitur magiſtratus vult ſuam provinciam populoſam & divitem facere,

is varios & diverſos opifices & artifices in eam introducat, alat, vel ut tales habitent & vivant in provincia ſua curet.

70 Ante omnia & imprimis curet magiſtratus, ne materia rudis, inelaborata & impolita, quam provincia præbet, vel propria terra gignit, exportetur rudis & informis, ſed priùs ab opificibus variis elaboretur & efformetur variis artibus ad varios uſus neceſſarios.

Non igitur permittet, ut lana, ligna, ferrum, metalla, lapides, corium, & ejusmodi alia, quæ in terra ſua gignuntur, ita rudia ad alios exportentur. Nam translatam materiam ſequuntur plerunque & commoda, quæ haberi poſſunt ex artificiis, nimirum ſubſidia vitæ, quibus ſuſtentantur artifices, & vectigalia, quibus creſcunt & augentur reditus publici. Magiſtratus igitur commoditates & utilitates ſuæ regionis cognitas habere, easque augere & fructuoſiores reddere debet. Aditus, itinera, viasque regias publicas ad provinciam ſuam tutas, faciles & pervias quovis tempore facere debet, quò omnia importari & exportari poſſint facilè & minoribus ſumptibus.

71 Αὐτάρκειαν princeps in omnib. in regno ſuo procurabit, ut id rebus ſuis poſſit eſſe contentum, & exterorum operâ atque importatione non indigeat.

72 Matrimoniorum quoq; curam diligentem magiſtratus habebit.

Ex his enim augetur provincia, & populoſa redditur. Ideo apud quosdam cœlibem vitam agentes, ſunt ſubjecti quibusdam oneribus & incommodis; nec non ſpurii & naturales liberi à ſucceſſione excluduntur, *Deut. cap. 23. Judic. c. 11.* Hinc edicta de matrimonio contrahendo orta, ut liberis gignendis ſubditi operam darent; Hinc privilegiis & beneficiis matrimonia ornata. *Vide leg. Papiam Poppæam.* Hinc de educatione leges & ſubſidia conſtituta. Nam niſi bene educentur liberi, fruſtra ſuscipitur omnis labor de matrimonio, & Resp. malè habitura eſt apud poſteros. Scip. Amir. *lib. 2. discurs. 22.* Boter. *lib. 8. de polit. conſt.*

73 Diverſas regni ſui provincias, nobiliorum & potentiorum familiarum matrimoniis inter ſe divinciet, ut hodie rex Hiſpaniæ facere dicitur in diverſis ſuis regnis, in diverſis mundi locis ſitis.

Ratio igitur perſonarum matrimonio jungendarum habenda, *Nehem. c. 13.* ſimiliter gravidarum, obſtetricum; neque ferendum vel permittendum, ut Resp. ſpuriis, nothis, adulterinisve liberis repleatur.

Deut. c. 23. Non feres ſpurium in populo tuo uſq; ad decimam generationem. Tholoſ. *lib. 1. & 2. & lib. 14. c. 1.* Chaſſan. *glor. mundi. parte 2. conſid. 15.* Ratio quoque educandorum liberorum habenda. Nam quales liberi educantur, tales Resp. cives & miniſtros publicos eſt habitura. Vide Boter. *lib. 8. de polit. bene inſtit.*

74 Curabit quoque, ne nobiliores, ditiores, vel potentiores, plebeculâ abutantur ad avaritiam, ambitiones & cupiditates ſuas, plebeiorum commercia gravando, intercipiendo, duriora & difficiliora reddendo.

Vide *Amos c. 8. c. 2. c. 3. Neh. c. 5. Ezech. c. 22. Mich. c. 2. 2.* ibi, Qui concupiſcunt agros, quos rapiunt, & domos, quas adimant, opprimentes virum in domo ejus quemq; cum poſſeſſione ſua.

75 Numerum advocatorum & medicorum excreſcentem refrenabit, ne ſit copia, quæ diſciplinę profligatæ indicium.

76 Operam dabit, ut hoſpitia, diverſoria & tabernæ præſertim, pro peregrinis rectè & commodè inſtituantur, & hoſpites decenter excipiantur & tractentur, & ne ex tabernis hoſpitiisq; fiant lupanaria, cauponæ & luſtra illicita, popinæ, ganeæ, aliæq; prohibitæ congregationes & conventus.

77 Curabit ſimiliter, ut omnes, præſertim verò potentiores & autoritate præditi, ſummo magiſtratui pareant, & reddant quæ illi debentur. Neminem

ex his immunem à reddendis rationibus patiatur, sed quotannis rationes sibi reddi jubeat.

Collegiorum & familiarum illustrium opes & potentia refrænanda justis modis & rationibus, ne noceant.

Apud Romanos contra optimatum, nobilium & patriciorum injurias creati erant Tribuni plebis, qui auxilio plebi, etiam adversus consules, intercessione sua essent. Qui Tribuni ideo sacrosancti erant. Gell. *lib.13.cap.12.* Halicarn. *lib.6.* Romulus ut invidiam præcaveret inter utrumque statum, sanctissimo vinculo clientelæ patritios & plebeios conjunxit, & patritiis plebeios, & contrà plebeiis patricios commendavit, & ex illis plebi patronos sibi eligere concessit, lege sanctissimi hujus federis latâ de mutua defensione, auxilio, protectione contra aliorum injurias, & de obsequiis, pecunia, & operis communicandis. Vide Gell. *lib.5.cap.13.* Bodin. *d.c.8.* Eaque de causa apud Athenienses ostracismus fuit inventus, & apud Syracusanos petalismus. Alex ab Alex. *lib.3.cap.20.* Plutarch. *in Aristid.* Providendum tamen, ne devinciant sibi potentiores, plures ex populo.

78 Nunquam collationes & indictiones, seu contributiones, neq; ordinarias, neq; extraordinarias, aut vectigalia regnicolis, sine statuum vel ordinum regni consensu, vel conventus publici, aut comitiorum autoritate, imponet aut indicet.

De qua re graviter Comine. *lib.10.hist.* Heig. *lib.1.quæst.18.* Vasq. *lib.1.c.6.& c.7.n.3.c.8.* Parlador. *lib.1.c.3.quotid.* Waremund. *de onerib.subd.c.7.* Hotom. *de jure regni Gallici c.12. c.25.* Rol. à Valle *cons.1.n.62.& seqq. vol.2.* Schutf. *cons.59. lib.1.& sup.c.27.n.44.*

79 In imponendis verò tributis & contributionibus, diligenter observabit collationis requisita tria, de quib. *sup.c.11.12.* dictum. In primis verò in illis abusus licentiæ, avaritiæ & superbiæ exempla tollet, quæ in exigendis à populo ordinariis tributis edi solent.

Vide Antimach. *lib.3.theor.32.* Tzephan. *c.1.9.* Animadvertam in omnem qui insilit in limen die illâ, qui implent domum dominorum suorum violentiâ & dolo. *& Ezech.cap. 45.9.* Sic ait Dominus Jehova: Satis esto vobis, principes Israëlis, violentiam & vastationem movere, jusq; & justitiam exercere; tollite depulsiones vestras à populo meo &c. *Esa. 6.5.8.9.10.18.20. Ezech.c.34. Hos.c.5.2.10. Mich.c.3.1.* Audite primores & ductores domus Israëlis, annon vestrum est scire jus? 2. Osores sunt boni & amantes mali, rapientes cutē istorum ab eis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum. 3. Et quod comedunt, est caro populi mei, & cutem eorum ab eis nudant, ac ossa eorum diffringunt dividuntque ut quod est in olla, & veluti carnem, quæ est in lebete.

Collectores contributionum non patiatur esse ἀνεκλογίστους. Heig. *quæst.20.lib.1.* Roland. à Valle *cons. 49.vol.1.* Natta *consil.159.lib.2.* Menoch. *lib.2.cas.209. arb.jud.* quibus præficiat probatæ fidei & pios viros, exemplo Darii, Danielem rationariis talibus præficientis, *Dan.c.6.* & aliorum piorum regum, *2.Sam. 6.9.c.20. 1.Reg.c.4. 2.Reg.c.18.17. 1.Chron.c.18.*

Thesauros repositos habebit in omnes Reip. necessitates, quibus in omnem eventum uti possit, quando deficiunt ordinarii reditus, vel statim ex mediis ordinariis, aut extraordinariis subsidia colligi nequeunt. Boter. *lib.7.c.1.& 2. de polit.inst.* 80

In contributionibus populus de necessitate earundem est docendus: deinde, ut contributio sit 1. moderata & modica, pro copiâ scil. aut angustiâ rerum, item 2. æqualis justa; sine personarum respectu; 3. ne sit sordida, siquidē odiosum, ex quavis re lucrum odorari, etiam ex lotio. 4. ne sit crebra, & subinde nova. 5. avaritia & crudelitas ministrorum in collectione tributorum, & expilandis subditis absit, & si qua fuit punienda, & spongiâ exprimenda. 6. violentia in exigendo coërcenda. 7. paulatim per partes colligenda. 8. libera, nec solicita rei suæ cuique custodia concedatur post contribu- 81

tionem. 9. Dispensatio stricta & utilis rerum ex contributione collectarum innotescat. 10. Censorum verò bonorum & patrimonii cujusque electio, populo permittatur. 11. Cessante causâ exactionis, tributa quoq; cessent.

Nequaquam igitur immoderatis exactionibus & onerib. atque servitiis gravabit subditos suos, uti Pharao, Roboam, Achab & Jesebel. Deus talibus pœnas comminatur, *Job cap. 24.2.3.4.21.22.23.24. Amos c.5.11.12. Mich.c.3.1.2.3.4.* sed insistet potiùs vestigiis Mosis, *Num.c.16.15.* Samuelis, *1.Sam. cap.12.3.* Jobi, *Job cap.31.38.39.40.* Salomonis, *1.Reg.c.4.25.* Nehemiæ, *Nehem.c.5.14.& seqq.* Heig. *quæst.18.lib.1.*

82 Privilegia & immunitates sine justâ & probabili causâ magistratus nulli concedet.

Quædam etiam privilegia nequaquam concedenda, uti inprimis, ne magistratus aliquis intermedius sit immunis à reddendâ ratione officii sui; ut voluit Plato *lib.6.de legib.* Heig. *lib.1.quæst.20.* Vide suprà *cap.15.* Rosenthal *de feud.lib.1.c.5. concluſ.86.& præced.*

Deinde immunitatem non ita concedet, ut illa cum aliorum injuria quidam releventur, & immunitas vel vacatio unius alterius sit afflictio.

83 Tertiò, extremâ Reip. necessitate, omnia privilegia concessa, ob Reip. salutem cessabunt.

Rosenthal *lib.1.de feud.cap.5.concluſ.86.* Roland. *consil.1. num.76.& seq.vol.2.* Tessaur. *decis.134.n.10.* Modest. Pistor. *consil.4.num.24.& seqq.vol.1.* Geil. *lib.2.obs.52.n.26.* Heig. *lib.1.quæst.18.n.25.& seqq.* Bodin. *lib.1.c.6. 1.Reg.cap.15.22.* Tum enim publica utilitas privatæ præferetur, & omnia privilegia sub tacitâ illâ conditione, si iis jus publicum non lædatur, concessa esse videntur, *tit. C.si contra utilit.publicam.* aliàs privilegia regioni vel provinciæ, aut municipio cuidam, vel collegio concessa, sine justâ & gravi causâ illi adimenda non sunt. Sunt quoque quædam urbium privilegia & beneficia, quæ cum suburbiis non communicantur, & contrà.

Privi-

Privilegia mercatorum tempore nundinarum 84
suspensa quiescant, ut sit illo tempore tutus accessus, recessus & commoratio commoda, fides publica & protectio. Vide Greg. *lib.4.c.3.de Rep.*

Omnium ordinum & generum collegia licita, 85
honesta vel necessaria princeps conservabit & defendet. Hisce enim concordia, amicitia & conspiratio civium continetur & fovetur, & in his Reip. contra vim, injuriam & omnem necessitatem incidentem firmum præsidium est, sive pecuniâ, sive milite opus est. Bod. *lib.3.c.7.de Rep.*

His etiam sua convivia & conventus statis temporibus ad fovendam, conciliandam & conservandam concordiam, charitatem & amicitiam concedere debet. Arg. *Num.c.9. Levit.c.23.* Bodin. *d.loc.* nequaquam verò exercitium religionis vetitæ, nisi tùm, quando sine exitio Reip. prohibere non potest, tum enim commodiores occasiones exspectabit, ut suprà *c.28.n.64.& seq.*

Securitas publica ita præstanda in regno, ut tuta 86
sint itinera publica, maria, sylvæ & alia loca, & commercia publica, provincia & totum regnum sit tutum, pacatum & liberum, & cum vicinis pax colatur.

Rosenth. *de feud.lib.1.c.5.concl.20.& seqq.* Ita pios reges fecisse, patet *1.Reg.c.4.24.* Et pax erat ei circumquaque ab omnibus lateribus suis. 25. adeò, ut consideret Jehuda & Israël securè quisq; sub vite suâ & sub ficu suâ à Dane Bersebaum usque omnibus diebus Salomonis. *Ezech.c.39.26.* Exempla vide *2.Sam.c.4.11.c.8.9.10. 1.Reg.c.5.1.& seqq. Esa.cap.32.16. 17.18.19.20. Act.cap.12.20.c.19.40.* Hujus igitur necessitas requirit, ut contra omnem vim, læsionem & injuriam, omnibus parata à magistratu sit defensio & protectio. Vide quæ suprà de publicâ securitate dixi *c.16.n.13.14.* Quanta sit publica calamitas hac securitate publicâ sublatâ, apparet ex

2.*Chron.c.15.5.* Sed temporibus istis non erat pax exeunti & redeunti, verùm vexationes magnæ super omnes habitatores regionum illarum. Apparet quoq; , quòd tempore belli, quo ademptâ publicâ securitate quiescunt omnes artes, commercia & agricultura, & terra pro deserta habetur, *Act.c.12.20.*

87 Officia & munera publica, pro merito & virtute cujusq; distribuet, non pretio vendet.

Salust. rectè, magistratus, ait, ex virtute, non ex pecunia creentur. Nam illis suam autoritatem tueri potest, hisce verò aliorum odia in se concitat. Boter. *lib.1.c.15.* Antimach. *lib.1. theor.35.* & potestas conjuncta malitiæ, nervos & robur malis affectibus addit, & superiori imputatur id, quod ab illis, quibus administrandam Remp. commisit, factum est. Munera igitur ista, non ex gratiâ, amore, vel ex ratione remunerationis, sed virtutum necessariarum, quibus quis ornatus est, suptconferenda. *Exod.c.18.18. & seqq.* ut appareat, nullam amicitiæ, pecuniæ gratiæve, sed solius Reipubl. rationem habitam fuisse. Jugurtha de Romanis dicit: O venale imperium, si emptorem invenerit! Nam qui magistratus, sacerdotia, imperia venalia habent, etiam jura, judicia, leges, sanguinem innocentium hominum, & omnia in fœdissimum commercium deducunt, & pietatis & virtutum omnium præmiis sublatis, ad furta, rapinas, sordes, injuriam & inscitiam, ad omnia denique vitia aditum aperire non dubitant. Exsecranda igitur simonia Romani Pontificis, qui sacerdotia & munera ecclesiastica vendere, certoque pretio addicere solet.

88 In hac munerum distributione prudentiam adhibebit magistratus in electione & conservatione eorundem.

In electione curabit, ut munera & dignitates, seu honores immediatè à se, non ab aliis pendeant, ut habeat officiarios liberos, & nulli alii, quàm sibi obligatos.

89 Deinde in electione habebit rationem eorum, qui idonei & pares sunt, fidi, diligentes, quique integri & probi.

Hac in re peccavit Ludov. II. rex Galliæ, qui sartore loco ducis,

ducis, tonsore loco legati, medico vice Cancellarii usus est: quam imprudentiam ordo equestris molestè tulit, & per rebellionem statum regni periculo subjecit. Bod. *lib.5.de Rep.* & latè Comin. *in histor.*

Alexander Severus, ut has virtutes & qualitates promovendorum ad publica munera cognosceret, solebat nomen ejus, quem ad munus publicum vocare volebat, publicare; ut populi famam de eo cognoscere posset. Cassiodor. *lib.11. var.* Dignus est nostro judicio promoveri, qui à multis meruit approbari. Uni acceptum fuisse, interdum gratia est; at multis placuisse, judicium. Reges Chinæ per gradus suos ministros explorant; primò scil. in minimis, postea in mediis, & ita successivè in gravioribus functionibus. Ex rebus gestis vitâ præcedenti eorum, quorũ operâ uti constituit, judicium suum informabit. Nam qui bene præest, gradum sibi ad altiora adquirit, ut Apostolus dicit; & ex aliis quoque hominis ingenium & virtus cognoscitur. Experientiâ homo in arduis negotiis exploratur. Opinio, existimatio & fama multum valet. Atq; judicium pauperum de hominis virtute, pluris quàm divitum faciendum est; Ætatis quoq; ratio habenda. Nam juventus plerumq; calore ætatis rapitur, & affectibus indomitis & impotentiâ ducitur, ut etiam sibiipsi imperare nequeat. Contrà virilis & senilis ætas, consilio, prudentiâ & rerum experientiâ valet, ut Siracides ait *c.8. & Job c.12.12.c. 32.7.* De hisce officiariorum qualitatibus vide *Exod.cap.18. 21.22. 2.Chron.c.19.6.7. Psal.101.3.4.5.6.*

Sors & urna hos mores & qualitates non discernit. Tacit. *lib.20.* Inter plures nominatim secundùm virtutem electos, sors postea discernere potest. Vide Simancam *lib.9.c.12. de Rep.*

Ut verò hæc electio suorum magistratuum penes unamquamque civitatem relinquatur, tutius est.

Conservatio officiariorum est, quâ magistratus bonos in fide, integritate, diligentiaque conservat, ne declinent, corrumpantur, vel deteriores in officio reddantur, quod fit pœnis & præmiis. 90

91 Media verò, quibus magistratus certus redditur de fide, candore, integritate & diligentiâ ministrorum, sunt 1. Stipendia & salaria honesta, sufficientia, prohibitio & interdictum pœnale, atque exempla punitorum. 2. Non constituantur cum plena potestate, sed limitatâ reservatâ, inspectione, & liberâ exauctorandi & disponendi potestate retentâ. 3. Contineantur sub metu accusationis, & necessitate reddendarum rationum, ne sint ἀνεύθυνοι. Vide *tit. C. ut omnes judic. tam civil. quàm crim. post. depos. adminis.* Alex. ab Alex. *lib. 4. c. 6.* 4. Data sit potestas deferendi & prodendi, ita tamen, ut delatores illi sint incogniti. Tales enim sunt tuti, & corrumpi nequeunt, & faciliùs cuncta explorare possunt. 5. Visitatio & inquisitio fiat, in qua querelæ audiantur quorumvis, examinentur subditi, vicini, domestici de vita eorundem; ita fecit Trajanus Cæsar, Samuel, Josephus & alii vigilantes magistratus. Vide Sueton. *in Vespas. c. 9. & in Domit. cap. 8.* 6. Non permittat facilè per vicarios & substitutos Reip. negotia administrari. 7. Neque permittet, aut demandabit uni plura officia, quæ singula totum hominem requirunt, & pluribus aliis dignis conferenda sunt, *l. honorem 10. de mun. & honor. l. 10. C. de prox. sacr. scrin. l. unic. C. de reis postul.* nisi quando persona idonea non esset, vel functiones & officia levia & cognata essent. 8. Superfluos, non necessarios officiales, non constituat.

Ita enim sumptus augentur, & populus concussionibus excogitatis variis, expilatur. Salomon in amplissimo regno 7. vel 8. intermedios habuit magistratus, *1. Reg. c. 4.* minuttuli judices in singulis oppidis plures fuerunt: *1. Chron. cap. 27. 2. Chron. c. 19. Deut. c. 16. 18.* Plures enim consilio communicato meliùs & certiùs, quàm singuli judicant. Judices verò ac præfectos

præfectos ex tribu Levi quæ studiis vacabat, Judæi eligebant. *1. Chron. c. 23.*

Tres sunt (inquit Bodinus) in omni Republica magistratuum ordines. Supremi, qui summi tantũ magistratus imperio tenentur: medii, qui superiorum quidem jussis obligantur, inferioribus tamen ordine imperant: infimi, qui superiorum magistratuum legibus coërcentur, nec ullum, præterquam in privatos, imperium habent. 92

Eorum, qui supremo ordine collocantur, duo sunt genera: unum eorum, qui magistratibus omnibus imperare possunt, ac solius majestatis imperium agnoscunt: Alterum eorum, qui majestatis quidem solius imperio obligantur, nec cæteris omnibus, qui in mediis & extremis ordinibus collocantur, imperare possunt, sed iis tantùm, qui suæ jurisdictionis ac potestatis finib. contin entur. 93

Primi generis pauciſſimi sunt; quippe diuturno rerum gerendarum usu compertum est, nihil periculosius esse, quàm è magistratibus eminere aliquẽ unum, qui cæteris omnibus, tum privatis, tum etiã magistratibus imperare jure possit, quique uno tantùm gradu absit à majestate. Talis apud Romanos erat præfectus prætorio. *l. 1. tit. tot. de offic. præfect. prætor.*

An verò conducat, perpetuos, an temporales habere magistratus intermedios, latè disputat Bod. *lib. 4. c. 4.* & perpetuos quandoq; præfert temporalibus, distinguendo inter monarchiam & polyarchiam. In illa perpetuos, in hac temporales admitti. 94

Argumẽta adscribere hîc non opus est. Prudenti arbitrio & judicio magistratus summi, id ex variis circũstantiis personarũ & potestatis, seu muneris, temporis & loci, perpendẽti relin-

quendum esse ego arbitror, ita tamen officiarios removendos esse, ut id cum bonâ gratiâ & sine contumeliâ fiat, & si contumeliam abrogatio videatur habere, illos honoribus & immunitatibus quibusdam frui permittat.

95 Senatum tamen judicum, constantem & immobilem esse, consultum est, ut in hoc cætera imperia mutabilia conquiescant, & prudentiam senatores usu diuturno comparent. Mutatio crebra in senatu pernicioſa Reip. & variam eamque mutabilem inducit administrationem, & ad anarchiam tandem & rerum confusionem tendit, & seditionibus obnoxia est.

Ita Venetiis, nulla imperia & magistratus, nulla judicum collegia sunt perpetua, solus princeps est perpetuus. Vide Bodin. *d. lib. 4. c. 4. de Repub.*

96 Optimum Reipub. genus esse existimabit, in quo senatus consilio & magistratuum imperiis, salvâ majestate & superiori administratione, summo magistratui commissâ, omnia gubernantur. Nam hisce tanquam sustentaculis firmissimis & validissimis fundamentis nititur omnis suprema Reipub. administratio.

Ita monuit Jethro Moſen, *Exod. cap. 18. 21. 22.* & ita ipse quoque Reip. administrationem instituit, ut ferendo oneri par esse posset: *Deut. cap. 1.* Ita & Josaphat fecisse legitur, *2. Chron. cap. 19.* ita in Venetorum politia, qui jura majestatis habent, & supremam in Rep. potestatem, nulla judicia disceptant & nihil eorum tractant, quod à magistratibus & senatu explicari potest. Vide Bodin. *lib. 4. cap. 6. in fine de Rep.*

97 Consultum est, in regno paucos & necessarios habere intermedios magistratus, *Dana. lib. 6. cap. 5.* non tamen, ut unus πολυπράγμων præficiatur pluribus muneribus, sed singuli singulis muneribus diversis. *l. 10. honorem. de mun. & honor. l. hac. par. 10. C. de proxim. sacror. scrin.*

Nam

Nam quando uni plura officia demandantur, indicium 98
est penuriæ hominum idoneorum, & nihil aliud esse existimatur, quàm in unum omnes honores & dignitates conferre, & alios à virturis amore alienos reddere, & viam ad virtutes & honores aliis præcludere. Adde *1. Reg. c. 4. 1. 2. 3. & seqq.* Melch. Jun. *lib. 1. polit. quæst. 22.* Plutarch. *de geren. Rep.* Greg. *lib. 4. c. 6.* Nec unus pluribus officiis sufficere recteque illa administrare potest. Arist. *lib. 2. c. 9. & c. 20. lib. 9.*

Compertum quoque, ex multitudine & multiplicatione judicum, juris & judiciorum corruptionem ortam, ut testatur Antimach. *lib. 3. theor. 35.* unde proverbium: Multitudo imperatorum Cariam perdidit.

CAPUT. XXXIII.

De conciliis universalibus consociationis universalis.

1 *Concilium universale quid.*
2 *Concilii requisita qua.*
3 *Concilii subjecta qua.*
4 *Persona concilii.*
5 *Præses concilii.*
6 *Jus indicendorum comitiorum.*
7 *Litera evocatoria.*
8 *Propositio causæ.*
9 *Rogatio ordinum.*
10 *Promulgatio placitorum.*
11 *Persona consultantes.*
12 *Collegia ordinum.*
13 *Collegiorum buleuteria.*
14 *Absentes jus suffragii amittunt.*
15 *Supplicantes in comitiis.*
16 *Rei comparentes.*
17 *Locus comitiorum.*
18 *Forma comitiorum habendorum.*
19 *Collegialiter fit deliberatio.*

20 Sententia ordinum, an summi magistratus sententiæ prævaleat, & rationes.
21 Species comitiorum.
22 Comitia ordinaria quæ.
23 Extraordinaria quæ.
24 Comitia ecclesiastica quæ, & ex quibus caussis.
25 Hæc indicit princeps.
26 Idem jus proponendi in his habet.
27 Jus sententiam dicendi in his qui habeant.
28 Sententia concilii hujus.
29 Concilii dimissio.
30 Causa comitiorum.
31 Comitia Hebræorum.
32 De quibus rebus instituta illa.
33 Proponens in his, quis.
34 Jus suffragii habentes, quinam.
35 Locus horum & tempus.
36 Comitia Romanorum.
37 Curiata comitia quæ.
38 Forma horum habendorum.
39 Centuriata comitia.
40 Forma horum, subjectumq.
41 Tributa comitia quæ.
42 Horum subjecta & forma.
43 Græcorum comitia.
44 Locus horum & forma.
45 Comitia Rerumpub. sociarum fœderatarum.
46 Comitia Germanorum.
47 Ordinaria comitia Germanorum.
48 Indictio horum.
49 Consultationis capita.
50 Ordinum comparitio.
51 Mareschalli officium.
52 Comissarii ordinum absentium.
53 Privatæ supplicationes cui exhibendæ.
54 Propositio causæ à quo fiat.
55 Responsum ordinum.
56 Primum collegium ordinum ex quibus constet.
57 Sessio ordinum hujus collegii.
58 In hoc collegio quis habeat jus proponendi rogandiq.

59 Alterum

59 Alterum collegium ex quibus ordinibus constet.
60 Sessionis ordo in hoc collegio.
61 Jus proponendi in hoc collegio.
62 Jus rogandi & sententiam dicendi.
63 Tertium collegium ex quibus constet.
64 Jus rogandi & referendi quis habeat in hoc collegio.
65 Causa ob quam disparia suffragia in collegiis hisce.
66 Trium horum collegiorum sententiæ referuntur Cæsari, & quomodo.
67 Tractatio causæ & consultatio ejusq; membra.
68 Propositio in hac usitata.
69 Προβουλεύματα.
70 Consensus & sententia ordinum duplex.
71 Sententia unius collegii unanimis, vel per majora.
72 Sententia collegiorum trium.
73 Relatio sententiæ collegii primi.
74 Relatio sententiæ secundi collegii.
75 Sententiarum collatio & disceptatio.
76 Collegii tertii sententiæ relatio.
77 Major pars collegiorum concludit.
78 Relatio trium collegiorum sententiæ ad Cæsarem.
79 Relationis ad Cæsarem ab ordinibus faciendæ forma.
80 Cæsaris resolutio contraria sententiæ collegiorū, non valet.
81 Cæsar semissem Imperii in Comitiis, & alterum semissem ordines habent.
82 Conceptio sententiæ, vel recessus.
83 Recessus hujus conceptio & membra.
84 Deputati ad hoc negotium.
85 Sigillorum appensio quomodo fiat.
86 Subscriptio ordinum quomodo fiat.
87 Publicatio recessus imperialis solemnis.
88 Comitia Germanorum minus solemnia extraordinaria.
89 Deputati ordinum, eorumq; officium.
90 Jus proponendi, rogandi, referendi in hisce.
91 Supplicationes in his exhibitæ.
92 Cæsaris commissarii in hisce.
93 Comitia hæc quadruplicia.
94 Circuli Germaniæ quinam.
95 Circulorum cura quadruplex.
96 Defensio pacis circulis singulis mandata.

Universidad de Deusto Biblioteca

97 *Justitia exsecutio, quæ circulo demandetur.*
98 *Forma horum comitiorum.*
99 *Cura monetæ publicæ in politia Germaniæ.*
100 *Contributionum moderatio.*
101 *Inquisitio & cura novorum vectigalium.*
102 *Nominatio adsessorum Cameralium.*
103 *Comitia deputatorum Imperii.*
104 *Deputatorum officium.*
105 *Convocatio deputatorum.*
106 *Forma horum comitiorum.*
107 *Comitia visitatorum.*
108 *Revisores qui, & qui visitatores.*
109 *Comitia electorum Imperii.*
110 *Non decisa in his, referuntur ad solemnia comitia.*
111 *Gallicæ politiæ comitia quæ, eorumq́, ratio & forma.*
112 *Anglicana comitia quæ, & eorundem forma.*
113 *In his quis jus præsidendi, proponendi, & rogandi habeat.*
114 *Buleuteria horum Comitiorum.*
115 *Buleuterium superius & inferius.*
116 *Ratio & forma consultandi in hisce.*
117 *Conclusio buleuteriorum.*
118 *Promulgatio decreti, seu placiti. Comitia Belgii.*
119 *Polonorum comitia quæ, & forma eorundem.*
120 *Aliorum populorum comitia.*
121 *Comitia Venetorum, & ratio eorundem.*
122 *Comitia confederatarum sociarum Rerump.*
123 *Convocandi potestas cujus in hisce.*
124 *Decreta in hisce comitiis quomodo fiant.*
125 *Jus suffragii qui hic habeant.*
126 *Causæ & negotia horum comitiorum.*
127 *Controversiæ sociorum deciduntur.*
128 *Bellum ex autoritate horum indicitur.*
129 *Bello adquisita cujus.*
130 *Comitia provinciarum Belgicarum confederatarum.*
131 *Comitia Groningana provinciæ.*
132 *Groningensis provinciæ ordines.*
133 *Frisia comitia & ordines.*
134 *Hollandiæ comitia & ordines.*
135 *Selandiæ comitia.*
136 *Concilia generalia omniũ confederatarum provinciarũ.*

Atque

ATque ita se habet ratio administrandorum quinque jurium symbioticorum universalis consociationis: sequitur nunc de concilio universali.

Conciliũ igitur universale est conventus omnium & singulorum membrorum & statuum regni, ad consultandum & decernendum de causa & salute communi consociationis universalis, ad avertenda illius incommoda, & curanda & promovenda illius commoda, indictus. Concilium hoc vocatur etiam conventus universalis, senatus imperii, seu regni, comitia regni, compendium & epitome regni; ein Reichstag/ein gemeine Reichsversamlung: *sup. c. 17. n. 55. & seqq.* 1

Concilii legitimi requisita sunt: 1. causa, seu res, de qua agitur in concilio. 2. personæ concilii. 3. locus & tempus. 4. ratio & forma habendi concilii. 2

Causa & res ob quam comitia habentur, sunt quæ concernunt totum regnum, vel corpus consociatum, vel unum, aut plures status, vel subditos regni. Causarum harum quædam sunt graves & arduæ, de religione & cultu divino, de bello, de pace & tranquillitate publica constituenda, de contributionibus, collectis, de moneta, de ordinationibus politicis, vel ecclesiasticis, de commerciis, de salvo conductu & commeatu, de regni summo cõsistorio, de tyrannide, de bonis publicis & reliquis regni juribus. Quædam causæ privatos respiciunt potissimùm, quæ scilicet sunt de jure sessionis, de possessione castri, de vi publica, de quorundam statuum inter se dissidiis, de privilegiis, & similibus. 3

Personæ, quæ habent comitia, & in concilio 4

cõparent, sunt duplices, nimirũ supremus regni administrator, aut magistratus, & omnes regnicolæ.

5 Supremus magistratus regni præsidet conciliis universalibus; unde habet jus dirigendi & gubernandi totum actum, uti jus comitiorum œcumenicorum universalium indicendorum: jus proponendi ea de quibus in comitiis est tractandum: jus rogandi sententias: jus promulgandi ea, quæ in comitiis sunt constituta: jus finem imponendi comitiis. In quibus directio conciliorum consistit, quæ qui magistratus summus, vel per se, vel per alios peragit.

6 Jus comitiorum indicendorum, & statuum seu ordinum convocandorum, literis denunciatoriis & evocatoriis ad singulos regni status missis, peragitur.

7 In literis hisce, causa comitiorum, locus & tempus exprimitur, ut vocati instructi & informati venire possint, atque causam examinare, & locum atque tempus, quo & quando veniant, scire possint.

8 Propositio est causæ illius, ob quam comitia sunt indicta, publicè in consessu omnium ordinum, vivâ voce facta repetitio.

9 Rogatio est de consultantium & consulentium ordinum sententiâ percunctatio.

10 Promulgatio constitutorum in comitiis est eorundem literis, sigillis & subscriptionibus superioris confirmatorum, in consessu omnium ordinum prælectio, & in toto postea regno publicatio.

Regnicolæ ad comitia vocati partim sunt consultantes, aut deliberantes, judicantes: partim supplicantes, conquerentes, aut rei, causam suam defendentes. Consul-

Consultantes & sententiam dicentes personæ, 11
sunt omnia regni membra, seu status & ordines, *l. humanum. C. de legib.* collegiis suis distincti, vel legati ab iisdem mandatum ad hoc negotiũ habentes.

Expedit autem, ut collegia ordinum, quò dis- 12
crepantibus eorum sententiis per majorem numerum disensio dirimi, & certi aliquid statui possit, sint numero impari: aut si paria sint, res cogit, ut summi magistratus sententiâ accedente parti alteri, controversia dirimatur, conclusioq; certa fiat.

Consultum etiã est, ut in singulis ordinũ seu sta- 13
tuũ collegiis sint ecclesiastici & seculares, & quodlibet collegiũ, suum habeat buleuterium propriũ: & omnia collegia unum commune buleuterium.

Ex ordinibus vocati non venientes jus suffragii 14
pro illo tempore amittunt, & præsentes unanimi consensu, vel per majorem partem suffragiorum in singulis suis collegiis concludunt.

Conquerentes & supplicantes, sunt omnes sub- 15
diti regnicolæ. Nam omnibus apud suum statum, sub quo domiciliũ habent, liberè conqueri permittitur, & quilibet, qui velit denuntiare, quæ remedio opus habeant in Rep. patienter auditur, ut sic superior ex quavis denuntiatione, de statu Reip. & regni informatus, cum ordinibus convocatis possit tractare de mediis, quibus Reipub necessitatib. subveniatur, quibus incommoda & pericula ipsius avertantur atq; removeantur, & quibus commoda ipsius promoveantur, ac quibus ope auxilioque communi sit subveniendum.

Rei se defendentes in hisce audiuntur, ne contra 16
innocentes quid iniqui statuatur.

Locus comitiorum pro arbitrio indicentis & 17

convocantis eligitur, quo commodè & tutò vocati venire & hospitia habere possint: vel ubi laboranti parti seu statui Reip. melius remedium adhiberi queat. Unde locus solet esse ordinarius, vel arbitrarius.

Tempus comitiorum habendorum similiter solet esse ordinarium, statum, vel arbitrarium.

18 Ratio & forma comitiorum habendorum generalis est, quâ peractis precibus, & oratione de re consultanda habita, vel à duobus in utramque partem causâ propositâ, disputatâ & disceptatâ, singulorum ordinum in suis collegiis, & collegiorum posteà singulorum suffragia in confessu publico rogantur, audiuntur, conferuntur, ponderantur, examinantur, & ex iisdem unanimiter, vel majori ex parte consentientibus, sententia communis, quæ etiam minor pars, aliud sentiens teneatur, statuitur. *arg.l.8. humanum. C. de legib. 1.Reg.c.18. Jer. c.26. cap.36.*

19 Ut igitur omnis confusio in multitudine consultantium eviteur, & causa exactiùs ponderetur, status imperii, seu regni, collegialiter & separatim consultationes suas in separatis buleuterus suis instituunt, atque postea ea, quæ in singulis collegiis sunt placita, communicantur cum omnibus, & sententiæ conferuntur, donec ex consensu unanimi omnium collegiorum, vel majoris partis constitutio certa, quæ omnes ordines obliget, sanciatur & promulgetur.

20 Sententia igitur universorum statuum & ordinum prævalet præsidis seu summi magistratus sententiæ. Nam major autoritas & potestas in multis, quàm in uno, qui à multis illis est constitutus, iisque minor: & plus meliusque plures, quàm unus, intelligere, videre & judicare possunt: faciliùs unus, quàm plures errare & decipi possunt, vel affectibus suis abripi, ad quæ non decet. Quod verò à pluribus quæritur, faciliùs invenitur, & ꝙ plurimum autoritate placuit, majori concordia, autoritate & fide custoditur & observatur. Deinde si summi

si summi magistratus sententia sola, ordinum & statuum singulorum & universorum sententiæ contraria, pro concilii universalis sententia promulganda esset, frustra cogeretur concilium. Exemplum Theodosii extat in *l.8.humanum. C.de legib.* ubi pius Imperator ait, illam legem universalem esse habendam, quæ communi omnium consensu & consilio statuum universorum est approbata, & auctoritate Imperatoris promulgata. Facit *l.2.de decret. ab ordin. fac. proxime.qua in testam.delent. l.placet. C.de sacrosc. eccles. Auth. habita. C. ne fil. pro pat.l.fin. C.de legat.lib.10.* Vide Vasq. *lib.1.c.23.illust.* Pruckman. *c.4. eff.3.num.7.* Peregrin. *de jur. fisc.lib.1.t.3.n.79.per alleg. ibid.* quâ lege etiã imperator tenetur, *l.4. digna vox. C.de legib.* eique principatum suum submittit, *d.l.4.* Et æquius est, ut summus magistratus tot taliúmq; amicorum consilium sequatur, quàm ut tot tales q; amici unius voluntatẽ sequantur, ut olim de se M. Antonius philosphus dicebat. Sic David *1.Chron.c.13.1.2.& seqq.* & alii pii reges se sententiæ conciliorum horum subjecerunt. Ita Achab seniorum & populi judicio se subjecit, *1.Reg.cap.20.7.8.* Adde exemplum *Jerem.cap.38.5.16.25.26. 1.Sam.c.29.3.4.5.& seqq.* Sic & rex Ninivæ procerum suorum consilio adhibito, jejunium indixit & preces, *Jonæ c.3. 8.9.10.* & Nebucadnezar hoc consilio usus legitur, *Dan.c.3.* & Assuerus *Esth.c.1.c.2.* Ita Romani in comitiis suis ex majori suffragiorum numero constitutiones & decreta sua faciebant. Atque hisce comitiorum decretis tyrannos è solio regio deturbatos sæpissimè, historiæ testantur; vide infra *c.38.* De autoritate conciliorum multa Hotoman. *lib.1.de antiq.jur.regni Gall.c.18.19.21.22.23.* & Antimach. *lib.1.t.1.* Bodin. *lib.3.c.7.* qui tamen *lib.1.c.8.* comitiorum decreta non valida & firma existimat, nisi sint à rege approbata. Apud Romanos à summo magistratu ad tale concilium fuit provocatio. Clapmar. *lib.1.c.19.de arcan.Rerump.* Apud Spartanos à rege ad ephoros erat provocatio. Apud Germanos Imperator coram Palatino rectè convenitur secundùm auream bullam Caroli 4. Apud Judæos regis iniquæ actiones, hujus concilii authoritate comprimebantur. Vide *1.Sam.c. 14.45. 1.Reg.c.18.19.20.& seqq.& Jer.c.26.9.c.37. c.38.* Memorabile est illud Plinii ad Trajanũ: Tyrannorũ est, publica negotia majoris momenti ad se solos revocare senatum au-

tem, seu concilia publica de his rebus consuli solitum, & alioquin consultaturum, in frivolis quibusdam quæstionibus, & nullius momenti rebus detinere, & consulere. Jurisconsulti ab hac sententia non dissentiunt. Nam arduæ, quorum labefactatione Resp. detrimentum caperet, sine ordinum & procerum consensu confici non debere asserunt. Pruckmã *in §. soluta potestas. effect. 3. n. 3. c. 4.* per Jason. & Bartol. *in l. placet. C. de sacros. eccles.* Jason. *in prælud. feud. n. 79.* Valascum *in l. imperium. n. 199. de jurisd.* Ferdinand. Vasq. *l. 1. c. 23.* & alios complures. Sed omnis difficultas tollitur hodie p capitulationes, in quas tempore initiationis suæ jurat rex, in iisq; promittit, se sine consilio optimatum regni, nihil in rebus arduis facturum. Vide *sup. c. 18. n. 67. c. 18. n. 68. 69.* In Belgio rex, vel princeps, invitis ordinibus nihil potest decernere, atq; comitiorum decretum validum non habetur, nisi omnes & singuli ordines Belgii consentiant, ut Guicciardin. *in generali descriptione Belgii* tradit, & Meteran. *l. 14. & 20. histor.*

21 Species comitiorum sunt duæ. Sunt enim quædam ordinaria, quædam extraordinaria.

22 Ordinaria sunt, quæ statis temporibus & locis certis de omnib. Reip. negotiis, modo & forma solemni habentur.

23 Extraordinaria comitia sunt, quæ incerto tempore & loco pro re natâ, ob necessitatem incidentem & causam, quæ præsens remedium citra moram postulat, processu extraordinario habentur.

Huc etiã refero comitia, quæ à principe indicũtur statim, postquam administrationem suscepit, ut intelligat ex ordinibus, quid sit reformandum, corrigendum, mutandum, aut de novo instituendum, *1. Reg. c. 12.*

Ad extraordinaria concilia refero quoq; ecclesiastica, de causis & rebus ecclesiasticis indicta, ut doctrina & cultus divinus sincerus & incorruptus servetur.

Causæ

Causæ igitur horum conciliorum universalium 24
ecclesiasticorum sunt plures: I. quæstio difficilis excitata in ecclesia, de doctrina cultúve Dei.

1. Reg. c. 18. 10. & seqq. Deut. c. 13. Jos. c. 22. & c. 23. Act. c. 15. II. abusus & vitia in ecclesia, *1. Reg. c. 18. 19.* III. *διάταξις* & disciplinæ constitutio. IIII. ut paci ecclesiæ consulatur & unitas conservetur. V. ut consolatio & fructus ex mutuo colloquio percipiantur. VI. ut infirmi in fide confirmentur per concilii sententiam, *Act. c. 15.* VII. ut audacia malorum cohibeatur, & laborantibus succurratur. VIII. ut hæretici publico judicio condemnentur: de quibus Witaker. *in lib. de concil.*

Comitia hæc ecclesiastica similiter Imperator, 25
vel summus magistratus indicit tũ, quando periculũ est universale atq; in religione errores ac dissidia per plures nationes sparguntur & gangræna serpit.

Exemplo Mosis, *Num. cap. 10.* Josuæ, *Josu. c. 23. c. 24. c. 1. 17.* Asæ, *2. Chron. c. 15. 14.* Josaphat, *2. Chron. cap. 20. 3.* Joas & Josiæ, *2. Chron. cap. 24. 5. cap. 34. 29. 30.* exemplo Davidis, *1. Chron. c. 13. 1. 2. 3. 5. c 15. 4. c. 23. 1.* & Salomonis, *1. Reg. c. 8. 1. 2. & c. 18. 19. 20. c. 22. 2. Chron. c. 5. 2.* Ezechiæ, *2. Chron. c. 29. 4. 15.* Josiæ, *2. Reg. c. 23. 1. 2.* exemplo piorum Imperatorum, Constantini, Theodosii, Caroli Magni, & aliorum. *Vide l. 4. C. de sum. trin. & fide cathol. Novel. 137. & 123. c. 10. Vide sup. c. 28. §. conventus. n. 41.*

Jus proponendi & præsidendi in his ecclesiasti- 26
cis comitiis idem summus magistratus habet, aut ille, qui ex consensu ejusdem à concilio eligitur.

Exempla veterum conciliorum plura refert Witack. *d. loc.*

Jus sententiam dicendi, ad sacræ scripturæ, *Esa. c.* 27
8. 20. Joh. c. 5. 39. 2. Pet. c. 1. 19. Matth. c. 22. 43. Luc. c. 24. 26. Act. cap. 15. 14. 15. c. 17. 2. 3. 11. c. 26. 22. c. 28. 23. Rom. c. 16. 25. 26. Arg. 1. Cor. c. 3. 11. Eph. c. 2. 20. 2. Tim. c. 3. 15. non plurimorum, *Exo. c. 23. 2. Deut. c. 5. 32. c. 6. Judic. c. 17. 1. Chron. c. 23. 24. 25.* sensum, habent homines quivis idonei, pii, graves, cordati, *Act. c. 15. 6. 22. c. 16. 4.*

28 Concilii universalis sententia etiam præsidem ipsius obligat, ejusque major est autoritas.

Arg. *Matth.c.18.17. Gal.c.4.26.* Exempla veteris ecclesiæ refert Witakerus *d.loc.*

29 Concilii hujus dimittendi & dissolvendi potestas etiam penes summum magistratum est, *1.Chron. c.16.43. 2.Chron.c.7.10.*

Ex his omnibus liquet, justissimis & maximè necessariis de causis Comitiorum usum introductum. Nam in magno prudentum numero, magnitudo consilii & salus populi versatur, ut Salomo ait. Deinde libertatis pars est, quorum periculo, facultatibus, auxilio, bonis atque sanguine res geritur, illa eorum quoque consilio & autoritate administretur. Accedit, quòd singulorum voces minùs exaudiantur, totius verò provinciæ, imò regni clarissima vox est, & rogatio efficax, quam ne princeps quidem ipse, si velit, repudiare possit. Sunt etiam quædam negotia publica, quæ nullâ ratione à singulis, optimè verò ab universis consici possunt, deliberarique & examinari, quibus nimirum res & causa est notior, quàm uni, vel paucis quibusdam. Præterea princeps, vel magistratus supremus per usum comitiorum favorem subditorum retinet, quòd videant se etiam à cura & administratione Reip. non arceri, & à suspicione mali consilii, si fortasse eventus non respondeat, sese vindicat. Nam si nemo consiliis principis interfit in arduis negotiis, subditi existimant, se contemni, & odium in principem concipiunt. Denique, qui apud regem in magna potentia sunt, & magnis imperiis præsunt, ejus concilii metu, in quo civitatum, & omnium aliorum postulata liberè audiuntur, in officio continentur. Unde libertatis imago in hoc comitiorum habendorum jure retinetur, & potentiorum, adulatorum, injustorum & avarorum conatibus remedium ponitur. Exempla plura refert Horoman. *lib.1.de antiq.jure regn.Gall.c.14.*

Sed videamus nunc plurium & diversarum politiarum exempla comitiorum habendorum, ut res fiat magis perspicua.

31 In politia Hebræorum, concilia cogebat & convocabat superior magistratus, uti constat exemplis: *Jos.cap.23.1.6.24. 1.Sam.c.7. 2.Reg.c.23. 2.Chron.c.15.9.c.29.4. 2.Sam.c.3.21. 1.Reg.*

1.Reg.c.11.c.18.19.20. & cap.22.c.23. 1.Chron.c.13.1.2.c.23.1. 1.Reg.c.8.1. 2.Chron.c.15.c.20.c.29. In causis arduis, gravioribus, concernentibus jura regni, uti patet ex exemplis, *Judic.c. 20. Jos.c.8.33.34.c.23.c.24. 1.Sam.c.7.c.10.17. 2.Chron.c.15. 1.Reg.c.8. 1.Macch.c.1.* Vide Sigon. *lib.7.c.5.6.7. de Rep. Hebr. & lib.6.c.3. & seqq. Vide sup.c.8.n.71. & seqq. §. provinciarum præsidibus.* Calvin. *lib.4.Instit.c.7.sect.8.* Witaker. *de concil.quæst.2.*

Agebatur verò in conciliis Hebræorum de cultu divino 32
constituendo, vel lapso aut corrupto restituendo, purgandóve, *Deut.c.4. 2.Chron.c.15. Jos.c.24. 1.Reg.c.18.19.20.21. & cap.8. 1.Sam.c.7. 2.Reg.c.23. 2.Chron.c.15.9. & seqq.* De fœdere cum Deo contrahendo, vel renovando, *2.Chron.cap. 15.12. & seqq. Jos.c.8.33.34. 1.Reg.c.8. Judic.c.2. Vide supra cap.28.* De rege constituendo, *Judic.c.8. 1.Reg.c.12. 1.Sam. c.10.17.18. & seqq. Psal.75.3.4. 2.Sam.c.3.21.c.5.* De bello suscipiendo, vel de pace, *Josu.cap.24.c.23. Judic.c.11.c.20.c.21. cap.22. 1.Sam.c.7.* De judiciis capitalibus delinquentium, *Judic.cap.12.c.20. Deut.c.13. Jos.c.7. Judic.c.2. Matth.c.5.21. 22.c.26.c.27. Jerem.c.26. Actor.c.4.c.5.c.6.c.7.c.23. 1.Reg. c.21.10.11. Dan.c.6.* De precibus ad Deum fundendis, *Judic. c.11. 1.Sam.c.7. Jud.c.20. 1.Reg.c.8. 2.Chron.c.5.2.3.c.24.29. 30.2.3.4.* De contributionibus & collectis, *1.Reg.c.12. & c.6. 2.Chron.c.10.1. & seqq. 1.Reg.c.12. 2.Chron.c.24.5. & seqq. Exod.cap.30. Nehem.cap.10. 1.Chron.c.29. Vide sup.c.12. & cap.13.*

Proponebat in comitiis causam, magistratus summus, 33
Jos.cap.24.2. & seqq.c.23.2. & seqq. 2.Reg.c.23. Num.c.27. 1.Reg.cap.18.19. 1.Sam.c.10.17.18. 1.Reg.c.8. & 2.Sam.c.23. & conventum dimittebat, *1.Reg.c.8.66.*

Jus suffragii in comitiis Judaicis, politiâ nondum divisâ, 34
habebant 12. tribus Israël, *Judic.c.20.8. & seqq.c.21. Jos.c.23. & c.24. Jerem.c.26.16. & seqq. Psal.122.3. & seqq. 2.Chron. c.5.2. & seqq. 2.Reg.c.21.7. Jud.c.22.* In divisa Repub. verò, tribus quælibet conjunctæ. Tribus has repræsentabant principes populi 12. tribuum, 70. seniores, principes sacerdotum & scribæ, qui in sua collegia distributi erant: *2.Chronic.c.5.2.* Tum congregari jussit Salomo seniores Israëlis, & omnes primarios, tribuum, principes paternarum familiarum, & *v.4.6.*

Principes 12. tribuum 12. ſummo magiſtratui in conciliis aſſidebant, *1. Reg. c. 8. 1.* Tunc cõgregari juſſit Salomo ſeniores Iſraëlis & omnes primarios tribuum principes paternarum familiarum. *Vide ſup. c. 8. n. 71. 72.* ubi exempla plura. & *Jer. c. 26. Joſ. c. 23. c. 24. & c. 8. 33. 34.* Seniores 70. populi, regni ſenatores erant, *Num. c. 11. Act. c. 3. c. 4. c. 5. Joſ. c. 23. c. 24. Matth. c. 27.* Principes ſacerdotum erant præfecti claſſibus ſacerdotum, *1. Chron. c. 23. c. 24.* quibus præerat ſummus pontifex, *Actor. c. 3. c. 4. & c. 5. c. 6. c. 23. 1. Chron. dict. locis.* Scribæ erant legis doctores, *Matth. cap. 23.. Actor. cap. 4. c. 5. 1. Chron. cap. 27. 32. 33.*

35 Suffragia ſingulorum collegiorum rogabantur & dabantur ad ea, quæ in conciliis proponebantur, uti patet ex *Jer. c. 26. c. 36. Matth. c. 26. c. 27. 1. Reg. c. 18. 19. & ſeqq.*

Locus concilii primò erat Silo, poſteà verò Jeruſalem, *Pſalm. 122. 3. 4. 5. & ſeqq. Pſalm. 87. & 78. 67. 68. Deut. cap. 12. 5. c. 6. 7. & ſeqq. & cap. 17. Judic. c. 22. 2. Chronc. c. 5. 2. c. 6. 5. 6. c. 15. 10. 2. Reg. c. 21. 7. 8.* Aliquando etiam alius, neceſſitate incidente, *1. Sam. cap. 7. 4. 5. Judic. cap. 20. 1. 3. cap. 10. 1. 3. cap. 10. 1. Sam. cap. 10. 17. Jud. cap. 11. 1. Reg. c. 8. 1. c. 12. 1. 2. Chron. cap. 10. 1.*

Tempus conciliorum habendorum arbitrarium erat.

36 In politia Romana, comitia erant triplicia: curiata, centuriata, & tributa, quæ ita à ſuis collegiis, in quæ populus diviſus erat, vocabantur.

37 Curiata vocabantur, in quibus populus curiatim ſuffragia dicebat, hoc eſt, in quibus populi, per curias (quæ erant triginta) diviſi, ſententia rogabatur, ut, quod plures curiæ ſtatuiſſent, id juſſum populi diceretur. Curiæ Romanæ id fuerunt, quod apud nos parœciæ, quarum ſingulæ ſuas ædes ad uſus publicos parœciæ deſtinatas habebant.

38 In his comitiis curiatis, primis temporibus omnia Reip. negotia tractabantur. Verùm poſt claſſes & centurias, à Servio Tullio rege inſtitutas, uſus eorum ſenſim exolevit, tantumque tribus Flaminibus creandis, uſque ad tertium C. Marii conſulatum, ac legibus de imperio militari, deq; adoptione ferendis, ad ultima libertatis tempora retentus fuit.

Jus convocandi & habendi curiata Comitia primò in Monarchia reges, poſtea verò in Ariſtocratia patricii, conſules, prætores, interreges, dictatores habuerunt.

Jus

Jus ſuffragii in his comitiis habebant cives Romani in curiis hisce deſcripti, Sigon. *lib. 1. de jure civ. Roman. cap. 5.* Nicol. Gruch. *l. b. 3. c. 3. de comit.*

Locus horum comitiorum curiatorum erat in foro, Comitio urbis Romæ, quo convocabantur curiæ per lictores auſpicatò.

Suffragia ferebantur quondam vivâ voce, deinde per tabellas. Unde ſuffragia, vel vocalia, vel tabellaria.

Lex in hisce comitiis ſancienda trinundino antè proponebatur, quàm comitia haberentur, ut ejus inſpiciendæ, legendæ & examinandæ cuilibet poteſtas eſſet.

Centuriata comitia erant, in quibus per centurias popu- 39
lus diviſus, ſuffragia ferebat, ita ut ſuffragia centuriatim colligerentur, & quod plures centuriæ juſſiſſent, id ratum haberetur.

Centuriæ hæ claſſium partes erant, in quas claſſes certâ 40
ratione dividebantur. Claſſes verò toto in populo erant ſex, ſecundùm opes inter ſe diſtinctæ, eo modo, ut ditiſſimi quique cives in claſſe prima, proximi in ſecunda, ac ſic deinceps gradatim cenſerentur, ad tenuiſſimos uſq; qui in imam proletariorum ac capite cenſorum claſſem, quæ nullius penè in comitiis momenti erat, conjiciebantur.

In his comitiis centuriatis à tempore Servii regis, qui horum autor fuit, magiſtratus Reip. creabantur, leges ferebantur, & bellum indicebatur. Magiſtratus creabantur, conſules, cenſores, tribuni milit. conſ. poteſtate, prætores & alii. Leges ferebantur maximi momenti, quæ centuriatæ appellabantur. Interdum quoque de capite civis Romani in his judicium exercebatur.

Indicebantur hæc comitia à magiſtratibus majoribus tantùm, ſcilicet à conſulibus, prætoribus, cenſoribus, dictatoribus, decemviris, tribunis militaribus conſulari poteſtate.

Suffragia in hisce ferebant cives in centurias deſcripti, etiam extra urbem habitantes in provinciis.

Locus comitiorum centuriatorum deſtinatus erat in campo Martio: Tempus ad creandos magiſtratus ferè menſis Junius, interdum & ſequentes; ad leges verò ferendas, aliaq; jubenda, quilibet dies quacunq; anni parte comitialis erat.

Universidad de Deusto Biblioteca

Horum comitiorum autores patres fiebant, atque illa edicebant Senatusconsulto, quod publicè per trinundinum extabat conspiciendum, ut legendi potestas omnibus fieret.

Id verò de quo in his comitiis erat agendum, totum trinundinum, ut legi & expendi ab omnib. posset, loco publico ab eo, qui comitia habiturus erat, proponebatur. Quo trinundino finito, populus ritè in campum Martium, comitiorum locum, convocabatur. Et, si de lege ageretur, priùs suadendi dissuadendiq; copia quibusvis, etiam privatis, ex consensu magistratus, fiebat: sin de capite civis judicium constitutum esset, id, quod accidebat rariùs, actori & reo dicendi potestas dabatur. Post quæ demum in hisce negotiis, ac statim ubi convênit, quando creandi magistratus erant, procuratis ritè auspiciis, populus in centurias suas discedebat, & de eo quod in manibus erat, rogante eodem illo, qui comitia habebat, suffragia centuriatim ferebat. Et hoc fiebat, ut diximus, auspiciis ritè captis & sacris peractis, relicto in urbe custodiæ causâ idoneo præsidio.

Et olim quidem sic mos habebat, ut primæ classis centuriæ, quæ maximi census erant, primæ quoq; ad suffragia vocarentur. Quæ, quia plures numero erant quàm cæteræ omnes, (nam in 98. centurias primam classem, quanquam frequentiâ hominum inferioribus cedentem, Servius rex divisserat, cùm cæteris omnibus 95. tantùm centurias tribuisset,) si inter se consentirent, rem definiebant: Sin minus, secundæ classis centuriæ ibant suffragia.

Quod si ne tum quidem convenirent calculi, tertia classis vocabatur, & deinceps quarta, idque tandiu fiebat, donec nonaginta septem centuriatum suffragia consentirent. Id si ne post quintam quidem vocationem contingeret, centum nonaginta duabus centuriis pari utrinque numero divisis in duas sententias, tum demum vocabatur ultima inopum centuria, immunis à tributis atque militia, & utricunque parti accederet, eam reddebat alterâ potiorem. Sed plerunque primâ vocatione absolvebantur comitia, rarò ad quartam veniebatur, & quinta ac sexta erant supervacaneæ. Sed postea omnes centuriæ in sortem conjiciebantur, &, quæ prima sorte educebatur, prima suffragium ferebat, & prærogativa dicebatur. Deinde reliquæ, ut sors singulis dederat, vocabantur, jure vocatæ dictæ.

Suffra-

Suffragia ferebantur tabellâ duplici, quarum una notata erat elementis U. & R. UTI ROGAS, significantibus: altera elemento A. ANTIQUO; illa affirmativũ, hæc negativum suffragium notabat. In quam verò partem plures ejusdem centuriæ homines inclinassent, ejus tota centuria sententiæ esse censebatur. Tabella utraq; in urna à ditibitore ingressuris in locum cancellis septum & circumclusum dabatur, ex quibus utram vellet, accipiebat ingrediens, quam egressurus in alia urna reponebat, retentâ contrariæ sententiæ tabellâ. Postquam omnes transiissent, numerabantur tabellę, & inde renuntiatio suffragii illius centuriæ fiebat. Quòd si pares numero essent tabellæ, sententia centuriæ illius nulla renuntiabatur. Hoc autem modo, quod plures centurię probassent, id ratum habebatur. Unde manifestũ est, in his comitiis, (quod sanè æquum & rectum est,) eos, qui opibus potiores erant, quorum magis intererat, Remp. esse salvam, quàm cæterorum, plus quoq; cæteris in definiendis publicis negotiis, aut creandis magistratibus potuisse.

Tributa comitia erant, in quibus per tribus suffragia ferebantur, concilium plebis propriè quondam nuncupata. 41

Tribus olim erat pars civium Romanorum certo loco urbis, aut agri Romani circumscripta, & ab aliis distincta. Postea tribus pars civium Romanorum facta est jure, non loco definita, ab aliisq; distincta, sicut ejusdem tribus consortes in diversis urbis, agriq́ue regionibus, & alii in urbe, alii rure, ac deniq; mixtim cum tribulibus aliarum tribuum habitarent. Fueruntq́ue tribus post annos circiter DXII. ab urbe condita, CCLXVIII. ab exactis regibus numero XXXV. atq; ita suffragia in his tributis comitiis totidem existebant? Quælibet enim tribus in his comitiis suffragium unum habebat. Sed erant tribus rusticæ, urbanis multò honoratiores, ut ex tribu urbanâ in rusticam moveri, quod censoriæ potestatis erat, honorificum, & cum laude conjunctum, ex rusticâ autem in urbanam ignominiosum existimaretur. Nec solùm jure honoratiores rusticæ erant, sed numero quoque longè plures: quippe cùm harum XXXI. numerarentur, urbanæ verò tantùm IIII.

His tributis comitiis magistratus omnes plebeii, & è curulibus quoque minores creabantur, scil. tribuni plebis post latam legem Publiam Lætoriam, paucis annis post initium 42

hujus magistratus in civitate, ædiles plebis, ædiles curules, quæstores, annonæ præfecti, triumviri rerum capitalium, triumviri cudendæ monetæ, sæpe etiam provinciarum præsides, & bellorum imperatores, coloniarum deductores. Deinde in sacro ordine Pontifex maximus primùm, pòst latâ lege Domitiâ, anno urbis conditæ DCLI. reliqui quoq; pontifices, Flamines cæteriq́ue sacerdotes eligebantur. Tum judicia quoque, non de capite, sed de fortunis ac honore civium Romanorum exercebantur, mulctaq; damnatis irrogabatur. Postremò, quod præcipuum erat, leges frequentissimæ ferebantur, quæ primitus plebiscita vocabantur usq; ad legem Valeriam Horatiam, statim post abdicatos decemviros latam: postea verò cum legum potestate & vi, quæ lege Valeriâ Horatiâ jam memoratâ consulari, & rursum Publiliâ ac Hortensiâ, utraq; dictatoriâ, iis tributa est, ut omnes Quirites obligarent, nomen quoq; legum sortitæ fuerunt. Atque has sanè leges multò plurimas in civitate Romana fuisse, invenimus, ut numerum earum, quæ curiatis & centuriatis comitiis latæ sunt, sine dubio superaverint: cognoscimusq́ue alias ex autoritate senatus, alias sine autoritate ejus rogatas esse.

Hæc porrò comitia à tribunis plebis ferè convocata & habita legimus, quanquam & alios magistratus majores, & minores in his cum populo egisse, leges rogasse, reos postulasse ex legum fragmentis, & autorum veterum monumentis fiat manifestum. Nam præter tribunos etiam consules & prætores interdum leges hîc tulisse, ædiles curules, & ædiles plebeii mulctam reis dixisse deprehendimus. Sed tamen tribunorum, quos diximus, hæc quasi propria erat area, præsertim cùm de ferendis legibus, creandis tribunis, eligendis pontificibus, designandis imperatoribus, dandis provinciis, judicandis civibus ageretur. Et quoniam tribuni hi auspicia illa præcipua, quæ propriè sic dicta fuêre, non habebant, ut nec ædiles utrique, etiam comitia tributa, quoties habebantur ab his, cum populóve in iis agebatur, minùs auspicata censebantur. Alioquin cætera hîc eadem cum comitiis centuriatis in trinundino servando, suadendo & disuadendo, sacris faciendis, suffragiis ferendis. Sed suffragia hîc tributim ferebantur, populo in tribus diviso, tribusq́ue

tribusq́ue sorte ducebantur, ut centuriæ in prioribus; quæq́ue prima tribus exibat, prima quoque suffragium ferebat, & prærogativa item dicebatur, in qua non parvum erat momentum, cùm ferè præjudicium ejus cæteræ, quæ deinde educebantur ordine, ac jure vocatæ nuncupabantur, sequerentur. Et quod hoc modo major numerus tribuum scivisset, jussisséve, id ratum habebatur. Atq; ita fiebat, ut, cùm tenuiorum civium numerus in omnibus tribubus abundaret, & cujuslibet tribus suffragium ex majore numero consentientium singulorum tribulium censeretur, promiscua & tenuis plebs in hoc comitiorum genere plus quàm locupletes & civitatis primores valerent.

Locus horum comitiorum tributorum non erat unus, aut certus, sed arbitrarius. Ut plurimùm tamen hæc in foro habebantur, aut in comitio: interdum verò etiam in campo Martio, aut in circo Flaminio, aut in Capitolio, aut in templo alio. Temporis autem eadem hîc ratio servabatur, quæ in comitiis superiùs explicatis.

Omnibus verò his comitiis Romanis hoc commune erat, ut spectione, quæ erat magistratuum, aut obnuntiatione, quæ augurum, impedirentur. Nam si quid obveniret tale, eo die non licebat progredi. Obnuntiatio fiebat, cùm ex avibus aliquid animadversum esset, aut cùm tonuisset, vel fulgur apparuisset. Spectio erat, cùm de cælo servabatur, sive quod infausti compareret, sive non, in qua renuntiatione quidem erat opus. Idemq́ue iis accidebat, quando decernendis supplicationibus, vel indicendis feriis, consul, aut prætor in hunc finem dies comitiales extrahebant, ut cum populo agi non posset. Denique in legibus ferendis tribunus plebis aliquis intercedens, & suum illud VETO pronuntians, totam actionem pro jure suo tollebat.

Et hactenus de comitiis Romanis: de quibus prolixè Sigonius, Gruchius, Rosinus, Paulus Manutius.

Apud Græcos hujusmodi comitia erant in singulis civi- 43
tatibus majoribus, quæ αὐτονομίαν & libertate gaudebant, ut Athenæ, Lacedæmon, Thebæ, Argi, Corinthus: item extra veteris Græciæ solum in insulis, Rhodus, Samus, Chius, Cos, Mitylenæ: & in Asiæ continenti, Ephesus, Miletus, Smyrna, Colophon, Clazomenæ, & in Thracia Byzantium. Erant

etiam in gentib. Græcis plures urbes amplexis,ut in Achaia, Ætolia, Bæotia, Arcadia, Elide, Phocide, Theſſalia,& trans mare Ægeum in Ionia, cujus conventus univerſalis dicebatur Panionium. In quibus comitiis de ſimilibus negotiis cum iis,quæ in comitiis Romanis agi ſolere diximus,agitabatur. Sed maximè illuſtria in his fuêre Attica & Romanis ſimillima,quæ ἐκκλησίαι dicebantur: in quibus leges ferebantur abrogabanturque,magiſtratus creabantur, de bello & pace, de federibus, de præmiis ob merita deliberabatur & ſtatuebatur,legati decernebantur, civitas donabatur,ſenatus ſcita, προβουλεύματα dicta, quæ alioqui annuam tantùm vim habebant,ſi probarentur, ſanciebantur, ut ψηφίσματα fierent, quæ vim perpetuam obtinebant, δοκιμασίαι magiſtratuum fiebant,denique judicia quoque quædam exercebantur,ut εἰσαγγελίας & προδοσίας. Hæ ἐκκλησίαι quatuor ordinariæ in ſingulis Prytaneis, id eſt,dieb. XXXV. extraordinariæ,quoties res poſcebat, habebantur. In has convenire cogebantur omnes cives,& præter eos admittebatur nemo. Convocabant & regebant ordinarias, & in iis præſidebant Prytanes L, proedri IX, & epiſtata unus: extraordinarias iidem Prytanes,& Archontes,qui etiam numero erant IX,& vocabant & regebant,iiq; in primis ſubſelliis conſidebant. Prytanes erant idem atq; ii,qui in ſenatu Prytaneatum gerebant. Proëdri ſinguli ex ſingulis novenis tribubus iis, qui in Prytaneatu non erant,ſorte electi erant. Epiſtatæ duo fuerunt: unus ex prytanibus,alter ex proëdris electus. Prytanes conventum convocabant; proëdri proponebant; epiſtata ſuffragia rogabat.

44 Locus ἐκκλησιῶν, id eſt,concionum,erat vel in Pnyce,vel in theatro Dionyſiaco. Suffragium erat χειροτονία, niſi quando aut de imperio, duce abrogando, aut de decennii exilio viri illuſtris (nam & hoc concionis erat) agebatur: tum enim occultis tabellis,aut teſtulis ſuffragia ferebantur. De pſephiſmate autem,aut lege nemini omnino ad populum ferre in concione, hoc eſt,cum populo agere licebat,niſi ex ſenatus probuleumate. Quicquid verò in concione,ſeu comitiis habendum erat, id programmate in publico priùs proponebatur,ut expendi ab omnib. ante concionẽ poſſet, omnesq; bene moderati ad concionem venirent. Legum recenſio, examinatio, rogatio, abrogatio plerumque delectis prudentiſſimis ex tota concione,quos νομοθέτας vocabant, demandabatur

dabatur,deque iis,antequam in ſuffragia iretur,in utramque partem ab oratorib. quibus hoc injunctũ erat,diſputabatur, ne quid ſtatueretur temere. In exterminatione etiã decennii ad ſuffragiũ non niſi ſexagenarii admittebantur. Atq; hujus concionis ob multitudinẽ promiſcuam fluitantis,duæ velut anchoræ in Rep. Attica erant additæ ad eam firmandã, βουλὴ, i.e. ſenatus quingentûm virûm annuus,præcipuum civitatis concilium,& Areopagus certo numero non circumſcriptus, perpetuusq; cõplexus ſapientiſſimos quosq; totius civitatis. Senatus negotia Reip. tractabat,conſulebatque, in quo Prytanes præſidebant. Areopagus partim Reip. conſulebat, partim cauſas capitis judicabat,eumq; IX. archontes annui regebant.

Sic Athenis in ſtatu populari: de quib. optimè & pleniſſimè inter omnes Carolus Sigon. *in lib. de Rep. Attica.* At Lacedæmone in Rep. Ariſtocraticâ,quoties de rebus ſummis agendum,comitia quoq; coïbant totius populi,quæ ſimiliter ἐκκλησίαι illic nominabantur,quarum ineundarum jus patebat omnibus Laconib. liberis, juſtam ætatem habentibus. Has quondam duo reges,& reliquus ſenatus perpetuus virorum XXVIII. convocabant in campũ apertum ad Onuntem amnem juxta pontem Babycã, iiſq; præſidebant, atq; ad eas referebant: pòſt V. ephori cuſtodes libertatis,tribunis Romanorum ſimiles,jus illud convocandi,præſidendi,referendi ad ſe traduxerunt. Erantq; ἐκκλησίαι aliæ ordinariæ ac ſtatæ, aliæ pro re natâ indicebantur. In illis magiſtratus annui,in quib. ipſi ephori erant,legebantur,aliaq; ordinaria conſtituebantur: in his de ſublegendis ſenatorib perpetuis,de bello & pace,de federibus agebatur: leges ferebantur,reges ipſi cenſebantur, deq; his atq; aliis civib. in maximis cauſis judicia exercebantur,damnatisq; pœnæ irrogabantur. In omnibus ſuffragia ſimpliciſſimè acclamationib. ferebantur: quę ſi ambigui aliquid habere viderentur,diſceſſione probantium & improbantium in partes diverſas, ut utra pars major eſſet, intelligi poſſet, ambiguitas dirimebatur. Quod majori parti placere deprehendebatur,id perinde ac ſi omnib. placeret, ratum erat. Et hæc ferè manſere ad ultima libertatis tempora, præterquam quòd in loco aliquid variatum fuit. De quibus omnib. latè Sigon. *in lib. de Rep. Laced.* & poſt eum Nicolaus Cragius Danus: atq; è veteribus Plutarchus in vita Lycurgi,

Lysandri, Agesilai, Cleomenis, Agidis, & ante hunc Xenophon *de Rep. Laced.*

45 Et hæc comitia singulatũ civitatum apud veteres. Similia etiã in Rebusp. quæ pluribus civitatib. sociis continebantur: ut in Italia Hetruscorum, Latinorum, Campanorũ, Samnitium, magnæ Græcię, ante Imperium Romanũ in Italia constitutum: in Græcia, Arcadum, Bœotorum, Thessalorum, Achæorum, Ætolorum, & pluriũ aliorum: in Asia cum vicinis insulis Ionum, & alibi aliorum. In quibus Rebusp. quanquã singulæ civitates suum ordinem civilem, suos magistratus ac leges, suum senatum, suam gubernationem ac libertatẽ domi tenerent, suisq; conventibus uterentur: tamen communem quoq; senatum & concilium commune habebant, quibus in unam Remp. redigebantur. Et ut in cõmunem senatum, sic quoq; in conciliũ à singulis civitatib. aut populis delecti viri mittebantur cum mandatis ac potestate, qui prætores alibi singulos, alibi binos, alibi annuos, alibi perpetuos, à quibus Resp. pace belloq; gereretur, designabant, & de negotiis maximis ad totã Remp. pertinentib. deliberabant, statuebantq; Ita Latini ad locum Ferentinæ, Hetrusci ad fanũ Volturnæ, Ætoli Ambraciæ, Achęi Ægii oppido Achaię maritimo, Iones Asiatici in Panionio cõveniebant; idq; faciebant aut statis temporib. aut re poscente: apud omnes a quod major suffragiorum, aut sententiarũ numerus probasset, hoc pro decreto communi valebat, si numero suffragia paria, tũ Colophonii advocati, suo suffragio causam dirimebant. Unde proverbiũ Colophonem addere. Budæus *ad l. ult. de senator.* In Græcia verò aliud quoq; concilium generale quondã fuit Amphictyonicum nuncupatũ, de nomine Amphictyonis primi autoris à parvis initiis profectũ, sed incremento maximo auctũ, quo tota pene Græcia in unam quodammodo Remp. videri poterat coaluisse. Nã temporib. statis in id conciliũ præcipui Græcię populi, qui in ea societate erant, atq; hoc jus habebat, delectos suos viros primarios mittebant cũ perampla potestate, quos Pylagoras ex eo, quòd ad Pylas forũ agerent, vocitabant. Hi primùm templi Delphici, quod ditissimũ erat, & toti Græciæ cõmune, patroni & protectores audiebant, ejusq; curam gerebant, & ne injuria aut jus ei fieret, thesaurive ejus dissiparentur, aut religio violaretur, operã dabant: deinde societati universę consulebant, concordiæ custodiã inter socios curæ

curæ suę commissam habebant, atq; ideo controversias quascunq; de re inter eos ortas cognoscebant, de iis judicium ferebant, judicato, non parentib. graves mulctas irrogabant, in contumacia persistentes proscribebant: eratque tanta hujus concilii autoritas, ut quod id judicasset, populi socii exequerentur, ac, si res poscceret, cõjunctis armis damnatos peterent. Unde in Lacones ob Cadmæã arcem occupatã, & paulò pòst in Phocenses ob religionem violatam gravissima bella sunt mota, & cum magno eorum detrimento & cladibus gesta. Coïbat concilium Amphictyonicum quotannis bis, scil. vere ac autumno: & loca conventus duo, Delphis in Phocide, & ad Thermopylas, ut cum aliis prodit Pausanias. Sed an veris comitiis annumerandum sit hoc concilium, an dicasterium censendum, collegiúmve pacis tenendæ, & religionis tuendæ causã institutũ, dubitari potest. Ego in medio hoc relinquo.

Hucusque de comitiis illustrium populorum ævi veteris: nunc de iis, quæ nostri ævi. Et primùm quidem de comitiis Germanicis, quæ præ cæteris in Europa sunt insignia.

Comitiorum Germanicorum duæ sunt species. Sunt enim quædam ordinaria, quædam extraordinaria. 46

Ordinaria comitia sunt, quę ob ordinarias, vel graves alias incidentes Imperii Germanici necessitates, totum statum illius concernentes, certis temporibus, ordinario processu solenni, instituuntur. 47

Processus comitiorum solennis est, quo certo ordine, cauę Imperii in conventu & consessu omnium statuum Imperii, proponuntur, examinantur, & decidi finiuntur. Germani vocant einen Reichstag / oder eine gemeine Reichsversamlung. Vide recess. Imperii. Paurmeist. *lib. 2. c. 2. de jurisd. Imp.* vocat hæc comitia generalia, in quibus universi ordines Imperii conveniunt.

Membra comitiorum horum sunt indictio illorum, propositio causæ, & ejus tractatio.

Indictio comitiorum horum, est omnium & singulorum statuum, seu ordinum Imperii, à Cæsare ex principũ electorum consensu & consilio, literis ad locum & tempus certum facta convocatio, ad consultandum, quid sit statuendum de causis (quæ hìc sunt exprimendæ) Imperii salutem concernentibus. *Recess. de anno 1507. §.* Haben wir eine ꝛc. *& de anno 1576. §.* Als haben wir mit raht ꝛc. *& de anno 1582. §.* Haben auf gutachten ꝛc. 48

49 Consultationis comitialis capita ordinaria hîc ferè sunt, de firmandâ pace & tranquillitate publicâ, tam in civilibus, quàm ecclesiasticis negotiis: de ordinatione & legibus judicii Cameralis: de impositione collectarum: de moderatione indictarum contributionum: de monetis: de matriculæ Imperii redintegratione, & avulsis ab Imperio provinciis recuperandis.

Prima Imperatoris comitia ex aureæ bullæ constitutione indicuntur Norimbergæ, vel ob pestem, bellum, aliámve causam probabilem, ex consilio electorum, alio in loco. Vide recess. de anno 21. & 66.

50 In termino constituto, ordines convocati, in loco comparentes, præsentiam suam Cæsari, vel ejus commissario indicant, illiq; sua obsequia, studia & officia ad illa, quæ in comitiis secundùm literas evocatorias Cæsaris sunt agenda, offerunt, & tarditatem adventus, si opus est, excusant.

51 Venientes ordines etiam apud Cancellarium electoris Moguntini archicancellarii imperii, & apud Mareschallum imperii Pappenhemium nomina sua profitentur, quò hîc petentibus commoda hospitia adsigner, ille verò sciat locum, ex quo ad senatum & consilia pro re natâ evocari possint.

Pappenhemii imperii Mareschalli officium in comitiis, est hospitia ordinib. eorumq; legatis procurare, injustè læsos & offensos defendere, vocare ad consultationes, singulos in jure sessionis & voti sui defendere, arcere à consultationibus peregrinos, jubere ordines, & quoscunq; in consessu ordinum agentes, accedere & recedere.

52 Ordinum absentium commissarii, commissionis & mandati sui, ex literis denuntiatoriis comitiorum formati, documentum Cancellario Moguntino exhibent, atq; ejus exemplum recognitum relinquunt apud acta Imperii. Legati civitatum imperialium, talibus mandatis opus non habent.

53 Privatæ alicujus ordinis petitiones, vel supplicationes, ad status omnes, vel comitia directæ, Cancellario Moguntino ut is eas datâ occasione in consilio proponat, ordinumq; resolutionem ad eas roget, exhibentur, vel etiam pro arbitrio supplicantis, Cæsari, qui supplicationem ad status remittit, eamq; illis commendat.

54 Propositio causæ est negotii, sive rei tractandæ, consultandæ & decernendæ in conventu & consessu omnium ordinum,

ordinum, die & hora à Mareschallo Imperii prædictis à Cæsare, ejúsve commissario facta expositio. Quæ hîc ordinum Imperii sit sessio, refert Paurmeist. *lib. 2. c. 2. num. 31. de jurisd. Imp. & infra n. 57. & seq.*

Hîc igitur Cæsar, vel ejus commissarius, pro obsequio præstito gratiis actis imperii ordinibus, jubet propositionis capita scripto comprehensa, ordinibus prælegi, monetque ut illi ea diligenter expendant, & de iis, quid è salute & re Imperii esse judicent, ad se referant, ut ex eo, quod facto opus sit, statuatur.

Post propositionem hanc & postulata Cæsaris, ordines de 55
responso Cæsari dando deliberaturi, ex buleuterio communi secedunt in tria collegia separata, seu tres curias, quas classes Paurmeisterus vocat, quæ collegiatim seu curiatim sententias vel suffragia dicunt.

Primum collegium est electorum, quod autoritate, præe- 56
minentia & potestate, reliqua duo longè superat, & constat sex imperii electoribus, quorum tres, nimirum archiepiscopus Moguntinus, Treverensis, & Colonienſis, sunt ecclesiastici, & totidem seculares, nimirum Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux, & Brandeburgensis. Quibus septimus accenseri atque addi solet Bohemiæ rex, qui cæteris pari numero inter se dissentientibus sententiâ suâ alteris adjectâ, controversiam tollebat. Hunc Senatum electorum, Churfürſten Rath vocant.

Sessio horum talis est. Primam habet Moguntinus, qui 57
Imperii Germanici archicancellarius est. Ad sinistram hujus Treverensis, vel Colonienſis, alternis vicibus, secundam habet; quamvis Treverensis semper primus rogetur sententiâ dicere. Ad dextram Moguntini sedet Palatinus Rheni, archidapifer. Post Colonienſem verò Saxo archimareschallus Imperii; & post hunc Brandeburgensis archicamerarius imperii, sedendi jus habet.

Commissarii electorum absentium dominorum suorum principalium locum & sessionem non possunt occupare, nisi sint duorum infimorum electorum, nimirum à dextris Palatini, & à sinistris Brandeburgensis commissarii, ex quibus unus, locum & sessionem domini sui repræsentans, admittitur.

58 In hoc primo collegio Moguntinus habet jus proponendi, rogandi, secundùm sessionis ordinem, & de sententia collegii ad alios referendi, vel communicandi. Suffragia verò viritim ferunt, singuli pro se suaque vice. Jus sententiam dicendi primò Treverensi, deinde Coloniensi, tertiò Palatino, quartò Saxoni, quintò Brandeburgensi, & sexto Moguntino, qui à Saxone rogatur, competit. Pro singulis rogatis solent præsentes ipsorum consiliarii respondere.

59 Alterum collegium constat ex Imperii principibus, archiepiscopis, magistris ordinis Teutonici, abbatibus principali dignitate præeminentibus, prælatis & comitibus Imperii, qui singuli immediatè Imperio sunt subjecti, & vocatur Senatus principum der Fürsten Rath. De his singulis eorumq; jurisdictione in suis territoriis Paurmeist. *lib. 2. cap. 8. 9. & 10. de jurisd. Imp.* & Matth. Stephani. *libro de juriad. Imp.*

60 Jus sessionis in hoc collegio primum habent ecclesiastici, alterum verò seculares. Inter ecclesiasticos verò quos diximus, primam sessionem habet Austriacus princeps, alteram Burgundus, tertiam Salisburgensis, Magdeburgensis & reliqui duo archiepiscopi, & episcopi 27. quartam magistri Teutonici ordinis, quintam Abbates principali dignitate eminentes 11. sextam Prælati 24. & prælatarum Abbatissarum 12. legati. Vide Paurmeist. *d. loc.*

Alterum jus sessionis habent seculares principes, uti primò Bavarus. 2. Saxo. 3. Brunsuicensis. 4. Pomeranus. 5. Brandeburgensis. 6. Megapolitanus. 7. Badensis. 8. Juliacensis. 9. Wirtembergicus, & reliqui seculares principes, quorum 18. matriculæ Imperii inscripti.

Ultimam sessionem in hoc collegio obtinent Comites Imperii omnes, qui in duos ordines, curias, seu classes distribuuntur, in comites nimirum Wetteravicos & Suevicos, jus sessionis prioris, alternis vicibus inter se habentes.

61 Jus proponendi in hoc secundo collegio inter Ecclesiasticos, hodie habet alternis vicibus Austriacus, vel Salisburgensis Archiepiscopus: olim verò Magdeburgensis & Salisburgensis, qui Germaniæ primates dicuntur. Magdeburgensis episcopatus, quia post mutatam religionem Papisticam, episcopo tali caruit, hoc jure proponendi & rogandi non est usus, quod sibi Austriacus usurpavit.

62 Jus rogandi sententias, & placita collegii hujus aliis communicandi & referendi habent, qui in sessione sunt primi.

Jus sententiam dicendi, seu suffragii in hoc collegio non est idem. Nam singuli principes jus hoc habent, & viritim suffragia dicunt. Plures ex una familia nati, ditionum divisarum rectores, per unum commissarium jure sessionis & suffragii uti possunt; vel singuli per peculiarem commissarium. Illi verò qui ditiones nullas obtinent regendas, jure sessionis & suffragii carent. At Prælati omnes curiatim sententias dicunt, & conjunctim jus duorum suffragiorum, ex quibus unum prælati Suevici, alterum prælati Rhenani, habent. Comites & Barones imperii omnes, similiter duorum suffragiorum jus habent, nimirum omnes Comites Suevici unum, & Wetteravici unum: quæ rogantur & referuntur à cujusque ordinis & classis commissario.

Tertium collegium est legatorum à civitatibus imperialibus (quarum 64. in matriculam imperii sunt relatæ) missorum, quorum duo sunt ordines curiæ seu classes. Una Rhenanarum civitatum Imp. sub qua & Colonia, Aquisgranum, & aliæ præcipuæ civitates imperii. Altera Suevicarum, sub qua Vratislavia, Ulma, Norimberga, Augusta, & complures aliæ. Excipiuntur hîc quædam civitates, quæ Imperiales & simul municipales sunt, quæ neq; suffragium, neq; sessionem in Imperii comitiis habent. Vide Matth. Stephan. *lib. 2. part. 2. c. 1. n. 59. & seqq. de jurisd.* 63

Hoc ultimum collegium vocatur Senatus civitatum imperialium, der Reichsstätten Rath / & habet jus duorum suffragiorum; quamvis in collegio suo quælibet civitas suam dicat sententiam.

Jus rogandi & referendi sententias in hoc collegio habet Syndicus ipsarum communis, qui constituitur & eligitur à civitate Imp. illa, in qua comitia celebrantur. 64

Ratio diversitatis in jure suffragii & authoritatis, quod impar collegiis hisce tribuitur, est, quòd illorum statuum, qui plus ad salutem & conservationem Reip. quàm alii status Imperii minores conferunt, aut contribuunt, major quoque ratio in jure suffragii & authoritate habenda sit. 65

Singulorum trium horum collegiorum sententiæ de postulatis Cæsaris post propositionem rogantur in singulis collegiis, & collectæ referuntur & communicantur inter collegia, ita ut ex primo collegio Moguntinus, ex secundo 66

Auſtriacus, vel Salisburgenſis referat, quorum ſententia conſentiens de conſultandis propoſitis, legatis civitatum indicatur, qui & ſuam ſententiam tum aperiunt. Quæ vero ita concluſa ſunt, à Cancellario Moguntino poſtea ad Cæſarem, ſeu Imperatorem referuntur, in qua relatione primò teſtatum ille facit, & offert obſequium & ſtudium promptum ordinum in deliberatione & conſultatione poſtulata à Cæſare, poſtea propoſitionis capita repetit, & tertiò Cæſari pro Reipub. cura gratias agit, & ordinum abſentium excuſationes adfert, & denique exemplum capitum propoſitionis Cæſareæ (quod à Moguntino præſule datur) petit, & ordinum officia Cæſari ſubmiſsè defert. His dictis Cæſar pro officiis delatis gratiis actis, univerſis & ſingulis ordinibus gratiam & clementiam pollicetur, atq; hoc facto, ſurgit è ſolio, & ab ordinibus comitatus in palatium ſuum deducitur, & ordines in ſua diverſoria diſcedunt, iterum conventuri, quando ſinguli à præſide ſui collegii convocantur.

Tractatio cauſæ, ſeu propoſitionis Cæſareæ eſt, qua ea accuratè in collegiis illis ordinum tribus, quæ diximus, perpenditur, & de ea ſententia concipitur, & tandem quid certi ſtatuitur.

67 Tractatio itaque cauſæ conſtat I. propoſitione repetitâ. II. diſceptatione. III. conſenſu in idem placitum. IV. relatione ad Cæſarem. V. confirmatione ejusdem & promulgatione. Ad quos actus ſingulos Moguntinus cancellarius ordines ſingulos vocat, ſchedulâ in qua hora & locus comparitionis continetur, quæque ſubſcriptione ſua eſt confirmata, miſſa ad Imperii Archimareſchallum Ducem Saxoniæ, ſi ipſe eſt præſens, vel eo abſente ad Pappenhemium imperii Mareſchallum, quam hic poſtea ſingulis inſinuat. Atque hoc jus vocandi Moguntino, irrequiſito Cæſare, competit, & quandoque ſine ſchedulâ per Pappenhemium Mareſchallum peragitur.

68 Propoſitio hic eſt repetitio propoſitionis Cæſareæ, in electorum collegio facta, ut ex collegii hujus diſpectione & judicio conſter de proceſſu conſultationis, & quænam capita propoſitionis, tanquam magis neceſſaria, priùs in ſingulis collegiis examinanda & concludēda, & quæ loco & tempore poſterioribus, quò concordia & ordo idem in conſultationibus à ſingulis collegis ſervetur, & diſcordia in relationibus

nibus & communicationibus ſententiarum, evitetur, & res maximè neceſſariæ, aliis in conſultationibus præferantur.

Jus ergo προβαλεύματος ex propoſitione Cæſarea ſtatuendi, ad ſolum collegium electorum ſpectat, quæ ab illo conſtitura, ſeparatim vel conjunctim à Moguntino reliquis duobus collegiis, ut illa in conſultando ſequantur, indicantur. 69

Poſt conſtituta, & ſingulis collegiis indicata probuleumata & præconſultanda, ſequuntur in ſingulis collegiis de iisdem diſquiſitiones & diſceptationes per rogationes ſententiarum, & ad easdem reſponſiones ordinum rogatorum, quæ à protocolliſtis ſingulis, in ſingulis collegiis excipiuntur & notantur, ut exactiùs ſingula ponderari poſſint, quamvis tantum protocollo Moguntinenſi ſtetur, & reliquis, non niſi cum illo collatis, credatur.

Conſenſus ordinum in idem placitum eſt duplex. Prior, 70
qui fit in ſingulis collegiis ſeparatim inter ejusdem collegii membra & ordines. Alter, qui fit inter collegia illa tria.

Ille, qui fit inter collegas ejusdem collegii, duplici modo 71
contingit. Primò quando una & eadem omnium & ſingulorum ordinum collegii cujusque eſt ſententia, & placitum de rogatis. Deinde, quando diſcrepantes & diverſæ ſententiæ collegarum conciliantur, & in concordiam rediguntur, quod fit ſententiarum collatione, & conſultatione eo uſque inſtituta, donec vel omnes collegæ inter ſe conſentiant, vel major pars, quibus numero pauciores cedunt, in unam eandemque ſententiam diſcedat.

Alter poſterior trium collegiorum inter ſe conſenſus & 72
collatio fit per relationes & communicationes ſententiarum mutuas, nudis verbis inter ſe invicem factas.

In collegio electorum illa, quæ de quæſtione & cauſa 73
unanimiter, vel per majora vota placuerunt, in ſcriptis concipiuntur, quæ collegio prælecta ab eoque approbata, poſtea in collegio ſecundo principum referuntur, & communicantur.

Ad audiendam hanc relationem & communicationē collegii principum ad electorum collegiū vocatur, ubi in conſeſſu utriusq; collegii, Moguntinus cancellarius, juſſu primi collegii, ex breviculo, ſeu memoriali, ſententiam collegii electorum, cum rationibus additis, refert, atque in fine colle-

gium principum, ut vicissim de eadem causa & quæstione
sententiam suam aperiat, & secum de ea conferat, rogat.
74 Collegium principum ad hoc in continenti per archiepi-
scopum Salisburgensem, vel principem Austriacum collegii
sui sententiam de causâ eâdem in scriptis similiter concepta,
& secum allatam, aperit, & collegio electorum communicat.

Si quid in hac relatione sententiæ collegii electorum est
contrarium, vel ab ea discrepans, tum collegium principum
studium suum in componendis controversiis ex collatione
mutuâ offert.

Si quid ab alterutro collegio refertur, quod in altero for-
te nondum fuit perpensum, ad hujus consultationem sen-
tentiæque suæ communicationem, relationemque, ad alterum
collegium, id, quod de omissis nihil adhuc statuit, se offert.
75 Collatio & disceptatio sententiarum discrepantium u-
triusque collegii quando fit, collegium principum ex buleu-
terio communi, ulterioris deliberationis & consultationis
instituendæ causa, secedit in suum proprium buleuterium,
relicto electorum collegio in suo buleuterio,

Sic itaque in utroque collegio causa eadem de novo
consultatur, examinatur rationesque sententiarum diversa-
rum conferuntur, & communicantur, rogante Moguntino,
initio dicendæ sententiæ facto à secundo collegio, & posteà
priore de sua sententia respondente.

Ex hac sententiarum rogatione, responsione, relatione,
collatione & disceptatione utriusque collegii bis térve factâ,
tandem altero alteri cedente, & se adcommodante, emergit
& provenit utriusque in unum idemque placitum consen-
sus, & tum tertii collegii relatio auditur. Duobus verò priori-
76 bus collegiis in suis sententiis diversis, contrariisve persistê-
tibus, vocatur collegium tertium Imp. civitatũ, ut suam, de
controversa causâ, sententiam interponat, & aperiat: quo
facto, legati civitatum imperialium, post Moguntini cancel-
larii, de discrepantibus duorum collegiorum sententiis, rela-
tionem, & tertii collegii de dicenda sententia rogationem, suâ
quoq; aperiunt mentem, atq; vel alterius collegii sententiam
amplectuntur, vel tertiam suam de causâ controversa decla-
rant, quam suam sententiam stantes in collegiorum duorum
priorum conventu, non sedentes, dicunt. Sententia collegii
alicujus indifferens, non apertè contraria aliis, habetur pro
consenti-

consentiente cum pluribus. Unde liquet, hoc collegium ter-
tium, non tam ferre hîc suffragia, quàm alterius collegii ex
duobus prioribus sententiam approbare, ut videatur id po-
tius jus approbandi, quàm sententiæ dicendæ habere.

Quòd si omnia collegia tria, quæ diximus, consentiunt, 77
vel priorum duorum major pars, res confecta est. Non enim
hîc ordinum, sed collegiorum major pars & numerus vincit.

Post hasce trium horum collegiorum consultationes, re- 78
lationes, & mutuas collationes, placita singulorum per Mo-
guntinum cancellarium in chartam conjiciuntur, & simul
discrepantes sententiæ annotantur. Scriptum hoc primò
collegio electorum, deinde principum, & denique civita-
tum collegio prælegitur, ut prælectum posteà Cæsari, loco
relationis de ordinum sententia offeratur. Contenta scripti
hujus ex omnium collegiorum, vel majoris partis ordinum
consensu conclusa, pro illorum resolutione habentur.

Ad relationem & oblationem ejusmodi Cæsari faciendã, 79
deputantur duo ex consiliariis Moguntinis & Palatinis; ex
collegio verò principum, consiliariis scili. Salisburgicis, vel
Austriacis, unus: ex numero Comitum alternis vicibus ex
Wetteravicis, vel Francicis unus: & ex tertio collegio duo,
nimirum unus ex Rhenanis, & unus ex Suevicis imperii ci-
vitatibus. Hi sex ex ordinibus deputati cum ordinum scripto
supradicto ad Cæsarem mittuntur, cui impetratâ audientiâ,
per Moguntinum cancellarium ea, quæ in mandatis ha-
bent, aperiunt, scriptum illud simul offerentes. Posteà de
supplicationibus ordinibus exhibitis eorundem sententia
Cæsari submissè explicatur. Cæsar ad hæc per cancellari-
um suum brevibus respondet, sibi ordinum relationem esse
gratam, atque eâ lectâ & examinatâ, resolutionem & re-
sponsum pollicetur. Cæsar posteà replicando, si ordinum
placita displicent, cum iisdem disceptat, donec in unam
sententiam omnia, vel major pars collegiorum conveniant
cum Cæsare. Unde responsum posteà formatur, quod in
scripturam relatum Cæsar posteà ordinum deputatis, ad se
per Moguntinum convocatis, exhibet, ordinibus pro reso-
lutione tradendum. Resolutio hæc Cæsarea sententiæ ma- 80
joris partis trium illorum collegiorum non debet esse con-
traria, uti colligitur ex denuntiatione comitiorum facta à
Carolo V. anno 30. 31. 32. 51. & 59.

81 Quòd si Cæsaris sententia contraria est sententiæ triũ collegiorum, vel majori parti, nihil actum esse dicitur, neq; decretum, vel constitutio generalis Imperii fieri potest: Paurmeist. *lib.2.c.2.n.30.de jurisd.* Unde est, ut dicatur Imperator in constitutionibus generalibus sanciendis semissem & reliqui ordines Imperii alterum semissem potestatis habere. Paurmeist. *d.loc.n.20.& seqq.& lib.1.c.4.*

82 Confirmatio & promulgatio eorum, quæ à Cæsare sunt approbata, sequitur. Nam hisce præcedentibus omnibus peractis, Moguntinus cancellarius, approbata à Cæsare in formam recessus, & constitutionis imperii sub nomine Cæsaris refert.

83 Exordium hujus recessus concipitur ex literis Cæsaris, quibus comitia indixit: Narrata ex propositione Cæsaris: sententia ordinum ad propositionem sumitur ex relatione eorundem ad Cæsarem factâ, & eam subsequutâ Cæsaris resolutione, & approbatione, in quibus additur ordinum voluntas, & pactum inter Cæsarem & ordines de servando recessu, ejusmodi subscriptione & subsigillatione ordinum confirmatum, quod multorum decretorum exemplis ex Imperii recessibus probat Paurmeist. *lib.2.cap.2. num.31. de jurisd.*

Recessus ejusmodi à Moguntino conceptus, vocatis deputatis ordinum, in collegio electorum prælegitur, ut ab iisdem, si opus sit, emendetur, vel mutetur. Deputati hi sunt duo, vel unus ex Cæsareis commissariis: ex collegio electorum similiter duo, vel unus: ex collegio principum ex ecclesiasticis duo, & totidem ex secularibus: & ex collegio Imperialium civitatum, similiter duo.

84 Deputatis hisce præsentibus prælegitur recessus exordium, propositio, denique conclusa & decreta. Ad singula hæc deputatorum sententiæ, uti in consilio supplicationum fieri solet, rogantur, eo solo excepto, quòd Cæsarei deputati hic votum conclusivum non habeant.

Conceptum recessus à deputatis hoc modo emendatum in pergameno seu membrana describitur, & sigillorum appensione atque subscriptione Cæsaris & ordinum confirmatur.

85 Sigillorum appensio hoc ordine fit: Funiculus duplex pergameni parti infimæ transfixus est: in parte superiori, funiculus

cujus ille duplex conjunctus est sigillo Cæsaris, qui funiculus infra sigillum Cæsaris, in duos dividitur: in illo, qui est à dextro latere sigilli Cæsarei, nomine electorum ecclesiasticorum annectitur sigillum Moguntini electoris, aut, illius absentis nomine, consiliarii ejusdem, vel alterius electoris ecclesiastici præsentis, quod primum locum à dextris obtinet. Secundum locum tenet sigillum ecclesiastici principis, in sessione præcedentis in collegio secundo, aut absente illo, alterius præsentis. Tertio loco unus ex prælatis sigillum appendit. A parte sinistra sigilli Cæsarei, è regione Moguntini, in altero funiculo elector Palatinus primo loco sigillum apponit, aut nomine hujus absentis, alius elector princeps secularis præsens, vel illius consiliarius: Secundo loco Bavarus, aut eo absente alius secularis princeps, vel illius consiliarius. Tertio loco, unus ex ordine comitum Wetteraviorum, vel Suevicorum, altetnis vicibus, sigillum subjungit. Ultimo loco, funiculus divisus, in infima parte sigillo civitatis Imperialis illius, in qua comitia celebrantur, conjungitur. Olim solus imperator signabat, postea cum Cæsare duo ex electoribus, duo ex principibus, unus ex abbatibus & comitibus, civitas loci, in quo comitia celebrabantur. Paurmeist. *d.loc.n.33.*

Subscriptio statuum fit secundùm collegiorum ordinem 86
1. ab electoribus. 2. à principibus ecclesiasticis. 3. à principibus secularibus. 4. à prælatis & legatis prælatorum. 5. à Comitibus. 6. à legatis civitatum imperialium. Vide exempla in constitutione Imperii.

Sigillatione & subscriptione peractis, Cæsar omnes status 87
in curiam convocat, atque in consessu omnium statuum publicè, brevi oratione habitâ, repetit acta, atque recessum eo, quo dictum est modo, consignatum. Postea jussu Cæsaris Moguntinus cancellarius clarâ voce publicè eum prælegit. Quo prælecto, Cæsar omnes status ad ejus observantiam hortatur, & de sua cura & solicitudine paterna pro imperio contestatus, finem comitiis imponit, & surgit, atque comitatus ab ordinibus in Palatium suum deducitur, & hoc modo comitiis finem imponit & ordines dimittit.

Atque ita se habent Germanorum comitia ordinaria & 88
solemnia: Extraordinaria comitia sunt conventus ordinum, pro re natâ, & necessitate postulante, instituti ob incidentes

causas, quæ secundùm naturam suam non possunt commodè & amicè in comitiis ordinariis in tribus illis, quæ diximus, collegiis, tractari, quæ celeriorem executionem requirunt, aut quæ ad sui expeditionem & tractationem singulares eosq; experientiâ & usu rerum præstantes homines requirunt: uti causæ religionis, monetarum, vectigalium, justitiæ administrandæ, ordinationum politicarum, & aliarum similium. Aut, quando causæ sunt ejusmodi, quæ privatos concernunt, aut non magni momenti causæ, quæ in ordinariis comitiis incidenter tractantur, ad separatos conventus in iisdem comitiis reservantur, ne graviorũ negotiorum expeditionem impediant, vel tetardent, quæ ideo ab ordinibus ad certos quosdam deputatos tractandæ remittuntur. Paurmeister vocat specialia comitia.

89 Deputati igitur ordinum hîc sunt certi quidam, ex tribus collegiis imperii delecti, quibus conjunctim causæ imperii, quæ celeriorem & faciliorem administrationem postulant, demandantur, de uno, aut altero articulo propositionis, de relatione, collatione, communicatione instituenda, de supplicationibus privatorum à Cæsare ad unum collegium, vel remissis, vel à partibus omnibus ordinibus exhibitis.

Hi deputati, tempore comitiorum ordinariorum, in proponendo, rogando, referendo, processum ordinarium observant, & jure suorum principalium utuntur.

Sunt etiam deputati in ordinariis comitiis constituti à singulis collegiis de suis negotiis, quibus collegium quædam tractanda committit, ad referendum de iis suam sententiam.

90 In extraordinariis hisce comitiis, quæ non tempore ordinariorum comitiorum, sed alio loco & tempore, re postulante, celebrantur, nonnihil variat jus proponendi, rogandi, dicendi sententiam & jus sessionis.

Jus proponendi, & rogandi, ultimoque sententiam dicendi, concludendi & referendi, Moguntinus commissarius hîc similiter habet.

In sessionibus ordinum deputatorum nulla hîc inter ipsos præeminentia observatur, neque in dicendis sententiis atque authoritate suffragiorum cujusque ordinis, quod secus in ordinariis comitiis observatur. Nam primò quidem sex ab electoribus deputatorum sententiæ rogantur & audiuntur;

tur; reliquorum verò deputatorum ex duobus reliquis collegiis sunt octo, quorum sententiæ rogantur: nimirum ex principibus duo, unus ex ecclesiasticis, alter ex secularibus: ex prælatis duo: ex comitibus duo: ex civitatibus duo, nimirum ex singulis classibus earum electus unus. Unde fit, ut electorum deputati, sententiarum multitudine hîc ab aliis sæpè vincantur. Quam ob causam electores jus suffragii, quod in ordinariis comitiis habent, in hisce conventibus suis deputatis reservarunt, *in Recess. Wormat. de anno 64. Francof. de anno 69. & de anno 71.* vel hosce conventus in ordinariis comitiis, quantum possunt, fugerunt, vel in certos deputatos omnium & singulorum nomine electos consenserunt, qui non per jura suffragiorum suorum principalium, sed per se, causam sibi demandatam tractent & consultata ad ordines referant, qui illa pro arbitrio suo approbent, corrigant, vel mutent.

Ad supplicationes tempore comitiorum ordinariorũ exhibitas, si plures cumulantur, post instantiam Moguntini, qui de illis summariè refert in consessu omnium ordinum, deputantur ex collegio electorum 6, nimirum à singulis unus, ex collegio principum, ex numero ecclesiasticorum tres, & secularium totidem. Ex numero prælatorum unus, alternativè modò ex classe Rhenanorum, modò ex classe Sueviorum: ex Comitum similiter alternativè unus: ex collegio civitatum Imp. alternativè duo. His Moguntinus addit Secretarium, qui inventarium supplicationum, & ad eas deputatorum resolutiones ad referendum concluſas conscribit. 91

Ad comitia extraordinaria Cæsar commissarium unum, vel plures mittere potest, qui jus proponendi, rogandi, & referendi habet, quamvis recessus & relationes, sub nomine omnium deputatorum, per Moguntinum expediantur. Absente commissario Cæsareo, deputatus Moguntinus proponit, rogat, & ultimò sententiam dicit, communicat, in scripta redigit, placita refert. quamvis Saxonicus, post rogatum Moguntinum, in rogandis reliquis pergat. 92

Postò comitia extraordinaria non in loco & tempore ordinariorum indicta, sunt I. Comitia circuli unius, vel plurium. II. Comitia deputatorum. III. Comitia visitatorum. IIII. Comitia electorum Imperii. 93

Circulus politiæ Germanicę nobis hîc est magna regio, ex 94

provinciarum diversarum vicinarum conjunctione constituta, sub se plures status & ordines Imperii comprehendens.

In tales regiones, seu circulos decem, Germania est distributa. Primus circulus est Austriacus: secundus Burgundicus: tertius electorius Rhenanus: Quartus Saxonicus: Quintus Francicus: Sextus Bavaricus: Septimus Suevicus: Octavus Rhenanus superior: Nonus Westphalicus: decimus Saxonicus. Nomina statuum sub singulis circulis comprehensorum vide *in Recess. Imp. annorum 1521. & 1522. & 1512.*

95 Quando circulariter aliquid deliberandum concluditur, hi 10. in 6. circulos concluduntur. Matth. Steph. *part. 1. cap. 4. n. 48. lib. 2. de jurisd.* Rutg. Ruland. *part. 1. lib. 5. c. 4. n. 54. de commiss.*

Unicuique circulo demandata est in regione sua I. Cura & defensio pacis publicæ. II. Executio justitiæ. III. Cura monetæ publicæ. IIII. Contributionum moderatio. V. Inquisitio de vectigalibus. vide recessum annorum 1555. & 1566. Hæ quinque curæ, circulis singulis demandatæ sunt cum suis annexis. Quibus adduntur negotia publica regionis cujusque.

96 Defensio pacis & tranquillitatis publicæ consistit in comprimendis, sedandis, vel impediendis motibus, & armis, & vi publica, nec non in militum coitionibus profligandis conscriptione & delectu principum exterorum in regione impediendis. Vide *Recess. annorum 1555. & 1559. & 1564.* Ordin. *Camer. Imp. part. 2. tit. 15.*

97 Justitiæ exsecutio hîc illa intelligitur, quæ ob causam proscriptionis & banni, à Cæsare, vel Camera Imperiali, circulo viciniori uni, vel pluribus, contra proscriptum est demandata. *Recess. annorum 1555. & 1566.* Ord. Camer. *part. 3. tit. 48. 49.*

98 Ad utramque hanc curam quilibet circulus sibi ducem eligit, & alios ad muneris expeditionem necessarios officiarios. *Recess. annorum 1555. & 1566.* Si unus circulus viribus est impar, alius vicinus adjungitur. Inter plurium circulorum Duces, qui cæteros evocavit, præsidet; apud hunc legati ordinum nomina & mandata sua edunt: de rebus agendis refert, sententias rogat, & suam ultimus dicit: in bello, Imperatoris partes obit, & reliquorum consilio utitur. *Recess. anni 1555.*

Hic

Hic, quod majori parti ordinum placet, vigorem decreti circularis obtinet, cùm singuli ordines viritim, non curiatim vel collegiatim sententias dicant. *Recess. Imp. de anno 1555. §.* Und damit ꝛc.

Quicquid verò in Ductores, Duces, conventus, & alias circulorum necessitates erogatur, statuum contributionibus imputatur. *d. Recess. 55.* circuli unius expeditio privatis ordinum in illo circulo comprehensorum opibus: plurium verò Imperii collatione sustentatur. *d. Recess. 1555.*

Cura monetæ publicæ explorandæ cuiq; circulo in regione sua est demandata. Ab hoc domini monetarii constituuntur, & ejus rei causâ conventus quotannis semel vel bis habetur in loco, quem circuli præfectus designaverit. *Recess. ann. 1559.* 99

Quibus jus monetæ cudendæ est, illi hoc jure utuntur in locis à circulo designatis. *Recess. anni 1570.*

Monetarii & inspectores circulorum inquisitione approbantur, & toti circulo obstringuntur. *Recess. 1570.*

Conventus exploratorii per circulos duo quotannis habentur. *d. 1570.*

Magistratus parum acres ultores fraudum monetariarum circuli ad fiscalem Cameræ Imperalis deferunt. *Recess. annor. 1566. & 1555.* De edicto monetario *vide in Recessu anni 1559.*

Contributionum moderatio ad illum circulum pertinet, in quo gravatus ordo seu status domicilium habet. Hic igitur circulus per delegatos inquirit de causis gravaminum, iisq; auditis, per deputatos alios causam decidit. Dubia moderatores, post relationem Cæsari factam, decidunt. *Recess. annor. 1548. & 1555.* A sententia horum moderatorum ad comitia deputatorum est provocatio. *Recess. anni 1594.* 100

Inquisitio in nova vectigalia instituta, vel vetera aucta, circulo cuiq; in regione eadē incumbit, qui hac factâ ad deputatorum comitia sententiā suam referre tenetur. *Recess. an. 1576.* 101

De nominatione adsessoris cameralis circulis competente, vide *Rec. 66. Ord. Cam. part. 1. tit. 1. §.* Deßgleichen ꝛc. Porrò conventum circuli indicit ille, qui circuli istius præfectus & dux à cæteris statibus circuli est electus, qui sententias cæterorum rogat, & suam ultimus dicit. Major verò pars circuli concludit & decretum facit, quod præsentium quorundam ordinum sigillis confirmatur; postea absentibus denunciatur, 102

& singulos istius circuli status obligat. *Recess. anni 1564. & 1566.* In paritate suffragiorum, Cæsar suâ sententiâ interpositâ litem dirimit. *Recess. 1594.*

103 Comitia deputatorum constituunt legatus, sive commissarius Cæsaris, & ex ordinibus imperii sex electores, sex principes, unus ex prælatis, unus ex comitum ordine, & duæ ex civitatibus imperialibus. *Recess. ann. 1555.*

104 Horum deputatorum officium est, ut circulo laboranti auxilia subministrent, quando pacem publicam turbantes, præpotentes, vel ab imperio extranei sunt, aut quando plurium circulorum vires sunt necessariæ, vel periculum in mora. *Recess. anni 1555. & 1570. & 1564.* Tum enim res per actorem, vel cameram imperialem, ad electorem Moguntinum defertur, atque is deputatorum comitia Francofurti habet, Cæsarique pro mittendis commissariis denunciat, & ab illis de rei summa deliberatur. *Recess. de ann. 1555.*

105 Commissariis Cæsareis, si qui mittuntur, electores, deputatique sua referunt placita, deque his utrique, more majorum, inter sese conferunt & concludunt, & postea exsequuntur. Ord. Cam. *part. 2. tit. 17. Recess. anni 1555.*

105 Ob majores motus, & quando circuli se impares judicant, convocantur deputati ad petitionem circulorum à Moguntino electore, qui cæteros electores, cúmque his Archiducem Austriæ, episcopos Wirciburgensem & Monasterienſem, Duces Bavariæ & Juliacensem, Hassiæq; Landgravium, Abbatem Weingartensem, Comitem Fürstenbergensem, Colonam & Norib ergam civitates, convocat, in medium consulturos. *Recess. ann. 1559.* Hisce accessit episcopus Constantiensis, Burgundia provincia, Duces Brunsuicensis & Pomeranus. *Recess. ann. 1570. §.* Vnd damit.

106 In his comitiis, legati advenientes, nomen & mandata sua edunt apud Moguntinos. Commissarius Cæsaris, re cum electoralib. communicatâ, capita deliberationis scripto comprehensa, ordinibus omnibus ad curiam pleruaq; civitatis convocatis, proponit, & singulis describenda dat. In his, ordines in duo collegia, seu curias discedunt electorum scilicet & principum. In singulis viritim suffragia ferunt. In principum collegio hîc sunt principes ecclesiastici & seculares, prælati, comites & civitates.

Decretum horum comitiorum non potest fieri nisi ex mutuo

mutuo consensu Commissarii Cæsaris & duorum collegiorum. Vide *Recess. de anno 1555. §.* Vnd im fall ꝛc.

Comitia visitatorum sunt conventus delegatorum ab ordinibus, delegatorum nimirum Cæsaris & ordinum, qui Spiram mittuntur ad judices idoneos constituendos in causis revisionum petitarum, similiter ad cognoscendas, corrigendas, & tollendas corruptelas Cameræ, & ad statuum querelas de Camera Imperiali decidendas, & finiendas. Ord. Cam. *part. 1. tit. 50.* 107

Propriè revisores vocantur, qui de processu & sententiis latis cognoscunt. Visitatores, qui de Cameræ vitiis & defectib. emendandis judicant, ordines & totum Imperium repræsentantes. Matth. Stephani *de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 3. memb. 1. de visitat. & revis. jurisd.* Bender. *de revis. conclus. 4.* 108

Quæ emendanda in ordinatione Cameræ videbuntur, revisores, seu visitatores dispiciunt, & in comitiis universalibus Imperii proponenda ad Cæsarem deferunt. *Recess. anni 1576.* Ordinat. *part. 2. tit. 36.*

Moguntinus semper, reliqui electores per vices, suos visitatores mittunt. Principes bini, alter sacri, & alter secularis ordinis, eo ordine, quo in senatu imperii sedent: Prælatorum, Comitum, & Civitatum nomine singuli consiliari mittuntur. Vide Matth. Stephan. *lib. 2. part. 1. cap. 3. membr. 1. de jurisd.*

In visitatorum collegio in sessione primus sententias cæterorum rogat, & ipse ab uno ex collegis interrogatur.

Comitia electorum imperii à Moguntino electore indicuntur ex consensu eorundem, in quibus Imperator, vel rex Romani Imperii eligitur. Vide auream bullam. Alias etiam ob causas, iisdem licet suos conventus habere, ut habet aurea bulla. Vide Paurmeist. *lib. 2. c. 2. n. 40. & seqq. de jurisd.* 109

Quæ in hisce specialibus tribus comitiis decidi vel peragi nequeunt, illa referuntur ad solemnia ordinaria illa universalia comitia ab Imperatore indicta omnibus & singulis statibus imperii, in quibus deciduntur & finiuntur. 110

In Galliæ regno, quod post Imperium Germanicum in Europa nobilissimum putatur, sic ratio comitiorum habet. Rex electo statibus tribus regni, ecclesiastico scilicet, nobilitatis, & civitatum denunciat, quòd habiturus sit Comitia generalia, tempore & loco certis nominatis. Status autem & pri- 111

mates singuli rursum senarchis, seu baillivis suæ provinciæ id significant. Hi rursum singulis civitatibus & pagis provinciæ suæ. Posteà singuli pagi & civitates inter se conferunt, convocatis municipibus & personis ecclesiasticis, atq; hîc quilibet ex illis indicat gravamina loci, quæ articulatim omnia describuntur, & ad senarchi curiam mittuntur. In senarchia, collectis articulis pagorum, unum fit volumen ex plurib. pagorum articulis. Item inter nobiles unum, necnon inter ecclesiasticos unum. Hæc volumina trium illorum ordinum, plebeiorum, nobilium & ecclesiasticorũ, deferuntur ad provinciæ caput, ubi rutsum volumen omnium popularium fit unum volumen, omniumq; nobiliũ ejus provinciæ aliud, & ecclesiasticorũ apud ecclesiasticos aliud. Sic demum omnes syndici omnium provinciarum, nobilium, plebis & ecclesiasticorum, die à rege constituto, in loco stato comparent, ibiq; ex omnibus totius regni voluminib. trium statuum tria tantùm conficiuntur volumina generalia, quæ articulos repetitos in singulis semel notant; singulares cum nominib. provinciarum & locorum, si quid singulare pro illis statuendum sit, retinent, & describunt. Unum volumẽ dicitur ecclesiæ: Alterum nobilitatis: Tertium populi. Sicq; in compendium omnes articuli separatim proponuntur. Rex, vel ejus nomine cancellarius, die constituto incipit in auditorio exponere causas comitiorum indictorum, posteà die sequenti tres syndici tribus quos dixi, statuum, quilibet nomine sui status, exponunt suas legationes, articulósq; sibi præscriptos. Rex verò illis renuntiat, ut volumina & articulos producant, & opem atque remedium pollicetur. Ita Pet. Greg. *lib. 24. c. 4. n. 8. de Rep. & lib. 47. syntag. c. 27.* Paulò aliter Hotom. *c. 12. & seqq. de antiquo jure regni Gallici.* Renat. Choppin. *de domanio regni lib. 2. tit. 15.* & latè Budæus *ad l. ult. de senator.* De ordine sessionum inter proceres Gallicos Choppin. *tit. 7. num. 12. 13. lib. 3.* refert. Ante Philippi Pulchri tempora ad duodecim viros Galliæ Reip. negotia deferebantur. Budæ. *d. loc.* Honorius *part. 2. apotel. 54. thes. pol.* Hodie in senatum Parisiensem, seu parlamentũm Lutetianum publici concilii potestas & autoritas ferè est rejecta, in quo, quicquid ad regni constitutionem pertinet & regum pactiones, in eo senatu peraguntur, & scriptis publicis inseruntur. Sed quandoq; solus rex sibi hęc usurpavit, quamvis id non jure, sed de facto, aut ordinum permissione

sione & patientiâ. Vide sup. *c. 18. n. 110.* Causæ comitiorum Gallicorum potissimùm sunt constitutio gubernatoris & rectoris rege minorenne, furioso, aut aliis modis ad regni administrationem inepto existente, vel capto; refotmatio Reip. corruptæ, correctio abutentium potestate regiâ nobilium, contributio, collectæ, bellum, pax & similes. Vocant hæc comitia aliâs Parlamentum, cutiam, conventum, placitum.

In Anglicano regno (in quo permagna regis potestas fuit à temporib. Guilhelmi primi è gente Normannicâ, qui vi & armis regnum sibi subjecit, & victis parendi leges, quales voluit, dedit) comitia, quę Parlamẽta vocant, indicuntur à rege, qui per literas, certo die, ad locum certũ, evocat Duces, Marchiones, Barones, episcopos, nec non provincias & civitates regni, ad consultandum in commune de causis, & salute regni. 112

Jus præsidendi in comitiis hisce habet rex, ejúsve Commissarius. Hic etiam jus proponendi, confirmandi & promulgandi ea, quæ ab ordinibus regni constituta sunt, habet. 113

Propositio eorum, quæ sunt deliberanda, fit ab oratore regio, qui à rege constitutus, & à primo buleuterio approbatus in schedula deliberationis & consultationis futuræ capita scripta in consessu omnium ordinum legit & proponit.

Jus suffragii ferendi in hoc regno habent duces, principes, Marchiones, Comites, Barones, Episcopi, Abbates privilegiati, provinciæ regni, & civitates ejusdem privilegiatæ, quibus inserviunt scribæ & arbitri cujusque.

Omnes hi in senatum duplicem distinguuntur, seu in duo buleuteria & majora collegia. Primum buleuterium, seu domus ac senaculum est secularium & ecclesiasticorum. 114

Secularium scilicet nobilium, in quo sunt duces, principes, Marchiones, Comites, Barones.

Ecclesiastici sunt Episcopi & Abbates privilegiati.

In hoc buleuterio singuli sua suffragia per se habent, & absentes jus suffragii sui uni ex præsentibus demandare & conferre possunt.

Inferius buleuterium seu senatus, constat ex procuratoribus parlamentariis duorum generum, nimirum duobus procuratoribus cujusq; provinciæ regni, & procuratoribus singularum civitatum privilegiatarum, qui municipes parlamentarii vocantur. 115

Procuratores parlamentarii cujusq; provinciæ ex ordine equestri,à nobilib.& à plebe per majora suffragia eorundem eliguntur & constituuntur, ut provinciarum nomine causas earundem in comitiis agant.

Municipes parlamentarii à civitatibus singulis privilegiatis per majora suffragia ex ordine plebeio eliguntur, qui causam eatundem in comitiis sine ulteriori commissione tractent & agant.

In buleuterio,seu senatu inferiori,nulli equiti,sive municipali electo suffragium suum alteri conferendi jus est,atque eorum, qui præsentes adfuerunt,solùm ratio habetur,apud quos major pars in calculis & suffragiis iisdem semper obtinet,quibus numero minores cedunt.

Sessio regis & statuũ in supremo buleuterio talis est: Rex in solio regio,loco editiore in medio buleuterii considet. A rege,in loco demissiore, proximus sedet regis Cancellarius, ejusdem orator & interpres. Dextrum latus regis occupant archiepiscopi,episcopi: sinistrum duces, principes, Comites & Barones tenent. Inter utrumq; ordinem medii sunt consessus judicum,quique regi sunt ab epistolis,& Cancellario ab archivis,suis dominis ad imperata inservientes.

116 Ratio & forma consultandi & decernendi in Parlamentis talis observatur. Schedula,in qua propositionis & rerum deliberandarum capita cum rationibus appositis continentur, ab utraq; curia exhibetur. Cujusq; curiæ schedula publicè per triduum, & singulis diebus ter,in utroq; buleuterio,seu senatu prælegitur. Post prælectionem cuivis volenti de rebus propositis dicendi,orandi,suadendi vel dissuadendi potestas datur.Inter disserendum ratio hæc observatur,ut surgens aperto capite intelligatur aliquid dicturus. Inter plures surgentes & statim ille, qui primus surrexit,priùs auditur,qui ad oratorem sermonẽ dirigit.Qui semel orationẽ habuit eodem die,ampliùs non auditur. Ideoq; bis in die sententiam dicere nemini permissũ est. A meridie consultationes nõ habentur.

Finitâ hac triduanâ prælectione, & dicendi potestate, in utroq; buleuterio consultationes instituuntur. In supremo senatu,vel buleuterio,rogante Cancellario,priùs suam quilibet status, postea absentium, quorum vices gerunt,dicunt sententiam verbis pauciſſimis,placet,vel non placet. In buleuterio inferiore eligitur unus,qui rogator comitiorum dicitur,

citur,cui in scriptis traduntur,de quibus est consultandum; qui electus regi sistitur,& ab eodẽ confirmatur.Rogator hic, postquam jurejurando præstito,regem superiorem agnovit, primò supplicat pro inferioris senatus privilegiis confirmandis,deinde,ne rex libertatem suffragiorum molestè ferat,& deniq; , ut communicatio sententiarum in deliberationibus cum buleuterio superiori concedatur,rogat & obtinet. Hic consultationis in hoc senatu est director in proponendo,rogando & referendo.

Itaq; re cõsultatâ,rogat senatores sui collegii,an in suffragia ire cupiant;ubi annuerint, ait ille : quotquot petitioni & propositioni adquiescitis,abnuitisve,clarè id affirmatote.Tũ quib.placet illud quod est propositum,etiã,quib.verò displiceat,non,vociferantib. è majori numero idẽ sentientium,res approbata,vel improbata cognoscitur.Quod si adhuc nõ satis liquet,orator interloquitur, qui legem scisscendã censetis, desenditote,& qui nõ ferendam,accumbitote.Unde certiùs de numero suffragiorum constat.Tum deputatos ad consultationem controversorum capitum senatus inferior quandoque constituit,ut illi rem exactè examinent,omnibusque difficultatibus remotis,ad principales referant,qui id ratum, vel minus habeant.

Si inferius collegiũ,seu senatus ratũ id habet,cujꝰ autores 117
fuerunt nobiles,tũ parlamentarius illius schedulę subscribit. Si senatꝰ superior ratũ habet id,cujus populus auctor fuit,id cõmuni calculo testatur.Quòd si non idẽ inter utrumq; senatũ conveniat,ex utroq; eliguntur deputati,qui de causâ controversâ tamdiu conferunt & disceptant,donec inter se conveniant. Postquã in unam eandemq; sententiã convenerunt, eandẽ ad regem referunt.Rex approbat & confirmat,vel improbat & rejicit sententiã buleuteriorũ,seu utriusq; senatus. Approbatio & cõfirmatio regis,vim legis & decreti generalis habet.Improbatio infundit sententiæ,& placitis buleuteriorum. Improbatio regis illa invalida & infirma reddit. Rex ipse per se,absque horum buleuteriorum consensu non potest constitutionem,vel decretum generale promulgare.

Tandem ab oratore utriusq; senatus, regi pro cura Reip. 118
gratiis actis,& vicissim à rege populo ob fidem & obsequia gratiis actis,prælegitur constitutio & decretũ comitiorum à rege confirmatum,quod postea typis excuditur. Autoritas &

poteſtas horũm Parlamentorum & comitiorum Britannicorum maxima eſt,ut dicit Thomas Smithus *in lib.de Republ. Anglor.lib.2.c.2.& 3.* & Meteran.*lib.13.hiſtor.* Nam decreta promulgata omnes obligant,& his veteres leges irritæ fiunt, novæ ſanciuntur,& præſentibus ac futuris modus conſtituitur,jura & poſſeſſiones hominum commutantur,pondera & menſuræ variantur,jus in regno ſuccedendi præſcribitur,incerti juris controverſię dirimuntur,cenſus agitur,& vectigalia indicuntur,delictorum gratia fit,afflictę & majorum ſceleribus perditæ familiæ eriguntur, vitæ his necisq; poteſtas, belli indicendi,pacis ineundæ datur.

Princeps ſeu gubernator Belgii in arduis negotiis concernentibus omnes provincias,vel ipſum principem,convocat omnes Belgii ordines, epiſcopos, prelatos, duces, principes,Comites,Barones,& civitates majores,& tempore periculoſo etiam principes aurei velleris, cum quibus deliberat de pace,bello,contributionibus & aliis graviſſimis negotiis, quæ à provinciis ſingulis ad hæc comitia deferuntur. Vide Ludovicum Guicciardin. *in generali deſcriptione Belgii.*

Comitia hæc princeps, ſeu rex Belgii indicit, locum & tempus comparendi preſcribit ordinibus, qui ſunt, ut dixi, eccleſiaſtici vel ſeculares,& hi ſunt è nobilitate,& civitates majores.

Propoſitio nomine regis fit ab ejusdem commiſſario. Ordines, deliberandi ſpatio ſumpto,in ſcriptis ſinguli ſuam ſententiam declarant.

Invitis ordinibus,rex nihil poteſt in comitiis hisce decernere,ſed omnibus unanimiter conſentientibus ſolum fit decretum id,quod omnib.placuit. Vide Ludovicum Guicciardinum *d.loc.* De comitiis confederatarum provinciarum,infrà *num.130. & ſeqq.* Latiùs & Meteran. *in hiſt. lib.14.& lib.20.*

119 Præclara quoq; ſunt regni Poloniæ comitia: ubi rex ex conſilio ſenatus regni per nuntios & literas ſuas in omnes regni partes, aut ſatrapias emiſſas,comitia indicit, locum tempusque conſtituit,quo nobilitas in ſuis quæque ſatrapiis unà cum regni ſenatorib. magiſtratibusque,qui ad ſatrapias iſtas pertinent, conveniat, legationemq; regiam expoſituram, ubi, quando,quibus de cauſis comitia habenda ſint, audiat.

audiat. Eo facto, legati regii in ſingulis ſatrapiarum conventibus particularibus loco publico,poſt ſacra peracta,exponunt,quæ in mandatis habent. Quib. intellectis,frequens nobilitas preſens, ex ſuo ordine certum numerum pro ſatrapiarũ amplitudine & dignitate deligit,qui ad comitia eant, & hos mandatis aut arctioribus,aut ampliorib. prout expedire,aut res poſcere videtur,inſtruit. Delectos,terrarum nuntios, i. e. ſatrapiarũ deputatos,ut nos loquimur,nuncupant, in quib. ex lege nemini eſſe licet,qui privatum negotium in comitiis agendum, litémve diſceptandam habet: eorumque poteſtas cum comitiis exſpirat. Tum ab his,& procerib. cæteris ad alios cõventus majores duos in toto regno, alterum in majore,alterum in minore Polonia,quorũ loca & tempus ſimiliter rex denuntiat,itur,eodemq; ſe conferunt è tota nobilitate,quicunq; volunt,ſed ſine mãdatis publicis. Atq; illic denuò mandatis regiis in conventu publico auditis,mandata nobilitatis etiam audiuntur,& preconſultationes de negotiis Reip. quæ aut à rege propoſita ſunt,aut ab aliis in medium adducuntur,inſtituuntur. Inde ad ipſa comitia omnes tendunt,quæ hodie Warcislavię ferè celebrãtur in regni medio. Poloniæ verò inſtitutum ſic habet,ut comitiorũ jus habeant regni conſiliarii, terrarum nuntii, & una civitas Cracovia. Conſiliarii regni ſunt archiepiſcopi, epiſcopi, Palatini,quos Waivodas dicunt, Caſtellani majores & minores,capitaneus Samogitiæ, deniq; officiales quidam regni:ut Mareſchalli, Cancellarii, vicecancellarii, theſaurarii, quondam omnes numero XCVI. ut verò hodie res habent,& proximo hoc ſeculo habuerunt,accenſis quoq; Lithuanis, CXXXIX. è quib. archiepiſcopi,epiſcopi,Palatini, & pauci Caſtellani majores vocentur, cæteri omnes minores, qui & poſteriùs conciliis publicis regni adhiberi cœpêre, & nonnunquam etiam hoc tempore à ſecretioribus excluduntur. Hoc totum collegium ſenatũ regni,& conſiliarii,ſenatores nuncupantur ab eruditis. Archiepiſcopi,qui duo ſunt,& epiſcopi,qui XIII,à rege edũcantur,& à pontifice Romano confirmantur. Palatini, qui ſunt ſatrapiarum præfecti ſupremi numero XXXI, & Caſtellani, qui ſunt ſatrapiarum præfecti inferiores, Palatinis proximi, plures in ſatrapiis ſingulis cum capitaneo Samogitiæ, à rege quoq; ſecundùm jura ac morem regni eliguntur,habentque omnes munus perpetuum: Officiales autem non creantur,

nisi in regni comitiis. Quotquot verò hujus senatus participes fiunt, coguntur regno & regi jusjurandū dare: omninoq; est hic senatus universus, qui & jus eligendi regis habet, rege major: nec quicquam sine hoc in rebus majoris momenti rex potest. Terrarum nuntii, altera pars comitiorum, sunt, ut diximus suprà, nobilitatis delecti aut deputati, à reliquis ejusdem ordinis in singulis satrapiis designati, & potestate instructi in comitiorum usum.

Igitur cùm ad locum comitiorū ventum, sacris peractis, itur ad aulam regis: atq; ibi sedente rege cum toto senatu, adstantib. terrarum nuntiis, & regni secretariis, qui seminarium senatus sunt, Cancellarius, aut procancellarius regis nomine deliberanda proponit. Deinde senatores ordine, initio ab archiepiscopis & episcopis facto, sententias dicunt. Dehinc terrarum nuntii, petitâ à rege copiâ, secedunt in conclave aliud, iisdem de rebus inter se consultaturi: reversiq; vel eâdem, vel aliâ die exponunt de omnib. sententiā suam, & simul, si ipsis sic videatur, de aliis etiā, quę in propositione regia non fuere, pro jure suo monita, aut postulata sua in medium adferunt, de quibus mox, si operæ pretium sit, interdum ipsis digressis, interdū manentibus & præsentib. senatores deliberant, mentemq; suam exponunt. Postremus omnium rex, quid sibi videatur, pronuntiat. Quod si legibus priorib. & privilegiis ordinum regni congruum sit, pro decreto comitiali promulgatur: si secus, consensus plurium vim decreti tenet. Vide de his Martinum Cromerum Polonum *lib. 2. de Rep. Polon.*

120 Et habent hujusmodi comitiorum morem ac jus, etiā alia regna per Europam, Hungaricū in Pannonia, Castilianum, Aragonense, Valentinum, Granatense, Portugalense, Navarrenum in Hispania, Danicum, Norvvegicum, Suedicum in Scandia, Scoticum in Britannia majore; quod jam cum Anglicano in unum regnum coaluit, Hibernicum in insula cognomine, quæ Ptolomæo minor Britannia est dicta. De quibus singulorum illorum populorum, aut regnorum scripto-res consulantur.

121 Comitiorum in libera civitate hoc nostro seculo ratio ac forma ante omnes insignis est apud Venetos. In ea omne genere nobiles, quib. justa ætas est, hoc est, annorum 25. (nam plebeii illic ex sortes gerendæ Reip. sunt) magno numero, interdum 300. interdum 500. interdū 600. 800. interdum quoq; multò

multò plures conveniunt certis temporibus. Locus conventus est peramplum ædificium, in quo atrium spaciosum, & magnæ multitudinis capax, distinctum x. longis sedilium ordinib. & in latere atrii intimo suggestus sublimior, in cujus medio sede illustri considet Dux, si adest, & à dextra lævaque ejus consiliarii Reipub. qui sunt numero sex, octimestre munus habentes, & XL. virorum præsides tres, quorū permagna potestas est: & in duob. lateribus aliis longiorib. (atrium enim longius, quàm latius) ad parietes sedilia etiam reliquis atrium percurrentibus paulò editiora, in quibus fere mediis utrimq; sessiones habent ex Advocatoribus trib. duo, & totidem ex trib. x. virûm præsidib. qui magistratus sunt in Rep. primarii; & in iisdem remotissimo à sede Ducis loco, sedent auditores veteres, & recentes; & in quarto latere, in quo fores sunt atrii, quodq; ex adverso respōdet lateri, in quo suggestus Ducis est, tertius x. virûm præses & item tertius ex Advocatorib. considet. Reliqua sedilia per atrium totum portecta nobilitas promiscuè, ut quisq; prior, aut posterior in atrium venit, & quem quisque ordinem sedilium eligit, occupat. In consultatione causarum gravium, quæ non nisi consentientib. omnib. ordinibus definiri possunt, eliguntur duo, qui in utramq; partem agitant & disputant causam propositam audientib. omnibus, post quam disputationem utræq; suffragiorum circumferuntur.

In his comitiis magistratus omnes, qui plurimi sunt in rep. Veneta, non solū urbani, sed etiam provinciales, ii qui in collegiis sedent, eliguntur quotannis, & leges maximi momenti ad statum Reip. pertinentes feruntur, aut in senatu, collegióve x virûm latæ confirmantur. Jus referendi hîc habent ipse Dux, consiliarii & tres x. virûm præsides. Cuncta in his ita comparata sunt, ut ambitus omnis, & fraus excludātur, nec gratiæ locus esse possit. In quem finem magistratus, quos diximus, in laterib. sublimiores cathedras tenentes ita sedent, ut totum comitium, & quicquid in eo agitur sub conspectum suū habeant; iidemq; in actionis initio ad sedē ducis & consiliariorū accedentes, solemni juramento se reip. obligant, promittuntq; in avertendis fraudib. cum fide officium se facturos. In eundemq; finem in eligendis magistratibus multiplici sortitione res agitur, & tum in his eligendis tum & in ferendis legibus occultissimorum suffragiorum

usus est, in quo ne proximus quidem quisque animadvertere potest, cujusmodi suffragium alter tulerit. Suffragia verò coram duce aut consiliariis numerantur, & id, quod suffragiorum numerus major probat, ratum habetur. Nec dissimilis suffragiorum ratio est in Senatu ejusdem Reip. penes quem potissima Reip. universæ administratio est. Hic enim leges quoque fert, de bello & pace decernit, legatos ad civitatem missos audit, & expedit, & civitatis nomine legatos ad exteros mittit, federa & amicitiam sancit. Sunt in eo senatores ordinarii CXX. sed præter eos ingens numerus est aliorum, qui jus & morem ingrediundi senatum, & cum cæteris de Rep. deliberandi & statuendi habent. Ita amplissimus existit consessus, in quo præsidet dux cum VI. viris consiliariis, & XL. virûm præfectis tribus, & XVI. Sapientibus, & in horum collegio præconsultata proponit. Quo facto, sententiæ dicuntur, varieque in omnem partem de propositis disseritur: demum occulta suffragia feruntur, vincitque suffragiorum numerus, qui dimidio omnium totius major est. Senatui succedit potestate proximum X. virûm collegium, cui se ex more alii plures adjungunt, atque ita vitæ necisque civium, & scribendarum legum jus tenet. Eadem & hîc dicendæ sententiæ, & ferendorum suffragiorum consuetudo. De quibus omnibus latè scribit Caspar Contarenus, & item Donatus Giannottus in libris suis, quos de Republica Venetorum ediderunt, & ante hos M. Antonius Sabellicus.

Apud Helvetios cujusmodi comitiorum sit ratio in singulis pagis, quàm optimè exponit Josias Simlerus, *in libro de Rep. Helvet.*

122 Superest, ut nunc etiam quædam dicamus de conventibus, conciliis & comitiis confederatorum sociorum, qui singuli separata majestatis jura habent & usurpant, atque ita diversas Respublicas & politias constituunt.

Jus igitur convocandi confederatos socios, & conventus publici indicendi ex communi sociorum consensu constituitur, & plerumque est ambulatorium, à principe, vel primo socio confederato

rato hebdomadatim progrediens usque ad ultimũ, ut à confederatis sociis Belgicis fieri solet: vel uni ex sociis communi consensu conceditur.

Ut Tigurini inter socios confederatos Helvetiorum, jus 123
hoc convocandi, rogandi, proponendi, legatis exteris respondendi, & conventum dimittendi in Helvetiorum conventum habent. Quando tamen Badæ conventus habetur, Badensis præfectus id jus habet.

Atque convocatio illa fieri solet certis & statis temporibus, ordinariè, vel incidente necessitate extraordinariè. Ad diem condictum quilibet socius confederatus suos legatos cum mandatis probè instructos, ad conventum mittit.

In conventibus hisce quod communi sociorum 124
consensu & approbatione est decretum, vel quod major pars, de rebus ad universitatem & communes socios vi federis ex æquo pertinentibus statuit, hoc singulos & universos tenet & obligat. Bodin. *lib. 1. c. 7.* exemplis illustrat.

Quilibet socius confederatus in hisce conven- 125
tibus jus suffragii habet. Itaque suffragia, non capitatim, sed provincialiter, rogantur & concludũt, ea ut quælibet provincia, vel Ducatus, aut Baronatus, vel Comitatus & regio, quæ jura majestatis habet, & αὐτόνομον, αὐτοτελὴς & αὐτόδικον est, inter suos confederatos, unum habeat suffragium. Quandoque etiam uni sociorum confederatorum ob potentiam, vel excellentiam, duo, tria, vel plura suffragia conceduntur; & quandoque uni suffragium minimum. Bod. *lib. 1. cap. 7.* Meteran. *lib. 20. hist.*

Ordo sessionis & rogationis in comitiis confederatarum Rerump. pendet ex earumdem arbitrio.

Apud Helvetios Tigurini primum locum, proximum Bernenses, post hunc Lucernenses, & deinceps reliqui habent: Simlerus *d. loc. lib. 2. tit. publici conventus.* Apud Belgas primum locum obtinet Ducatus Geldriæ cum annexo comitatu Zutphaniæ, proximum Hollandia, & deinde Selandia, Ultrajectum, Frisia, Transisulana ditio, Groningæ cum Omlandis. Meteran. *lib. 20. hist.*

126 Causæ & negotia, de quibus in his comitiis agitur, sunt, quæ ad omnes socios confederatos principaliter, vel per consequentiam, ex natura federis pertinent.

127 Quoties verò confedetati tales inter se dissidentes controversia ad communium & omnium sociorum judicium & arbitrium dirimenda defertur, etiamsi hoc fedære comprehensum non sit. Arbitrio horum non acquiescens, eorundem judicio constringitur.

128 In hisce comitiis ad bellum communi decreto à sociis inferendum, vel suscipiendum, dux vel imperator temporalis, vel perpetuus eligitur, qui nomine federatorum bellum contra communem hostem gerat.

Exempla præbent Belgici confederati & Helvetii, de quibus vide Emanuel. Meteran. *in hist. lib. 20. rerum Belgic.* & Josiam Simler. *in lib. de Helvet. Rep. lib. 2.* Lud. Guicciard. *in descript. Belg.*

129 Quando unius socii confederati opibus & armis fines agrorum propagati sunt, id proprium est ejus socii, cujus auspiciis parta est victoria. Quod si communibus omnium auspiciis & auxiliis provinciam, civitatem, pagos, agrósve in deditionem acceperunt socii confederati, tum singuli socii prætorem ad jus dicendum in communi provincia agróve mittere possunt, ut sua cuique socio jura & obsequia tribuantur.

Exemplis

Exemplis Helvetiorum illustrat Bodin. *lib. 1. cap. 7. de Repub.* & Belgii, Meteranus *lib. 20.* Vide quæ diximus *suprà cap. 17. num. 25. 26. & seqq.* ubi hæc latiùs & distinctiùs continentur.

Belgicarum confederatarum provinciarum munera & collegia clarissimus vir Ubbo Emmius, amicus meus, in libro de agro Frisiæ inter Amasum ac Lavicam, & civitate Groningana, describit hoc modo. Collegia & munera, inquit, sunt duplicia: quorum alia foris, alia domi geruntur & habentur. Quæ foris, sessiones sunt in collegiis amplissimis, quæ communia sunt omnibus in federe comprehensis: eaque sunt tria. Primum est id, quod generalium ordinum nomen habet, honore & potestate summum, totius federis & Reipub. communis caput; à quo cætera pendent, & leges accipiunt, longè lateque inclytum, haud dissimile concilio Achaico veteri, aut Ætolico in Græcia, aut Panionio in Asia, sed perpetuum. Sedes ei Hagæ in Hollandia, in quod mittuntur ex omnib. provinciis sociis, viri summi, qui habent supremam potestatem in omnes confederatas provincias & cætera collegia. Alterum dignitate & potestate proximum huic, bellica potissimùm & ærarii negotia curans; senatus ordinum nuncupatur: quòd quoties res ardua & magna incidit, quæ consilio decretóque habet opus, in partem curæ & consilii vocatur, & nunc seorsim deliberat de ea, sententiamq; suam ad collegium superius refert, nunc cum eodem in deliberando conjungitur. Eodem quippe loco, eadem in arce sedem habet, quò expeditior sit conjunctio. Tertium & ipsum illustre, & magnatum virium est, maritimis rebus quæ maximæ in Belgio sunt, præfectum, distinctum in collegia minora, velut membra totius, quorum unum in Selandia Middelburgi: alterum Rotetodami: tertium Amstelrodami: quartum Hornæ, vel Enchusæ in Hollandia: quintum in Frisia Doccumi sedem nunc tenet. In collegium ordinum generalium civitas Groninga è suis, atque item è suis, mittunt assessorem spectatissimum ac prudentissimum, quemq; in toto utroque corpore; eisque vel prorogant honorē, quoties & quandiu volunt, vel successores dant. Plerumque verò in complures annos in munere relinquunt. Et sunt hi duo munere & honore pares, nec alter

130

altero plus potest. Sic tamen observatur, cùm præsentes pariter sunt in collegio, ubi præsidendi vices ad hanc provinciam venêre (per hebdomades enim vicissim provinciæ id jus habent:) ut urbanus eum locum teneat, verbaque faciat, agrarius nunquam, nisi urbano absente. uterque non solùm deliberat cum cæteris de tota Repub. sociorum, & decernit sed à suis accipit, quæ res poscit, eaque ad collegium refert. Quæ si ad totam provinciam pertinent, conjunctim hoc faciunt, eaque à collegio accipiunt provinciali: sin solius civitatis sunt, à senatu certior fit urbanus, & solus collegio generali exponit. Idemq; sæpè, aut solus, aut cum collega, vel præsens, vel per literas ex ordinũ generalium voluntate, ad suos, quæ sunt opus, refert: uterque à collegio provinciali per literas publicas in possessionem muneris mittitur. De eo, qui in senatu ordinum sessurus est, (uni quippe hic tantummodò è provinciâ nostrâ locus) sic nunc inter oppidanos & agrarios est comparatum, ut illi in biennium, quem velint, suorum designent, idemque in alterum biennium faciant agrarii. Sed in collegium rerum maritimarum, quod Doccumi nunc est, utraque pars è suis unum legat. Et tres hi, nimirum, qui in senatu ordinum futurus est, & qui in collegio Doccumano, literis collegii provinciæ hujus instruuntur, adsedendi remque publicam gerendi potestatem à summo generalium ordinum collegio accipiunt, ac in munus suum immittuntur; eique jurejurando se obstringunt omnes spectatæ dignitatis virtutisque inter suos, & è civitate non nisi consulares, aut senatorii. Atque omnia hæc non honorata solùm, sed lauta quoque munera sunt & opima. De cæteris, quæ collegio Doccumano cohærent, ut scribæ & fisci præfecti, quæ provinciæ huic cum Translavicanis sunt communia, & quæ his similia alia, dicere non licet, ne prolixior fiam. Et hæc quidem foris: reliqua domi.

131 Horum primum & præcipuum provinciale collegium ut initiò institutum fuit, collegas octo habet, pari numero hinc inde lectos: de quorum munere amplissimo antè à nobis dictum; oppidanos senatus edit, & ferè ex his, qui in consulatu aut senatu fuêre, eosque pro arbitrio aut mutat anno exacto, aut in munere manere patitur. Nec alius agrariorum mos, qui reliquos designant. Collegæ, ut ante ostendi, per vices, atque in orbem præsident, alternatimque oppida-

nus & agrarius: vices septimanâ finiuntur. Quæstor aũt collegii, cui amplissima pecunia tractanda committitur, item scriba à secretis, conjunctim ab oppidanis & agrariis eliguntur in conventu communi, ab iisdemq; pendẽt, munusq; habent perpetuum, si cum fide in eo versantur. Reliqua inferioris notæ ministeria, ostiariorum, scribarum, amanuensiũ, tabellariorũ in potestate collegii sunt; Deinde Quatuorviri sunt, ab iisdẽ utrisq; pari numero electi, quos rationum magistros appellant, & his scriba adjunctus chartarum custos. Horum officium est, indices censuum ac redituum omnium provinciæ in promptu habere, & hos nervos Reipub. ad unguem nosse: largitiones, quæ ex publico fiunt ab Octoviris, aliasque item pecuniæ assignationes, censuræ subjicere suæ easque vel calculo suo facere ratas, vel si iniquas, aut decretis ordinum non congruas putent, suspendere, ac de suspensis Octoviros monere, &, si sit opus, ad conventum ordinum referre: rationes quoque, quoties libet, quæstores poscere, denique curare, ne tardatis solutionibus fraus ærario fiat, néve pecuniaria res provinciæ quoquo modo detrimentum patiatur. Utilissimum institutum, si acribus hominibus atque integris, & boni publici studiosis, contraque gratiam & offensam infractis, fuerit commissum, Utrumq; hoc collegium in urbe sedem tenet, urbemque frequentiâ auget. Demum præter eum, quem jam dixi, quæstores duos habet provincia, rebus monasticis præfectos: quorum alterum civitas, alterum agrarii ordines designant. Hi monasticas res universas, quas amplissimas quondam fuisse in hac regione Groningensi, ostendi, arbitrio ordinum partiti inter sese, seorsimque curantes partem suam à conductoribus locaria annua, census, canones & quicquid hujus generis exigunt, capiuntq; ex his onera primùm, quæ rebus incumbũt, expediunt, quæ cui in alimenta, aut aliam ob rem à collegio ordinibusve assignata pecunia est, numerant, omniumque horum rationes apud rationum magistros, & quos ordines provinciæ his solent adjungere, reddunt munus minimè damnosum. Postremò publicanorum ordo in Repub. provinciali est, in urbe & agro degens, invisus hominum vulgo, sed in hoc statu & fortuna Reip. planè necessarius. Hi vectigalia, portoria, tributa, & siquid aliud census hujusmodi est, conducunt in semestre, locante collegio provinciali, certam-

Universidad de Deusto Biblioteca

que Reip. summam promittunt, prædesq; dant: ipsi suo periculo colligunt, atq; interdum acerbius, quàm gratum provincialibus, exigunt, ut indemnes se pstent: quos fraudis compertos habent, ex legibus gravissimè mulctant; interdumq; fit, ut si nimis magno conduxerint, cedere foro & facultatibus, aut cum Repub. transigere cogantur. Ministris utuntur compluribus, & in omnes res omniaq; loca intentos oculos habent, ne quid per fraudē sibi decedat. Deniq; totū hoc genus à Romano more illo vetere nō multū discedere videtur.

132 In omnia autem hæc, quæ provinciæ totius sunt, conventus provincialis potestatem possidet, omnibusq; leges dat, mutat in iis, & statuit pro arbitrio, si consentiat, modò ne quid contra leges federis communis, & conditiones, quæ in deditione urbis, & conjunctione cum reliquis federatis præscriptæ sunt. Conventus hujus sedes antiquissimo more Groningæ est, convocaturque quoties res postulat. Constat duobus membris, uti tota provincia, quam civitas agrique ordines constituunt. Civitatis locum in conventu senatus tenet. Agri ordines quondam antistitibus cœnobiorū, nobilitate agraria, & plebe rusticâ censebantur, antistitesq; & præcipua nobilitas nominatim vocabantur: plebs reliqua vicatim plerunque suos cum potestate & mandatis ad conventus mittebat. Nunc antistites dispuncti sunt, tesque ad solam nobilitatem, & delectos plebis, cum mandatis suorum instructos, redidit. Conventui ædificium in urbe peramplum & spaciosum destinatum est, in usum scholæ quondam exstructū, distinctum conclavibus diversis. In eorum maximo conveniunt omnes. Et si præsens gubernator est, in capite conclavis loco summo considet ad mensam, juxtaque eum qui in collegio sunt provinciali. Deinde ad dextram gubernatoris, atque in latere conclavis dextro consules & reliquus senatus sedem tenent, alterum latus ordines agri occupant. Proponit in consessu gubernator, quæ agenda, aut collegii præses. Eo facto interdum manet collegium loco suo, interdum si causa requirit, discedit: Re deliberatâ senatus priore loco sententiam dicit per Syndicum suum, si adest, aut per consulem. Sequuntur agrarii, quibus si inter se convenire nequit, secedentes deliberant, & suffragiis inter se certant; nonnunquam etiā tripartitò dividunt se, ut suprà ostendi, cùm de agro agerem

rem seorsim. Atque ita, si duæ partes in unam sententiam eunt, tertiam quoque trahunt. Tum, quod sentiunt, per syndicum quoque suum quem habent, senatui exponunt. Post disputationes ubi consensēre, senatus agrariorumque decretum conficitur, atque in publicum librum refertur. Decretum totam obligat provinciam Groningensem. Hæc ex Ubbone Emmio. Similiter ferè res se habent in cæteris provin- 133
ciis confederatis in Belgio. In Frisia vicina inter Lavicam & Flevum, quatuor sunt provinciæ membra, quæ ad comitia ordinaria & extraordinaria delectos suos mittunt potestate instructos in urbem primariam Leovverdiam, propemodum in regionis medio; nimirum ager Ostergous, ager Westergous, ager qui septem sylvarum dicitur, & oppida numero IX. Hi delecti secundùm membra provinciæ, velut in classes quatuor distincti, de rebus omnibus quæ quæstionē habēt, proponente collegio IX virorum annuorum, deliberant, & conjunctim & separatim concludendi ac decernendi potestatem plenam habent. Sed potestas cum comitiis finitur. Penes hæc comitia rerum summa est in legibus ferendis & abrogandis, magistratibus provincialibus creandis, tributis decernendis, ac similibus rebus: verùm jurisdictionem non attingunt.

In Hollandia, quæ provinciarum sociarum potentissima 134
est, duo sunt ordines, penes quos est omnis Reip. potestas, nobilitas, & civitates, seu ordo equestris & civitatum, ut *sup. cap. 8. num. 40.* dixi; qui ordines duo totam provinciam repræsentant. Meteran. *lib. 20. hist.*

Ipsa propter amplitudinem suam, & jura institutaque diversa ab aliquot jam seculis in regiones divisa duas, Hollandiam, proprio vocabulo sic dictam, & Westfrisiam, quæ Frisiæ quondam pars fuit. Duo quoque collegia provincialia, quæ deputatorum nominantur, habet: in quorum altero Hollandico XI. collegę sunt, VIII. ex totidem primariis civitatibus, unus ex nobilitate: in altero Westfrisico, VII. ex solis civitatibus ejus regionis, quæ totidē quoq; numero sunt delecti. Nobilium ordinem referunt generis splendore vicoque; ditione præcipui, numero duodecim. Civitatū in universa provincia permagnus est numerus, major certè quàm pro finitū modo. Nā XXXIII. numerātur hodie mœmb. cinctę, præter fora egregia, civitatū instar, sed mœmb. carentia. Atq; ex

his civitatibus olim sub imperio principum paucæ numero, quæ opibus & jure eminebant, ad comitia vocabantur. Verùm postquam contra Hispanos pro libertate bellum enatum, plures vocari cœpêre, ut essent omnes XIX. quarum XI. in Hollandia vetere, VIII. in Westfrisia. Quin imò cæteræ quoque his minores ad minimas usque si id petant, ad comitia admittuntur, non solùm ad audiendas deliberationes, sed etiam ad dicendas sententias, quanquam suffragia non ferant. Et hi quidem ordines duo, nobilitas & civitates, etiam olim à Comitibus Hollandiæ, & eorum successoribus convocabantur, quoties res magna agenda erat, nec quicquam majorum negotiorum sine consilio & consensu horum ab illis suscipiebatur, aut agebatur. Hodie ad comitia hujusmodi, quæ toti provinciæ communia sunt, à provinciæ Advocato, qui & magni sigilli custos est, ex voluntate collegii alterius convocantur quotannis, quater, quinquies, sexies, prout res poscunt. Id fit hoc modo. Advocatus capita rerum, de quibus in comitiis agendum, scripto cõcepta mittit ad deputatos nobilitatis, (ii numero XII. sunt, quibus totus ille ordo universam comitiorum curam commisit) & ad omnes civitates, quæ suffragii jus in comitiis habent. Deputati nobilitatis congressi, præconsultatione instituta, plerunque ex sui medio designant aliquot, qui comitia obeant mandatis instructi; rarò omnes ipsi comitiis interfunt. In civitatibus verò singulis non solùm senatus omnis, sed & concilium delectorum civium, qui alibi XX, alibi XXIIII, alibi XXVIII, alibi XXXII, alibi XL. sunt, & munus habent perpetuũ, coëunt, & capita illa eadem rerum consultandarum examinant, sententiisque omnium auditis, cum inter ipsos convenit, itidem ex suorum numero deligunt quaternos, quinos, senos, interdum & octonos, qui ad comitia eant, & eos mandatis instruunt. Cumque omnes loco dieque dicto adsunt, Advocatus idem rem inchoans, paucis cum nobilitate verbis commutatis, sententiam ejus pronunciat, deinde reliquos ordine rogat. ubi disputatum satis, suffragia colligit, & secundùm suffragiorum majorem numerum concludit, decretumque concipit, ac publicat. Ex civitatibus autem in sedendo, dicendáque sententiâ primum à multis retrò sæculis locum tenuit, & adhuc hodie tenet Dordracum, secundum Harlemum, tertium Delphi, quartum Leida, seu Ludugnum; quintum, quæ amplitudine, splendore, opibus cæteras omnes multùm superat, plurimumque ad sustinenda Reipub. onera confert, Amsteloda-

mum, sextum Gouda, septimum Roterodamum, 8. Gorichũ. 9. Schidamum. 10. Schoonhovia, 11. Brila, 12. Alcmaria. 13. Horna. 14. Enchusa. 15. Edamum. 16. Monachodamũ. 17. Medemelaca. 18. Purmerenda; & sic de inceps. Sed in ferendis suffragiis ea ratio valet, ut unum modò suffragium tota nobilitas conficiat, quanquam id plerunq; magni ponderis sit, reliqua numero XVIII. conficiant civitates. Et in universa hac re sic agitur, ut ex suffragiorum discrepantia ad hoc usque tempus discordia nulla extiterit, aut schisma eruperit, plurimis semper æquum bonumque publicum in dicendis sententiis spectantibus, & iis, quorum minores opes sunt, sententiis aliorum, qui plus possunt, & in usum publicum plus conferunt, cedentibus. Locus comitiorum Hagæ ferè placet: quanquam status non sit. Decreti executio collegiis deputatorum duobus, de quibus antè dictum, committitur; quorum alterum Hagæ, in quo frequens adest Advocatus, & quando adest, præsidet, alterum Hornæ sedem tenet. Ea collegia, ut in cæteris provinciis, ab iisdem provinciæ ordinibus, quæ comitiorum jus habent, potestate instructa sunt, legesque accipiunt: & qui in iis sedent deputati, præter unum, quem nobilitas ex suo ordine designat, à singulis quidem, quibus id jus est, civitatibus domi eduntur, sed provinciæ, collegiisque in collegiorum loco jusjurandum dant. Sunt in altero collegio biennales, in altero annui, hoc tamẽ modo, ut in annos sæpè plures munus ipsis continuetur. Eorum autem, qui comitia obeunt, potestas cum ipsis comitiis finitur.

Eadem penè ratio in Selandia valet, cui multa antiquitus 135
cum Hollandia communia: nec multò secius habet in reliquis confederatis provinciis. Intereà in unaquaque provincia quælibet civitas αὐτονομίᾳ quadam suâ gaudet à majoribus acceptâ, ac per manus traditâ, certis terminis circumscriptâ, cui comitia derogare non possunt. Quemadmodum nec eadem derogare possunt aliorum juri, quod ad quosq; à majoribus devolutum est, sive nobiles, sive vicanos, Meteran. *lib.* 20. Ab omnibus autem tribunalibus tum oppidanis tum vicinis per Hollandiam & Selandiam ex instituto ma-

jorum appellatio patet ad commune tribunal superius, quod Hagæ sedem habet, non solùm in civilibus causis, sed etiam criminalibus, exceptis iis, quæ criminis confessi sunt, & pœnæ certæ. Ab isto verò tribunali ad aliud summum provocatio est, quod Hagæ similiter sedem tenet: à quo provocare non licet, quanquam revisionem, ut vocant, petere licet. In illo x. in hoc x 1. viri judicant doctrinâ & prudentiâ præstantes.

136 Et sic quidem in provinciis his singulis. Provinciæ autem omnes, quæ numero septem nunc sunt, concilio generalium ordinum, & collegio, quod senatum ordinum vocant, quorum suprà facta mentio est, ubi de provincia Groningana est dictum, federe inter se colligantur. Quibus accessit jam ante annum communis camera rationũ, quæ constat ex his, quos nobilitas & civitates pro se singulæ deligunt & subinde mutant. Ex his caput totius societatis esse jam antè demonstratum, est concilium generale, à quo & senatus ordinum, & camera rationum, & collegia communia rerum maritimarũ, de quibus etiam priùs dictum, & ipsi belli duces potestatem & imperium accipiunt. Cujus officium est, belli & pacis consilia tractare, legationes societatis nomine decernere, literas & legatos regum, principum, civitatum, accipere & andire, iisque respondere, cum exteris federa ferire, controversias inter socios cognoscere & componere, tributi modũ in usum belli & rerum aliarum communium, definire, rem monetariam statuto numorum pretio ordinare, denique curare omnia, quæ ad conservandam & tuendam totam societatem & singulas ejus partes pertinent. Nec tamen jurisdictionem, aut prætorium imperium ullum habet, nisi ex compromisso, aut voluntate litigantium mutuâ: nec juri singularum provinciarum, quod absolutam potestatem secundùm leges patrias complectitur, quicquam derogat. In hoc concilium singulæ provinciæ mittunt adsessores, quos & quot volunt: mittunt autem prudentissimos & spectatissimos quosque. Suffragia verò feruntur non secundùm adsessorum capita, sed ita, ut singulæ provinciæ unum solummodò habeant suffragium, tam majores quàm minores. Sessiones servantur secundùm dignitatem provinciarum, itemq; dicendæ sententiæ ordo. Præsidendi, id est proponendi, sententias rogandi, suffragia colligẽdi, concludendi, & similia agendi, jus omnibus provinciis par est, eo modo, ut vicissim per singulas septimanas sibi mutuò provincię in hoc munere succedant. De qua re latiùs Meteran. *lib. 14. & 20. histor.*

CAPUT XXXIV.

De cura & tractatione armorum tempore pacis.

1 *Amorum cura duplex.*
2 *Cura armorum tempore pacis, & quanta illius utilitas & necessitas: n. 3. 5. 6. 10.*
4 *Ejus æquitas.*
7 *Miles domesticus præferendus extraneo.*
8 *Europæi utiles & idonei ad bellum.*
9 *Damnum neglectæ hujus curæ.*
11 *Arma quid, eorumq; genera.*
12 *Cura hæc in tribus consistit.*
13 *Militum delectus quid.*
14 *Idonei milites qui.*
15 *Milites pedites qui.*
16 *Milites equites qui.*
17 *Ordinarii milites qui.*
18 *Stationarii qui.*
19 *Limitanei qui.*
20 *Præsidiarii.*
21 *Prætoriani, eorumq; officium, n. 22.*
23 *Milites oppidani.*
24 *Vasalli milites ordinarii.*
25 *Subsidiarii milites auxiliares.*
26 *Socii confœderati milites, & qui idonei.*
27 *Præfecti militum.*
28 *Generalis præfectus qui.*
29 *Requisita hujus.*
30 *Præfectus specialis.*
31 *Officium hujus.*
32 *Exercitatio militum, ejusq; species & utilitas.*
33 *Duella licita quæ.*
34 *Provinciæ præfectus.*
35 *Civitatis præfectus.*
36 *Oppidi paræciæ præfectus*
37 *Præfectus prætorianorum & præsidiariorum limitaneorum militum.*

38 *Turcarum milites & præfecti.*
39 *Pecunia nervus belli.*
40 *Arma quæ idonea ad bellum.*
41 *Armorum genera varia.*
42 *Usus armorum duplex.*
43 *Annona necessaria in bello.*
44 *Annona quid.*
45 *Munimenta, propugnacula.*
46 *Eorum utilitas & locus.*
47 *Munita propugnacula quæ.*
48 *Munitionum reparationes.*
49 *Fœdera cum sociis & vicinis utilia.*
50 *Nimium crescenti vicino potentiæ est occurrendum.*
51 *Cum impiis fœdera prohibita.*

HActenus de administrationis specialium publicorum negotiorum civilium specie sextâ: sequitur septima, de cura armorum.

1 Cura armorum est, quâ magistratus summus arma parata & expedita semper habet, ut si quæ, vel repentina necessitas, vel improvisa vis hostium ingruat, Remp. & regnum suum à ruina & exitio defendere possit.

Cura & tractatio armorum est duplex. una tempore pacis: altera tempore belli.

2 Tractatio & cura armorum tempore pacis est, qua tempore, quo bellum non est, cives in peritia bellandi instituuntur, vel qua scientia belli gerendi subditis demonstratur, & illi militaribus exercitiis exercentur.

3 Nam facilè, ait Plato, eæ civitates ab extraneis evertuntur, quæ prorsus arma deseruerunt, seq; totas paci & otio tradiderunt, abjecto omni rei bellicæ exercitio, rerumq; militarium studio. Et ut Tacit. *lib. 4. annal.* dicit, voluntarius miles sæpè deest, ac si suppeditet, non eadem virtute, ac modestia agit, quia plerunque inopes ac vagi sponte militiam suscipiunt. Sic sapientissimus rex Salomo tempore pacis arma, currus

currus militares, equos, equites, legiones peditum, certis in oppidis descriptas & constitutas habuit, & in media pace tractavit, *1. Reg. cap. 4. 25. & seqq. 2. Chron. c. 1. 14. c. 9. 25. 26.* Sic David constituit, qui docerent Judæos arcum, seu modum bellandi, *2. Sam. cap. 1. 18.* Tacit. *lib. 15. annal.* Non ignaviâ, inquit, magna imperia continentur, sed virorum armorumque faciendum certamen. Populum Romanum nulla re magis floruisse, quàm arte militari, historiæ tradunt, sine qua non modò imperii fines augeri, sed ne stare quidem potuissent. Sic rectè Xenophon in Agesilao ait, Ubi Deum colunt homines, arma tractant, disciplinam meditantur & exercent, quomodo probabile non est, illis omnia plena esse bonæ spei? Et quæ res vitam aut tranquillum usum habent, sine armorum cura? Cura, judicia, leges, religio omnium quæ rerum publicarum opes & potentia sub militaris disciplinæ clypeo continentur. Patria, libertas, cives atque adeò ipsi reges latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis.

Neque ab ullis magistris, inquit Bodinus, accepimus, aut didicimus, sed ab ipsâ naturâ hausimus & expressimus, ut cædes, incendia, rapinas, libidinem à vita, fortunis, corporibus arceamus; ac Deus ipse jubet à templis sacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem, depelli, & omni ratione salutem expediri, neque id tantùm, sed etiam hostes ac latrones consectari ac perdere, quæ naturæ disciplina omnibus divinis & humanis legibus confirmatur. Hoc verò fieri non potest, sine armis & militibus & absque disciplina militari, quæ ideò excolenda est, non solùm ad tutelam rerum, fortunarum, liberorum, cognatorum, parentumque nostrorum, sed etiam ad improborum & latronum offensionem & exitium; utrumque periculum tempore pacis & belli expectandum est, quamvis certius hoc, quàm illo, quo contra improborum civium conjurationes & cœtus sedulosos armis opus est. 4

Præterea si disciplina militaris exercetur, commodum hoc sequetur, ut ex ignavo cive fortem, ex intemperante moderatum, è desidioso strenuum, è luxurioso frugalem, è libidinoso continentem efficiamus. Ibi enim labor in negotiis, fortitudo in periculis exercetur, temperantia in cupiditatibus, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. 5

6 In bello etiam domesticus miles externo mercenario præferendus est, & non comittendum, ut non plus roboris sui & suarum propriè virium, quàm externarum habeat magistratus, ut ex Livio, Scip. Amirat. *lib.20.discurs.9.* refert. Necesse igitur est, ut tempore pacis, in meditullio regni, domestici milites præparentur & peritiâ belli gerendi instruantur.

7 Nam etiam in media pace, nunquam desunt bella, quando utimur extraneo milite. Misera quoque Respub. quæ tota auxiliis alienis inhæret, nullas autem ad se tuendum vires ipsa per se habere potest, quæ suam salutem extraneis hominibus, non suis civibus committit, quæ tota ex alieno nutu & fide pendet, nõ ex storga & naturali affectu suorum civium. Danæ. *lib.7.cap.1.* Lipſ. *lib.5.c.9. & seq. politic.* Nam apud mercenarios externos, fides exigua, vix patientia: hi pugnâ frigidi, pavidi, civibus pernicioſi, graves ærario, cum contrà domestici fidi, obedientes, acres in pugnam, reverentiâ, amore, & pacto magistratui obligati, amantiores patriæ, uti Lipsius latè ex historiis probat, & Greg. *lib.11.c.3.n.6.*

† *7.de Repubi.* eleganter & graviter asserit. Nam id cavendum providis ducibus, exemplaque vetera pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque propriè virium in castris habeant. Fit

8 verò quævis gens in Europa apta ad bellum & pugnam ex institutione & usu, quæ omni armorum disciplina, vel arte bellandi veteres illos milites, qui orbem terræ subegerunt, facilè coæquabit, ut Lipsius ex Vegetio refert *cap.10.lib.1.*

9 Spretâ enim armorum administratione, omnino imbelles & infirmi cives evadunt, ut se posteà tueri adversus extraneos hostes nequaquam possint. Nunquam verò deerunt raptores alienæ libertatis lupi. Imò nec ipsi cives otioſi diu conquiescere possunt. Nemo præterea provocare audet, aut facere injuriam ei regno, aut populo, quem intelligit expeditum atque promptum ad vindicandum. Quicunq; igitur pacem desiderat, præparet bellum. Subditi quoq; rebelles & deficientes, vi & armis ad subjectionem sunt revocandi, *Gen. cap.14.4.5. Judic.c.20.c.21. 2.Sam.c.2.c.3. & 4.c.18.cap.19. c.20. Vide constit. Imperii de pace publica, de anno 1548. &* Ordinat. Camer. *part.2.tit.2.* Bocer. *de jure belli lib.1.c.29.* Covarruv. *in c.peccatũ de* R. J. *in 6.part.2 §.9.* Pet. Greg. *lib.11.c.1. & seqq. de Rep. & cap.3.* Bodin. *lib.5.cap.5. de Rep.* Camerar. *lib.2.*

lib.2.oper.succis.c.22. & seqq. Consultum denique est, ho- 10
mines in otio viventes & in turpi inertiâ & voluptatibus diffluentes, è civitate ad bellum emittere, & veluti pravis & corruptis humoribus plenum corpus vacuare. Ideò bella scopas regionum asperrimas, quibus sentina hominum malorum expurgatur, quidam dixerunt.

Armorum igitur curam in Rep. summus magistratus minimè negligere debet, si vult pacem, concordiam, tranquillitatem, imò Rempubl. conservare, ne illâ civili dissensione turbetur, vel irruptione ab extraneis hostibus invadatur, & sub jugum alienum redigatur. Scip. Amir. *lib.20. discurs.9.* Sunt denique tales milites in pace decus, & in bello præsidium, uti ex Tacito refert Lipsius.

Arma porrò hîc nobis vocantur, omnia instru- 11
menta, quibus ad vim inferendam, vel illatam propulsandam, cominus, vel eminus, offensivè, vel defensivè uti possumus.

Ejusmodi, pro usu & more cujusque gentis, varia sunt; usitatissima verò sunt sequentia arma; gladius, pugio, sica, hasta, bombarda, thoraces, militares fustes, scuta, galea, & ejusmodi plura alia. *L. armorum 41.* ubi Gœddæ. *de V.S.l.3.§.armis. de vi & vi armatâ.* ubi dicitur generalis appellatio armorum, sicuti voluit & Varro *lib.4.de Latin.ling.* qui hinc arma, quibus armamus hostem, appellata esse dicit. Sext. Pompeius verò arma ab armo, id est humero, quòd ex humeris dependeant, nominata mavult.

Cura, & administratio armorum tempore pacis, 12
consistit I. in militum delectu. II. in præfectis militum constituendis, eorumque officiis. III. in apparatu comparando.

Dion. *lib.42.* duo esse dicit, quæ principatus conservent, augeant & comparent, milites & pecuniam.

Militum delectus tempore pacis est, quo ex sub- 13
ditis in toto regno apti & idonei viri ad bellum eliguntur, qui, incidente necessitate, manu ex-

pediti, prompti & semper parati sint ad vim quamvis illatam, armis propulsandam & avertendam, vel vim quamvis aliis armis inferendam.

Sic David suos milites tempore pacis habuit, *1.Chron.cap.28.* & Salomo, *1.Reg.c.4.c.10.* & Josaphat, *2.Chron.c.8.17.18.19.c.11.5. & seqq.c.17.* & alii, *2.Chron.c.14.7.8. & c.17.13.14.15.16.17.18.19.* Sed locus ille *2.Chron.c.17.* elegans est, quem referam *à v.12.* Ita Josaphat pergebat crescere usque ad summum, & ædificavit in Juda arces & civitates armamentarium. *13.* Et res multæ erant ei per civitates Jehudæ, ac homines bellatores, valentes robore Jerusalaimis. *14.* Quorum numeratio per paternas familias eorum ex Jehuda chiliarchorum, Haana princeps, quicum erant valentium robore trecenta millia. *15.* Et secundùm hunc Jehochanã princeps, quicum erant ducenta octoginta millia. *19.* Et secundùm hunc Hamasia filius Zicri sponte se offerens Jehovę, quicum erant ducenta millia valentium robore. *17.* Ex Binjamine verò valens robore Eliadah, quicum erant armati arcu, aut scuto ducenties mille. *18.* Et secundùm hunc Jehozabad, quicum erant centum octoginta millia expeditorum ad militiam.

14 Idonei milites censentur, qui sunt exercitati, robusti, animosi, deliciarum ignari, parvo contenti, solis laborisque & frigoris patientes, vigiles & temperantes.

Deut.c.20. 2.Chron.c.17.13. ac homines bellatores valentes robore &c. *14.15.16.17.18.19. 1.Samuel.c.14.52.* Prospiciebat sibi Saul de omni viro forti, & omni strenuo, quem recipiebat ad se. Ejusmodi milites celebrantur *2.Sam.c.23.c.4.34. & seqq. 1.Chron.c.11.c.12.per tot.* Vide Boter. *lib.9.c.3.de polit.*

15 Numerus militum, pro regni naturâ, qualitate, & circumstantiis temporis, modò major, modò minor esse potest.

Ejusmodi milites sunt pedites, vel equites.

Pedites dicuntur, qui sine equo pedibus militant. Et sunt sclopetarii, hastarii, scutarii, *2.Chron.c.11.11.c.14.8.*

Equites sunt, qui equo militant, quem ejus rei causâ Reip. alunt. 16

De quibus in Rep. Judæorum vide *1.Reg.cap.4.26.* Erant Salomoni quadraginta millia præsepiorum equilium, ad equitatum ejus, & ad duodecies mille equites. *2.Chron.c.9.25.* ita ut essent Salomoni quater mille equites, quos collocavit in civitatibus curruum, & apud regem Jerusalaimis: adde *Esth.c.8.10.14. 2.Chron.c.17. & c.1.14.*

Milites ejusmodi electi sunt ordinarii, vel subsidiarii.

Ordinarii sunt perpetui milites, qui sunt ex civibus electi, ut ex munere & arte militent, semperque parati sint, prompti manu, armis & experientiâ rei militaris, ad subita casuum aut bellorum. Vide Lips. *lib.5.c.11.polit.* 17

Ex munere dico, quia sub quodam stipendio magistratus conducti, hodie utplurimum immunitatum quarundam concessione, ad incidentes necessitates Reip. patriæ, ex locis provinciæ variis, à magistratu evocantur.

Arte dico, quia informati peritiâ bellandi, instructi sunt omni armorum exercitio, disciplinâ castrorum, usuque militiæ.

Præstat enim & vilius constat armis erudire suos, quàm alienos mercede conducere. Nam, ut ait Lipsius, quod exteri in ictu & reditu consumunt, hoc si in armandis domesticis & exercendis, impendis, egregiam habes & ad manum tibi semper militarem manum. Et illi longinquo accersendi & cum dispendio sæpè expectandi sunt: domestici in tua sede eo edicto evocantur & adsunt.

Ordinarii hi milites sunt duplicis generis: vel etiam sunt certis locis regni adscripti, vel in domiciliis suis relicti. Certis locis regni adscripti, sunt stationarii, qui rursus sunt limitanei, vel præsidiarii, 18

vel prætoriani & σωματοφύλακες magistratus summi, quibus quandoq; extranei miscentur.

19 Limitanei sunt, qui limitibus regni tuendis præsunt & ripis fluminum, quibus diversorum regnorum fines distinguuntur.

2.*Chron.c.17.2.* Disposuit copias per omnes civitates Judæ, quæ munitę erant, & disposuit stationarios per regionem Judæ &c. *& v.19. 2.Sam.c.8.6.14. 2.Chron.c.26.14.15. etc. 11.12.13.c.8.18.19.20.*

20 Pręsidiarii sunt, qui alibi, quàm in regni finibus, ad locum aliquem tuendum & servandum, à summo magistratu collocantur, in meditullio regni, vel metropoli, vel aliquâ ejus provinciâ.

21 Prętoriani & σωματοφύλακες summi magistratus sunt, quos ille semper habet ad manum & circa se paratos, si quid sibi, vel Reip. ingruat, quòd prompto auxilio opus habeat.

Vocantur satellites illius, perpetuò ipsum comitantes, & contra vim atq; insidias incidentes, defendentes.

22 Officium ergo horum erat, corpus & vitam summi magistratus contra pericula & injurias aliorum defendere, viq; armata propulsare illatam violentiam, vel inferre aliis. Deinde neminem ad magistratum admittere sine ejusdem veniâ & mandato.

Exempla ejusmodi satellitum passim videre licet in Saule, *1.Sam.c.16.17.* in Davide, *2.Sam.c.8.in fin.* ubi Per. Mart. *& c.19.33. & seqq. c.12.17.18.19.20.21. c.15.14.16. & seqq. c.9.4.* ubi Jun. *1.Sam.c.22.6.7.c.26.15.16.* in Salomone, *1.Reg.c.1. 3.6.8.* ubi Jun. *& c.4. 1.Reg.c.14.28. 1.Chron.c.18.17. cap.23. 1.2.3.4. 2.Chron.c.17.14. usq; ad finẽ*, & numerantur *1.Chron. c.27.c.28.c.29. 2.Reg.c.11.c.24.* & in pluribus aliis magistratibus tam piis, quàm impiis. *Esth.c.1.13.14. Dan.c.1.4.19.20. Exod.c.11.8.c.8.3.31.c.7.13.23. Jer.c.22.5.6.7.c.17.25. c.34.19. 2.Chron.cap.9.25. Jud.c.24.25.* Vide Pet. Greg. *lib.22. de Rep. c.11. Vide tit. C. de apparitor. præfect. prætor. tit. C. de offic. magist.*

tistr. offic. ubi Cujac. *tit. C. de domest. & protect.* ubi Cujac. Lips. *lib.4. polit.c.6. & 7.*

Tales satellites tempore regum Judaicorum sumebantur utplurimum ad latera regis ex Cheretis & Pelethis, & filiis, vel cognatis regis, *2.Sam.c.15.18.19.20.c.9.4.* ubi Jun. aliis est *c.8.in fine.* ubi & Pet. Martyr. *1.Chron.c.18.19. Genes.c.41.45.* ubi Jun. Senec. *1. de clement.* Somnum ejus nocturnis excubiis muniant hi custodes, latera objecti circumfusiq; defendant, incurrentibus periculis se opponant. & Tacit. *1.annal.* milites in forum, miles in curiam comitabatur. & Senec. *d.lib. de clement.* Quanquam in nullo metu, decori tamen eos, & ornamenti causâ habeat magistratus.

Milites ordinarii in domiciliis suis relicti, sunt 23
qui muneri, artificio, vel opificio suo vacantes, semper ad postulationem superioris præstò sunt armis expediti, ad mandata evocantis exsequenda, armis pugnaturi.

Itaq; certo numero in quovis pago, oppido, urbe sunt descripti, & specialibus suis præfectis parent, à quibus cùm evocantur, colliguntur. Vocantur tales milites legionarii.

Ad ejusmodi ordinarios refero quoq; in quos- 24
vis regno & provinciâ, quos vasallos vocant, qui ideo feuda à superiore acceperunt pro stipendio militari, quo fruuntur eam ob causam, cùm reliqui ęi de causâ vectigalia & indictiones solvant, quos magistratus ideo defendere tenetur, & à belli laboribus immunes servare. Pet. Greg. *lib.11. de Rep. cap.3. num.12.*

Subsidiarii sunt milites auxiliares, ordinariis 25
tempore necessitatis succurrentes. Ejusmodi auxiliares sunt reliqui domestici & cives omnes: vel socii & confederati ex alio regno acciti.

Reliqui omnes cives ad bellum armáve idonei, nemine excepto, tempore necessitatis ad vim illa-

tam propulsandam, vel inferendam evocati, parati esse debent. Hoc enim requirit ab ipsis amor patriæ, commune periculum & fides, quam magistratui præstiterunt. Vide suprà *c.20.n.7.8.9.*

26 Socii & confederati tales eligendi sunt, qui potentiâ valent, & in proximo habitant, non remotiùs.

Hi enim & viribus, & loci opportunitate auxilia præstare possunt: infirmi, & miseri ipsi opus habent auxilio. Nisi vicinus talis sit, cujus ruinâ te possit secum trahere, quoque precilitante, tu pericliteris. Videmus enim, eos, quos ignavia, aut prava calliditas, ut alienis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas pœnas solvisse, & victoris prædam fuisse. Pet. Greg. *lib.11.c.3.* ubi exempla recenset, & de mercenariis militibus agit. Abraham tale fedus pepigit cum Amorrhæis, *Gen.c.14.* & Macchabæi cum Romanis, *1.Macch.c.8.* David cum Tyri rege, *2.Sam.c.5.* & Salomo, *1.Reg.c.5.* Vide Bocer. *de jure belli.lib.1.c.7. & 2.Chron.c.19.* sed tamen impiorum auxilia rarò piis fausta in bello gerendo, *2.Reg.c.8.28.c.9.16. 2.Chron.c.28.2. & 19.c.23.8.c.20.37. & 25.* de qua re suprà *c.17.n.25. & seqq.*

27 Sequitur de militum præfectis constituendis à magistratu summo. Ejusmodi sunt, qui tempore pacis militibus domesticis ordinariis & subsidiariis præsunt, cosq; gubernant.

Præfecti hi sunt generalis unus, & alii speciales.

28 Generalis ille unus præfectus à summo magistratu constitutus est, cui omnes reliqui speciales sunt subjecti. Consultum est, hunc generalem præfectum ex ephoris regni constituere, vel ex filiis summi magistratus maximè idoneis. *2.Chron.cap.11.23. 2.Sam.c.9.2.4. c.20.23.* adde *1.Sam.c.18. 1.Chron. c.12.c.13.c.14. 2.Chron.c.17.*

Officium hujus præfecti generalis est, videre & curare, ut speciales inferiores officium injunctum faciant,

faciant, ideoque veluti inspector reliquorum est. *2.Sam.c.9.4.* Et Benaja præerat Cerethæis & Pelethæis; filii denique Davidis præsides erant: ubi Junius notat.

Requisita hujus sunt, scientia rei militaris, virtus, felicitas, autoritas, liberalitas. 29

Scientia rei militaris in duce omnino necessaria, in qua sunt præcipua, ut hostem fame magis, quàm ferro urgeat. Deinde ex occulto hostes semper attentet. Tertiò, inter hostes discordiarum procuret causas. Quartò, aciem bene ordinare possit, ne sol, pulvis, ventúsve pugnantib. molestus sit. Quintò, non exspectet, dum hostium copiæ augeantur. Sextò, non noctu, sed die militet. Septimò, sciat etiam suos milites exhortari & animare. Sed de scientiâ rei militaris dico infrà *cap.seq.*

Huic scientiæ rei militaris si accedit virtus, felicitas, autoritas & liberalitas præfecti, dici non potest, quantum ad bellum conferant.

Præfectus specialis est, qui generali subjectus præest certæ alicui provinciæ, parœciæ, urbi vel oppido. 30

Officium hujus est in ratione informandorum & instituendorum militum sibi commissorum & exercendorum & regendorum, ducendorum, collocandorum, ordinandorum & reducendorum. 31

Institutio & informatio in re militari constat præceptis & exercitatione.

Præcepta sunt de peritiâ & scientiâ utendi armis, vim inferendi, depellendi, ictus declinandi, cedendi, insequendi, urgendi, adoriendi hostẽ, pugnandi, obsidendi, impetum faciendi, expugnandi mœnia, depellendi obsidentes, vel expugnantes, solvendi

obsidionē, utendi stratagemate & insidiis, quovis armorum genere scitè in pugna utendi, castra metandi, servandi ordinem militarem, aciei instruendæ, actiones belli instituendi.

Vide *Psal.18.35. & Psal.144.1. 1.Chron.c.12.33.* Instructi omnibus armis bellicis &ç. *v.35.& seqq.* ubi peritia & exercitatio in bello gerendo commendatur *per tot.cap.11.& c.12. & 2.Sam.c.1.18.* ubi David constituit, qui docerent Judæos arcum, seu modum bellandi.

32 Exercitatio, est actionum illarum bellicarum, quarum demonstratio facta est, usus in quolibet armorum genere, inter milites, hostiles partes, dictis causâ agentes, in quibusvis belli actionibus.

Exercitatio ad pedites pertinens, est de militari gressu & incessu servando, de cursu tardiore vel celeriore, de saltu, natatione, castrorum constitutione & munitione, intervallorum observatione, ordinum dispositione, conglobatione & laxatione agminis.

Exercitatio equitum est, de ascensu & descensu equorum à dexteris & sinistris, de concitando equo & regendo, cohibendo, agmine & ordine servando, & similibus.

Atq; ejusmodi exercitatio singulis trimestribus certis in locis diligenter fieri debet, ubi milites hi domestici conveniant, postea recensentur, & à præside lustrentur, ignavi dejiciantur, strenui laudentur, & ad majores ordines promoveantur.

Quilibet miles habeat propria arma, eaq; bona; quilibet eques suum, nō mutuatitium equum, non strigosum, malè curatum, peritè equum regere sciat, decurrere celeriter in equo, armisque necessariis uti &ç. Vide *1.Chron.c.12.*

Exercitatione corporis & animi vires præparantur ad

tur ad bellum, etiam in pancratio, hastiludiis, pugillaribus, torneamentis, cursitationibus, portatione, festinatione.

Vide Alciat. *in lib. de singulari certamine.c.2.in fin. per l. quâ actione,7.§.si quis in colluctatione. ad L.Aquil.l.milites 13.ibi, ut armorum quotidiano usu ad bella se præparent.C.de re milit.lib.12.* Sic Cyrus major Persas exercuit, Xenoph. *lib.6. de pædiæ Cyri.*

Utinam magistratus nostri hac in re Romanos imitarentur, & tyrocinia ejusmodi instituerent, studioséq; conservarent, quō necessitatis tēpore rei militaris & pugnæ peritos in promptu habere possent. De quo tyrocinio ago latiùs inf. *c.seq.*

Huc puto respicere duella illa, quæ virtutis & 33
honestæ gloriæ causâ permitti solent præmio, vel solâ gloriâ, veluti pugilatus die Fechtschulen / item hastiludia & torneamenta Principum, Comitum, Baronum, nobilium, qualia duella jure, *l.2.l.3. de aleator.l.3.§.pen. de injur.l.quâ actione 7.§.si quis.ad L.Aquil.l.spem 5.C.quæ res pign.oblig.l.si duas 6.§.athletæ.de excusat.tut. l.unic. C. de athlet.lib.10.* & consuetudine permissa sunt. Monomachias alias nō permittendas rectè asserit Pet.Mart. & Bod. *lib.4.c.7.* Camer. *part. 2.medit.c.19.* & latè Lancellot. *in templo omn.judic.* Elias Reusn. *in strat.ag.lib.3.c.6.* ubi distinguit.

Sed institutio & informatio in re militari, hodie ferè quibusdam inutilis visa est, de quibus Lipsi. *lib.5.de milit.Roman.dialog.20.* Concurrunt, ait, nomen apud scribam profitentur, quam non didicerit, sola hæc militaris est, quam omnes scire se arbitrantur. Mutabitisne Germani perversam opinionem intra paucos annos toties mulctati? Inde hoc oritur, ut militari scientiâ non instructi, in acie & conflictu statim concidant & occumbant.

Specialis ejusmodi præfectus est vel provinciæ, 34
vel civitatis, oppidi, parœciæ, vel præfectus præto-

rianorum. *2.Chron.cap.32.6. cap.33.14. 2.Sam.cap.23. 1.Chron.c.12.*

Provinciæ præfectus est, qui aliquot civitatum, oppidorum, pagorúmve militibus præest, ut milites oriundos ex illis regat, & ad bellum instruat & exerceat.

35 Civitatis præfectus est, cui milites ex civitate oriundi seu ordinati, sunt commissi.

36 Oppidi præfectus, cui milites ordinarii oppidani sunt commissi: sic & pagi præfectus.

Parœcię prefectus est, cui milites ordinarii electi in parœcia habitantes, sunt commendati.

37 Præfectus prætorianorum militum est, cui cura & gubernatio prætorianorum militum est commissa. Vide *2.Chron. c.17.v.14. & seqq. 2.Sam.cap.23. v.23.c.9.v.3.4. 1.Chron.c.18.17.*

Præfectus præsidiariorum militum est, cui horum cura & inspectio est data.

Præfectus limitaneorum militum, & præfectus classiariorum militum: præfectus subsidiariorum, quis dicatur, satis ex præcedentibus liquet.

38 Apud Turcas quoque, ut refert Zuinger. *vol.28.lib.3.* varia sunt militū genera, Thimarci, Janizari, Asiapii & Allangi. Quorum hęc est ferè diversitas. Thimarci sunt milites equites omnes, quibus ager ab imperatore est attributus, unde unus cum quatuor militibus loricatis vivere possit. Quandoquidem Thimar apud eos intelligitur ager unus, de quo quandoque milites vivunt ex decimis per subditos provinciarum, de domibus & omnibus terræ nascentibus, frugibus datis, quamvis agri æquales non sunt. Est enim aliquis, qui in viginti, alter in triginta, aut quadraginta thimar dividi possit, ab uno tamen possessus. Sed pro magnitudine agrorum, agri, ac proventuum; talis possessor equites, sive milites tenet. Sic computatis agris militaribus, majoribus & minoribus, qui habentur in Romania, numero sunt quatuor millia & quingenti. In Natolia verò, cùm numero sit quinquies mille & quingenti thimar, fiunt viginti septem millia & quingenti milites. Ex quibus omnibus thimar in Natolia & Romania resultant quinquaginta millia equitum, qui omnes obediunt suis præsidibus, & semper stant parati ad bellum. Nec aliud alimentum habent quàm ex agris illis. Tam præclarè homines barbari imperio consulere norunt.

Alterum militum genus est, qui Janizari dicuntur. Omnes enim pedites sunt, & ex stipendio imperatoris vivunt, & imperatori semper adstant. Major pars horum est ex Romania & ab origine Christiani.

Asiapii sunt milites gregarii minus exercitati, ac pretio conducti, habentes pro stipendio viritim aspera quinque per diem, quorum quinquaginta ducatum aureum faciunt.

Allangi voluntarii milites, militant ad fortunam, sine agris & sine stipendiis, quintam partem prædæ imperatori dantes.

Janizari impuberes adhuc ex toto imperio leguntur à conquisitoribus, & aliquandiu militari disciplina instituuntur sub magistro in publicis gymnasiis, mox militiæ adscripti amiciuntur breviore veste & pileo albo & sursum versus erecto: arma his scutum, ensis, & arcus; hi castra muniunt, urbes oppugnant.

Asiapii levis armaturæ pedites, ense, scuto & longiore hasta instruuntur, rubro pileo, à Janizaris discreti, hostium equos in prælio confodiunt, &c. latè Zuinger. *d.loc.*

Sequitur tertium requisitum curæ militaris tempore pacis, quod est in comparando apparatu ad bellum necessario, qui est 1. in pecunia. 2. armis. 3. annona. 4. munitionibus. 5. federibus.

Pecunia ad bellum gerendum, tam necessaria 39
est, ut nervus illius rectè dicatur & spiritus vitalis.

Nam sine hac miles extraneus haberi & conduci non potest, neque domesticus stipendia sua annua retinere, & omnia venalia pecuniâ: & nihil tam munitum, quod eâ non non possit expugnari. Huc referuntur thesauri magistratus, de quibus dixi supra.

40 Arma etiam, quia sunt instrumenta, quibus bellum geritur, vis infertur & propulsatur, quàm maximè necessaria. Hæc durabilia, levia, & apta esse debent. quibus etiam uti possis, priusquam ad manum & jactum perveniri possit. Ideoque tempore pacis magistratus armorum copiam, seu armamentarium instructissimum procurabit, in quo omnis generis arma, quibus in bello milites, pedites vel equites uti solent, in quavis belli actione, ad quamvis necessitatem incidentem, sunt in promptu & ad manum.

41 Ejusmodi arma sunt bombardæ, quas vocamus, minores & majores, cum caterva magna globorum & pulveris bombardici, carri, currus, quadrigæ, ligones, secures, hastæ, gladii, thoraces, & si quæ aliæ armorum species, quibus utimur in obsidionibus, vel defensione munitionum, seu fortaliciorum.

2. Chron. cap. 11. 12. Et in unaquaque civitate clypeos & spicula, hoc est, omnia armorum genera, tam ad defensionem quàm ad offensionem disposuit, *&* *2. Chron. cap. 17. 12.* Ita Josaphat pergebat crescere usque ad summum, & in Jehuda ædificavit arces & civitates armamentariorũ. *c. 26. 14. 15. c. 8. 18. 19. 20. c. 11. 11. 12. 13. c. 32. 5.* Paravitque missilia copiosè & scuta, *2. Chron. c. 16. 4.* Philistęi Judæis arma, ne rebellare possent, certo consilio ademerunt, *1. Sam. c. 13. 19. 20. 21. 22.* Vide *2. Chron. c. 8. 4. 5. c. 11. 12. c. 26. 11. 12. & seqq. c. 32. & seqq.* De bellicis tormentis veterum & recentiorum, vide Scip. Amirat. *lib. 19. discurs. 3.*

42 Arma alia tuendi nostri gratiâ, alia ad offendendum, alia ad utrumque usum sunt comparata.

Ea quibus tuendi nostri gratiâ utimur, sunt galeæ, cassides, thoraces, seu loricæ, quarũ altera pars pectus & totum epigastrion; altera verò dorsum ac partes corporis posteriores munit.

Quibus præcipuè utimur ad alium offendendum

dum & lædendum, sunt gladius, machæra, romphæa, ensis falcatus, hasta, bipennis, jacula, sagittæ, balista, aries, scorpius seu onager, malleoli, falces murales, murices, testudo, musculi, vineæ, plutei, & alia bellica instrumenta, de quibus Veget. & alii.

Hodie in militari usu sunt galeæ, cassides, thoraces seu loricæ, quarum duo sunt genera, unum fibulis consertum, veluti maculis variis: alterum est, quod solidis laminis ferri bene compactum est squamarum modo, aut cùm de solido ferro tota thoracis forma ducitur.

Sunt quoque in usum hodie hastæ, bipennes, machæræ, romphææ, bombardæ, seu machinæ fulminales, varii generis. Habemus etiam armatos pedites, & velites peltatos. Item equites cataphractos aut hastatos, aut leviter armatos: at hi omnes melius hodie instructi sunt, quàm olim.

Ad arma quoque pertinere dicimus, sine quibus vel arma non habere, vel iis uti non possumus, uti sunt eorum artifices, pluvis bombardicus, globi, currus, quadrigæ, jumenta, naves. De variis armorum generibus vide Zuing. *vol. 28. lib. 3.* Alex. ab Alex. *lib. 1. c. 20. 8. gen. dier.*

Annona etiam omnino necessaria; siquidem 43
nemo potest cum hoste simul & naturâ pugnare. Hanc igitur tempore pacis, magistratus copiâ magnâ colligere & in usum belli reponere debet.

Annona autem nobis hîc est, quicquid ad vitam 44
humanam sustentandam est necessarium, vel utile, uti panis, frumentum, caro, vinum, cerevisia, vestes & similia alia.

2. Chron. c. 11. 11. Disponens in eis antecessores & apothecas cibi & olei & vini. *& v. 23. & c. 17. 13.*

Solet verò commeatus ejusmodi & annona reponi in munitis locis.

2.Chron.c.11.23.& c.17.13. Et res multæ erant ei per civitates Judæ ad commeatum pertinentes. uti ibidem Junius *2.Reg.c.20.13.& seqq.*

Romani commeatũ totius anni ad escam & cibũ militarẽ in aceto, frumento, lardo atque hordeo & paleis ad usum equorum conditum habebant, & Judæi dispensatores annonæ militaris etiam tempore pacis habebant: *1.Reg.cap.4.27. 28. Judic.cap.20.10.* Vide Pet Greg. *lib.11.c.3.de Rep.*

45 Munimenta, seu munitiones, sunt loca munita, propugnacula & fortalitia, ut vocant arces, castella, civitates, oppidáve vallo, fossâ, aquâ, muris, vel aliis propugnaculis, contra omnem vim externam munita, quibus provincia defenditur quovis tempore pacis & belli, quæq; receptaculũ & refugium tutum præbent militibus, aliisque civibus, & quibus civium & subditorum saluti & securitati consulitur, & in futurum & in præsens tempus prospicitur, ne nudata propugnaculis regio invadendæ ac diripiendæ ejus illecebra quædam sit. Pet. Greg. *lib.2.cap.1.& cap.5.* Jun. *part.2.polit.quæst.64.* Bodin. *lib.5.c.5.* Scip. Amir. *lib.19.discurs.4.*

46 Ejusmodi propugnacula in limitibus intra regnum & ditionem habere, est consultum, tam contra subditorum rebellionem, quàm hostium incursionem.

1.Reg.c.9.15.19.2.Chron.c.11.5.6.1.Sam.c.30.6. Vide Greg. *lib.2.c.3.4.& seqq.* & portus maris absque præsidio justo nunquam relinquendus est; similiter civitates maritimæ.

Quandoque etiam hæc invitant populum ad rebellionem & defectionem & hostes ad invasionem & obsidionem, vel ipsos cives faciunt confidentes, ignavos & imbelles & principes tyrannos, quæ illis adversus populum, ac vicissim propugnacula populo erga principem suspicionem & diffidentiam ingenerare solent. Ideò arces & propugnacula sub-

subditi tyrannidis nidos & tyranni juga subditorum vocant. Bodin. *lib.c.2.5.de Rep.*

Aliquando status Reip. scilicet popularis, non patitur præter metropolim munitam, ne nobiliores, vel alii ambientes imperium, statum Reipub. subvertant.

Principes quandoque imperant populis pervicacibus, qui domari sine talibus non possunt. Bodin. *d.c.5.* Greg. *d.loc.*

In limitibus regnorum, subditi hostium excursionibus sunt expositi, in civitatibus sunt status Reipub. inimici, ubique præsidium præbent propugnacula. Nam ingressu in regiones, quæ carent propugnaculis vel munitionibus, obtento, facilè omnes vincunur. Imò neque cum munitionibus, neque sine illis tuta potest esse Resp. Bodin. *lib.5.c.5. de Repub.* ubi juga subditorum & flagella principum propugnacula vocat.

Propugnacula quædam utilia, quædam etiam necessaria: utilia illa, quibus civitas defenditur, aut in quibus populus suum potest habere refugium. Necessaria illa, sine quibus regio, vel provincia patet hosti. Boter. *lib.6.c.3.de polit. constit.*

Plura propugnacula habere, quæ custodiri non possunt, non prodest.

Munita propugnacula dicuntur naturâ loci, vel 47
arte. Loci, nimirum asperitate, aquæ copia, vel alia incommoditate accessus. Ejusmodi in Belgio plurima sunt.

Arte munita dicuntur, quæ aggeribus, fossis profundis, murisve altissimis defenduntur. Vid Bodin. *lib.5.c.5.* Greg. *lib.2.c.1.* Machiavel. *disput.polit.c. 24.lib.2.* Melch. Jun. *lib.2.quæst.polit.64.*

Ejusmodi propugnacula expedit habere extrema, in finibus regionis, & mediterranea in medio regionis, quo extremo aliquo occupato, hostis nihilominus ab aditu & interioribus regionis arceatur. Vide Scip. Amir. *lib. 2. de regni regisq; instit.* ubi exemplis illustrat.

Sunt verò munitiones fidis hominibus committendæ. Facilè fiet, ut insidiæ evitentur, si sæpè præsides munitionum mutentur.

Consultum ergo est tempore pacis, ut magistratus propugnacula & munitiones veteres reparet & conservet.

Videre licet exempla *Esa. c. 17. 3. c. 23. 13. c. 27. 10. 11. cap. 45. 1. 2. Jerem. c. 7. 14. Hose. c. 8. 14. 2. Chron. c. 11. 5.* Itaque resedit Rehabeam Jerusalaimis, & ædificavit civitates ad munitionem in Jehuda. *6.* Ædificavit, inquam, Bethelechemum & Hetamum & Thecoham. *& seqq. & v. 10.* Et Tzotham & Ajalonem & Chebronem, quæ sunt in Jehuda & in Binjamine: civitates munitionũ. *11.* Confirmavitq; has munitiones, disponens in eis antecessores & apothecas cibi & olei & vini, *12.* Et in unaquaque civitate clypeos & spicula; deniq; confirmavit eas quamplurimùm, *& v. 23. 2. Chron. c. 12. 4.* Civitates ipsas munitionum. *& c. 14. 6.* Ædificavit quoque civitates munitionis in Jehuda; cùm quiesceret ea terra, & nullum gereretur secum bellum annis illis; nam quietem ei dederat Jehova. *7.* Dicebat enim Judæis, Ædificemus civitates has & circumdemus muro & turribus, valvis & vectibus, tantisper dum hæc nobis est expositа, quandoquidem requisivimus Jehovam Deum nostrum, requirentibus dedit quietem nobis circumquaque: Quapropter ædificarunt & prosperati sunt. *8.* Fuerunt autem Asæ copiæ ferentes clypeum & spiculum, è Jehuda trecentorum millium, è Benjamine autem ferentium scutum & tendẽtium arcum ducentorum octoginta millium, omnes hi valentes robore. *2. Chron. c. 17. 2.* Nam disposuit copias per omnes civitates Jehudæ, quæ munitæ erant. *& v. 12.* Ita Jehosaphat pergebat crescere usque ad summum, & ædificavit in Jehuda arces & civitates armamentariorum, *& v. 13. 19. & 2. Chron. c. 27. 3. 4.* Civitates etiam ædificavit in montanis Jehudæ, & in saltibus ædificavit palatia & turres. *& c. 32. 5.* Præterea confirmans se extruxit totum murum illum perruptum, quem perduxit usq; ad turres, foris verò murum alterum, & confirmavit munitionem civitatem Davidis, paravitq́ue missilia copiosè & scuta. *& c. 33. 14.* Postea autem ædificavit murum exteriorem, civitatis Davidis ad occidentem Gichonis ab ipso torrente usq; ad ingressum per portam piscium, quem circumduxit clivo, extollens eum valde: ac præposuit præfectos copiarum omnibus civitatibus munitis in Jehuda. Vide & huc refer historiam *Nehemiæ c. 2. & seqq. adde 2. Sam. c. 5. 9. 1. Reg. c. 9. 15. 19. Neh. c. 7. 3.* Pet. Greg. *lib. 2. c. 5.* & Bodin. *lib. 5. cap. 5.* Boter. *lib. 6. de polit. instit.*

Federa inita cum sociis, qui non mediocri potentia valent, & in proximo habitant, vel qui claustra & aditus nostræ regionis tenent, vel qui nobis in bello plurimùm prodesse possunt, si sunt amici vel nocere, si sunt hostes, aut quibus periculum commune est, conducunt. Cum infirmis, miseris & afflictis hæc inire, periculosum; nisi tales illi sint, quorum ruina te quoque tractura sit, tum n. utile est, ut vel te jungas, vel juves occultè, aut apertè. 49

1. Reg. c. 15. 16. 17. 18. 2. Reg. c. 16. 6. 7. 8. Videmus enim quos ignavia, aut prava calliditas, ut alienis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas sæpè pœnas solvisse. Vide Lips. *lib. 4. c. 9.* Bodin. *lib. 5. c. 6. & lib. 1. c. 9.* Boter. *lib. 6. c. 9. Vide sup. c. 20.*

Non est itaque semper prudentiæ, nolle cum vicinis in bello periclitari: sed tunc id tutum, quando extra teli jactum etiam post vicinorum ruinã securus esse poteris: Alioquin quiescere minimè nobis prodest, ubi vicini populi ruina & funus ad nos usque pertingere potest.

Initiis vicinæ potentiæ nimiùm ac manifestè crescentis à vicinis maturè occurrendũ, & syncre- 50

tissmo resistendum est, ne vires illius adeò excrescant, ut, si libuerit, vicinum possint opprimere. Scip. Amirat. *lib. 20. discurs. 11.*

51 Cum impiis verò tempore belli federa non sunt facienda. *Exod. c. 23. Deut. cap. 7. Hos. c. 6. c. 7. cap. 11. 2. Chron. c. 16. c. 18. 1. Reg. c. 22. 2. Reg. c. 8. c. 15. c. 16. 2. Chron. c. 25. c. 28. Esa. c. 20. c. 30.*

CAPUT XXXV.

De cura & administratione armorum tempore belli, & primùm de belli susceptione.

1 *Bellum quid.*
2 *Hostes qui.*
3 *Actio bellica in quibus consistat.*
4 *Susceptio belli.*
5 *Causa belli justa quæ.*
6 *Defensio duplex.*
7 *Autoritas magistratus ad bellum necessaria.*
8 *Quando illa adhibenda.*
9 *Quando illa autoritas non est necessaria.*
10 *Preces ad Deum necessariæ.*
Deliberatio de bello suscipiendo, & quid in hac considerandum, n. 11. 12. 13. 14. 15. 16.
12 *Belli calamitates & pericula.*
17 *Apparatus belli necessarius.*
18 *Res ad bellum necessariæ quæ.*
19 *Ærarium duplex necessarium.*
20 *Cujusq; provinciæ milites.*
21 *Arma, eorumq; copia.*
22 *Variorum artificum necessariorum usus.*
23 *Munitionum extructio.*
24 *Commeatus necessarius.*
25 *Annonæ distributio.*
26 *Commodorum interceptio.*
27 *Belli gubernatores.*
28 *Gubernator belli primarius.*

29 Quæ

29 *Quæ consideranda in Imperatoris electione.*
30 *Scientia rei militaris.*
31 *Consilium & providentia.*
32 *Industria & dexteritas in agendo.*
33 *Celeritas illius.*
34 *Consilia recta & obliqua.*
35 *Fama imperatoris bona.*
36 *Securitas in bello noxia.*
37 *Contemptus hostis nocet.*
38 *Excubiæ necessariæ.*
39 *Inquisitio de hostibus eorumq; moribus & vita.*
40 *Peritia pugnandi & castra metandi.*
41 *Occasiones pugnandi, non negligendæ*
42 *Locus pugnæ idoneus.*
43 *Peritia aciei instruendæ.*
44 *Circumventio hostis præcavenda.*
45 *In acie quinam collocandi.*
46 *Equitum & peditum usus mutuus in bello.*
47 *Locorum munitorum cura.*
48 *Portarum custodia.*
49 *Ducis fortitudo externis gestibus illi demonstranda in actionibus omnibus.*
50 *In victoria suorum quid illi agendum.*
51 *Obliqua consilia quænam.*
52 *Corruptiones animorum hostis & deceptiones licitæ.*
53 *Proditio & deceptio quæ prohibita.*
54 *Autoritas ducis.*
55 *Unde illa paretur.*
56 *Benevolentia duci unde concilietur.*
57 *Contentiones militum maturè tollendæ.*
58 *Felicitas ducis, & unde illa.*
59 *Secundarii gubernatores quinam.*
60 *Milites qui.*
61 *Tyrones qui.*
62 *Veteres milites.*
63 *Veterani.*
64 *Collectio & vocatio militum.*
65 *Milites idonei qui.*
66 *Milites exteri & domestici.*
67 *Mercenarii milites.*

68 *Ex quibus plagis & hominum ordinibus milites optimi eligantur.*
69 *Corpus militis quale sit.*
70 *Animus ejusdem.*
71 *Vita ejusdem præterita.*
72 *Querela de hodierno milite.*
73 *Convocatio militum.*
74 *Qui à militia excusentur.*
75 *Probatio militum.*
76 *Milites cincti.*
77 *Distributio militum.*
78 *Regimen equitum.*
79 *Cohortes equitum.*
80 *Conciliarii militares.*
81 *Equitum magister & illius vicarius.*
82 *Præfecti equitum & aliæ personæ inservientes.*
83 *Magister rei armamentariæ.*
84 *Rei armamentariæ aliæ personæ.*
85 *Magister peditum.*
86 *Tribuni peditum & alii.*
87 *Personæ pertinentes ad cohortem equitum.*
88 *Personæ pertinentes ad cohortem peditum.*
89 *Juramentum militum & articuli eorum.*
90 *Denuntiatio belli, & quando non necessaria.*

DE tractatione & cura armorum tempore pacis hucusque; sequitur de illa, quæ est tempore belli.

1 Bellum est actio hostilis, ad injuriam depellendam, vel vindicandam à magistratu vi armisque contra hostes, pacis retinendæ, vel consequendæ causâ legitimè suscepta & administrata.

Uti definit Obrecht. *adde* Covarruv. *in c. peccatum. parte 2. §. 10. de reg. jur. in 6.* Bocer. *lib. 1. de jur. belli cap. 1.* Duellum verò illicitum. Vide Lancellot. *in templo om. judic. part. 1. per tot. & latè* Reisnerus *de arte stratag. lib. 3. c. 6.* ubi quoque ad exempla quædam monomachiæ respondet & distinguit.

2 Hostes vocantur, qui nec provinciales, regnicolæ, neque federati sunt regno, seu Reip. sed in alieno vivunt

vivunt regno, & quibus bellum legitimè à nobis est indictum, vel qui bellum nobis indixerunt, aut hostiliter nobiscum agunt.

Vide l. hostes 118. ubi Dd. de verbis signific.

Bellum igitur est totum discordiæ tempus & actio duorum dissidentium populorum, nulli communi magistratui parentium, vi & armis causam controversam disceptantium, ut dicit Danæus ex Gell. *lib. 1. noct. Att. c. 25.*

Actio ejusmodi bellica, constat membris duobus: susceptione scilicet, & gestione belli. 3

Susceptio belli est primum illius membrum, quo legitima belli fundamenta, & initia justa sternuntur & examinantur. 4

Ejusmodi verò sunt causa belli justa, & apparatus bellicus necessarius.

Causa belli justa esse censetur, quæ jure nititur & summi magistratus autoritate. 5

Causa belli, quæ jure nititur, est 1. defensio libertatis & jurium suorum & propulsatio vis illatæ. 2. religionis puræ defensio. 3. repetitio rerum per injuriam ablatarum. 4. justitiæ denegatio. 5. conspiratio cum hoste & rebellio.

2. Reg. 17. 4. 2. Chron. cap. 36. 13. de quibus causis vide quæ dixi *supra cap. 11.* & disserit Danæus *Lib. 6. politic. cap. 3.* & Lipsius *lib. 5. cap. 4.* Covarruv. *in c. peccatum. part. 2. relect. §. 10.* Bocer. *lib. 1. de jur. bell. cap. 5.* Greg. *lib. 11. c. 1. c. 2.* Elias Reusn. *lib. 1. cap. 10. stratagem.* P. Martyr *in loc. de bello. &* Jud. *cap. 11.* Belli justi exempla *vide Gen. c. 14. 1. Reg. c. 30. 1. Chron. c. 10. Nehem. cap. 4. 1. Sam. c. 11.* & passim in libris *Reg. & Chron.* Sed sæpè nimia regni, aut Reipub. alicujus potentia, victoria, vites, pax, felicitas, & opes, in tenuiores bella iniquè suadent, *1. Reg. cap. 20. 10. 2. Reg. cap. 14. 8. 15. 37. cap. 19. 32. 37.* Item furiæ facesque belli in aula sunt nobilitas, ferocia, ambitio, quæ cunctantem principem in bella propellunt, sub prætextu causæ publicæ.

Sed hæ causæ facilè redigi possunt ad duas, quarum prior est defensoria, altera vindicatoria. illa injuriam propulsat, hæc vindicat injuriam illatam Deo, vel Reip. vel subdito, vel ecclesiæ.

6 Defensionem autem intelligo duplicem, tuam & alienam. Tuam, cùm vim à te tuisque artes & libertatem, patriam, parentésve armis regis.

Alienam, similiter duplicem accipio: cùm scilicet à sociis, aut oppressis defendis vim & injuriam.

Cic. *3. de Rep.* Nullum bellum, ait, à civitate optima suscipitur, nisi aut pro fide, aut pro salute. Cic. *1. Offic.* Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut patriam, aut socios deserat. Lipsius *lib. 5. cap. 4.* Jun. Brutus *de vindic. contra tyr. quæst. 3.* Elias Reusn. *lib. 1. c. 10. stratagem.*

Vindicatoria causa belli locum facit bello, postquam disceptatio & repetitio ablati locum non habet.

Injustè bellum motum, exitum malum habet. Vide exempla *Deut. c. 1. 41. 42. 43. 1. Reg. cap. 22. 8. 18. 2. Sam. c. 10. 6. 18. 1. Reg. c. 20. 2. 2. Reg. c. 23. 29. 2. Chron. c. 35. 20.*

De justa causa belli exercitus etiam docendus, *2. Chron. c. 13. 4. 5. 6. 2. Reg. c. 10. 8. 9. 10. 11. Judic. c. 11. c. 12.* Petr. Greg. *lib. 11. c. 1. & seqq.*

Argumenta quibus utuntur Anabaptistæ ex *Lev. c. 19. 18. 1. Pet. c. 3. 9. Matth. c. 5. 8. & seqq.* & aliunde sumpta, ad demonstrandum, bellum non licere gerere Christianis, eleganter refutat Pet. Martyr *in locis comm. loc. de bello.* Et licere, probat argum. *Luc. c. 3.* ubi Johannes militibus præscribit, quid faciendum illis sit. Et Christus *Matth. c. 8.* commendat fidem centurionis; & Cornelii militis preces & eleemosynæ placent Deo, *Act. c. 10.* Et magistratui usus gladii datus, *Rom. c. 13. Deut. cap. 20.* Exempla vide *Num. c. 3. 1. c. 10. Exod. c. 17. Deut. c. 31. & c. 13. Jos. c. 1. & seqq. & tot. lib. Judic. Sam. Reg. & Chron. Psal. 18. & 144.*

7 Summi magistratus autoritas in bello suscipiendo, & consensus ordinum regni, ut colligitur ex *1. Reg.*

1. Reg. c. 20. 7. 2. Reg. c. 19. 2. ad bellum gerendum necessaria adeò sunt, aut sine iis, illud susceptum illegittimum & injustum dicatur.

Argum. *Rom. c. 13.* Bocer. *de jur. bell. c. 4.* Pet. Greg. *lib. 11. cap. 1. & seqq. de Republ.* & Geil. *lib. 1. de pace pub. cap. 1. num. 4. 5. 6. per tit. C. ut arm. usus inscio princip. interdicit. l. 3. ad L. Jul. majest. l. nemini. C. de re milit. Judic. cap. 4. 6. 7. 2. Sam. cap. 2.* ubi Petr. Martyr. Elias Reusner. *art. stratag. lib. 1. cap. 6.*

Autoritas verò hæc de bello suscipiendo à prin- 8
cipe adhiberi & adcommodari non debet, nisi priùs omnia frustra sint tentata remedia alia, vimq; illatam à subditis ipse repellere, vel injuriam illatam illis vindicare & avertere aliter non possit, nec pacem & tranquillitatem in regno aliter habere.

Exod. cap. 17 Elige tibi viros, & pugna contra Amalec. *& Judic. cap. 6. c. 20. 1. Sam. cap. 11. c. 28. 2. Sam. c. 15. 1. Sam. c. 18. cap. 25. 1. Sam. cap. 11. 9. 11.* Vide de hac re Petr. Greg. *lib. 11. c. 1.* Martyr. *in loc. de bello, num. 9. Deut. cap. 20. 10.* Cùm accedes ad aliquam civitatem, ad belligerandum contra eam, primùm invitabis eam ad pacem. *11.* Erit autem, si pacem tuam responso aliquo probet, aperiatque tibi, erit, inquam, ut populus totus, qui aderit in ea, sint tibi tributarii & serviant tibi. *12.* Quòd si non ineat pacem tecum, sed gerat contra te bellum, tum obsidebis eam &c. *Num. cap. 21. & seqq. Judic. c. 11. 14. 15. 16. 17. 18. 2. Reg. c. 18. c. 19.* ubi Ezechias rex non dubitavit ornamenta templi conflare, ut redimeret necessitatem pugnandi. adde *Judic. cap. 20. 18. cap. 23. cap. 6. 1. Samuel. cap. 23. vers. 2. cap. 14. vers. 37.* Cæsar Augustus dixit, referente Suetonio *cap. 25.* bellum nunquam suscipiendum, nisi cùm major emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. Cic. *Philip. 7.* Si pace frui volumus, bellum gerendum est; si bellum omittimus, pace nunquam fruemur. E bello enim pax magis firmatur. Josias, pius alioquin princeps, quia non necessarium bellum movebat, à Deo punitus fuit, *2. Chron. c. 35.* Sic & malè cessit bellum Rehabeamo, qui relicto consilio seniorum, bellum non necessarium movit, *1. Reg. 12.* Aliâs justè suscepta bella, Dei bella di-

cuntur, *Jos.c.5.13.1.Sam.25.28. 2.Chron.c.20.15.* Vide Melch. Jun. *part.2.polit.quæst.67. & seqq.*

9 Sunt tamen duo casus, in quibus etiam inferior magistratus inconsulto superiore, bellum suscipere potest; nimirum, quando ab alio injustâ vi oppugnatur, & se suosque defendit contra violentum invasorem. Deinde, quando superior magistratus debitum non facit officium, aut tyrannidem in subditos exercet: *de qua re supra c. 18. & cap. 38. de tyrannide.*

10 Autoritatem autem & approbationem suam magistratus prius quam accommodet, Deum seriis precibus rogabit, ut hic animum, mentem ipsius & subditorum, ad salutaria, utilia & necessaria Ecclesiæ & Reip. excitare & dirigere, & ab omni temeritate injustitiaq; abducere velit.

2.Chron.cap.20.3. Deut.c.20.1.2. 2.Sam.c.5.19.20. Judic. c.20. 1.Sam.c.23. 2.Chron.c.6.13. 2.Chron.14.c.20. Reusn. *lib.1.c.17.art.stratag.*

Deinde ab eodem petet vires & successum.

Nec enim gladius, Deo non juvante, victoriam consequi potest, *Psal.18. & 43.143.* Ita Israëlitæ consulebant Dominum, num ad pugnam descenderent contra hostem, *Judic. cap.20.& cap.23.cap.6. 1.Sam.c.23.2.c.14.37.* Ita Asa rex pius Deum invocavit, dicens: Domine, non est apud te ulla difficultas, utrum in paucis, an in pluribus. Adjuva nos, Deus noster, in te enim & in nomine tuo habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Exterruit itaq; Dominus Æthiopes coram Asa & Juda, fugeruntq; Æthiopes, *2.Chron. cap.14.* Sic & Achab potentiâ Domini vicit regem Syriæ Benhadad, *1.Reg.c.21.* & Ezechias, *2.Chron.c.32.7.* Confirmamini & fortes estote, ne timetote, neque consternamini metu regis Syriæ, & metu totius multitudinis, quæ est cum eo; Nam nobiscum major est, quàm cum eo. *8.* Cum eo est brachium carneum, nobiscum verò Jehova Deus noster ad auxiliandum nobis, & ad gerendum bella nostra, *20.21.22. Jerem.*

Jerem.c.17. Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. *Habacuc c.2. Abdiæ c.1. Nahum c.3.* Greg. *lib.11.de Rep.c.3.* Boter. *lib.9.c.8.de pol.inst.* Reusn. *d.loc.*

Deo invocato, maturam cum magnatibus & viris prudentibus ac rei militaris peritis deliberationem de bello suscipiendo instituet, utrum Reip. utilius pati injuriam, an vindicare, *2.Chron.cap.32.3. Jud.c.20.* Ubi primò reditus, vires regni sui, & hostium vim, casum & successum & eventum dubium in bello sibi ob oculos ponet, & mala atque clades publicas belli præcogitabit, *Luc. cap.14.31.32.* & examinandum, quâ parte hostis sit validior aut imbecillior, terrâ marive, domi an foris cum eo bellum gerere expediat, quo genere politiæ regio hostis utatur. Scip. Amirat. *lib.20.discurs.12.* 11

Nam non solùm adventus, sed & metus belli calamitatem adfert. Hinc vastitas, stupra, cædes, incendia, agriculturæ desertio, mercaturæ cessatio, rerum omnium mutatio. Privata mala etiam non desunt in bello, expilatio, deprædatio, caperitas & similia, ex quibus odium regnicolarum subditorumque in ipsum principem excitatur. Tollitur enim omnis securitas in bello, & pericula varia omnibus intentantur. Vide *Judic.cap.5.6.7.11. Jer.c.5.c.6. Esa.c.37.c.26.c.32. Joël.c.1.c.2. Deut.c.28.* Omnis lætitia tollitur in eo, *Esa.c.24. & Jerem. cap.7.cap.10.c.25.* Vide Matth. Vogel. *in penu, part.4.* Bellum facilè suscipitur, sed non ita deponitur, nec illius initium & finem in ejusdem potestate esse dicimus. Nec usquam minus, quàm in bello, eventus respondet, *2.Reg.cap.11.* Itaque quantumvis opib. tuis confidas, non debes tamen certa pro incertis mutare, ut dicit Salust. Ærarium exhauritur conversâ pecuniâ in milites. Objicis te periculis & calumniis. Bello enim instituto, necessum est principes malè audire & culpari ob damna. Prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. Vide Bullinger. *in Dec. in explic. præc.6.* Erasm. *in Prov.* Dulce bellum inexpertis. 12

Casus, seu eventus unicus etiam adversus in bello alienabit omnium animos à te, ita, ut omniũ etiam studia langue-

ant. Vide Lipſ.*lib.5.politic.c.6.* & Obrecht.*theſ.341.& ſeqq. & 414.& ſeqq.de bello.* Non igitur,niſi poſt longam deliberationem, bella ſunt ſuscipienda,& rebus omnibus in utrumque eventum paratis. Greg.*d.lib.11.c.2.* Lipſ.*lib.5.c.5.* Reuſn.*lib.1.c.18.c.19.artis ſtrat.*

13 Vires conſiderabit ſuas proprias, & quæ auxilia à ſociis & amicis habere poſſit. Et hoſtis vires examinabit,& quæ belli gerendi commoditates utrinq; ſint,vel eſſe poſſint, & qui ſocii, quæve auxilia,& quæ regionis debellandæ natura,quæve arces, loca munita, civitates, quæ ſunt expugnandæ,quibus inſtrumentis, machinis, quo tempore expugnari poſſint. Resp. illæ facilè ſolent ſuccumbere in bello, quarum vires potiores, vel omnes ſunt mercenariæ & extraneæ; non autem vernaculæ, indigenæ & in ipſis civibus poſitæ.

14 Bella inchoaturis & veteres ſocietates obſtringendæ ſunt arctiùs,& novæ comparandæ.Thucyd.*lib.2.*Diligenter quoque conſiderabit, quibus artibus, modis & rationibus vires hoſtis minui poſſint,iisq; detrahi, quomodo impediri conatus illius, & facultas nocendi ipſi prætripi queat. Vide Obrecht.*theſ.414.& ſeqq.*Reuſn.*d.c.19.*

15 Perpendet teſtudinem,ubi collecta in ſuum tegmen eſt, tutam ad omnes ictus eſſe: ubi exſerit partes aliquas,quodcunq; nudavit,obnoxium & infirmum habere;& qui colliditur cum potentiore,ruinam ſibi accelerare ſolet. Stulti qui concupiſcunt, quod non capiunt illis melius; conſiliis & artu res externas moliri,arma procul habere. Vide Scip.Amir.*lib. 20.diſc.11. Luc.c.14.31.*Aut quis rex proficiſcens,ut committat prelium adverſus alterum regem, nõ priùs conſultat conſidens,an poſſit cum decem millibus occurrere illi,qui cum viginti millib.venit adverſus ipſum. 32. alioquin,cum adhuc eſt procul,legatione miſsâ,rogat quę ad pacem ſpectant.Per. Greg.*lib.11.de Rep.c.2.* Veget.*lib.3.c.3.* Quid verò ſit agendum principi, qui potentiorem hoſtem regnum ejus propediem invaſurum exſpectat, docet Scip. Amirat. *lib. 13. diſcurſ.11.*& quando bellum ſit feſtinandum, vel differendum,idem Scip.*lib.18.diſcurſ.5.* tradit Reuſn.*lib.1.cap.16.art. ſtrat.*

16 Perpendet quoq;,an tutius &facilius ſit,domi hoſtem exſpectare,quàm ipſum in aliena terra prævenire. Vide Melch. Jun.*politic.quæſt.73.part.2.*Machiav.*disput.de Rep.lib.2.c.12.* Con-

Conſultius,hoſtem aggredi in terra ſua, ut in ea exercitus noſter alatur,& hoſtis nudetur & privetur neceſſariarum rerum copiâ; ubi ſi clades, ea levior; ſi victoria, ea illuſtrior. Melius etiam eſt prævenire,quàm præveniri. Si vincitur præveniens,id fiet ſine majori periculo: ſin præventus,id magnâ jacturâ accidet,& terrore incolarũ. Exempla habes in Hannibale,Scipione,Turca & aliis. Vide Bodin. *lib.5.c.8.de Rep.* Sed ſi hoſtis in fines tuos illectus,in anguſtias duci & cogi poteſt,vel falli, eſt exſpectandus. Scip.Amir. *lib.18.diſcurſ.1.* & 2. in utramq; partem disputat.

Apparatus belli neceſſarius,eſt neceſſariorum ad omnem belli uſum comparatio, cum denuntiatione belli. 17

Neceſſariæ ad belli uſum ſunt res,& perſonæ.

Res ad bellum neceſſariæ,ſunt pecunia,arma & commeatus,& commodorum,quibus hoſtis juvari poſſit, ademptio. Veget. *d.loc.* Jun.*part.2. quæſt.pol.* 74.Ranzov.*de bello.* 18

Pecunia eſt nervus belli, ſpirituſq; vitalis, atque animorum domina & locorum.

Nam bellum eſt non in armis maximè,ſed in expenſis & ſumptibus,per quos efficacia arma & utilia fiunt. Itaque ad res præclarè gerendas,maximum impedimentum eſt inopia rei pecuniariæ. Nam ubi ærarium publicum omnino deeſt, vel eſt tenue ac invalidum,ibi rerum præclarè gerendarum fundamentum deficit. Et fidum atq; obſequentem,ſtrenuũ præſtantemque exercitum vix habebit,cui deeſt pecunia: & ſæpè haſtis argentatis expugnantur,quæ armis non poſſunt. Greg.*d.c.2.* Scip.Amir.*lib.18.diſcurſ.8.* Reuſner.*lib.1.cap.20. ſtrat.ag.*

Videndum itaq; hîc diligenter,ut duplex ſit ærarium,ordinarium,& extraordinarium. 19

Ordinarium deſtinatum eſſe debet ordinariis publicis ſumptibus. Extraordinarium ad extraordinarias clades & calamitates ſublevandas ſeorſim ſanctéq; reſervari debet. Obrecht.*theſ.490.& ſeqq.* Scip.Amir.*lib.1.diſſert.* Ordinarium ærarium ad mi-

litem alendum,& ſtipendia ſolvenda nullâ ratione meliùs, quàm ex reditu & penſione rerum, quæ conſumuntur & distrahuntur, conſtitui poteſt, uti hodie fit in Belgio. Ita enim pecunia ad omnes incidentes neceſſitates ſemper præſtò eſt, atque onera belli etiam forenſes & extranei ex parte ferunt.

20 Sed hîc tamen cuiq; provinciæ, certum militum numerum pro ſtipendio ſolvendo adſignari, valde utile eſt. Vide Scip. Amir. *lib.2.de regni & reg.inſt.*

21 Arma neceſſaria ſunt, quia ſine his vim hoſtilem avertere, vel inferre non poſſumus in bello.

Conſultum igitur, ut bellum geſturus, armamentarium habeat, *2.Chron.cap.8.18.& ſeqq. c.14.8.9.* in quo ad certum numerum peditum, equitumque, tela & arma, itemque tormenta, machinæ, pulvis, & quæ talia juvandis viribus, hæc, aut prior ætas invenit. Adde naves & inſtrumentum omne nauticum, ſi regio ejus maritima & portuoſa. Nam ſubitò iſta ægrè parantur, & ſemel parata, non ſolùm in bellum valent, ſed ne ſit bellum. Lipſ. *lib.5.c.6.in fine.* Ornamenta armorum pretioſa, criſtæ, plumæve, milites animoſos reddunt, & hoſti ſunt terribiles. Suetonius de Julio Cęſare ſcribit, tam milites cultos, auro & argento ornatos habuiſſe eum, ut metu damni in prælio fortiori & ardentiori animo certarent.

22 Huc etiam refero tentoria, tabernacula militum, currus, vehicula, naves, pontes, ſecures, ligones & alia neceſſaria inſtrumenta, *2.Chron.c.8.18.19.20.21.c.9.25. c.11.11.12.13.c.17. 12.13.& ſeqq. c.26.14.15.c.32.5.*

Videat quoq; ab initio belli, ut omne artificiorum ad bellum neceſſariorum genus in promptu habeat. De his vide Greg. *lib.11.c.5.de Rep.*

23 Munitionum exſtructio & reparatio neceſſaria. *2.Chron.c.32.5.6. Judith c.4.4.c.5. 2.Chron.cap.8.17.& ſeqq. c.11.c.14.c.17.c.26. 2.Chron.c.32.5.6.*

24 Commeatus omnino neceſſarius.

Nam qui hoc caret, vincitur ſine armis, & reliquis caſibus poteſt in tempore ſubveniri. Pabulatio & annona in neceſſitate non habent remedium, niſi antè condantur, & fames vi nullâ repelli poteſt, & mendicitas ad omnem deſperationem vocat armatos, nec diſciplinam poteſt ſervare jejunus exercitus. Scip. Amir. *lib.13.diſcurſ.5.*

Parandus igitur commeatus in uſum duplicem, militum, & præſidiorum. Illorum quidem, ne dum in agmine & caſtris ſunt, egeant. Horum verò, ut adverſus moras obſidionis, annuis copiis firmentur.

Ut docet Lipſ. *Joſ.c.1.11. 1.Reg.c.20.27.& Judic.cap.20.20.* Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Iſraël, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, ut poſſimus pugnare contra Gaba Benjamin. *2.Chron.c.11.23.c.14.* Vide Greg. *lib.11.de Rep.c.3. num.13.tit.ff. & C.de annon.milit. & tit.de erogat.milit.annon.* Pet. Greg. *lib.11.c.5.de Rep.* Qui itaq; rem ita inſtituit, ut ſibi victus ſufficiat, & hoſtis inopiâ frangatur, jam quaſi victor eſt. Greg. *d.lib.11.c.3.n.13.14.de Rep.* Latè Ranzov. *in lib. de bello.* Bod. *lib.6.c.2.*

Eſt verò annona viritim distribuenda, quæ diligentiùs, quàm communis conſervatur, conſtituendusq; locus vel civitas, quę ſupplendis commeatib. ſit opportuna. Scip. Amir. *d.lib.13.diſcurſ.5.* 25

Ergo pabula, frumentum, cęteræque ſpecies annonariæ & neceſſariæ naturæ, comparari, & in locis opportunis ad rem gerendam, vel in munitiſſimis congregari debent, & quidem amplior modus, quàm proficit.

Præterea etiam quicquid in pecore, vel quacunque fruge vinoq; hoſtis ad ſuum victum occupare poſſet; maturè ad loca tuta eſt transferendum. Obrecht. *theſ.534.& ſeqq.de bello.*

Commodorum, quibus hoſtis juvari poſſit, ademptio eſt, quâ removentur, præoccupantur, inter- 26

cipiuntur, intercluduntur vel adimuntur hosti omnes rei bene gerendæ facultates necessariæ, vel commodæ, uti commeatus, arma, milites, & similia.

2.Chron.cap.32.3. Iniit consilium cum dynastis suis de obturandis aquis fontium, qui erant extra civitatem. *4.* Congregantes se populus multus obturaverunt omnes illos fontes, & torrentem inundantem per medium regionis, dicendo: Cur venientes reges Assyriæ invenirent aquas multas? *& v.v. 11. & seqq.* ubi verbis sibi adjungere, & ab hoste suo abstrahere volebat milites. *1.Sam.c.13.19.* Faber autem non aderat in tota terra Israëlitarum. Dixerant enim Philistæi, Caveamus, ne faciant Hebræi gladium aut hastam, *20.21.22. Judith c.4.3.4. & seqq.c.5. Jos.c.19.* In loca impervia & tuta, quò non facilis accessus, se recipere, consultum. *1.Sam.c.23.24. Judic. c.6.4.* Et castra ponentes contra eos, perdebant proventum terræ. *& seqq.c.7.24.* ibi, Et præoccupate ipsis aquas &c. Vide Ranzov. *lib.2.de bello.*

27 Personæ in bello necessariæ, sunt gubernatores, seu directores, & milites.

Gubernatores seu directores belli voco, qui habent potestatem evocandi & ducendi milites.

L.2.§.1.de his qui not.infam. Tales & Judęos habuisse constat *2.Sam.c.2.8.9.13. & seqq.c.9.2.4.c.20.23.24. Deut.c.20. 9. 2.Chron.c.17.13. & seqq.* Sine quibus turba militaris est quasi corpus sine spiritu, & instar navis sine rectore. Bocer. *de jur.bell.lib.1.c.4.* Polyb. *lib.6.*

Gubernatorum & directorum illorum duo sunt genera. Sunt enim primarii, vel secundarii.

28 Primarii sunt, qui summæ rei imperant, suisque consiliis & ductu rem gerunt. Qualis est quivis summus magistratus, seu ejus loco dux & imperator exercitus.

In bello expedit, ut sit unus summus dux, seu imperator, non plures.

Nam multi imperantes perdidêre Cariam, & multi imperantes habent imperium & regnum nullum, aut incertum, & discordiis obnoxium. Comin. *lib.2.* Mea sic est sententia, ait, ut existimem, eum qui solus in potestate habet decem hominum millia, magis esse metuendum, quàm decem confederatos, qui singuli senibus millibus præsunt. Nam quia nullius hic est præcipua, vel singularis autoritas, multa quotidie in disceptationem incidunt, & antequam aliquid constituatur, prætereunt ferè occasiones. Exemplum præbet bellum Germanicum à confederatis Smalcaldicis gestum. Ideo Romani tempore belli, Dictatori imperii militaris summam committebant. Hic laudem rei à se præclarè gestæ ad summum magistratum referre debet, ad invidiam à se removendam, *2.Sam.c.12.28.29.*

In imperatoris electione consideratur præcipuè 29
1. scientia rei militaris. 2. auctoritas. 3. felicitas, quæ sunt tres notæ & τεκμήρια boni ducis.

Bocer. *lib.1.de jur.bell.c.7.* Jun. *part.2.quæst.71.* Exemplum ducis fortis, prudentis, diligentis vide in Nehemia, *Neh.c.4. 4.9.13.14.16.17. & seq.* in Davide, Josua, Simsone & aliis.

Scientia rei militaris intelligitur hîc, quâ non 30
tantùm auditione, aut lectione, dux exercitus, sed usu potissimùm & propriâ experientiâ rationem belli gerendi compertam habet, & probè cognitam, ideo quòd nullum genus belli sit, in quo illum non exercuerint varii casus.

Qualis fuit in Davide, in Alexandro magno, Hannibale, C. Mario, C. Pompeio, & aliis. Vide Scip. Amir. *lib.14. discurs.6.*

Hæc scientia rei militaris comprehendit sapientiam in consulendo, consilium in providendo, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, & in consilio capiendo promptitudinem, sagacitatem in stratagematibus, vigilantiam & fortitudinem in periculis, patientiam laborum, & severitatem in animadvertendo.

Silentium consilii laudatur, ut eorum quæ est facturus, indicium voce vel vultu non detegat, ne

illud fiat irritum, vel contrariis consiliis præveniatur & intercipiatur, vel clades sequatur. Greg. *lib.11. c.2.in fin.* De quibus singulis pauca subjiciam.

31 Consilium & providentia ad scientiam rei militaris sunt necessaria, ut sit ejusmodi dux cautus, cunctansque; qui nullo loco, nisi quantum necessitas cogit, vel summa occasio suadet, casui fortuito se committat, à quo temeritas aliena.

Prov.c.20.18. ibi, Prudentibus consiliis gere bellum. *c.24.5.* Vir sapiens est cum robore, & vir sciens fortificat vires. *6.* Nam prudentibus consiliis geres tibi bellum, & salutem comparabis per amplitudinem consiliatiorum, *c.21.22.* nec facilè hosti credat, *Judic.c.3. Judith c.11.*

Præliorum enim delicta emendationem non recipiunt, nec bis in bello peccare licet. Melior itaque est dux cautus, tutus & lentus, quàm projectè audaculus & præproperè festinans, & qui Janus sit respiciens & prospiciens. Lips. *lib.5. polit.c.15.* Incerti enim exitus pugnarum & Mars communis, qui sæpè spoliantem jam & exsultantem, evertit & perculit. Et morâ sæpè vincitur hostis, sæpè etiam periculum in mora. Temeritas, ubi primum impetum effudit, sicuti quędam animalia amisso aculeo, torpet.

32 Industria & dexteritas in agendo necessaria, ut alacer dux sit & actuosus, qui militibus præcat & verè ducat, qui ipsemet sit in opere, in agmine, qui exerceat milites etiam sine bello, curâ provisâ, & perinde agat, ac si hostis ingruat.

Celeritas consulta in conficiendo necessaria, antevertit impedimenta, hostem attonitum, & ducem mirabilem facit.

Qualis prædicatur in Alexandro Magno & C. Julio Cæsare, qui dixit: Veni, Vidi, Vici. Vide Richt. *axiom.22.1. Scip. lib.18.discurs.8.*

33 Promptitudo consilii ex tempore capiendi duci maximè necessaria: cùm plura consilio, quàm vi perficiantur. Vide exempla apud Boter. *lib.10.cap.6.* quod ex re præsenti capiendum est.

Consilia ejusmodi Lipsius dicit esse recta, vel obliqua. Recta vocat, quæ planam & militarem viâ ineunt, ut nimirum possit occasionem observare in bello, eaque uti, scilicet ut non desit sibi oblatæ occasioni, neque hosti oblatam concedat, sed adimat impediátve. Ergo prior occasio arripienda: posterior verò impedienda & hosti adimenda est.

Famæ quoque in bello serviendum quàm maximè, cujus momentum magnum in bello ad terrendos, vel animandos homines. 35

Famâ bella constant, quæ validissima in novis. Nam existimatio tantas habet vires, ut ejus ope sæpe à minoribus exercitibus majores superentur. Scipio Amirat. *lib.13. dis.1.* exemplis probat. Hæc enim dubios firmat, benevolentiam amicorum auget, milites obsecundantes reddit, commeatuum vias explanat, pecunias minori labore adquirit: demum pleraque omnia in existimatione consistunt, quâ amissâ, fortissima & validissima remedia vix prosunt. Hinc Cic. *pro lege Manil.* Quantâ innocentiâ debent esse imperatores? quantâ in omnibus rebus temperantiâ? quantâ fide? quanta facilitate? quanta humanitate? ut famâ etiam virtutis & fortitudinis aliis sint terribiles. Sed famæ etiam non serviendum in ipsa ratione gerendi belli. Malè enim imperatur, cùm regit vulgus Duces.

Dux non sit securus in bello, hostésve contemnat, ob nimiam fiduciam sui. 37

Nam nemo celeriùs opprimitur, quàm qui nihil timet. Securitas enim calamitatis frequentissimum solet esse initium: Et sæpè contemptus hostis, cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesque perlevi momento victi sunt, & sui fiducia semper noxia, uti Lips. dicit. Vide exempla, *1.Reg.c.29.3.4.5.6.7. & seqq.v.16.17.18.19.20.*

Contemptus hostis & negligentia excubiarum, sæpissimè cladem securis attulerunt, ut docet exemplum Saulis, 37

1.Sam.c.26.& c.11.c.14.& aliorum.*Judic.c.9.c.12.c.16.1.Reg. c.20.2.Reg.c.16.c.18. Judith c.5.c.14.c.16.& Judic.c.8.11.12.c. 18.c.7.8.10. Jos.c.10.* Nocet enim securitas. *Prov.cap.21.22.Ezech.c.38.8.* Et nihil tam leve est in bello, quod non magnæ interdum rei momentum faciat. Nihil igitur in bello est contemnendum.

38 Excubias ergo Dux habeat, tum diurnas, tum nocturnas, in quibus vices stationis sint, quas ipse met obeat, visitet, præsertim nocturno tempore, & tesseram militarem distribuat. In hostes maximè irruat, cum illi valde sunt perterriti, vel securi. *Judic. cap.7.15.& seqq.1.Sam.cap.30.15.16.17.Judic.c.8.11.* & exemplum Abrahami, *Gen.cap.14.* Vide Ranzovium *de bello*

39 Dux sciat omnia inquirere, suum & hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis noscere, & ingenium ducis adversarii, mores & naturam militum hostilium, & statum & res hostis, an morâ facilè langueſcant, pretio corrumpantur, an in discordiam & quomodo adduci possint.

Jos.c.2.1. 1.Sam. cap.14.7. Num.c.13. Judic.cap.18. 1.Sam. c.26. 2.Sam.c.15. 2.Reg.cap.7. Sunt igitur serendæ & alendæ discordiæ & seditiones inter hostes, quibus frangantur, vel distineantur eorum vires. Sic Drusus Germanos fregit, ut tradit Tacit. *lib.2.annal.* Sic Annibal, quia ei omnia hostium, haud secus, quàm sua nota erant, in multis hostium suorum conatus impedivit. Imprimis verò ingenium Ducis noscat, ut Polyb. *lib.3.* ait, & fidem hostis tentet missis corruptoribus & donis, exploret omnia, imprimis, num divelli discordiâ possint & simultatibus. Vide Ranzovium *lib.2. de bello.*

40 Dux rationem pugnandi optimè sciat, qui castra metare peritè possit, pro loci qualitate, angustia & laxitudine, aut militari multitudine, neque eadem figurâ & habitu, neque iisdem in locis semper. Siquidem modò quadrata, modò trigona, plerunque

runque rotunda, nonnunquam lunata & hemicycla: ut si qua major vis ingruat, milites sint in tuto, & sicubi loci natura tempusq; patitur, castra & munitiones extendere, ut opportuna aquatio, ne siti & lassitudine conficiantur, ut lignorum & pabuli sit copia, ne cõmeatu, aut re frumentariâ, phibeantur, ne illis aut jugum immineat, nec sylva densa, aut latens fossa, &c. Vide Alex. ab Alex. *lib.1. c.12.gen.dier.* De castris muniendis vide Scip. Amir. *lib.19.discurs.9.*

Dux talis sit, qui tempora & occasiones pugnandi captare & observare possit, ut imparatis, cibum capientibus, in itinere lassis, equos suos pascentibus, ac nihil tale suspicantibus, vel ex stultitia vel insciti lapsis, celeritate consultâ supervenire sciat. 41

Uti David sæpissimè subitò & ex insidiis hostes est adortꝰ, & Abraham, *Gen.c.14.15* & alii. Boni enim duces, non aperto Marte, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, & formidantem exercitum ad publicam pugnam non producunt. arg. *Deut.c.20.* Perratò bonus Imperator signis collatis decertat, nisi summa necessitas, aut summa ei occasio detur. Cæsar Augustus dixit: Prælium, aut bellum nunquam suscipiendum, nisi cùm major emolumenti spes, quàm damni metus ostenditur. Sueton. *cap.25. in August.* Lentè procedet adversus hostem, quem tempus indies deteriorem, & locus alienus faciunt. Qui in hostili terrâ est, inter omnia inimica & infesta est. Multa bella impetu valida, per tædia ac moras evanuêre. Quòd si tamẽ necessitas quædam jubeat pugnare, inter duo mala minus eligetur. Vide *Scip. Amirat. lib.18. discurs.* Reusner. *lib.2.cap.4.artis stratag.*

Dux consideret, num locus pugnæ hostibus inimicus, an sibi accommodus; an equitatui idoneus, an peditibus; an angustus, impeditus arboribus, an paludibus campus apertus, *1.Sam.c.14.7. Jos.c.2.1.2.&* 42

seqq.& ne à potentiore in loco non idoneo circumveniatur. Ideoque impervia loca tenebit, *1.Sam.c. 23.24.* Scip.Amir. *lib.18.discurs.1.*

Sæpè etiam juvat, si ita sis captus, ut tuis sit necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria. Sanè propinqua munimenta aut mœnia, quantò plus spei ad effugium,eò minorem ad resistendum animum dare solent.

43 Dux ejusmodi sapienter & peritè aciem disponere possit & instruere ad resistendum, vel vim inferendum, *1.Reg.cap.20.14.25. 1.Sam. cap.11.8. 2.Sam. 18.1. Josu.cap.8. 1.Macch.cap.5.cap.6.c.9.c.10. 1.Sam.c.30.* De qua dispositione ex Homero Lipsius præcepta adfert sequentia:

1. *Atque equites posuit cum curribus ordine primo.*
2. *At peditum à tergo floremq; & robora belli,*
3. *Munimen septumq; : sed in medio agmine viles*
4. *Ignavosq; uti vel nolentes depugnarent.*

Aliam viam & rationem bene instruendæ aciei tradit Scip. Amirat. *lib.21. discurs. 2.* eamque exemplis illustrat aliam Ranzovius: aliam Fronsbergius: & aliam alii. Vegetius *lib.3.cap.17.* Quin ad victoriam,inquit,plurimum confert, ut lectissimos de peditibus & equitibus habeat dux post aciem in subsidiis præparatos. Nam qui supervenient, terribiliores sunt hosti iis, qui in manibus sunt & pugnant. Inopinata enim maximè movent & terrent, & sæpè milites vanis & inanibus magis, quàm justis formidinis causis moveri compertum est. Vide Gregor. *lib.11.cap.3.& 4.* & Flav. Veget, *de re milit.* Dissipatus exercitus facilè cæditur. *1.Sam. cap.30. Judith cap.13.* Conjunctæ vires validiores. Interest etiam,scire ordines laxare cùm acies premitur. Scip. Amir. *lib.20.discurs.12.* ita enim commodiùs pugnare, dimicare & armis suis uti possunt. Romani legionibus suis maximam orbis partem domuerunt: Macedonii suis phalangis Asiam. Erat autem phalanx, quasi unum corpus conglobatum conjunctumque ex pluribus militibus, qui suis hastis inter se invicem conserti erant instar sepis contexta. Legiones erant corpus quoddam,multis membris compositum ex militibus scilicet hastatis,triariis & principibus. Legiones distribuebantur in cohortes: cohortes in centurias: & hæ in contubernia, seu manipulos: Vide Scipion. Amirat. *lib.2. discurs.5.*

Prudentis est imperatoris, ne in prælio ab hostium exercitu circumveniatur, diligenter prospicere, & ne à fronte & à tergo simul oppugnetur. *1. Sam. cap.23.24.* Quare subsidia semper parata habeat ad eos usus: *2.Sam. cap.10.9.10.11.12.* Vide Greg. *lib.11. cap.4.num.5. de Repub.* & nullum hostem hostilémque arcem à tergo relinquat, aut loca non tuta. Exemplis illustrat Scipio Amirat. *lib.18. discurs.6.* ita enim expeditior frumentaria & annonæ ratio. 44

In acie instruenda & dividenda plerumque utile per gentes eam nationesque disponi,ut discretus labor fortes ignavósque distinguat, atque ipsâ contentione distinguantur & accendantur:idque ita,ut exteri & mercenarii, proximi sint discrimini,& domestico sanguini parcatur. 45

Consultum tamen est, regnicolas & nobiles patriæ miscere cum stipendiariis, ne proditio & defectio fiat. Gregor. *d.lib.11.cap.3. numero 8. 9. de Repub.*

Equites & pedites in bello sibi invicem in præliis plurimùm prodesse possunt. 46

Loca munita præsidiis custodienda, non justo præsidio destituenda, *1.Samuelis cap. 30.v.6. Josuæ cap.8.17. 2.Samuelis cap.8.6. 2.Chronic. cap.17.2.cap. 11.5.6.* 47

48 Portarum custodia & cura fidelis, fidelibus committenda, *Nehem.c.7.3.c.13.19.*

Duci, si fieri potest, studendum, ut semper prior aciem instruat.

Nam tum ex arbitrio tuo poteris facere, quod utile tibi judicas, cum nullus obsistit. Deinde hoc ipso tuis auges confidentiam & adversariis minuis, Alex. ab Alexand. *lib. 4. cap. 7.*

49 Ducem quoque illo tempore in acie instruenda convenit esse confidentem & lætum & alacrem, non segnem, hucque illuc clamoribus circumagi & desperabundo similem, *1. Sam. 13. 9.* Hortetur ad virtutem, & quamquam virtuti ipsorum confidat, tamen hortationes & preces miscebit.

In re trepida, nequaquam ille trepidet, sed in trepidatione constantis Ducis & fortissimi militis officium faciat, suos sistat & incitet, paventibus occurrat, cedentes retineat, ubi plurimus labor, eò frequentiùs advolet, denique manu, voce, consilio, insignis hosti, conspicuus suis, uti Lucan. *de Cæsare ait lib. 7.*

Subjicit ipse manu gladios, ac tela ministrat,
Promovet ipse acies, impellit terga suorum,
Verbere conversa cessantes excitat hasta.

Adde exemplum Davidis, *1. Sam. c. 30.* & Saulis, *1. Sam. c. 11.* & Gideonis & Joabi, *2. Sam. c. 10. 10. 11. 12. c. 18. 1. Sam. c. 4. 9. Judic. c. 20. 33. & seqq.* adde Alex ab Aalex. *lib. 4. c. 7.* Scipionis Africani, Papyrii Cursoris & aliorum. Boter. *lib. 10.*

50 Quod si suos vincere videt, cohibebit, ne nimis diffundantur.

Frequenter jam fusa acies, dispersos ac passim sequentes, reparatis viribus interemit. Satis citò incipis victoriam, ubi provisum fuerit, ne vincare.

Non etiam pertinaciter instandum, ne clausis ex desperatione crescat audacia: & cùm spei nihil est,

hil est, sumat arma formido: sed via ad fugiendum munienda.

Denique à præda milites arcendi, donec plenè vicerint.

Nam sæpè obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, omisso hoste spolia consectandi. Hæc ex Vegetio & aliis. Latiùs Lipsius persequitur *lib. 5. polit. c. 16.* Bod. *lib. 5. c. 5. de Rep.* & Scip. Amir. *lib. 17.*

Obliqua consilia & occulta, sunt stratagemata, 51
in arte, dolo & solertia posita, tam ubi cavendus, quàm opprimendus est hostis.

Dolus (enim) an virtus, quis in hoste requirat? Insidiæ igitur, stratagemata, astutia, solertia & dolus in bello contra hostem sunt licita. *l. 1. §. non fuit. de dol. Num. c. 13. Jud. cap. 1. 24. Jos. c. 8. 2. Sam. 5. 23. Jud. 20. 33. & seq. Gen. c. 14.* De usu stratagematum vide Reusn. *lib. 2. c. 5. art. strat.* Itaque exploratio & proditio res media & adiaphora est, quâ bene & malè uti possumus: Machiav. *lib. 3. c. 14.* Boter. *lib. 9. c. 22.* Lipsi. *lib. 5. cap. 17.* Ayala *lib. 1 cap. 8. de jure & offic. milit.*

Huc pertinet conciliatio animorum, corruptio 52
& deceptio, quæ in bello licita. Nam hîc prudentiæ est, conciliare sibi animos hominum, & ad usus adjungere: quod fieri potest suasione & dono, quo omnia sunt vænalia, inprimis proditio & arcanorum revelatio.

2. Chron. c. 32. 1. 2. 18. 2. Sam. c. 3. 20. 21. & c. 19. 14. 15. c. 20. 45. Lipsi. *lib. 4. cap. ult.* Et transfugæ hostium recipiendi sunt, *2. Sam. c. 4. 11. Deut. c. 23. 15.*

Deceptio est, quâ inducitur alius in commoda tua, errore aliquo objecto. Deceptio enim in bello prudentia est, sicuti & simulatio & dissimulatio. *Judic. c. 3. 28. 2. Sam. c. 3. 8. 9. 29. 1. Sam. c. 10. 27.* sine quibus technis, dux belli contra insidiantes vix est, ut se, vel suos aliter tueri possit.

Reusn. *lib. 2. c. 5. de art. strat. ag.* Hinc consultum putant, ut

discordiæ inter hostes seminentur, excitentur tumultus, seditiones: Item cum ducibus hostis, vel aliis auctoritate & potestate instructis clam conspirare, eosque disuadendum bellum, vel obsidionem præliumve inducere, alióve eos avertere, aut ut tardiùs & cunctantiùs agant, aut ut de proposito hostis in tempore eos certiores faciant. Boter. *lib.6.c.8.* Debet itaque dux nosse certos & convenientes modos quibus hostem decipiat. Vide Ranzov. *lib.2.de.bello.c.4.* Quò refero interceptionem commeatus & militum auxiliatium copiarum, quæ hosti submittuntur. Ranzov. *d.lib.2.c.10.* Cunctatio Fabiana plurimum & hîc momenti habere potest. Huc etiam pertinet, quando occasio belli cum vicinis in suum commodum vertitur. Sic Angliæ regina bellum in Belgio motum ab Hispano, pecuniâ, auxilio fovit, atque ità bellum à proprio regno depulit.

53 Deceptio, quæ cum perfidia est conjuncta, nequaquam in bello etiam licita.

Psal.15. Rom.c.1.2. Sam.c.21. 6.7. Jos.c.9.3. 26. Prov.c.20. 28. Vide de his Alberic. Gentil. *in lib. de jure belli, lib.2.c.8.9. 10.* ubi varia exempla refert Valer. Max. *lib.7.c.4.* Covarruv. *1.var.resol.c.2. Jos.c.2.14.* Lipsi. *lib.4.c.ult. Prov.c.11.c.17. Eccl.c.7.* Non decet principem labium mendax. *d.c.17. Prov.* & Danæ. *lib.3.polit.c.4.* ubi ad contraria respondet Martyr. *in loc. de bello & Jud.c.1.* Melch. Jun. *lib.2.polit.quæst.76.*

Proditoribus eriam uti potest.

2.Sam.c.15.32.c.4. Martyr *in Judic.c.1.* quia jure & bono animo fit contra illum, qui deteriorem causam agit, & non vult pati adduci se ad bonas & æquas conditiones: & scelerati non occultandi; quales proditores boni fuerunt Gibeonitæ, Rahab, Jahel, Jonathan, Husai, qui justè perdiderunt injustè agentes & molientes iniqua.

54 Alterum, quod in duce spectandum esse dixi, est authoritas.

Nam ubi non est authoritas, ibi nec timor est hostium, nec subditorum. Homines enim in tantis rebus opinione non minùs famæ, quàm certâ aliqua ratione commoventur, ut aut contemnant, aut metuant, aut odio vel amore prolequantur. Hac valuit & vicit multos Alexander, Scipio Africanus & alii.

Hanc

Hanc authoritatem parit inter alia etiam severitas in delictis militaribus vindicandis, & in disciplina militari conservanda. 55

Facilis enim dux, ut inutilis contemnitur, quamvis illo milites delectentur. Austerus, severus & rigidus, licet eundem aversentur, tamen obsequentes & obedientes habet milites: quibus est etiam gratus & acceptus, quando severitatē comitate & benignitate nonnunquam temperat, uti quando se dux cum militibus exercet, & cultu habituque corporis, paululum à privato differt: item quando ubi quis inops est vel saucius, vestem & fomenta largitur: vel aliis modis & artibus se charum & venerandum efficit, uti Lipsius ex aliis refert.

Exercitus benevolentiam etiam sibi dux ille facilè conciliat, qui cum militibus ipse cibum militariter capit, qui in laboribus & periculis cum iis versatur, qui minus prædæ capit, eámque militibus relinquit: & qui non abutitur sanguine militum, quem non temerè, crudeliter vel perfidè effundit. 56

Facit huc *1.Chron. c.11.19.* Dicebat enim, Absit mihi à Deo meo, ut sanguinem virorum istorum biberem ineuntium periculum vitæ suæ. Vid. Patr. *l.b.8.tit.12.de regno.*

Contentiones in exercitu per duces tollendę, & maturè sunt definiendæ. Tandem enim longiùs serpunt & fiunt periculosæ. 57

Duces igitur inter se disidentes, nisi separentur, produnt exercitum, & præclaras rei bene gerendæ occasiones perdunt. Danæus *in aphoris.pol.*

Eodem quoque modo propriorum delictorum recordatio & convicia inter milites prohibenda sunt.

Tertium, quod in duce eligendo considerandum diximus, est felicitas, quæ comes ferè consilii & rationis est. 58

Felix fuit Dux Josua, Cyrus, Alexander Magnus, Carolus V. & plures; de quibus Boterus *lib.10.c.2.*

Sed tamen paulò benigniùs quibusdam à Deo attributa, & quibusdã etiam, alioquin summis viris, denegata, qui quartâ lunâ nati, domi equum Sejanum habent, ut veteres dixerunt, adeò ut cuicunque rei manum admovent, ea se avertat.

Greg. *lib.11.c.4.num.6.7.* Hanc infelicitatem eorundem comitari solet militum stupor, ut felicitatem eorundem fraudicia. Unde Theognides:

Multis miers læva est, sed eisdem numina dextra:
Queis malè quod cœptum est, vertit & in melius.

Contrà aliis destinata salubriter omni ratione potentiot successus discussit. Ut quisque occasione utitur, ira præcellit atq; exinde sapere eum omnes dicimus, ut ait Plutarchus.

59 Sequitur de secundariis gubernatoribus, qui imperantis alterius nutu sive jussu imperant, & suo ductu rem gerunt. Talis est ducis legatus & tribunus militum. Ejusmodi strenui esse debent, qui caveant, ne popularis favoris significationem & applausum captent vel admittant, ne fiant duci suspecti.

Vide exemplum *1.Sam.c.18.7.28.& c.14.53.* Ideoque convenit hisce ad removendam à se invidiam aliorum & ducis, ut ad ipsum laudem præclarè gestæ rei referant, *2.Sam.c.12. 28.29.* ubi exemplum Joab extat.

Legatus ducis, seu imperatoris belli, est illius vicarius, qui hodie vocatur locum tenens.

Tribunus militum, est eorundem præfectus, qui vocatur hodie capitaneus.

Hucusq; de belli directoribus & gubernatoribus: sequitur de militibus.

60 Milites sunt homines à magistratu ad συμμαχίαν seu bellum tractandum collecti & ordinati.

Definitore Obrechto, *l.2.§.1.de his qui not. infam.1.Sam. cap.14.*

cap.14.53. Prospiciebat sibi Saul de omni viro forti & omni strenuo, quem recipiebat ad se. *Deut.c.20.1.2. & seqq.* & Josaphat bonos habuisse dicitur, *2.Chron.c.17.13. & seqq.* De variis variorum militibus latè Zuing. *vol.28. lib.3.* Boter. *lib.9.c.4.de polit.const.*

Horum alii sunt tyrones, alii veteres milites, alii veterani.

Tyrones sũt novi milites, qui publicis stipendiis ad militiam instituuntur, nondum tamen in ordinem militum relati sunt. *l.3.§.si plures. D. de re milit.* 61

Veteres milites sunt, qui aliquoties in bello interfuerunt. 62

Veterani sunt, qui legitimam missionem impetratunt, *tot. tit. de privileg. veteran.* 63

Hi priores σύμμαχοι, seu commilitones omnes dividuntur in equites & pedites. Illis campi, his colles, urbes, plana & abrupta servantur, qui utiliores ubique & minori sumptu aluntur. Exemplis probat Boterus. *lib.10. c.9.* & Lipsi. *lib.5.c.7. polit.* & Scip. Amir. *lib.19.discurs.2.*

Collectio militum fit vocatione militum, & vocatorum probatorum receptione. 64

Vocatio militum est eorundem ad locum certum sub tempore certo, quibus conveniant, evocatio ex locis diversis.

Idoneos autem milites evocari, ex quinque notis judicandum existimat Lipsius, nimirum ex patria, ætate, corpore, animo & vita. Ex quibus delectus militum haberi potest, etiam judicio Boteri, *de jur. bell. lib.1.c.7.* Melch. Jun. *lib.2.pol.quæst.70.* Scip. Amir. *lib.20.discurs.2. & 3.* 65

Nam in omni conflictu, non tam prodest multitudo, quàm virtus: etiam in multis legionibus pauci sunt, qui prælia profligant.

66 Milites exteri sæpè infidi, refractarii, sunt, cuncta ex libidine agentes, in pugna frigidi aut pavidi, sine fide & affectu, graves incolis & pernicioſi, terræ quam defendere debebant, populatores, & graves ærario, cujus sunt hirudines.

In civilibus bellis exteræ gentes in societatem bellorum ascitæ, oppreſſerunt Remp. sæpe.

Richt. *ax. 248.* Ita fit, ut defensores sæpè fiant devoratores. Greg. *lib. 11. c. 3. de Rep.* Exempla omnes historiæ suppeditant plurima, quæ collegit Greg. Rich. Bod. *li. 5. c. 5. de Rep.*

Contrà intranei & domeſtici fidi, obedientes, fortes, acres in pugna, erga regem proprium propensi, amore & reverentiâ illum prosequentes, patriæ amantes. ut probat Lipsius. Vide *2. Chron. c. 17. 13. & seqq.*

67 Mercenarii tamen quandoque utiles imprimis, quando major vis aut neceſſitas ingruit. Sed tamen semper cavendum providis ducibus, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque propriè virium in castris habeant.

Ut Lipsius monet & Patric. *lib. 9. tit. 15. & tit. 3. de regno.* Pet. Greg. *d. lib. 11. c. 3.* Bodin. *lib. 5. c. 5. de Rep.*

68 Ex plagis, quæ non nimiùm soli vicinæ sunt, & non nimiùm à sole remotæ, milites optimi seliguntur & vocantur. Solent enim hi naturâ loci esse prudentes & fortes, quia temperatâ complexione sunt præditi. Vide Bodin. *in method. hist. c. 5.*

Fortior etiam miles è confragoso venit; segnior est urbanus & verna.

Ex agricolis viri fortissimi & milites strenuissimi gignuntur.

Sunt enim duri, agrestes, laborioſi, patientes famis, sitis, solis & frigoris, sine deliciis & commerciis, imprimis silvestres & montani, maritimi ve Lipſ. *lib. 5. c. 12.*

Ætas

Ætas juvenilis in milite aptior ad labores & bellum, & ad disciplinam militarem meliùs informari potest. Veget. *lib. 1. c. 4.*

Corpus in milite mediocre probatur, quod est durum, cui stricti artus, minax vultus, major animi vigor, corpus, inquam, vegetum potiùs, quàm fluidum & pingue: Lipſ. *lib. 5. c. 12.* Scip. Amir. *lib. 20. discurs. 2. & 3.* 69

Animus militis, acer & præsens, acutus & versutus requiritur, cum confidentia militari, qui gloriæ avidus, verecundus, & fati sui securus est, qui nihil metuat, niſi turpem famam. 70

Vita præterita militis talis fuerit, ut non mollium artium cultor, dulciarius, linteo, auceps, sellularius, nec sedentarius, vilis aut infamis fuerit, sed exercuerit artes, seu opificia duriora & aspera, laboriosa & auctuosa, ut sunt fabri ferrarii, carpentarii, macellarii, venatores ferarum, piscatores, agricolæ, rustici. 71

Hi enim certandi laborem, & in exercitu famem, sitim & reliquas ærumnas belli patienter & absque defatigatione magna perferri possunt. Lipſ. *ex Vegetio.*

Sed in milite hodie hæc non observantur, magno certè Reip. malo, ut rectè Lipſ. conqueritur. Nam emunt hodie, non legunt militem. Pecuniola proponitur, tympanũ strepit, & eccè coëunt aliquot ignoti inter se ignorantesque, purgamenta urbium suarum, quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi neceſſitudo est: assueti latrociniis, bellorum insolentes, atque, ut uno verbo dicam, quorum lingua vana, manus rapacissimæ, gula immensa, pedes fugaces, quæ honestè nominari non possunt, inhonestissima. Quòd si meliorìs fortè notæ sunt immixti, hi facilè abripiuntur & velut obducuntur à reliqua fece, ut Lipsius *lib. 5. politic. cap. 8.* ex aliis refert: & Scip. Amir. *lib. 20. discurs. 2.* 72

Modi convocandi milites hodie varii sunt, pro locorum & temporum diversitate.

73 Si tumultus, vel subitum bellum ingruit, magistratus militaris plerumque campanæ pulsu, vel fulminalis machinæ sonitu, vel tuba, vel tympano, ad certum locum subditos vocare solet.

Si necessitas non est repentina, & res moram ferre potest, eos ad certum diem & locum adesse jubet, & ex iis certum numerum, reliquis dimissis, retinet.

Sed tertius modus convocandi est usitatior. Nam solent magistratus emittere certos conquisitores, qui ex diversis locis milites conscribant.

Olim apud Romanos evocari solebant milites per Ductorem seu Ducem exercitus, duobus vexillis, roseo & cæruleo ad Capitolium fixis; illo pedites, hoc equites evocabant. Aut si res moram patiebatur, consules pro tribunali sedentes, & sellis in foro positis, singulorum civium nomina citari jusserunt, ita ut citati ad nomina responderent, & ad militiam, nisi justam excusationis causam haberent, cogerentur. *l.4.§.gravius.de re milit.*

74 Sunt tamen multi, qui ad militiam cogi, & si velent, recipi non possunt, vel quia excusationem habent, vel quia nullam; uti infames, proditores, transfugæ, exules, rei capitalis criminis, vel publico judicio damnati, hæretici. *Vid. tit. de re milit.* item mulieres, servi; vide Bocer. *d.loc.c.7.* & Veget. *lib.1. c.3.* timidi, sponsi, ædificantes domum vineámve, excusationem habent, *Deut.c.20.*

Ministris ecclesiæ non licet arma gerere.

Nemo enim militans Deo, implicat se vitæ negotiis, ut Paulus ad Tim. ait & alio loco; Arma inquit, nostra non sunt carnalia, sed potentia in Deo, lacrymæ scilicet & preces, & jejunia; adde *1.Chron.c.32.* Nec etiam sufficere possunt ministri utrique muneri, ecclesiastico & militari. Utrumq; enim requirit totum hominem. Si tamen hostis repentinus obsideat civitatem, & jam subierit in mœnia, minister ecclesiæ rectè potest arma sumere, & vim vi repellere.

Nec mulieribus arma tractare more militari licet. Oportet enim has familiam curare & pudicitiæ rationem habere, *Prov.c.30.* & ad Tim. Paulus docet. Juvare milites, exigente necessitate, possunt, & se ipsas contra vim & injuriam defendere. Vide Jun. *lib.2.pol.quæst.69.* Exempla de Jaël, Debora, Juditha, sunt extraordinaria.

Militum vocatorum probatio est, quâ, ubi die & 75
locò destinatis conveniunt, probantur; & qualis, & quàm idoneus quisque ad militiam sit, exploratur, & probati recipiuntur & inscribuntur à duce belli, vel consiliariis militaribus *l.17. neminem. C.de re mil. l.1.C.qui milit.poss.* Bocer. *d.loc.c.10.* timidi deprehensi, vel qui naturali aliquo affectu domi retinentur, à reliquis separandi, *Deut.c.20.5.8.c.24.5.*

Num Christiano principi liceat uti infidelibus, Saracenis, Turcis & aliis, disputat Greg. *lib.11.c.3.n.7.de Repub.* & vide exempla, *Gen.cap.22.Jos.c.9. & 1.Sam.c.21.c.27. 1.Reg.c.15. 1.Macch.cap.8.*

Recepti & approbati milites postea ad gerendum 76
bellum ordinantur, cingulo datione, deinde distributione, & denique juramenti præstatione.

Cingulum receptis militibus, tanquam armorum insigne, & militiæ argumentum, dabatur, quo appenso ense cingebantur milites apud Romanos.

Hodie apud nos milites cincti videntur, quando certis bellicis armis decorantur & instruuntur. Vide Connan. *lib.9.comm.c.5.n.8.Gen.c.14.14.*

Distributio militum est, quâ cincti in certos or- 77
dines atque officia distribuuntur, sive in numeros referuntur.

L.4.l.38.§.1.l.42.de test.milit. Adde Gen.c.14.15.1.Reg.cap. 20.25.26.27.1.Sam.c.15.4.c.11.8. Num.c.1.c.26. 2.Sam.c.24.

Sine quâ collectio militum nihil aliud est, quàm multorum hominum confusio & colluvies. Vide Bocer. *d. loc. c. 10.*

Distributio hodie, quando magnus colligitur exercitus, solet fieri in regimina tria: nempe in regimen equitum: in regimen eorum, qui rem armamentariam tractant & administrant; & in regimen peditum. Olim fiebat in legiones & optiones. Vide Boc. *d. loc. cap. 11.*

Legiones in varios numeros distribuebantur, veluti in cohortes, alas, cuneos, centurias, decurias, in quos numeros, milites relati, & sub eorum signa sive vexilla collocati, jugiter ipsis inhærere tenebantur, nec ab iis sine periculo discedere poterant.

Optiones erant auxilia federatorum, quæ legionibus in acie jungebantur, uti iis præliandi magis adminiculum essent, quàm principale subsidium. *l. 2. §. 1. de his qui not. infam. l. 2. C. de hæred. decur. l. ult. C. de locat. condu.* Vide Rosin. *in antiq. jur. Rom. lib. 10. c. 4.* Alex. ab Alex. *lib. 1. c. 5. & lib. 6. c. 22. & lib. 8. c. 3. gen. dier.* Zuing. *vol. 28. lib. 3. theat.*

78 Regimen equitum in certas cohortes & turmas hodie distribuitur: Bocer. *d. loc. c. 11.*

79 Cohors ducentos & quinquaginta, vel trecentos: Turma quinquaginta equites continet: interdum plures, interdum pauciores, pro arbitrio ducis belli; Bocer. *d. loc.*

Alterum Regimen in certos quoque ordines & officia distribuitur.

Tertium regimen in certas cohortes & contubernia distinguitur.

Cohors 300. vel 400. & contubernium 10. vel 6. constat militibus, quibus præest decanus, seu decurio; decurioni verò præest quinquagenarius, & huic centurio.

Quòd si cohors quingentos complectitur milites, nihil melius est atque utilius: quia ita minores fiunt

fiunt sumptus, & tam ad repellendam, quàm ad inferendam vim plus roboris habet.

Singula militum, tum peditum, tum equitum contubernia, unum calonem & lixam unum habeant, & jumentum ad minus unum, quod sarcinas contubernii ferat, ad summum tamen jumenta tria. Focariæ verò mulieres minimè tolerandæ sunt in exercitu.

In toto autem exercitu, trium generum personæ sunt, quarum primi generis ad tria regimina; secundi generis ad unum regimen; tertii generis ad unam cohortem referuntur: Ita Obrecht.

Primi generis personæ functioni certæ præsunt, vel parent.

Præsunt consiliarii militares, seu diribitores, ca- 80
strensis ærarii custos, supremus rerum capitalium præfectus, supremus præfectus annonæ, metator atque mensor, incendiorum magister, & Archiater, Bocer. *d. loc. c. 11.*

Parent aliis in hoc genere, secretarius ducis belli, & fecialis.

Secundi generis personæ, vel ad regimen equitum, vel ad regimen rei armamentariæ, vel ad regimen peditum pertinent.

In regimine equitum, qui functioni certæ præsunt, habent generalem hujus regiminis curam, vel specialem.

Generalem habet equitum magister, quem 81
Germani vocamus Rittmeister / & illius vicarius, sein Leutenant: specialem habent præfecti equitum, horum vicarii, equestris metator atque mensor equestris, excubiarum præfectus, equestris rerum capitalium prætor, & decuriones equestres.

82 Parent aliis in hoc Regimine capellanus, medicus, præfecti equitum, ſcriba, tubicines, & equites.

In Regimine rei armamentariæ ſimiliter quidam ſunt generales, vel ſpeciales præſides & præfecti.

83 Generalis eſt magiſter rei armamentariæ & illius vicarius. Specialis eſt quæſtor, aggeribus ſtruendis præpoſitus, rei armamentariæ quæſitor: rei armamentariæ cuſtos: aurigarum præpoſitus: vehiculorum præpoſitus, foſſorum & cuniculariorum præpoſitus, & pontium magiſter.

84

In hoc Regimine parent aliis, medicus, capellanus, præpoſitus machinæ fulminalis, foſſores & cuniculariі, pulveris nitrati cuſtodes, chirurgus, bajuli, & exploratores.

In Regimine peditum ſimiliter ſunt præfecti generales, vel ſpeciales.

85 Generales ſunt magiſter peditum, & illius vicarius. Speciales ſunt tribuni peditum, horumq; vicarii, Schultetus, judices, pedeſtris excubiarum præfectus, pedeſtris annonæ ſtructor.

86

Parent in hoc regimine aliis, medicus, capellanus, ſcriba judicii, exploratores itinerum, duces, carceris cuſtos, lictores & pedites.

Nam ſacerdotes etiam à bello non omnino excuſantur, *Num.c.31.6. Deut.c.20.21. Joſu.c.6. 2.Chron.c.13.12.* exploratores quoq; liciti, *Num.c.13. Joſ.c.2.c.6.* & proditores quandoque laudandi, *2.Sam.c.15.34.dixi ſupra n.51. & ſeqq.*

Tertii generis perſonæ, vel ad cohortem equitum, vel ad cohortem peditum ſpectant.

87 Pertinentes ad cohortem equitum, ſunt præfectus equitum, illius vicarius, vexillarius, equeſtris diverſoriorum deſignator, & decuriones equeſtres.

In hac cohorte aliis parent capellanus, ſcriba, præfecti equitum, chirurgus, tubicen & equites.

Pertinentes ad cohortem peditum præfecti ſunt 88
tribunus peditum, illius vicarius, ſignifer, ordinum ſtructor, pedeſtris diverſoriorum deſignator, ordinum ductor, duo communes, ſeu populares ordinum ſtructores, & decuriones pedeſtres.

In hoc ordine parent aliis capellanus, ſcriba, tribuni, chirurgus, fiſtulator, tympaniſta, & pedites. Hæc ex Bocero & Obrechto.

Diſtributi milites juramentũ præſtant, ſe omnia 89
facturos, quæ præceperit imperator; nunquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Rep. *l.13.milites. §.miſſionum.de re milit.*

Hoc juramento præſtito, milites auctorati dicuntur, & quaſi obærati, hoc eſt, ære ſtipendiario devincti, & non ampliùs ſui arbitrii.

In præſtatione & exactione hujus juramenti, ſolent iis qui aliis præſunt, peculiares articuli ex ipſorum officiis deſumpti, proponi: at militibus aliis in genere, alii articuli præleguntur, quibus militaria jura & diſciplina continentur.

Supereſt denuntiatio belli, quâ per fecialem 90
ſeu præconem, bellum ex decreto & conſenſu ſummi magiſtratus hoſti indicitur.

L.hoſtes 118.de verb.ſign.l.24.de capt.& poſt l.reverſ. Bocer. *de jure belli.c.3.c.6. Deut.c.20.10.& ſeqq. Judic.c.11.1.Reg.c.20. 2.Reg.c.23.* Alex.ab Alex. *lib.5.c.3.* Vide Liv. *lib.1.* Geil. *lib.26.c.4.* Plutarch. *in Numid.* quæ denuntiatio ſeu indictio belli, clarigeratio dicebatur, quam ſequebatur diffidatio, die abſagung.

Ejusmodi denuntiatio belli eſt neceſſaria in bello vindicatorio, non defenſorio, in quo ſtatim etiam ſine indictione bellum geri poteſt.

De variorum populorum variis modis belligerandi, latiùs Zuinger. *vol. 28. lib. 3.*

CAPUT XXXVI.

De gestione & administratione belli.

1 *Gestio belli quid.*
2 *Actiones polemicæ.*
3 *Disciplina militaris.*
4 *Exercitium militare.*
5 *Usus armorum singulorum qualis.*
6 *Exercitatio militum in opere qualis.*
7 *Ordo militaris in bellicis actionibus.*
8 *Admonitio ducis ad virtutem.*
9 *Coërctio militum.*
10 *Continentia militum in cibo, potu & Venere.*
11 *Modestia militum in verbis, factis & vestibus.*
12 *Militis cura circa tria.*
13 *Abstinentia militis à vi & rapinâ.*
14 *Abstinentia à somno & luxuriâ.*
15 *Concordia militum quàm necessaria.*
16 *Utilis militi absentia cognatorum.*
17 *Desperatio, pericula & necessitas inevitabilis.*
18 *Præmia militum varia.*
19 *Laudes & encomia militum.*
20 *Honoraria militum.*
21 *In bello mutilati & inutiles redditi, sustentantur.*
22 *Munificentia & liberalitas ducis in milites.*
23 *Privilegia militaria.*
24 *Pœnæ militares.*
25 *Genera pœnarum militarium.*
26 *Calamitas bellica, ejusq; species.*
27 *Prædatio in bello licita.*
28 *Cautio observanda in prædis & direptionibus.*
29 *Prædæ divisio inter milites.*
30 *Obsidio urbium, munitionúmve.*
31 *Ductus exercitus per loca invia.*
32 *Cuniculi eruptio, oppugnatio, deditio &c.*
33 *Transactio cum hoste utilis & necessaria, quando.*

34 *Prælium cum hoste, & conflictus.*
35 *Prælium quando non ineundum.*
36 *Velitationes cum hoste.*
37 *Ad desperationem hostis non adigendus.*
38 *Prælio & pugnæ an dux interesse debeat.*
39 *Ducum & principum congressus periculosus.*
40 *Demolitiones & incendia pagorum, vastationes agrorum, arborum &c.*
41 *Velitatio quid.*
42 *Homicidia in bello quando licita.*
43 *Captivitas.*
44 *Quibus parcendum in urbium expugnatione, & quibus non.*
45 *Bella civilia ex culpâ principis, vel subditorum orta, quomodo gerenda.*
46 *Induciæ pactæ servandæ.*
47 *Tempore induciarum collocutiones hostium periculosæ.*
48 *Clades bellica, ejusq; remedia.*
49 *Victor quomodo se gerere debeat.*
50 *Victoria Deo adscribenda.*
51 *Victor victoriâ quomodo uti debeat.*
52 *Victoria qualis esse debeat.*
53 *Vices vitæ hominum.*
54 *Victorum vires minuendæ sunt.*
55 *Obsides victorum & colonia.*
56 *Cautè victoriâ utendum.*
57 *Aviditas militum in prædâ sectandâ, & contemptus hostis, & negligentia corrumpunt victorias.*
58 *Fugienti hosti locus & tempus evadendi dandum.*
59 *Bella finienda consensu superioris & ordinum.*
60 *Arma retinenda pro pacis defensione.*
61 *Pax sit honesta & simplex.*
62 *Cum subditis pax inita difficulter servatur.*
63 *Tempus de pace agendi quando commodum.*
64 *Pacis occasiones non facilè negligendæ.*
65 *Bellorum fines egregii qui.*
66 *Dimissio militum.*
67 *Victis tributa imponuntur.*
68 *Coloniæ ductio.*
69 *Adquisita provincia, urbs, oppida regno cedunt.*

HActenus de susceptione belli: sequitur de illius gestione & administratione.

1 Gestio belli est legitimè suscepti illius exsecutio per actiones bellicas. Vocari potest belli administratio, vel gubernatio.

2 Actiones bellicæ seu polemicæ sunt, quæ spectant ad vires & robur hostis frangendum, & victoriam comparandam.

Ejusmodi sunt disciplina militaris, & calamitates polemicæ hosti illatæ, vel declinatæ.

3 Disciplina militaris, est severa conformatio militis, ad robur & virtutem, à duce belli instituta.

L.12.officium.de re milit. Deut.c.23.9.14.c.20. ut Lips. describit & Boter. *l.b.9.c.10.* qui hanc vocant præcipuum decus, & stabilimentum Imperii, & vinculum tenacissimum, ex cujus sinu omnes triumphi manarunt. Nam paucos viros fortes natura procreat, bonâ institutione plures reddit industrios. JCtus dicit, eam consistere in danda & observanda ratione viventii, *d.l.12.de re milit.* Alii malunt dicere, consistere hanc in labore, in negotiis, in fortitudine, in periculis, in temperantia, in cupiditatibus, in industria, in agendo, in celeritate, in conficiendo.

Ad robur conformant milites, exercitium & ordo militaris.

4 Exercitium militare est, quo instruuntur milites assiduè, & exercentur ad armorum usum, & ad opus. Unde exercitus dicitur, quòd melior fiat exercitando, ut Varro docet. Nam in omni prælio, non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent præstare victoriam.

5 Armorum usus tyronibus primò est demonstrandus, posteà imitatio ab iisdem in quotidianis exercitiis exigenda.

Usus, inquam, singulorum armorum, gladii, bombardæ, hastæ, loricæ, scuti, bipennis & reliquorum omnium bellicorum armorum, inprimis eorum, quibus miles quisque usurus est contra hostem; ut sciat tractare illa expeditè & promptè, punctim vel cæsim vim inferendo, vel declinando & excipiendo, & quomodo militari gradu ambulare cum armis celeriter & æqualiter possit. Castra constituere & munire in acie, ordinem & intervallum custodire, & dispositos ordines servare, nec ultra quàm decet, conglobare, aut laxare agmen, & quæcunque alia, quæ evenire in acie atque præliis possunt, omnia in campestri meditatione miles prænoscat, *2.Sam.c.1.18. 1.Chron.c.12.33.* Unde etiam simulatæ pugnæ utiles, quando inter se in modum justæ pugnæ milites concurrunt, idq; præmio proposito.

Opere milites exercentur, quando assiduè laborare, decurrere, portare pondus, & solem, frigus, famem & sitim, & pulverem ferre discunt.

Nam hæc indurant militem, & exercitus proficit labore, otio verò consenescit & languescit. Sæpè etiam in arduis expeditionibus necessitas imminet, annonam pariter & arma portandi, castra muniendi, fossam ducendi, sudes figendi, munitiones parandi. Cic.2.*Tuscul.* dicit, Milites Romanos scutum, galeam, gladium in onere non plus numerare, quàm humeros, lacertos, manus, quòd scil. super arma, ferramenta, annona, aliaque instrumenta bellica quandoq; illis sint portanda. Boter. *lib.6.c.15.de pol.inst.*

Opere deinde exercentur milites, 1. ad militarem gradum & incessum observandum. 2. ad cursum celeriorem, vel tardiorem. 3. ad saltum. 4. ad usum natandi. 5. ad facienda missilia, & jaciendos lapides. 6. ad ascendendos equos à dextris & sinistris, & expeditè desiliendum ab ipsis. 7. ad portan- 6

dum onus. 8. Ad equitandum. 9. Ad tormenta ducenda & transferenda in loca varia. Boter. *lib. 9. c. 10. de polit. const.*

Exercentur etiam milites pugnis, præliisve fictis, invasionibus, defensionibus locorum, viarum, terminorum, fossarum. Ad hostem invadendum, provocandum, ad impetus illius excipiendos, declinandos, sustinendos. Nam usus & experientia militaris in pugna plus prodest & valet, quàm vires.

7 Ordo militaris est in bellicis actionibus, in digerendis & distribuendis militibus, ad incedendum, ad standum, pugnandum, locum adsignatum occupandum, tenendum, recedendum, properandum, accedendum, declinandum, ut nimirum quilibet in regimine suo, cohorte adsignatâ, sub suo centurione & præfecto in contubernio suo inveniatur.

Ita enim usus facilior, & expeditior, & efficacior esse potest, & quilibet sui centurionis, & centurio tribuni sui, tribunus verò sui ducis imperata exaudire, intelligere & facere possunt, ad nutum & voluntatem regentis, sine tumultu.

Certum enim est, non omnia omnibus imperanda, sed ita se ducum autoritas, sic rigor disciplinæ habet, ut multa per centuriones tribunosque tantum juberi expediat, ut Lipsius ex Tacito refert. Adde *2. Sam. c. 2. 28.*

In itinere quoque, vel in acie videndũ, ut omnes milites ordinem incedendi servent, utæquali, legitimoq; spatio miles distet à milite, nec ultra quàm expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Sæpè enim integri exercitus ob confusionem periêre *2. Sam. c. 30. Judith c. 13.*

In castris observandum, ut illa aptâ dimensione vias suas, portas, fora, ad formam urbis habeant, ut facilè

facilè quisq; locum suum & commilitones reperire possit. Vide Zuing. *vol. 28. lib. 3.*

Ad virtutem milites conformat admonitio, coercitio & exempla.

Admonitio ducis milites afficit & incendit ad 8
virtutem, fortitudinem & justam iram.

2. Sam. c. 10. 12. Confirmare, imò confirmemus nos pro populo nostro, & pro civitatibus Dei nostri: Jehova autem faciat quod bonum videtur in oculis suis.

Coërctio est, quę mores militum coërcet & fræ- 9
nat, atque robur & ordinem militarem in exercitu conservat per continentiam, modestiam & abstinentiam militum, & concordiam.

Continentia in cibo & Venere exigitur, ne mili- 10
tes effusè sint cõviviis & ventri dediti, & turpissimæ parti corporis. Utraq; res enervat & degenerant à robore ac virtute milites, assuetudine voluptatum.

Ideoq; à castris luxuriosos apparatus conviviorum, & instrumenta libidinum arcebit dux belli, & leges de disciplinâ militari promulgabit & observabit.

Vide Greg. *lib. 11. c. 9.* Una Annibalem hyberna solverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus enervarunt fomenta Campaniæ, armis vicit, vitiis victus est.

Modestia militum exigitur in verbis, vestibus & factis.

In verbis non sint contumelioſi in hostem, in- 11
solentes, eumque contemnentes, non sint vani, & buccâ turgidi, &, quod dicitur, Attici milites, qui in convivio & circulis, cùm de hostibus mentio incidit, vix manib. temperant, qui jactabundi, vix vultum eorundem sustinent, & plerumq; sunt ignavi, timidi, & solis verbis feroces, nimii, in periculis minimum ausuri. Scip. *lib. 18. discurs. 10.*

Viri fortes, in opere acres, ante id placidi, qui pectus animorum iræque tacitæ plenum habentes, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis differunt.

Lingua in consilio valet, in certamine dextra. De timidis militibus vide *Jer.c.48.c.46. Judic.c.9.* de strenuis & fortibus, *1.Sam.c.14. 1.Chron.c.13.*

In vestibus militum etiam modestia requiritur: & omnis splendor & jactantia illis vitanda. Horridus enim miles esse debet, non cælatus auro, argentoque, sed ferro & animo fretus.

Nam illa prædę cedunt, & hostem incitant, & militem impediunt, & ad fugam monent. Videndum igitur potiùs, ut bene armatus miles sit, quàm ut ornatus.

In factis modestia exigitur, ut milites sint intenti ad ducis sui, non signum modò, sed nutum quoque, *2.Sam.cap.2.28.* non curiosi, vel refractarii, qui ducum suorum jussa interpretari malunt, quàm exsequi: item patientes in omnibus bellicis actionib. non piscatum, non venatum, aut ad aliud opus privatum eant, sine illius permissu. *l.7. militem. l.9. C. de procurat.*

12 Miles hæc tria curare debet: corpus ut quàm validissimum & perniciissimum habeat; arma apta; animum ad subita imperia paratum, uti ex Livio refert Lipsius.

13 Abstinentia militum exigitur, ut à vi rapinisque absint, & manus puras habeant, provinciales non infestent, sed cum illis, tanquam cum amicis, vivant, illis nihil rapiant, auferant, sed stipendio & annonâ suâ sint contenti, & ita transeant, ut non modò manus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur.

Luc.c.3.

Luc.c.3. l.uni. ubi Cuja. *C.de salgam. hospit. non præben. lib.12. 1.Sam.c.25.7.* Pastores tuos, cùm essent nobiscum, non affecimus injuriâ, neque desideratum est illis quicquam omnibus diebus, quibus fuerunt in Carmelo. *8.* Interroga pueros tuos, qui tibi indicabunt. *15.* Cùm tamen homines illi benè fuerint erga nos valde, neque fuerimus injuriâ affecti, nec desideravimus quicquam. *& c.16.* Muri loco fuerunt nobis, &c.

Abstinentia quoque à somno nimio, voluptatibus & luxuriâ, milites ad virtutem conformat. Hæc vitia perdiderunt in rerũ abundantia milites Hannibalis, Capuæ. Sic etiam sumptuosa supellex, delicata vita, lixæ, calones, odores, unguenta, licentia deprędandi, furandi, otium, corrumpunt milites & deteriores reddunt. Hisce igitur contraria remedia sunt adhibenda, & ad virtutem & abstinentiam miles informandus. 14

Concordia militum inter se si non est, parum reliqua proderunt. Contentiones igitur in exercitu per duces statim sunt tollendæ & definiendæ. Fiunt enim tempore periculosiores: Contrà concordiâ mutuâ, ut habet proverbium, res parvæ crescunt & magnæ discordiâ dilabuntur. 15

Concordiæ, objectio priorum delictorum, & convicia, & diversitas religionis, impedimento esse solent, *1.Sam.cap. 29.6.7.*

Hisce addo adhuc alia duo remedia, quibus animi fortitudo in militibus excitatur.

Primum est, ut milites longè à patria abducantur, longè ab amicis, cognatis, parentibus, liberis & uxore. Nam hæc, quasi manus militi vinciunt, rationem & intellectum illius turbant, & animi fortitudinem minuunt, uti exemplis illustrat Boter. *lib.9.c.9. de polit. constit.* 16

17 Alterum est, quando miles in summis angustiis, difficultatibus & periculis constituitur, & in extrema necessitate versatur. Nam tunc desperatio vires auget & animi robur.

Botet. *lib.9.cap.17.* ubi historicis exemplis illustrat. Nam subtractis militi subsidiis omnibus & spe omni sublatâ, hostem ille sæpè profligasse dicitur.

Exempla porrò milites ad virtutem informant in præmiis & pœnis propositis.

18 Inter præmia refero primùm stipendium militare, quod promptè & tempestivè est solvendũ militi: Deinde huc refero honoraria militaria, & privilegia, quæ tribuuntur militi. Honoraria, si bene meritis tribuantur, promotiones scilicet, honores, opes, vel gloria, ob insigne aliquod factum, excitant & incitant alios commilitones.

Romani non solùm altiores ordines adsignabant à virtute, sed etiam publicè laudes cumulabant & honores, donabantque pro concione hastas, phaleras, coronas.

Vide hujus rei exempla etiam apud Judæos, *Josu.cap.5. Judic.cap.10. 1.Sam.cap.12. 1.Chron.c.12.cap.13. Jud.cap.1.12.* Qui ceperit urbem, ei dabo Hacam filiam meam. *2.Sam. c.23. Jos.13.14. Jud.c.11.21. 2.Sam.c.5.8. Josu.c.7.17.18. 1.Sam. c.18.1.16.c.17.25. 2.Sam.cap.1.18.c.3.38.39. 1.Chron.cap.11.6.* Dixerat enim David, Quisquis percusserit Jebusæum primum, futurus est primarius & princeps &c. Unde maximus error est, dum in militaribus muneribus deferendis sola nobilitas respicitur, quod exemplis illustrat Scip. Amir. *lib.1.7. discurs.3.* Vide Sigon. *lib.7.regn.Ital.* De triumphis victorum vide Zuing. *vol.2.lib.3.in theat.*

19 Ad præmia quoque refero laudes & encomia, quibus mirificè incenduntur milites ad virtutis & famæ conservationem: Huc etiam erecta in laudem

dem virtutis: monumenta & sepulchra sumptuosa: orationes funebres. Apud Romanos usitata erat ovatio, triumphus, arcus triumphalis, corona, commendatio ob res fortiter & præclarè gestas.

Honorabantur etiam milites erectis statuis in 20
loco publico: coronis muralibus, civilibus, triumphalibus, auro, argento, annulis, catenis, gladiis, armillis, equis, servis, bonis, castris, oppidis, pagis & similibus honorariis. Scip. Amir. *lib.2.discurs.2.* Bod. *lib.5.c.4.* Rosin. *in antiq. Roman.*

Quidam hodie etiam milites strenuos & fortes cingulo, periscelide, & honore auratorum, quos vocant, equitum, ornant. Huc quoque historiæ in laudem ducum & militum strenuorum descriptæ, quibus redduntur immortales.

Sunt ergo præmia militaria partim honores, 21
partim commoda, & partim utraque simul. Huc pertinet etiam sustentatio, quâ milites inutiles ad militiam in bello redditi, ob mutilationem membrorum, aluntur in locis à magistratu constitutis sumptibus Reip. quâ liberalitate milites redduntur fortes, animosi & prompti. Vide Scip. Amirat. *lib.2.discurs.2.*

Munificentia, similiter liberalitas & beneficen- 22
tia ducis, magnos effectus in militibus obtinet, cosque promptos & alacres reddit.

Privilegia militaria tribuuntur personis, vel re- 23
bus militum, vel utrisq; simul; de quibus latè JCti: & fusè tractat Bocerus *in lib de jure belli.*

Æmulatio quoque inter milites excitanda & conservanda est, quæ valde eorum virtutem acuit, Boc. *lib.9.c.13.de pol.const.*

24 Pœnæ ſeveritas eſt efficaciſſima ad militiam firmandam: ita, ut à militibus imperator potiùs, quâ hoſtis metuatur. Indulgentia & largitio ſpecioſum reddunt præſentem exercitus amorem, paulatim tamen & occultè militarem diſciplinam ſeveritatemque minuunt. Ideoque aſpero & abſciſſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget, quo miles etiam delectatur, licet non delectet ſentientem & patientem.

Joſu.c.7.25.& c.8.33.34. Deut.c.23.9.14. Botet. *lib.9. de polit.conſt.* Ranzov. *lib.2.c.16.de bello.* Scip.Amirat. *lib.13.discurſ.3.*

Sed hæc pœna & timor milites in ſedibus cortigunt, in expeditionibus ſpes & præmia faciunt meliores.

25 Pœna militum delinquentium eſt vel communis, vel propria. *l.2.de re milit.*

Communis eſt, quæ ex communi delicto, quod in paganos & milites cadit, infligitur. *d.l.2.*

Propria militum pœna eſt, quæ ex militari delicto, quod quis uti miles, contra diſciplinam militarem admiſit, imponi ſolet. *l.2.l.6.omne,de re milit.*

Ea rurſum eſt capitalis, vel corporis coërcitio, vel ignominia & exauctoratio. De his latè Bocerus *lib.1.cap.13. de jure belli, & tit.de re milit.* Melch.Jun. *part.3.polit.q.92.*

Ebrietas autem in excubiis agendis graviſſimè eſt punienda. His enim neglectis facillimè oppida capiuntur, & exercitus internecione delentur. De his vide latiùs Greg. *l.11.c.7.* ubi ſpecialia maleficia, eorumque pœnas quæ à militibus committuntur, refert.

Atque hæc eſt diſciplina militaris; utinam illa recepta hodie, nec forma ſaltem ejus & extrema lineamenta ſervarentur. Olim quidem virtutis modeſtiæque, nunc procacitatis, petulantiæque certamen eſt. Omnia indiſpoſita, tumulentiæ ac Bacchanalibus, quàm diſciplinæ & caſtris propria; imò nec in procinctu & caſtris habentur, ſed per omnia municipia deſides, hoſpitibus tantum metuendi, effundunt ſe in luxum, epulas & nocturnos cœtus, ibi circumferri merum largius jubent, debellaturi ſuper menſa Alexandrum; ſuas

ſuas vires extollere, hoſtium paucitatem contemnere ſolent: Apud hoſtes trepidant, & ut galeati lepores fugiunt. ita Lipſ. *lib.5.c.8.politic.* Vide Reuſner. *lib.2.cap.6.art.ſtratag.*

Altera belli actio eſt calamitas bellica, quam in- 26
ferunt milites; uti eſt prædatio ex ago hoſtili, obſidio locorum, oppidorúmve ad hoſtes pertinentium, prælium, incendia & demolitiones pagorum & caſtrorum, homicidia, captivitas, & ſimiles aliæ calamitates, miſeriæ & damna bellica. Vide Greg. *lib.11.c.10.de Rep.*

Prædas agere ex hoſtibus, pecora, jumenta oves- 27
que abigere, ſupellectilem hoſtis convaſare, eumque ſpoliare, direptionibus & excurſionibus in agrum hoſtilem factis totam regionem hoſtilem vaſtare, occupare, licitum eſſe jure nemo dubitat.

Geneſ.cap.14.21.1.Sam.cap.30.20.& ſeqq. Deut. cap.20.1. 2.Reg.c.6.22. 1.Chron.c.14. Vide Bocer. *de jure belli, cap.13.* & Martyr. *Judic.c.11. Ezech.cap.7. Jerem.cap.49.c.50. Joël.c. 2.Eſa.c.13.c.16. 2.Reg.c.24. Num.cap.31. Judic.cap.8. Joſ.cap. 8.cap.11.c.12. 1.Sam.cap.27.cap.30.* in non hoſtes prædas agere non licet. *Deut.cap.1. Num. cap.20.cap.21. 1.Sam.cap. 25.*

Sed ita hæc, ut ſemper major habeatur ratio etiam inter 28
prædas commilitonum periclitantium, ne prædandi aviditas victoriam corrumpat, & in periculum conjiciat. Scip.Amir. *lib.17. discurſ.9.* exemplis allatis docet. Lucullus rectè olim dixit, ſe malle unum militem ſuum ex hoſtium manibus eripere, quàm univerſas hoſtium fortunas ſibi vindicare. Plutarch. *in Lucull.* & Scipio ſe malle unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere. & Seneca *in Epiſt.* princeps alieno ſanguini tanquam ſuo parcit, & ſcit, homini non eſſe homine prodigè utendum.

Præda capta verò dividenda eſt inter milites ſecundùm merita cujusque, etiam inter eos, qui non pugnarunt, ſed apud ſarcinas remanſerunt.

Deut.c.20.14. Jos.cap.22.18. 1.Sam.cap.30.24.25. ubi Per. Mart.Greg. *lib.11.c.10.n.13.de Rep.* Scip.Amir. *lib.17.*

30 Sic & obsidio urbium munitionúmve in territorio hostis concessa, actio bellica est: *2.Sam. cap.10. c.11.c.20.* in qua necessariæ machinæ bombardicæ, arietes, tragulæ, & propugnacula contra locum obsessum. *Deut.cap.20.20. 2.Chron.c.26.15.* Veget. *lib.2. c.25. & lib.4.c.13. & seqq. de re militari.* quibus obsessi loci oppidíve murus, ab obsidentibus percutiatur & perrumpatur, vel ut hostis irruentis vis & impetus, aut machinæ hostiles ab obsessis reprimantur, vel dejiciantur.

31 Temerè exercitum tuum obsideri non patieris. De ducendo exercitu per loca silvosa, impedita, periculosa, salebrosa, angusta, montosa, flumina, terrámve hostis. Vide Ranzov. *lib.2.de bello cap.10.* Castell. *lib.2.de offic.reg.c.18. 2.Sam.c.18.*

32 Deinde cuniculi, eruptio ab obsessis; oppugnatio ab obsidentibus, solutio obsidionis; oppidi deditio, vel ejusdem oppugnatio vi & armis facta; & direptio, actiones polemicæ sunt. Vide *Jos.c.10.c.11.* Vide Ranzov. *lib.4.c.1. & lib.3.c.8.de bello.*

33 Quando hostis nos viribus superat, ducis sapientis est, de summa rerum cum illo transigere, quàm minimâ potest fieri jacturâ.

Pecuniæ jactura hîc facilior & melior est regionis, vel provinciæ. Exemplum licet videre in Turcis & Romanis. Prodest etiam hîc suscipere defensionem alterius, uti fecerunt Campani, se ob Samnitum potentiam Romanis subjicientes, Genuenses & alii. Boter. *lib.6.c.15.de polit.constit.*

34 Prælium, seu pugna cum hoste, est quâ de summa rerum cum illo confligitur: vel pars tantùm exercitus, inopina vel condicta die & deliberatò exercitus hostilis parti alicui occurrit, quod sine invocatione Dei fieri non debet. *1.Sam. cap.13.12.*

cap.14.19. & sine militum exhortatione.

2.Sam.c.10.12. Confirmemus nos pro populo nostro, & pro civitatibus Dei nostri: Jehova aũt faciet quod bonũ videbitur in oculis suis, *2.Chron.32.6.7.8.* In pugna imprimis persona ducis petenda est, *Josuæ c.10. Jud.c.7.1.Sam.c.31. 1.Reg. c.22. 2.Reg.c.23.*

Non ineundum est prælium, si qua alia ratione 35
hostis opprimi potest, quò miles servetur. Lassi & fame confecti, non sunt ducendi ad præliũ. Locus pugnę idoneus est eligendus, ne sol, ventus, pulvísve obsint.

Ranzov. *lib.3.c.2.de bello.* Nec in præliũ suadet ducendos jejunos & defatigatos. Scip. Amir. *lib.18. discurs.7. Judic.c.8.*

Antequam prælium ineatur, hostis vires velita- 36
tionibus levibusque præliis tentandæ sunt. Amir. *lib.19.discurs.1.* ad desperationem verò in prælio hostis non est redigendus. Scipio *lib.19. discurs.7.* Sed 37
spes fugæ & veniæ relinquenda; & omnis necessitas pugnandi hosti adimenda.

Hîc acies à ducibus commodè est priùs instruẽda. *1.Sam.c.11.8.15.* ordines à militibus diligenter servandi, stratagemata, insidiæ, impetus, robur animi & corporis maximè hîc valent ad victoriam.

Consultum, ut ejusmodi prælio & pugnæ non 38
semper adsit ipse superior dux, vel magistratus, qui se ipsum summæ rerũ & imperii reservat. In milite enim unius sors est, in imperatore universorum, & totius reipub. mutatio.

2.Sam.c.18.3.4. Quare nunc melius erit, si fueris nostrâ causâ pervigil ad ferendum opem. *2.Sam.c.21.17.* ibi, Non es processurus ultrà nobiscum in prælium, ut non exstinguas lucernam in Israële. Vide exempla *1.Reg.cap.31. Jer.cap.52.* Boter. *lib.3.in fine.de polit.const.*

Quòd si tamen salus Reip. in discrimine vertatur, vel propter absentiam illius magistratus totus exercitus dilaberetur aut labasceret, & animo

deficeret, aut in territorio proprio bellum illi inferatur, melius est, ut intersit, ut sua præsentia robur & vires inspiret militi.

Exemplo Josuæ, *Jos. cap. 8.* & aliorum, *Judic. cap. 3. cap. 4. 1. Sam. cap. 31. 2. Sam. c. 1. 1. Macch. cap. 8. cap. 9. cap. 11.* Vide Danæ. *lib. 7. cap. 5. polit.* Lipsius *lib. 5. cap. 14.* Greg. *lib. 11. cap. 4. de Rep.* Melch. Jun. *lib. 1. polit. quæst. 19. & part. 2. quæst. 72.* Machiavell. *discurs. cap. 30.* Bodin. *lib. 5. cap. 5.* Boter. *dict. loc.*

39 Principum hostium congressum periculosum esse testantur historiæ. Vix enim recedunt à se invicem, sine aliqua æmulatione, invidia, aut indignatione. Nesciunt enim se compati, putant se contemni, aut contemnunt, & ministri eorundem inter se colloquentes occasionem præbent iræ. Vide Greg. *lib. 4. c. 10. de Rep.* Cominæ. *com. lib. 3.* Bodin. *lib. 5. c. 6.* qui exemplis illustrant.

40 Incendia & demolitiones pagorum, urbium, munitionum, & vastationes agrorum & frugum, arborúmve fieri non debent, nisi summa utilitas vel necessitas id suadeat.

Deuter. cap. 20. & cap. 23. c. 2. 33. & seqq. c. 4. Vide Gentil. *lib. 2. de belli jure. cap. 23. 1. Sam. cap. 15. 2. Reg. cap. 3. Jos. cap. 8. 24. 1. Reg. cap. 11. 16. Joël. cap. 1. Deut. cap. 28. Jer. c. 5. cap. 6. Esa. c. 26. c. 32.*

41 Levior pugna, seu conflictus, est velitatio, quâ milites ad pugnam majorem, vel impressionem præparantur.

42 Homicidia in bello ante deditionem, & in fidem receptionem, sunt licita, *1. Reg. cap. 11. 16. 2. Reg. cap. 6.* Vide Alberic. Gen. *lib. 2. cap. 16. & seqq. de jure belli.* Cic. *lib. 1. offic. Deut. cap. 20. Esa. cap. 24. cap. 33. Jerem. cap. 4. c. 6.*

Sicuti etiã captivitas ex qua servi fiunt, qui ex hostibus

stibus capiuntur & servantur, cùm eos occidere potuissent, qui tamen in nostris bellis hodie non fiunt, cùm captis & servatis concedatur se lytro redimere. Vide Alber. Gent. *lib. 2. cap. 15. de jure belli. & cap. 16. & seqq.* Greg. *lib. 11. c. 10. de Rep.* Vide exempla *Nehem. c. 5. 1. Macch. c. 9. c. 13.* permutatio captivorum pro lytro est recepta. Vide Gentil. *lib. 2. cap. 15. de jure belli.*

Urbes captas, non deditas, diripi veteres voluerunt. Alex. ab. Alex. *lib. 3. c. 16.* Sed tamen hîc omnino parcendum legatis hostium, pueris, infantibus & fœminis, Gentil. *d. lib. 2. c. 21.* item agricolis, mercatoribus, peregrinis & similibus, Gentil. *cap. 22.* & mortuis, *c. 24. d. lib. 2.* Gentil. *de jure belli.* 44

Nequaquã etiam impius & infidelis, rex servari debet, *1. Reg. cap. 20. 36. & 42. Nehem. cap. 9. Jos. c. 10. c. 11. Adde 2. Reg. c. 6. 23. 2. Sam. c. 8. 2. 2. Chron. c. 25. 12. 2. Reg. c. 13. 18. 22. Jud. c. 7. 25.* Nec etiam victi magno numero sunt servandi, *d. c. 7. v. 25. & cap. 20. 42. 43.* Greg. *d. lib. 11. c. 10. de Rep.*

Bella civilia oriuntur ex culpa principis vel subditorum. Vide Lips. *lib. 6. c. 1. 2. & seqq. politic.* Ex culpa principis nimirum, qui tyrannidem in subditos exercet, de qua tyrannide *infra c. 38.* Ex culpa subditorum, qui sunt seditiosi, contumaces & rebelles, Geil. *lib. 2. de pac. public. cap. 17.* Exemplum hujus vide *2. Reg. c. 20. & Judic. c. 20.* Vel qui inter se factiones alunt, uti bellum civile fuit inter Pompeium & Cæsarem. Exempla plura recenset Elias Reusn. *stratag. lib. 1. c. 12. c. 13. & c. 14.* Sed bella hæc civilia non crudeliter, sed inter mox reconciliandos cives sunt gerenda: nec in victos veluti in hostes extraneos est sæviendum, *2. Sam. c. 2. 22. & 26. 2. Chron. c. 28. 10.* 45

2.Sam.c.3.8. & multa ad tempus toleranda, vel dissimulanda, *d. 2.Sam.cap.3.8.13.20.* & pax, fœdus, vel reconciliatio facilè admittenda, *d.cap.3. & c.5. 2.Sam. Judic.c.20.* & amnestia sancienda & ἀμνησικακία, ne bellum recrudescat, *2.Sam.c.3.*

46 Induciæ, quæ legitimè & rectè cum hoste vel inter hostes sunt contractæ, sunt servandæ. Petr. Greg. *lib.11.c.11.de Rep.*

47 Collocutiones tempore induciarum inter hostiles exercitus, periculosæ sunt.

Post pugnam, aut clades est, aut victoria.

48 Clades prudenter & fortiter ferenda & cognoscenda est, *1.Sam.cap.27.cap.28.* Greg. *lib.11.c.12.num. 12. de Repub.* Ideoque nuntii cladis non sunt occultandi dissimulatione mali, sed remedia statim quærenda, non differenda. Sæpe enim calamitatis solatium est, nosse sortem suam. Eò enim meliùs & citiùs remedia malis quæruntur, quæ ex stulta dissimulatione & occultatione differuntur, vel difficiliora redduntur. Nec etiam unius prælii eventum infelici expaveſcendum, & hasta abjicienda, sed meliora sunt exspectanda & speranda.

Nam sors & successus belli communis & victum sæpe erigit, & affligit victorem. Ergo vires reparandæ sunt, & contra infortunium insurgendum, & si Deus ita volet, melius est in bello justo occumbere, quàm per dedecus in vivis manere, *Judic.c.20. 1.Sam.c.27.c.28.* Ethnici & impatientis est, ob cladem acceptam se ultrò perdere, *1.Sam.cap.31.4. 1.Reg. cap.16.20.* fortissimi viri est, eo tempore animum imperterritum ostendere vultu, præsentiâ, & providentiâ, *1.Sam.cap. 19.10.* quamvis exercitus clades insignes, semper Rebuspublicæ sunt periculosissimæ. Terrent eum superstites milites & alios regionis incolas, metu vicini periculi fugere cogunt, oppidaque sua deserere. Quamobrem ea sunt quamprimùm sub-

sublevandæ ac sistendæ, vel strenuo imperatore aliquo delecto & hostibus opposito: vel exercitu & supplemento novo statim conscripto: vel pactis & fœderibus cum hoste conventis: vel oppidis hosti vicinis, statim validè communitis, *2.Sam.31.7.*

Victori verò prodest, ut in ista trepidatione statim hostem afflictum premat, nec recolligendi se spacium concedat, *Josu.c.6.27.* & victoriam suam persequatur, *Jud.c.8.11.28. 1.Sam.cap.14.7.* cohibeat milites, nec patiatur minus citò eos in prædam effundi. A prælio etiam lassos & vulneratos milites reficiat & sanari curet. Vide Ranzov. *lib.3.cap.12.de bello.* 49

Victoria Deo adscribenda est, eiq; pro illa agendæ gratiæ. 50

Judic.c.7. 1.Sam.c.14. 2.Chron.13.12. & 14.c.14.11.c.20. 28. Greg. *lib.11.c.12.* Alex. ab Alex. *lib.5.c.30.*

In hac sciendum, quid facere victor debeat, & quid victus pati.

Victor victoriâ uti debet leniter, modestè & cautè. 51

Leniter, quia suâpte naturâ est illa crudelis, cruenta & cruenda; non tamen semper.

Vide Greg. *d.cap.12.& 2.Sam.cap.12.30.31. 1.Sam.cap.15. 1.Reg.cap.20.* Et Abner petiit à Joabo, ne fratres usque ad internecionem cæderentur. Et quando extrema omnia in oculis, desperatione victi in audaciam eriguntur, & sæpè desperatio spei causa est, & necessitas irrita, robur minuerat.

Consultum itaque hîc semper, aliquid spei hosti relinquere ad veniam & clementiam, & agris parcere, nec hostes in amentiam & desperationem redactos, difficiliores expugnatu reddere. Vide Greg. *d.lib.11.c.12.n.6.7.8.*

Lenis debet esse victoria, ita tamē, ut tria potissi- 52

mùm in victoria quæramus. Primùm, ut vitia emendẽtur: Deinde ut in illis exemplum ſtatuatur, ut alii poſſint eſſe cautiores: Poſtremò, ut alii pacatè & tranquillè poſſint vivere.

Modeſtè utendũ victoriâ, quia felicitas facilè ſuperbiã & occultata alia vitia detegit, *arg.Lev.c.19.18.* Fortuna vitrea eſt: tunc cùm ſplendet, frangitur.

53 Habet enim has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ſecunda ex adverſis naſcantur: *1.Sam.c.30.15. & ſeqq.* Greg.*d.c.12.* Mártyr *2.Reg. c.6.22.* & victi ſunt conſervandi: *2.Chron.c.28.8.* Cic. *lib.1.offic. 2.Reg.c.6.23.* Vide Liv.*lib.26.* qui Sciponis Africani moderationem & clementiam in captivos commendat. niſi aliud publica ſalus ſuadeat, *1.Reg.c.20.36.42. Neh. c.9.* Greg.*d.lib.11.c.12.* Vide Martyr.*2.Reg.c.6.22.* vel, niſi ex juſtis cauſis aliud ſit faciendum in illis, qui ſæpiùs nocuerunt, & quibus ſæpiùs ignotum eſt, qui noſtros captivos crudeliſſimè tractarunt, & de quibus metus & ſuſpicio eſt mali futuri. Ita David quandoq; interfecit captivos, *2.Sam.c.12.28.29.30.31.* & quandoq; minimè, *2.Sam.c.8.5.6. & ſoqq. Adde Judic.cap.20.cap.21.*

54 Qui nullum pacis aut quietis publicæ locum reliquerunt, ſemelque à nobis victi ſunt, aliter tractandi, eorumque vires illis minuendæ & detrahendæ erunt, ut quieſcere cogantur, *2.Sam.cap.22. 2.Reg.c.13.18.& 22. 2.Chron.c.25.12.*

55 Ut verò victor ſe tutiorem reddat à civitate, vel provincia, quam occupavit, vel obſides accipit, vel incolas illius aliò cõmigrare jubet, vel munitiones illius in ſuam poteſtatem redigit, vel evertit & delet, vel victis arma adimit, vel victos in ſocietatem fedus aut jus regni recipit, vel civitati jus civitatis adimit, muris, foſſis, vallisve deſtructis, vel urbem ſolo

ſolo æquat. Vide Scipion. Amir. *lib. 13. diſcurſ.18.*

Abutendum verò captivis minimè eſt, *Deut.c. 21.4.* ſed humaniter illi ſunt tractandi, *2.Reg.c.6.23.*

Cautè victoriâ uti debet victor ideo, quòd fermè fiat, ut res ſecundæ negligentiam creent & ſecuritatem, *1.Sam.c.30.15.c.7.15.* atque ita aliquod vulnus per nimiam fiduciam accipiatur. 56

Itaque à parte victorum victoribus metuendum, & illi præſidiis impoſitis in officio continendi, *1.Reg.11.14. 1.Sam. c.30.15.& ſeqq. 2.Sam.c.8.6.*

Aviditas militum in prẽda ſectanda, vel hoſtium noſtrorum contemptus, vel vincentium mollities, negligentia & ſecuritas victoris, pulcherrimas ſæpè victorias corruperunt. 57

Vicinis etiam ſuſpicio maturè tollenda de vi illis non inferenda, ne conſpirent in victorem, *Joſ.cap.9. 1.2.3.* & hoſtis victi interitus non nimiùm eſt lugendus, *2.Sam.c.19.6.7.8.*

Fugientibus hoſtibus, aliquis de induſtria exitus & locus & breve tempus evadendi relinqui debet, alioqui fiunt deſperati, *Joſ.c.10.19.* & tantiſper vires hoſtium imminuendæ, ut iterum bellum movere nequeant, *2.Sam.c.8.6. 2.Reg.c.14.c.13.14.& ſeqq.* 58

Finienda verò bella ſunt, quamvis magna & diuturna, pace, conſenſu & autoritate ſuperioris & ordinum regni inita: Hujus & nomen dulce eſt & res ipſa ſalutaris: quâ tecta & agri lætari videntur, quæque tam victori, quàm victo eſt utilis & exoptanda, maximè verò victo. 59

2.Chron.c.13.18.c.14.13. Judic. c.8.28. Greg.*d.lib.11.c.13.* Bodin.*lib.5.c.5.de Rep.*

Ut verò firmior & diuturnior pax facta ſit, arma 60

erunt tenenda & metus faciendus. Nam sub clypeo, meliùs succedit pacis negotium, ut ex aliis refert Lipsius. Quamdiu igitur exspectatur, aut metuitur hostis, neq; auxilia nostra dimittenda sunt, neque exercitus minuendus, Comin. *2.part.c.25.& 26.* Greg. *d.lib.11.c.13.* cùm partâ etiam victoriâ, victoribus potentiores sint metuendi, *1.Reg.c.11.14.* Considerandum autem in pace, ut ea sit honesta & simplex, ut ait Lipsius.

61 Honesta est, quę aliquâ conditione æquâ & tolerabili finit bellum, & socios adhærentes includit, non quæ ignominiosa, turpis, vel cum servitute aperta est conjuncta. Mors enim potior illâ pace, Lipsi. & Greg. *d. locis.* Bodin. *d.c.5.lib.5.de Repub.*

Æquæ conditiones existimantur, quibus neque laude vetere, neque libertate, neque rebus suis omnino victi spoliantur: Neque pax diuturna & fida esse potest, si victis superbè & duriter imperatur.

Simplex est, quæ candidè & bona fide contrahitur, sine fuco & bello involuto. Nam sæpè ob potentium interna mala, dilata magis prælia, quàm pacem datam intelligimus, ut dicit Salustius. Et pace suspectâ tutius bellum certum.

62 Pacis conditiones à superiori magistratu cum subditis initæ, difficillimè servantur à magistratu. Nihil enim æquè principum mentes exulcerat, quàm cum subditis pacisci, & ad pacta servanda compelli, præsertim, quando contumeliam à subditis acceperunt.

Bodin. *lib.5.c.6.* Exemplum prębet Ludovicus II. Franciscus II. & III. reges Galliæ, & Philippus secundus, cum suis subditis pacisc entes.

63 Tempus de pace agendi optimum & commodissi-

dissimum est, dum sibi uterque hostis confidit, & pares ambo videntur, qui non fecerunt inter se periculum virium.

Præstat autem maturè bellum dissolvere & componere, etiam dum adhuc aliqua spes gerendi & evadendi nobis superest, quàm pertinaciter in sententia odioque perseverare, nostris rebus indies magis magisq; pessum euntibus, si æqua possunt ab hoste impetrari.

At rebus inclinatis, magis est, ut te inclines & quavis tutâ conditione pacem accipere malis, quàm viribus cum valentiore certare, uti ex Cicerone, Curtio & Cæsare dicit Lips. *lib.5.polit.* Siquidem necessitati parendum, & victores pacem cupiunt, quæ ipsis decora & gloriosa, præsertim quando victoriam propè in manibus habent, & pacem non abnuunt, unde sciant omnes, justè illos suscipere & finire bella. Bodinus *cap.5.lib.5.*

Victor igitur, vel superior in bello occasiones 64
pacis acceptabit, quibus dare magis, quàm accipere pacem videtur. Nam fortuna belli, artem victos quoq; docet, & pax utilis ad finem molestiarum & securitatem. Et melior pax certa, quàm sperata victoria, quæ est contingens.

Ideò in secundis rebus nihil in quemquam superbè aut violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat, incertus sis; ut refert Lipsius ex Livio.

Bellorum etiam egregii fines, quando ignoscendo transigitur, quâ re populus Romanus sibi fa- 65
mam & gloriam comparavit, quòd quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices uteretur. Et talis pax hoc modo & causâ factâ firmior & diuturnior est. Veriloquium enim est, ibi pacem esse fidam, diuturnam, ubi voluntarii sunt pacati, neque eo loco uti servitutem esse velint, fidem sperandam esse.

Uti refert Lipsius. Adde *2.Reg.c.6.23. & ex Liv.8.* Sic dicente: Nec credideris ullum populum, aut hominem deniq;

in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius quàm necesse sit, mansurum; vivet semper in pectoribus eorum, quidquid istuc præsens necessitas injunxerit, & in tempore clamabunt miseram pacem, vel bello bene mutari.

66 Bello omnino confecto, duces & milites in suam quisque provinciam sunt benignè & cum sua præda, stipendio & præmio statim dimittendi, non frustra in armis retinendi, ne seditionem moveant, vel latrocinia armati exerceant.

Jos. cap. 22. 4. 2. Sam. c. 19. De pace facta conservanda vide Greg. *lib. 11. c. 14. & constitut. Frider. de pace tenend. in lib. feud. & in constitut. imperialibus latis anno 1548. sub Carolo V. Imperatore.*

67 Victis bello in signum subjectionis tributa imponuntur, *Jos. c. 16. c. 17. 1. Sam. c. 8. 2. Sam. c. 8. 1. Reg. c. 9. 2. Reg. 3. cap. 17. Neh. c. 5. Esth. c. 10. 2. Reg. c. 15. c. 12. c. 18.* & insignium victoriarum monumenta, ad Dei gloriam posteris sunt relinquenda, *Jos. c. 3. & 4. Jud. c. 3. 1. 2. 3. 2. Sam. c. 22.*

68 Consultum etiam est, coloniam in alienam gentem & nuper à nobis devictam mittere. Nam hoc plurimum prodest ad imperium & metum ejus gentis retinendum, Boter. *lib. 8. c. 5.* Sunt tamen coloniæ istæ deductæ præsidio contra vim & injuriam incolarum, odio laborantium, muniendæ & firmandæ.

Mittendi autem in colonia deducenda in alium locum, non singuli, sed ipsæ tribus totæ, ex singulis oppidis, vel tota vexilla ex exercitu simul mittenda, quò sibi sint notiores & benevolentiores ii, qui mittuntur in colonias.

69 Denique provinciam, regionem, vel urbem, aut prædia jure belli occupata & adquisita à summo magistratu, non ille sibi, sed regno & Reip. adquirit, seu

seu populo, qui regnum constituit, non secus ac servus domino suo.

Hujus juris exempla extant *2. Sam. c. 8. 1. Reg. c. 5. 2. Reg. c. 14. 2. Chron. c. 15. c. 26. c. 27. Num. c. 21. Judic. c. 11. Genes. cap. 48. 22. 1. Chron. c. 12. 2. Sam. c. 9. 11.* Vide Steph. Jun. Brut. *de tyrannid. tyran. quæst. 3.* Keckerm. *lib. 1. cap. 4. system. polit.* Lips. *lib. 5. c. 4. pol.* Nam communibus opibus, pecuniâ, vi regni adquirit: ideoque regno, seu populo adquirit, non sibi, ut servus institor domino suo præponenti. Idem etiam quadantenus in victoria civilis belli obtinet, ne manentibus viribus integris, rebelles posteà iterum insurgant, *2. Reg. c. 14. 13. 14.*

CAPUT XXXVII.

De administratione civili rerum publicarum & privatarum.

1 *Rerum publicarum administratio quid.*
2 *Bona principis duplicia.*
3 *Ex quibus causis principi rerum publicarum dispensatio concessa.*
4 *Inutiles sumptus & impensæ principis quæ.*
5 *Qualis dispensatio rerum publicarum esse debeat.*
6 *Expensæ inutiles & superfluæ.*
7 *Regius apparatus qualis esse debeat, & num. 8.*
9 *Sumptus principis honesti & necessarii qui.*
10 *Necessitas erogandi duplex.*
11 *Sustentatio magistratus conveniens.*
12 *Victus magistratus conveniens.*
13 *Amictus ipsius qualis.*
14 *Domicilium ejusdem.*
15 *Ministerium illius, quale esse debeat.*
16 *Satellitium magistratus, famuli, cursores, palatini.*
17 *Ministri magistratus.*
18 *Custodes corporis principis unde sumendi.*
19 *Aulici ministri primarii qui.*
20 *Ex quibus eligendi palatini.*
21 *Palatini quales esse debeant.*
22 *Quomodo illi tractandi.*

23 Sumptus ad regni administrationem necessarii.
24 Stipendia ecclesiasticorum unde sumenda.
25 Magistratus intermedii pauci.
26 Sumptus refectionum, reparationum, ædificationum.
27 Itinera publica, facilia & plana conservanda.
28 Maris dominium conservandum & augendum.
29 Fontium & aquæductuum, & navigationum, piscationum, sylvarum &c. cura.
30 Flumina tuta à piratis, sylvas à latronibus tutas reddet.
31 Currium apparatus, & navium classis.
32 Cura annonæ & armorum.
33 Emporiorum cura.
34 Theatrorum, stadiorum, portuum, propugnaculorum & fluminum cura.
35 Cura ludorum publicorum.
36 Opera magnifica & splendida civitatis.
37 Insani & inutiles sumptus qui.
38 Ad cultum Dei necessaria suppeditanda.
39 Sumptus ad belli subsidia comparanda.
40 Sumptus bellici.
41 Sumptus pro solutione æris alieni.
42 Sumptus pro lytro.
43 Usus bonorum publicorum, quando alicui adimi possit.
44 Civitates infeudum dare potest.
45 Infeudatio & jus regalium conferendorum & adimendorum.
46 Censum remittere, & immunitatem concedere potest.
47 In quibus casibus de bonis regni disponere possit.
48 Causa alienationis est appennagium.
49 Causa alienationis justa est bellum.
50 Defensio Reip. justa alienationis causa est.
51 Alienatio bonorum Reip. principi alias ob causas non permissa.
52 Magistratus bonorum regni administrator est, non proprietarius.
53 Alienationes contra jus factæ revocandæ.
54 Alienatio illorum quando valeat.
55 Bonorum ecclesiasticorum cura qualis.
56 Ad illicitum usum data, ad licitum transferenda.

57 Ad necessitates extraordinarias, res ecclesiæ quando transferendæ.
58 In quibus casibus res ecclesiastica alienari possint.
59 Thesaurus unde colligendus.
60 Ejus utilitas & necessitas.
61 Thesaurus domus regiæ.
62 Personarum publicarum inspectio.
63 Ephori quomodo habendi & tractandi.
64 Defensio statuum & procerum Imperii.
65 Procerum & ordinum Imperii rixæ & controversiæ tollendæ.
66 Moderata sententiarum discrepantia utilis.
67 Temperamentum sententiarum utile.
68 Diuturna & pertinax discordia noxia.
69 Quibus modis inter collegas discordia tollenda.
70 Officia secularium & ecclesiasticorum distincta.
71 Officia immediatè à summo magistratu pendeant.
72 Universalis magistratus ex quo cunctis maneat.
73 Cohibebit optimatum injurias.
74 Bene meriti remunerandi.
75 Merita bonorum cognita habebit.
76 Delicta intermediorum magistratuum punict.
77 Privilegia & jura collegiorum, oppidorum, urbium conservabit.
78 Metropolis quomodo curanda.
79 Particularis administratio quid.
80 Quomodo tractandi subditi.
81 Divites habere familias utile est Reip.
82 Subditos non tractabit ut mancipia.
83 Cura & defensio miserabilium personarum.
84 Locus & reditus in usus miserabilium personarum.
85 Miserabiles personæ quænam.
86 Hospitaliorum diversitas & constructio.
87 In politia Judaica quomodo lege his personis prospectum.
88 Lex politica Judaica de cura pauperum.
89 Media ad pauperes sustentandos.
90 Collectæ pro pauperibus.
91 Cura annonæ tempore necessitatis.

92 *Statum subditorum princeps exploratum habere debet.*
93 *Viros bonos & eximios cognitos habebit.*
94 *Insidiæ subditorum observandæ.*
95 *Insidiæ quibus modis patefieri soleant.*
96 *Vindicta sumpta de nece antecessoris prodest.*
97 *Coloniarum necessitas & utilitas.*
98 *Privatorum hominum bona & persona, quatenus cura magistratui.*
99 *Bona privatorum quæ.*
100 *Corporis incolumitas.*
101 *Defensio vitæ in quibus.*
102 *Magistratui in personam & corpus subditi jus quodnam competat.*
103 *Jus compellendi hominem quando habeat.*
104 *Jus puniendi, quando competat.*
105 *Bona fama hominis quid.*
106 *Castitas, dignitas & status hominis.*
107 *Bona externa hominis quæ.*
108 *Magistratus cura de bonis externis subditorum.*
109 *Decoctores, prodigi, otiosi.*
110 *Damnum in bonis subditorum præcavendum.*
111 *Bona subditorum commissa magistratui, quoad defensionem & conservationem, non quoad usum & alienationem.*
112 *Ob culpam subditi, ejus bona magistratus publicare potest.*
113 *Bona caduca, vacantia.*
114 *Bona furiosorum, mutorum, cæcorum, impuberum.*
115 *Quando magistratus possit de rebus & bonis suorum subditorum dispensare.*
116 *Damna & injurias illis illatas an possit remittere.*
117 *Quando magistratus Reip. adquirit, & in quibus casibus.*
118 *Operâ & labore subditorum quomodo utetur.*

DE civili publicorum regni negotiorum administratione hucusque. Sequitur de civili administratione rerum publicarum regni, & privatarum.

Rerum

Rerum publicarum regni, (quarum proprietas & ususfructus ad populum pertinet) administratio civilis est, quâ hasce instar curatoris, tutoris & patris, magistratus summus, in usum Reip. prudenter, utilitate & necessitate regni postulante, dispensat & impendit. 1

Nam hasce res à populo accepit, cujus illæ sunt, uti dixi suprà *cap. 19. & c. 24. num. 35. & seqq.* & quarum tantùm dispensatio, ex mandato generali populi, seu regni illi concessa est. Vasq. *lib. 1. c. 5. illust. controv. n. 6. & seqq. & c. 1.* Roland. à Valle *consil. 1. n. 109. 112. 126. 133. 137. 138. vol. 2. per alleg. ibid.* Ideoque ratione administrationis tenetur de dolo & culpâ, *Lult. de administr. rer. ad civit. pertin.* Potest alia bona patrimonialia magistratus habere jure proprietatis & pleni dominii, in quibus habet plenam dispositionem, tanquam alius privatus. Vide infrà *n. 60. 61.* sed in bonis fiscalibus publicis, coronæ annexis, regnique rebus, tantum juris sibi usurpare potest, quantum dominus illarum, regnum scil. seu Resp. illi concessit. Stephan. Jun. Brut. *in vindic. contra tyran. quæst. 3.* Boter. *cap. 13. de polit. recte constit.* Molynæ. *in consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. gloss. 7. n. 9.* Peregrin. *de jure fisci. lib. 1. tit. 3. n. 74. & seqq.* Vasq. *d. loc.* Choppin. *lib. 1. tit. 1. de dom.* 2

Necessitas vel utilitas regni seu Reip. dispensationem & impensam postulat, quando sine illa, αὐτάρκεια, διάρκεια, εὐνομία, εὐταξία, tranquillitas & disciplina publica, utilitas vitæ socialis & symbiosis haberi, conservari vel promoveri nequit; vel ut uno verbo dicam, quam requirit negotiorum & rerum regni administratio, quæ summo magistratui est demandata, quibus impensis non factis, Resp. periura, vel deterior futura esset, vel quib. factis Resp. melior, ornatior vel splendidior fieret. 3

Inutiles sumptus & impensæ contrà illæ judicantur, quæ communem Reip. utilitatem & commodũ non promovent, quæ neq; utilitati, neq; securitati, neq; defensioni publicę inserviunt, neq; ad principis potestatem, majestatem & auctoritatem ampliandam quicquam faciunt. 4

Ergo sumptus supervacanei sunt nimiæ principum largitiones,& luxus aulicus, pompa,peregrinationes longinquæ non necessariæ, ædificationes & opera vanitatis ostentationem habentia,non utilitatem vel commoditatem Reip. adferentia. *Esa.c.5. Amos c.2.c.4. Psal.14. Deut.c.17.16.17.* Qui
5 sumptus sunt evitandi. Non enim in alios usus,pecuniam publicam,quàm illa est destinata,convertere princeps potest, *l.3.§.prior. de admin.rer.ad Remp.pertin.* nec illa facere,quæ ipse dominus verosimiliter nõ erat facturus,ut JCti asserunt. Vide Pet Gregor.*lib.3.cap.8. & c.9. de Republ.* Dispensatio rerum publicarum stricta & utilis esse debet, qualis in familia boni patris. Tantas enim vires frugalitas habet,ut tot impendiis, tot erogationibus, vel sola sufficiat, ut dixit Plin. *in panegyr.* Et magnæ opes,non tam multa capiendo, quàm haud multa perdendo capiuntur,ut dicit Dio *lib.52.* Nefas esse dicebat Alexander Imp. ut dispensator publicus in delectationes suas suorúmve converteret id,quod provinciales dedissent: Lamprid.*in Alexand.* Plin. *in panegyr. in Trajan.* Ambitio, jactantia, effusio quidvis potiùs, quàm principis liberalitas censendum est, quum à principe quid donatur, cujus ratio nulla constat. Et Pet.Gregor.*lib.22.*
6 *cap.3.cap.4.c.5.de Republ.* Ad quid, inquit, necessarii sunt tot aulici principis,officiarii inutiles,titularii,qui more harpyiarum apposita devorant in necem subditorum,tot Secretarii, cùm duo aut quatuor amanuenses sufficiant negotiis expediendis? quorsum tantus numerus administrorum culinæ, quibus adhærent ut tineæ, subministri, & subministrorum alii subministri,& istis famuli & famulorũ famuli? Cur tot nutriuntur sanguine populi hirudines,adulatores, aulici,stulti,mimi, scurræ, vel veri moriones, nani, monstra naturæ, quæ in deliciis habentur,muscæ,asseclæ,comitatus & stipatores inermes,pondus iners terræ,& fruges consumere nati? Istos enim omnes expensis publicis nutriri in præjudicium publicum videmus. Unde talem dispensatorem non ineptè comparare licet cum iis ficubus,quæ in altis præruptisque locis nascuntur,è quibus homo fructũ non accipit, sed corvi tantùm & milvi, hoc est, scorta,adulatores & alii
7 homines inutiles Reip. Apparatus igitur regius gubernatoris ita debet institui, ut dignitas conservetur principalis,& modum vel necessitatẽ ejus non excedat,neq; quicquam ei deficiat,

deficiat, & pecuniam publicam quam à populo accepit, in ejusdem usum rursum impendat, & hominibus Reip. utilibus & necessariis conferat. Alexander Severus palatium suum comitatumque omnem,abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis& infamibus purgavit,neque aliquem passus est in palatinis ædibus,nisi necessariũ hominem: Lampr. *in Alexand.* Antoninus quoque aulæ suæ statum frugalitate honestâ temperavit, & ministris fidis & necessariis ornavit.
8 Egent verò principatus quidã majoribus impẽnsis, pluribus stipatoribus & aulicis,dum plura & majora sunt obeunda negotia. Neque enim mentis compos esset,qui vellet principem,ut privatum vivere,quia princeps privatus esse non potest & simul princeps. Neq; reprobandum,quòd plures epulæ illi in mensa offerantur, quàm edere possit, nam honoris gratiâ hoc fit,&non superfluo,cùm sublatæ reserventur servientibus,qui etiam necessariò sunt alendi. Quòd si tamen fisci substantiam in convivia & sumptus superfluos exhauriat,luxuria hæc inhibenda est. Talis luxuria notatur in Heliogabalo,qui calcanea camelorum, cristas gallinarum, linguas pavonum & luscíniarum,& similia magni pretii comedere est solitus, ut refert Ælius Lamprid. Contrà laudatur parsimonia Julii Cæsariis & Tiberii: Sueton.*in vit. ipsorum.* item Pertinacis, Juliani parsimonia & frugalitas. Sunt tamẽ principibus abundantiora & splendidiora convivia, præter morem solitum paranda, vel ad pompam necessaria, vel ad significandam legatis exteris,vel principibus invisentibus amicitiam,ut liberiùs & abundantiùs excipiantur.

9 Eadem dicenda sunt de vestibus equisq; necessariis,venatione honesta,sumptuq; in illis moderato, habitâ ratione dignitatis principis, ditionis & proventuum ejus: *1.Reg.c.10. 2.Chron.9.*

Fert etiam negotiorum Reip.necessitas,requiri plures,qui ea tractent. Plures itaque suo tempore faciendæ impensæ principi, qui,quia gerit negotium subditorum,ideo justè ab illis postulat ttibuta & contributiones, non magis, quàm negotiorum gestor cujusq; privati, rectè postularet à possessoribus rerum impensas pro illis faciendas, vel factas, *l.1.de negot.gest.* De luxu Neronis,Caligulæ,Vitellii, vide Sueton. *in Neron.Calig.Vitell. Heliogabalo.* Ælium Lamprid.*in eod.* Greg.*lib.8.c.6.de Rep.*

10 Neceſſitas itaque erogandarum rerum publicarum regni ſeu corporis conſociati, duplex eſt: Una ſuſtentatio magiſtratus: Altera, negotiorum publicorum adminiſtratio, ſumptus & impenſas requirens.

11 Suſtentatio magiſtratus conveniens ipſius perſonæ, officio, dignitati & ſplendori, requirit ſumptus, ad victum & amictum magnificum ac ſplendidum, & deinde ad miniſteria famulorum inſervientium.

12 Victus conveniens auctoritati & majeſtati ſummi magiſtratus eſt, epularum exquiſitarum & lautarum: ut ſit victus & opulentia ſine reprehenſione, & parſimonia ſine ſordibus.

1.Reg.cap.4.7. Erantque Salomoni duodecim ſitarchi ſuper totum Iſraëlem, qui ſuſtentabant regem & familiam ejus, menſem, quotannis erat unius cujusque ſuſtentatem. *8.9.& ſeqq.1.Reg.c.9.25.& c.4.22.23.24.& ſeqq.c.7.1. 10.1.2.3.5.8.& ſeqq.16.17.& ſeqq. 2.Chron.c.9.1.Chron.c.33. Nehem.c.5.Mat.c.6.29. Eſth.c.1.4.& ſeqq. 2.Sam.c.19.33.& ſeqq.1.Macch.c.10.20.21.22.64.65.88. 66.c.11.58. cap.14.43. 44.* De victu regio Saulis vide *1.Sam. cap.20.* Davidis, *1.Chron.c.13.* Salomonis, *1.Reg.cap.3.c.10.* Ahaſueri, *Eſth.c.1.* Belſazeris, *Dan.c.9.* Pharaonis, *Geneſ. cap.40.* De Muſica Davidis vide *1.Chron.cap.9.*& Saulis, *1.Sam.cap.16.* Degynæceo Salomonis, *1.Reg.cap.7.8.* Adde Pet. Greg. *lib.8.c.5.& lib.22.c.5.c.6.* qui exempla piorum & aliorum regum refert, qui magnifico victu uſi ſunt ſine luxuria. Vide *Eccleſ. c.10.17. Prov.c.31.4. Joël.c.1.5. Eſa.c.5.c.28.7. Prov.c.23.29.* Exempla frugalitatis veterum refert Greg. *d.lib.22.c.5.de Repub.* Val.Max. *lib.4.3.* Plutarch. *in Apophthegm.*& Greg. *lib. 8.c.6. de Rep.*

13 Amictus regum ſplendidus & magnificus fuiſſe legitur paſſim: *Eſth.cap.6.6.& ſeqq. 1.Macch. c.10.20. 22.64.65.66.68. c.11.58.c.14.43.44. Dan. cap.4.5.7.29. Gen.*

Gen.c.41.40.41.& ſeqq.2.Sam.c.19.34.35.& ſeqq.1.Reg. c.10.5.& c.4.27.28. non ſumptuoſus nimiùm, ut Neronis, de quo Sueton. & habitatio ſplendida & magnifica, *1.Reg.c.7.*

In metropoli regni, ſi fieri poteſt, ſedem & domicilium ſuum magiſtratum habere & ſupremum regni tribunal, & ipſius & ſubditorum intereſt, ob præſentiam præſtantiſſimorum virorum & autoritatem ac ſplendorem loci, *1.Reg.c.7.1.2.7.c.10.18.& ſeqq. Pſal.122.3.4.5.6.& Pſal.87.3. Deut. cap.17.8.9.& ſeqq.* 14

Miniſterium quoque egregium & magnificum magiſtratum decet ex piis, integris & fidis hominibus conſtans, *Pſal.101.* quod ſumptibus publicis alendum eſt. 15

Satellitium σωματοφυλάκων, remedium præſtat contra pericula proditionum ambitioſorum. 16

Tacit. *1.annal.* Miles forum, miles domum comitabatur Cæſarem. & Senec. *1.de clement.* Somnum ejus nocturnis excubiis muniant, latera objecti circumfuſique defendant, incurrentibus periculis ſe opponant. Nam imperanti etiam à proximis & conſanguineis eſſe cavendum, docent exempla quotidiana. Siquidem nec cognatorum communia ſtudia valde firma ſunt repagula. Nam, ut tyrannorum vox fuit, ſi jus violandū eſt, regnandi causâ violandum; neque ulla eſt amicitia tam arcta, nulla familiaritas tam ſancta, quàm animus regnandi cupidus, non contemnat & violet, & abutatur amicitiâ & gratiâ in vitâ & imperiū etiam amici. Et mutantur hominum voluntates & amici. Ita Abſalon, qui ſæpè pro patre pugnavit, eundem poſtea oppugnavit. Et populus Chriſtum, modò regem voluit creare, quem poſtea crucifigendum clamavit. Vide Greg. *lib.22.c.11.& ſup. de natura populi & regni dixi c.23.*

In hoc miniſterio ſunt ſatellites, famuli, curſores, miniſtri, comites palatini, ὠλαρχαὶ, & σωματοφύλακες. 17

Nam parum tuta & à sceleribus aliorum secura majestas sine viribus. Ideoque ad custodiam corporis armatos habere decet principem, quos celeres, Romani veteres appellabant. Tales habuit Romulus, Augustus & alii reges & Cæsares, qui etiam armati & loricati in senatum quandoque venerunt. Ex quibus sunt etiam gustatores, cibum potumque pregustãtes, ne veneni pericula subsint. Tales corporis custodes legitur habuisse Tiberius, Galba, Caligula, Antoninus & alii. *1.Reg.c.10.5. Esth.c.1.13.14. 1.Sam.c.16.17.* Et edicat, quæsumus, dominus noster servis tuis adstantibus tibi, ut requirant aliquem scientem pulsantem citharam. *& Mat.c.8. 9. Dan.c.4.19.20.c.11.8. c.8.3.31.c.7.13.23. Jerẽ.c.2.5.c.34.19. 2.Sam.c.8.14.15.16.17.18.* ubi Jun. & Mart. *cap.19.33. & seqq. 1.Reg.c.4.26.* Erantq; Salomoni quadraginta millia præsepiorum equiliũ, ad equitatum ejus, & ad duodecies mille equites. *2.Sam.c.12.17.18.19.20.21. & c.15.14.* Quamobrẽ dixit David omnibus servis suis, qui cũ eo erant. *& 15.16.17. & seqq.c.9.4. 1.Sam.c.10.26.c.22.6.7.* Dixit Saul servis suis, qui adstabant sibi, *& c.26.15.16.1.Regc.10.8.* ubi Jun. *c.14.27.28. 1.Chron.c.28.1.2. & seqq.c.18.17.* Et Benaja Jehojadahi præerat Cerethæis & Pelethæis: filii deniq; Davidis primarii ad manum regis, *c.29.1.2.3.2.Chron.17.14. & seqq.1.Sam.c.22. 6.7.c.26.15.16.* Atque tales officiarii regii Davidis & Salomonis numerantur proliexè *1.Chron.c.27. per tot. & 2.Reg.c.11. 4.5. & seqq. c.24.14.17.* Vide Petr. Greg. *lib.22.c.11. de Rep.* Ministri hi ad latera regis, utp'urimũ sumebantur ex Cerethæis, & Pelethæis, & filiis, & cognatis regis, apud Judæos, *2.Sam.cap.15.18.19.cap.9.4.* ubi Jun. aliis est *cap.8.in.fin.* ubi Martyr. *1.Chron.c.17.18. Gen.c.41.45.* ubi Jun.

18 Adsciscat igitur princeps sui corporis custodes ex illa gente, cui præest, ne videatur illi diffidere, & odia suorum in se concitet.

De equitatu regibus attributo extat *Judic.c.5.10.11.c.10. 4.* Erant autem ei triginta filii equitantes triginta asellos. *& Judic.c.12.14.* Erant autem quadraginta filii & triginta nepotes equitantes septuaginta asellos. *2.Sam. c.15.1.2.3.4.5. 1.Reg. c.4.26.* Erantq; Salomoni quadraginta millium præsepiorum equilium ad equitatum ejus, & ad duodecies mille equites, *2.Chron.9.25. Jer.c.17.25.c.22.4.* Hisce adde cantores

tores & musicos aliquot voluptatis ministros aulicos, *2.Sam. cap.19.36.* ibi, Num audire potero ampliùs vocem cantorum & cantratricum & gynæceum? *Esth.cap.2.3.8.11. 13.14. 1.Regum c.7.8.*

Hodiè aulici primarii sunt: 1. Præfectus aulæ. 19
2. Mareschallus. 3. Cubiculari principis. 4. Burggravius. 5. Præfectus commeatus aulici. 6. Carptor. 7. Coquus. 8. Cellarius, & horum singulornm ministri & σύνεργοι. *Vide sup.c.15. n.11. & c.32.n.38.39. & seqq.*

Est tamen luxus vitandus & inutilis apparatus equorum, canum, ministrorum, & ædificationes non necessariæ. Numerus itaque certus, & certus ordo in hisce ministris constituendus & habendus est. Arg. *1.Reg.c.4. & c.10.* De officialibus Cæsarum Roman. vide latiùs *in lib.11. & 12.Codicis Justin.Imperat.*

Palatini hi sunt eligendi ex melioribus: *Psal.101.* 20
Nam vilis ille dicitur, qui viles vel leves sibi admovet. Melior etiam & tutior Resp. in qua princeps malus est, & ministri illius boni.

Ingenia aulicorum nota esse debent principi, ut quemque pro indole sua regere, & ad negotia convenientia destinare possit.

Tiberius medios optimos judicabat. Nam nec eminentes virtutes sectabatur, & rursùm vitia oderat. Ab optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat. Sed obsequia hodie magis probantur, quàm virtutes aliæ.

Sint igitur palatini obsequiosi, utibiles, modesti, 21
virtutis propriæ dissimulatores, sine jactantia, demandata agentes, omnia bene gesta domino suo adscribentes, injurias patienter ferentes, & gratias agentes, cauti & fidi & circumspecti: Lipſ. *lib.3.c.11. Polit.* Læl. Zecch. *lib.2.c.1.n.8.* audaculi: Pudor enim

malus est minister regii imperii. Ego cum Senecas

Stet quicunq; volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

22 Deinde pauci, idonei & fideles sunt eligendi, iisque, ne sint otiosi, certa officia assignanda. Siquidé ex aula in Remp. virtutes, vitia, commoda & incommoda in populum derivantur. Et qualis est aula, talis quoque solet esse Reipub. administratio: *2. Sam. c. 6. Prov. c 29.* Læsus à principe, pro officiario vel palatino non sumendus, quod multis malè cessit. Scip. Amir. *lib 17. discurs. 4.* ubi exempla adducit.

23 Altera caussa impensarum faciendarum, est rerum regni administratio. Nam requiruntur sumptus in negotiorum regni administratione, & ad victum, habitationem ac vestitum sufficientia salaria & stipendia ministrorum, præfectorum, præsidum, dynastarum & aliorum, qui ad Reip. gubernationem juvandam sunt necessarii.

Judic. c. 17. 10. 1. Tim. c. 6. 8. Deut. c. 14. 27. cap. 25. 1. Cor. c. 9. Matth. c. 10. 2. Chron. c. 31. 2. 3. 4. 1. Reg. c. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & seqq. Exod. c. 18. 18. Omnino decides cùm tu, tum populus hic qui est tecũ; nam gravis est hæc res supra te, non poteris eam præstare solus. *& 21.* Tu autem provideto ex toto hoc populo, & curato eligi viros strenuos, timentes Dei, viros veraces, osores turpis lucri, quos constituas super eos præfectos millenis, præfectos centenis, præfectos quinquagenis & decuriones. *22.* Ut judicent populum hunc omni tempore; sitq;, ut omnem rem, quæ magna erit, referant ad te, omnem verò rem, quæ parva erit, judicent ipsi: sic alleva te onere, ut ferant tecum, *& seqq. & Deut. c. 1. 9. & seqq. Num. cap. 11. 14.* Non possum ego solus ferre onus totius populi hujus: nam grave hoc est supra me, *16.* Dixit ergò Jehova Mosi, Congrega mihi septuaginta viros è senioribus Israëlis, quos noßi esse seniores populi & moderatores ejus, & adsumptos adducito

ducito eos ad tentorium conventus, ut sistant se ibi tecum. *17.* Tum descendens loquar. *& Deut. c. 16. 18.* Judices & moderatores constituito tibi in singulis portis tuis, quas Jehova Deus tuus dat, per tribus tuas, qui judicent populum judicio justo. *19. 20.* De hisce intermediis magistratibus à superioribus constitutis vide *1. Pet. 2. 13.* Proinde subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, sive regi, ut supereminenti, *14.* Sivé præsidibus, ut qui per eum mittantur, tum ad ultionem facinorosorum, tum ad laudem bene agentium. Videre licet latiùs *1. Chron. c. 7. 1. Reg. c. 8. c. 12. 15. 2. Reg. c. 14. & 19. Jud. c. 9. 6. 10. c. 10. 18. c. 11. 8. Esd. c. 9. 1. Chron. c. 25. c. 26. 27. 2. Reg. c. 18. 33. 2. Sam. c. 9. 2. & seqq. c. 20. 23. 24. Dan. c. 2. 49. cap. 3. 2. 47. c. 8. 2. 3. & seqq. Deut. c. 31. 22. c. 29. 10. 11. 2. Chron. c. 19. 5. 6. & seqq. Gen. c. 41. 40. & seqq. cap. 45. 5.*

Utilius est ecclesiæ, si certa & liberalia stipendia ex fisco 24
bonorum ecclesiasticorum, ministris ecclesiæ statuantur, quàm si à singulis ecclesiæ familiis aliquid in menses vel dies detur. Satius est, si ex bonis ecclesiæ summa certa tritici, vini & pecuniæ detur, quàm si adsignentur agri & vineæ excolendæ. Vide Zanch. *in præcept. 4. Decalogi.*

Hujus quoque generis sunt rerum privatarum principis procurator, quæstor ærarii publici, censor & similes, *2. Sam. c. 9. 2. c. 20. 23. 24. 2. Reg. c. 18. 37. 1. Reg. c. 4. 1. Chron. c. 25. & c. seqq.* & plures alii, de quibus *in c. 7. & 14.*

Utile verò est diversis, diversa mandare officia, 25
non plures magistratus inter medios imponere.

Arg. *1. Reg. c. 4. 1. & seqq.* Minùs enim diligenter fiunt & impediuntur singula. *l. 8. C. lib. 12. tit. 34.* Danæ. *lib. 6. polit. c. 5. sup. c. 32. n. 79. & seq.*

Consultum quoque est, aliquot habere inferiores magistratus. Nam hisce singulæ Reipub. partes meliùs, diligentiùs atque fideliùs curantur, ita tamen, ut pro modo imperii, modus quoque certus sit, non plurimi, sed necessarii tantùm.

Nam effrænis magistratuum numerus, expilat populum, gravissimasque concussiones excogitat. & admittit. Danæus *d. loc.* de qua re *supra cap. 32. de procur. med. necess.* dixi latiùs.

Imprimis verò præfecti constituendi sunt, qui

ad peregrinos in regnum venientes attendant eosque observent, præsertim ad regni limites & in locis regni munitioribus.

26 Porrò sunt etiam sumptus impedendi & faciendi in reparatione, refectione, atque ædificatione templorum, arcium, propugnaculorum, pontium, viarum publicarum, portuum, murorum, vallorum, ædium publicarum, aliarumque rerum & operum publicorum extructione.

De reparatione arcium & civitatum exemplum Davidis extat *2.Sam.c.5.* Salomonis, *1.Reg.c.9. 2.Chron.c.8. c.11.5.6. c.24.* Jeroboami & Asæ, *2.Chron.cap.14. 1.Reg. c.12.c.4.c.5. c.6.c.11.5.10.11.12. cap.32.5.c.33.14.15.c.34.8.9. & seqq.* Josaphati, *2.Chron.c.17.c.26.* Usiæ, *d.cap.26.* Jothan, *2.Chron. c.27.* Hiskiæ, *2.Chron.c.29.c.31. 2.Reg.20.* Manasse, *2.Chr. 33.* Nehemiæ, *Nehe.c.2.c.3.* Josiæ, *2.Reg.c.22.3. & seqq.* quibus adde *2. Sam.c.7.2.5.1.Reg.c.5.4.5.* Quamobrem cogito ædificare domum nomini Jehovæ Dei mei, quemadmodum prædixit Jehova Davidi patri meo. *6.* Nunc ergò præcipe, ut succidam mihi cædros è Libano, & servi mei erunt cum servis tuis, mercedem autem servorum tuorum daturus sum tibi. *& 7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18. cap.6.per totum. 1.Reg.cap.7. & cap.8. 2.Reg.cap.12.4. & seqq. Esd. cap.6. 2.Chron.cap.24.14.cap.34.12. 2.Reg.cap.22.4. 1.Chron.cap. 22.29.* Grego. *lib.2. cap.2. & cap.9.l.7. si in aliam.§.ades. de off. proconf. 2.Reg.cap.23. 2.Chron.cap.8.17. & seqq. & cap.11.5.* Itaque resedit Rehabeam Jerusalaimis, & ædificavit civitates ad munitionem in Jehuda. *6.* Ædificavit, inquam, Bethlehemum & Hetanum & Thekoam. *7.* Item Betzurem & Socuntem & Hadullamum. *8.* Gethum quoque & Maresecham & Ziphum. *9.* Et Adoraim & Lacischum & Chebronem, quæ sunt in Jehuda & in Binjamine civitates munitionum. *11.* Confirmavitq; has munitiones, disponens in eis antecessores, & apothecas cibi & olei & vini. *12.* Et in unaquaque civitate clypeos & spicula, deniq; confirmavit eas quamplurimum: ita fuit ejus Jehudæ & Binjamin. *23.* Et prudentiam adhibens dispersit de omnibus filiis suis per singulas regionis Jehudæ & Benjaminis in omnes civitates munitionum, quibus indebat cōmeatum

copiosum. *2.Chron. cap.16.5.6.7. cap.36.23. Nehem. cap.1. cap.2. cap.3. cap.4.cap.7. 2.Reg. cap.20.20.* ibi, Utque fecit piscinam & æquæductum, quo induxit aquam in civitatem. *& 2.Chron. cap.32.3.4.30. Nehem. cap.3.16. 2.Reg.cap.12. 11.c.22.7.*

Itinera publica facilia, plana, bene lapidibus constrata, pervia, commoda, nota & distincta conservabit, sarta, tecta, tuta à latrociniis ac direptionibus, quo & extranei & cives, tum curru, tum equo, tum pedibus in urbes venire commodè possint, & ea quæ sunt importatu exportatuq; necessaria, vehi queant. 27

Multos enim alioquin ad nos merces importaturos, deterrent itinerum viarumque publicarum salebræ, interruptiones & asperitates, difficultatesque periculosæ ac damnosæ.

In primis verò maris dominium conservet & augeat, quod maximas præbet & effundit divitias, proventus, & commoditates toti regno. Similiter fontium, aquæductuum, fluminum publicorum & navigationum summam habeat curam: nec non venationum, piscationum, aucupiorum, silvarum, saltuum publicorum & limitum regni, ne feræ, pisces, volucres, lignáve extirpentur, & desint ad usus necessarios. Huic igitur negotio præficiendi sunt inspectores & custodes. Vide Patric. *lib.7.tit.5.* Huc etiam pertinet cura fodinarum metallicarum & salinarum. Patr. *d.loc.tit.6.* 28 29

Flumina & maria tuta reddet à piratis & latronibus, portus maris commodos & aptos, silvas solitudinesq; à latronibus & grassatoribus repurgabit, & tutum viatoribus, mercatoribus & peregrinantibus reddet totum territorium regni. 30

De qua re videre licet Menoch. *lib. 2.cas.237. arb. judic.*

Farinac. *quæst.24.lib.1.* Geil. *lib.2.obs.64.* Mynſ. *cent.5. obs. 70.71.* Maſc. *concl.13.14.& ſup.c.10.diximus n.13.*

31 Curabit in locis mediterraneis, ut magnus curruum ſit apparatus: in locis maritimis verò ut magna ſit navium claſſis & copia.

Sic hodie Hollandi & Selandi & Veneti magnâ naviũ claſſe inſtructi ſunt: & olim Iſraëlitæ magna curruum copia.

32 Curabit etiam, ut annona commeatu & armis Resp. & quælibet civitas regni ſit optimè inſtructa.

33 Emporia & loca opportuna ad merces commodas importandas & exportandas, ut habeantur, curabit.

34 Theatrorum, ſtadiorum, balneorum, portuum, propugnaculorum, fluminum publicorum, curam habebit, reparando ea, & providendo, ne, quod ad honeſtæ delectationis uſum inventum eſt, in abuſum & morum corruptionem vertatur.

35 Habenda quoque eſt ratio ludorum & differentia eorum & temporum, quibus fiant, & explodenda turpia, ludicra, mimica, hiſtrionica, deriſoria, ſatyrica, joculatoria, magica præſtigia, damnoſa & ſimilia. Vide Boter. *lib.3.* Pet. Gregorium *lib.39.ſyntag.cap.5.* De cura aliorum operum & ædificiorum publicorum Greg. *lib.2.cap.9.10. de Repub.& tit. C. de oper.public.*

36 Magnifica opera publica, ſplendidas reddũt civitates & habitandi cõmoditates, retinẽt cives, ne effluant, & plures ad ſe alliciunt, ut eò transferant facultates ſuas, imprimis quando bonis moribus & legibus reguntur, & magiſtratus reddunt potentiores, laudabiliores & celebriores. Gregorius *lib.2.cap.9. num.8.9.*

Exempla hiſtorica eorum qui opera publica utilia, urbes, templa, propugnacula, hoſpitalia, Scholas, Gymnaſia, aquæductus

ductus, pontes, palatia, prætoria, fora, bibliothecas, vias ſtratas, arces, fornices aliáque ædificia præclarè excitarunt cum laude ſempiterna, refert Greg. *d.loc.n.10.11.& ſeqq.* & Theatr. Zuingeri docet.

Vitandi hîc ſunt inſani & inutiles ſumptus, quales dicitur feciſſe C. Caligula in extructionibus prætoriorum & villarum, qui omni ratione poſthabitâ, nil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur. Itaq; ejus juſſu jactæ moles in profundo mari, exciſſæ rupes duriſſimi ſilicis, campi montibus, aggere æquati, & complanata foſſuris montium juga, idq; incredibili celeritate, quum moræ culpâ capite lueretur, ut refert Sueton. *in Caligul. c.37.38. 40.41.* 37

Planè ea quæ ad cultum Dei externum ſunt neceſſaria, ex publicis bonis, vel propriis etiam magiſtratus conferre & impendere debet. *Eſd.c.7.20. Nehem.c.7.70.c.10.36.37.c.12.46.47.c.13.10.* uſibuſq; divinis conſecrare, *2.Chron. c.5.1.c.8. 1.Reg.15.15.* nec non curare ea, quæ ſunt neceſſaria ad pauperum & inopum in regno ſuſtentationem. 38

Similiter ſumptus faciendi ad neceſſaria belli ſubſidia comparanda. 39

2.Chron.d.c.11.11.12.23.& c.14.6. Ædificavit quoq; civitates munitionis in Jehuda; cùm quieſceret ea terra, & nullum gereretur bellum illis annis. nam quietem dederat Jehova ei. 7. Dicebat enim Judæis, Ædificemus civitates has, & circumdemus muro & turribus, valvis & vectibus, tantiſper, dum hæc terra nobis expoſita eſt, quandoquidem requiſivimus Jehovam Deum noſtrum, requirentibus dedit quietem nobis circumquaque, quapropter ædificaverunt & proſperati ſunt. *8.9.& ſeqq. c.15.8.18.c.16.1.2.3. 2.Chron. cap.17.2.* Nam diſpoſuit Jehoſaphat copias per omnes civitates Jehudæ, quæ munitæ erant, & diſpoſuit ſtationarios per regionem Jehudæ, & per civitates Ephraimi, quas ceperat pater ejus, *12.13.* Et res multæ erant ei per civitates Jehudæ, ac homines bellatores, valentes robore Jeruſalimis. *14.15.16.17.18.19.* ibi, Præter eos, quos diſpoſuerat rex per civitates munitas in tota Jehuda, *2.Chron.c.27.3.* Hic ædi-

ficavit portam domus Jehovæ ſupremam,& in muro clivi ædificavit plurimum. 4. Civitates etiam ædificavit in montanis Jehudæ, & in ſaltibus ædificavit palatia & turres. *5.6.& c.33.14.16.*

40 Huc igitur bellici ſumptus referuntur, quos magiſtratus pro ſalute Reip. ex juſtis cauſis facere cogitur. *2.Sam.c.2.* ubi Martyr, Urſin. *lib.2. diſpoſit.44. & ſeqq.*

41 Item ſumptus, qui fiunt in ſolutione æris alieni, nomine Reipub. contracti, *1.Reg.cap.9.10.11.12.13.14. 15.* ubi & Martyr.

Cavendum tamènne opes, vires, pax & felicitas, magna, rapiat nos ad bellum tenuioribus inferendum, *1.Reg.cap.8. 20.10. 2.Reg.c.14.15.c.15.37.& c.19.32.37.*

42 Prolytro ad redemptionem captivorum, ſumptus quoque faciendi, *2.Reg.cap.12.19. cap.18.15. c.24. 15.*

43 Præterea bonorum publicorum uſum magiſtratus pro arbitrio alteri concedere & auferre poteſt ex juſta cauſa.

L.quod principis.de aqua pluv.arcend.l.ſervitutes.§.publicè.de ſervit.l.2.§.ſi quis.ne quid in loco public.l.quominus. ubi Dd. *de flumin.* Franciſ. Zoan. *de imperio Rom.n.109.& ſeqq.* Hotoman. *quæſt. illuſt.1.* Cura enim & adminiſtratio horum bonorum magiſtratui eſt commiſſa, non dilapidatio, diminutio, læſio, dispendium, ſubverſio, vel alienatio eorundem: Roland. à Valle *conſil.1.num.97.109.& ſeqq. volum.2.* & Renat. Choppin. *lib.2.tit.1.2.& ſeqq. de doman.regis.* & latiùs diximus *ſup.c.24. de affect.imp.benevol.num.36.& c.18. n.30.& ſeqq.*

44 Civitates quoque & Reip. bona annexa in feudum pro meritis ſubdito concedere poteſt. Zoannet. *d.loc.n.163.& ſeqq.* Nam ob hanc cauſam non deſinunt eſſe loca, vel bona imperii.

45 Sic & infeudatio de feudis, imperio aut regno apertis

apertis & jus regalium conferendorum, vel adimendorum ipſi eſt permiſſum, *Geil.lib.1.de pace publ. c.6.n.9. & lib.2.c.3.* Roland. à Valle *conſil.1. volum.2.* Pacian. *lib.2. de probat.c.35.* Zoannet. *d. loc.* Hotom. *quæſt.illuſt.1.* Peregr. *de jur. fiſci lib.1.tit.3.n.73.& ſeqq.* atque adeò omnis alia conceſſio, in qua ſuperioritas imperii reſervatur, Roland. *conſil.1.n.141. vol.2.* Hart. Piſtor. *lib.2.quæſt.44.part.2.* Roſenthal. *lib.1.de feud.c.5.concluſ.11.* Petr. Heig. *lib.1.quæſt.4.* imò de ducatibus, comitatibus regni, ſolus ſummus magiſtratis judicat, *Ordinat. Camer. part.2. tit.7.* Borcholt *de feud.c.10.n.1.* Geil. *lib.1. obſerv.29.n.3.& ſeqq.* & confirmationes privilegiorum ad ſolum eundem pertinent. Natta *conſil.636.n.81.* Menoch. *in 4.reſponſ.n. 48.cauſ.Finarienſis.*

Cenſum & tributum ſubditis remittere poteſt 46
& immunitates concedere ex probabili & juſta cauſa. Zoannet. *d.loc.* Ideo enim nemo deſinit eſſe ſubditus, Roland. *d.loc.* Vide Alciat. *in l.25. de pact.* Aliàs principi jus non eſt in perniciem ſubditorum quemquam oneribus publicis eximere,& à collectis imperii & regni ſui immunitatem dare.

Covarruv. *var.reſolut. c.6.n.8.* Pinel. *in rub. C. de reſcind. vend.part.1.cap.2.n.20.& ſeqq.& in l.2.d.loc. Vide ſup.c.15.* Vaſquius *lib.1.cap.1.num.7. controv. illuſt.* Borcholt. *in cap. unic. quæ ſunt reg. num.7.* vel ad magnam deformationem imperii ſui infeudare, aut regnum ſervituti ſubjicere. Roſenthal. *d.c.5.n.3.4.concl.10.* Roland. à Valle *d.conſil.1.n.101. vol.2. Vide ſup.c.24.n.36.& ſeqq.*

Quamvis verò regulariter bona regni magiſtra- 47
tus quovis modo alienare, aut de iis in teſtamento disponere non poſſit, tamen publicâ neceſſitate & utilitate ſuadente, Vaſq. *lib.1.c.4. illuſt.controverſ.*

& *cap.5.* poterit bona regni alienare ob tres potiſſimùm cauſas.

48 Prima cauſa eſt, quàndo liberos habet; tum enim poteſt unum ſibi ſubſtituere, & reliquis alia bona poſſidenda dare, ſine jure tamen poteſtatis regiæ, & retento jure ſucceſſionis.

Vide 2.Chron.c.21.3.& ſup.c.17.& c.19. Greg.Tholoſ.*lib. 3.c.8.n.7. de Rep.* Covarr.*c.4.n.1.pract.queſt.* Mynſing.*cent. 6.obſ.99.* In Gallia vocatur appannagium, quaſi auſ:bannum/excluſio, quòd acceptis hisce bonis cenſerentur eſſe excluſi filii à regno, vide Hotom.*de ant.jure regn.Gall.c.9.* & Antimach. *lib.1.theor.1.* Choppin.*d.loc.lib.1.tit.3. & lib. 2.tit.2. Vide ſup.c.19.n.61.62.*

49 Altera alienationis cauſa, eſt bellum, vel ſui redemptio, & aliæ cauſæ, ob quas mulier alienare poteſt dotem conſtante matrimonio.

L.quamvis 20. & ſeqq.ſolut. mat.l.73.mutus.§.1. de jur. dot. Vide ſup.c.24.n.36. & ſeqq.

50 Tertia cauſa eſt neceſſaria defenſio Reipub. cui alio modo, quàm per venditionem conſuli non poteſt.

Geil.*lib.2.obſ.56. & ſeqq.* Solemnitates alienationis hujus, Greg.putat ſumendas *ex l.5. magis. §. non paſſim. de reb. eor. qui ſub tut. vel cura. & tit.C.de prad.& aliis reb.minor. ſine decret.non alien.* adhibito cõſilio, approbatione & authoritate procerum & ephororum; vide *l.multitarum.C.de modo mulct.l.1.l.2.C. de petit.bon. ſublat.lib.10.* Hotom.*d.loc.c.23.* De revocatione alienatorum minùs ritè & rectè facta, latè Greg.Tholoſ.*d.loco* agit. Gabriel.*tit. de jure quæſit.non toll. concl.8.lib.3. Vide d.c.24.ſup.*

51 Ob alias autem cauſas magiſtratus bona Reip. alienare non poteſt, inprimis civitates, oppida, aliáve loca regni, quæ imperio atque jurisdictioni ſuæ eximere minimè poteſt, neq; privilegia ab obedientia liberantia, ulli concedere.

Imò nec recognitionem regni & inaugurationem à Pontifice Rom. petere, aut aliquid in præjudicium regni facere. Lupold.

Lupold.*de jure regni c.14.* Hoc enim eſſet, non adminiſtrare, ſed dilapidare, ſpoliare & regnum evertere, *l.ſi optio.qui & à quib.manumiſ.lib.non ſiunt.* Rol.à Valle *conſ.1.n.109.& ſeqq. vol.1. & n.137.138. & ſeqq.d.loc.* Roſenth. Heigius & Cov. *d.locis.* Carol.Tapian.*in rub.de conſtit.princ.c.4.n.3.* Hotom. *de jure antiq.regn.Gall.c.9.& cap.23. & illuſt.quæſt.1.* Zoan. *d.loc.* Pruckm.*latè in §. ſoluta poteſtas,c.4. memb.2.effect.6. comm.dicit n.11. & ſeqq.* Cacheran.*deciſ.139.n.25.* Borch.*de feud.c.8.n.136.* Menoch. *de recup.poſſ.remed.10.n.81.* Clar.§. *feudum.quæſt.28.ſup.c.24.n.28.36.& ſeqq.* Gabriel.*d.concl.8.* Roſenth.*lib.1.c.5.concl.10. de feud.* Molyn.*in conſuet.Pariſ.§. 1.gloſ.5.num.54.* Peregrin. *de jure fiſci lib.1.tit.3.n.74.& ſeq. Vide ſup.c.24.n.35.& ſeqq.* Sic Ephron ſine conſenſu populi, non voluit jus ſepulchri Abrahamo vendere, *Gen.c.23.6. 7.8.9.10.& ſeqq.* & Chamor jus civitatis, inſulto populo ſuo, noluit peregrinis dare, *Gen.c.34.20.& ſeqq.* Menoch.tamen *lib.2.arb.jud.quæſt.caſ.559.* modicam imperii diminutionem pro arbitrio judicis conceſſam eſſe arbitratur, uti & Covarr. *in cap.quamvis.part.2.§.2.n.4.de pact.in 6.* Natta *conſil.638. lib.3.* Car.Tapia. *in l.fin. de conſtit. princip. part.2.c.9.* Vaſq. *lib.1.cap.4.illuſt.controv.* quod vix admitterem, niſi tales ſint cauſæ, quales antè indicavi.

Eſt enim magiſtratus, uti dictum, non regni, bonorum- 52
que ejus proprietarius, ſed nudus adminiſtrator & dispenſator, generali populi mandato conſtitutus, qui alienare, vel transigere, aut donare ſine domini ſui voluntate minimè poteſt, neque plus juris in alium transferre, quàm ipſe habet, ut docent JCti. Vide Alber.Gentil.*lib.3.cap.22. de jure belli.* Steph.Jun.Brut.*quæſt.3.de vind.cont.tyran.* Pet.Greg.Thol. *lib.3.c.8.de Rep. & lib.7.c.20.n.61.62.63.per* Bart. *in l.prohibere. quod vi aut clam.* Vaſq.*lib.1.c.5.illuſt controv.* Ex quibus conſtat, multò minùs, quæ ſupremi principatus & regni notæ ſunt, atque ejus dignitati adhærent, alienari, imò nec cedi à principe poſſe; cùm jurisdictio Imperatoris, ſeu ſummi ptincipis ſit incommunicabilis. Covarr.*pract.obſ.c.4.num.1. & 10.* Roſenth.*d.c.5. de feud.concl.11.lib.1.* Natta *conſil.636. n.168.conſil.640.n.12.13. & ſeqq.lib.3.* Peregrin.*d.lib.1.tit.3. n.71. & ſeqq.* atque princeps, uti dictum, tantùm uſuarius ſit jurium & bonorum Reip. & jus utendi fruendive quod eſt perſonale, ad alium, quàm proprietarium jure ceſſionis

transferri nequeat, nec populi liberi, vel regni commercium esse possit. Greg. *d. lib. 3. c. 8. per l. si usufructus. de jur. dot. §. finitur. inst. de usuf.* Roland. à Vall. *cons. 1. n. 137. vol. 2.* Menoch. *lib. 2. cas. 559. arb. jud. quæst.* Ideoque alienatæ res repeti possunt. Matth. de Afflict. *ad rub. quæ sunt regal. n. 7. &* latè Steph. Jun. Brut. *quæst. 3. de vindic. contra tyran.* exemplis allatis probat. Hotom. *d. cap. 9.* & Antimach. *d. theor. 1. lib. 1.*

53 Hinc multæ alienationes, donationes & distractiones rerum ad regnum pertinentium, factæ à regibus, Galliæ irritæ & nullæ declaratæ fuerunt ab ordinibus, de quibus latè Steph. Jun. Brut. *quæst. 3. de vindic. contr. tyran.* & Hotom. *de jure antiq. regn. Gallici.* & Antimachiavellus. Adde Zoan. *de imper. Roman. n. 184. & seqq.* Greg. *d. loc.* Roland. à Vall. *d. loc. n. 144. & seqq. per allegat. ibid.* Choppin. *de domanio lib. 2. tit. 1. 2. & seqq.*

54 Quod si procerum consilium adhibet in alienatione, valebit. *per l. humanum. C. de legib.* ubi Bald. Felin. *in c. ad audientiam. de præscript.* Marc. Ant. Peregrin. *de jure fisci lib. 1. tit. 3. num. 79.* vel si regnum jure hæreditario, in legibus fundamentalibus regni sit proprietarium redditum & patrimoniale. Vide Greg. *lib. 7. c. 20. num. 62.* Vasq. *lib. 1. cap. 5. illust. controv.* qui requirit etiã oppidi alienandi consensum. Heigius *lib. 1. quæst. 19.* idem asserit, *arg. l. 7. qui fundum. §. 3. præmtor.* Bod. *lib. 1. c. 9. & lib. 6. c. 2.* Renat. Choppin. *de dom. lib. 2. tit. 13.* Hotom. *de jure succeff. Reg. c. 1. c. 7.* & Antimach. *lib. 1. theor. 1.*

Jus supremi dominii, vel superioritatis talis summus magistratus à se abdicare vel alienare non potest.

Peregrin. *d. loc. n. 75.* Rosenth. *lib. 1. cap. 5. conclus. 10.* Covarr. *pract. quæst. cap. 4.* Pruckm. *de regalib. cap. 4. memb. 2. effect. 7. n. 55. & seqq.* quia est res sancta sanctorum, neq; in marsupio principis. Peregr. *d. loc. n. 71.* An verò & quando rex suo successori nocere possit, renuntiando, privilegiando, rescribendo, contrahendo & delinquendo, tradit Peregr. *d. loc. n. 8. & seqq. lib. 1. tit. 3.*

55 Curam bonorum ecclesiasticorum etiam magistratui demandatam, exemplo piorum regum doceri potest. *Vid. 1. Reg. c. 7. 1. Chron. c. 28. & c. 29. 2. Chron. cap. 31.*

cap. 31. cap. 24. cap. 34. c. 36. Esr. c. 1. Baruch c. 1. Esr. c. 6. c. 7. Lev. c. 8. c. 10. c. 22. 10. 11. 13. 2. Chron. c. 5. 1. 2. Neh. c. 13. 13. ubi Piscat. *& Hesræ cap. 1. 1. 2. 3. 4. c. 7. 11. 16. & seqq c. 8. 25. & seqq.* Sed tamen ita, ut magistratus ex ecclesiasticorum judicio horũ curatores, diaconos & dispensatores constituat, *Rom. c. 12. 6. 7. 8. 2. Reg. c. 12. 11. c. 22. 7. 2. Chron. c. 31. 8. 9. & seqq. c. 34. 12. & seqq.* Pet. Martyr *1. Reg. c. 21.* & ut magistratus bona ecclesiastica & res sacras alienare, minuere, aut in usum profanum transferre non possit.

Arg. *Lev. cap. 27. 28. Malach. c. 8. c. 3. 8.* Vide *Novell. de non alienand. reb. eccles.* Danæ. *lib. 3. c. 2. pol.* Pet. Mart. *1. Reg. c. 21.*

56 Quæ enim semel consecrata & dedicata sunt cultui divino, illa non sunt profananda, *Hesr. c. 1. 7. & seqq. c. 8. 18. 2. Chron. c. 8. 1. Reg. c. 7. 11.* & profanata ad verum Dei cultum iterum transferenda. *Daniel. c. 5. 3. & seqq. Malach. c. 3. 8. 9 10. Marc. c. 11. 15. 16.* ubi Christus repurgat templum profanatũ. & Nehemias bona ecclesiastica in alios usus conversa, ministris Dei restituit, *Nehem. cap. 13. 10. & seqq. Hagg. cap. 1. 6. & seqq. Malach. cap. 2. 8.*

57 Quod verò in testamento vel alio modo, ad illicitum usum est datum consecratúmve, ab eodem principe ad usum licitum transferendum est.

L. 16. legatum. de usufr. legat. l. 4. legatum. de admin. rer. ad civitat. pertinent.

58 Ad cultum Dei, item ad pacem redimendam & captivos, aut alias necessitates urgentes, extraordinarias, quin res ejusmodi ecclesiasticæ sumi & impendi possint, non est dubium. *2. Reg. c. 12. 19. c. 16. 7. 8. c. 18. 15. c. 24. 15. 2. Chron. c. 16. 2.* item ad ministrorum ecclesiæ & scholarum sustentationem, studiosorum pauperum studia, nec non in eleemosynam pauperum, aut usum reparandarum ædium sacrarum: vide Zepper. *de polit. eccles.* Casm. *polit. c. 27.* ita tamen, ut alio tempore restituantur, ne talis alienatio

fraudi sit ecclesiæ & illius ministris, *l.12.privilegia.C. de sacrosanct.eccles.Novell.3.& 58.*

59 Reliqua bona, quæ supersunt, nec in usus Reip. conversa vel insumpta sunt, magistratus reponet in ærario Reip. in thesaurum.

Ita thesauros plures habuisse reges constat. *1.Reg.c.14.26.* Acciperet thesauros domus Jehovæ, & thesauros domus regis: acciperet etiam omnia scuta aurea quæ fecerat Salomo, *1.Reg.c.7.51.c.15.18.* Perfecto demùm toto opere illo, quod fecit rex Salomo pro domo Jehovæ, inferens rex Salomo res consecratas à Davide patre suo, argentum & aurum & vasa, posuit in thesauris domus Jehovæ, *2.Reg.cap.12.19.c.14.14. c.16.8.c.18.15.c.20.13.c.24.15. 1.Chron.c.26.26. c.27.25.c.28. 11.12. 2.Chron.cap.12.9.cap.16.2.c.36.18. 2.Chron.c.12.9.* ibi, Accepit thesauros domus Jehovæ, & thesauros domus regis, *2.Chron.c.25.24. & c.28.21. & c.36.18. 1.Chron.c.27.25.& seqq.* Sunt enim thesauri quasi arma, quibus tela mutationum excipimus & avertimus, & anchora Reip. tempore tempestatis, ne seditionum & bellorum procellis obruatur, & nervi sunt Reip. *Vide sup.c.11.n.20. & seqq.*

60 Thesauros igitur colligi, suadet repentina clades, incidens calamitas & necessitas superveniens, vide Pet.Greg. *lib.3.c.1.c.9.de Rep. & lib.2.c.8.* sed tamen ad avaritiam, luxum & voluptates, thesauros non colliget magistratus, *Deut.c.17.17.*

61 Hæc quæ dixi, de bonis regis propriis non intelligenda sunt, in quibus liberrimam dispositionem, instar privati cujusdam, habet, sed de bonis coronæ, sive regno annexis, Hotom. *quæst.illust.1.* Ita & David propriam habuit pecuniam & publicam, thesaurum domus regiæ, & domus Jehovæ, *2.Chron.c.25.24.c.28.21.c.36.18. 1.Reg.c.14.26.& 1.Chron. c.27.26.& seqq.* & officiarios etiam alios in rem Dei, & alios in rem regis destinavit, distinxitque inter ea quæ sunt Dei, quæ sunt Reipub. & quæ sunt regis, *1.Chron.cap.26.v.29. 2.Chron.c.29. 1.Chron.c.28. 2.Chron.c.23.* David & alii reges ministros super negotia regia habuerunt & officiarios suos, *1.Chron.cap.26.20.21. & seqq.cap.30. 2.Sam.c.8.c.20. 2.Chron.c.19.11.c.28.* & Salomo, *2.Reg.c.4. 1.Reg.c.9.2.Chr. cap.8.*

c.8. Ahasuer[s], *Esth.c.1.* Josaphat, *1.Chr.c.17.* Dari[s], *Dan.c.6.* Nehemias, *Neh.c.11.* Sic Salomo propria bona, quæ coronæ seu regno non annexa sunt, possedit, *Eccles.cap.2.* & rex Usia, *2.Chron.c.26.* Hiskia, *2.Chron.c.23.* Pharao, *Gen.c.47.*

Denique etiam personarum publicarum curam & inspectionem magistratus habere debet, nimirum officiariorum regni & suorum. 62

Officiarios & ephoros Reip. habebit, quasi consortes suos & fratres, iisque dignitatem suam acceptam feret, & tanquam amicos regni fovebit. *1.Chron.cap.28.2. 1.Reg.c.4.5. Deut. c.1.16.c.17.20.* Vide Scip. Amir. *lib. 2. discurs.8.* & horum tyrannidem, crudelitatem vel negligentiam corriget: illam tollendo, hanc excitando legitimis mediis & pœnis, exemplo piorum regum. 63

1.Chron.c.22.17.18.& seqq. c.28.8. & seqq. Mosis, Josuæ, Davidis, Josaphati, qui morientes monuerunt seniores & optimates regni, *2.Chron.c.19.4.5.6.9. Jos.c.24. Deut.c.28.& seqq.* Nehemias vitam & facta suorum & Reip. ministrorum diligentissimè observavit & correxit, *Nehem.cap.5.6.& seqq. cap.13.6.7.8.9.10.* adde *Prov.c.25.4.* ut auferendo scorias ab argento, prodit conflatori vas, ita auferendo improbum à conspectu regis, stabilitur justitiâ solium ejus. *Psal.101.6.* Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut consideant mecum: ambulans viâ integrâ, is ministrabit mihi. Vide suprà *cap.18. num.91. & 113.*

Status & ordines regni defendet, eorumque privilegia, jura, honorem & existimationem, dignitatem & autoritatem conservabit, & futuro suo successori eos obstringet, *1.Chron.c.22.20.c.29.4.* 64

Privatas quoq; rixas & controversias inter proceres seu ordines Reip. tollet, sopiet, animosq; eorum conciliabit, omnes simultates inter eos tollendo, ne ex illis seditiones & bella oriantur. 65

2.Sam.cap.14.16.22.c.2.8.9. & seqq. 1.Chron.cap.22.20.

Causæ igitur talium discordiarum inter potentiores & primates regni omnino sunt tollendæ, 2. *Sam.c.13.22. Gen.c.32.* 13. & animi plenè reconciliandi, 2. *Sam.c.14.16.22.23.* etiam federibus inter se invicem factis confirmandi, *Judic.c.1.3.* vel vi & armis rebellantes comprimẽdi. 2. *Reg.c.17.4.5.* 2. *Chron.c.36.13.* & in magistratus sui obsequium promissionibus firmis astringendi, 1. *Chron.c.22.20.c.29.4.* quo Reip. bonum simultatibus commodisque privatis anteferant, exemplo Quinti Fabii. Vide Scip. Amir. *lib.1.discurs.3.* suprà *cap.18. num.113.*

66 Observandum tamen hîc, ut diversitatem sententiarum non omnino tollat. Moderata enim discrepantia sententiarum utilis est, modò ad unum scopum, salutê Reip. omnes dissidentes colliment. Bodin. *lib.4.c.5.* ubi tamen consultum est, ut numero vel potentiâ sint dispares, neq; numero sint pares, ne, si sententiis dissident, actiones publicas impediant, & qui plures erunt, ambitiosorum hominum vim frangere, eorumque conatus impedire possint.

67 Discrepantia etiam sententiarum temperamentũ quoddam adfert in cõsiliis capiendis, & malè sentientes, ad æquiorem sententiam adducit ex collatione contrariarum opinionum & rationum. Existere enim in eadem Rep. faciles, graves, comes, tristes, severos & lenes, Appios & Poplicolas, Catones & Cæsares, utile est. Ut enim in fidibus, si nervi omnes similem sonũ ediderint, harmonia nulla est, sed ex dissimillimarum vocum moderatione concentus congruens & concors efficitur: ita qui ad Remp. administrandam, vel ad principis consilium adhibentur, si nihil inter eorum ingenia & habitus animorum intersit, nihil admodũ amplum, aut quod è Rep. sit, præstare poterunt. Sin verò in rebus deliberandis & consilio capiendo, ita diversis morib. & judiciis comparati sunt, ut in eundem omnes scopum, publicum videl. bonum colliment, longè certior clariorq; rerum & causarum veritas, ex illâ sententiarum dissimilitudine, & veluti concordia discordia emergit, quam si absque ullâ varietate omnes idemq; unum sentirent: ut dicit Antimach. *lib.3.theor.30.* & Bod. *lib.4.*

lib.4.c.5. de Rep. qui exemplis illustrant. Notabile est exemplum in Fabio Maximo & M. Marcello utroque Imperatore diversissimæ naturæ. Periculosa dissidia inter illos, qui suam magis, quàm publicam utilitatem quærunt, at improbi sunt. De virtute contentio & æmulatio inter aliquos semper est salutaris.

Cavendum tamen hîc summè est, ne hæc diversitas & discordia sit pertinacior, vel diuturnior inter potentiores, inprimis in polyarchia, ita, ut odium, animi rancorem & contumeliam in animis dissidentium gignat.

Moderata igitur discrepantia toleranda, immo- 68
derata verò diuturna tollenda, tanquam certissima Reip. pernicies.

Ex hac enim etiam postea oriuntur seditiones, factiones, conspirationes & conjurationes & bella civilia, ita ut ex uno regno ob discordiam optimatum fiant duo, ut docet exemplum Rehabeami & aliorum regum, 2. *Reg.c.15.* 1. *Reg.c.12.* vide alia exempla apud Danæ. *lib.3.cap.5.* Pet. Greg. *lib.22.8. n.9.10.* Valer. Max. *lib.4.c.2.* Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.23.*

Modi, quibus inter collegas dissidia tolluntur, & 69
pax concordiaq; conservatur, sunt 1. ut omnes dissensiones ortæ ex causis privatis in officio publico deponantur propter Remp. 2. ut cedatur ad tempus, & locus detur inimicis, ne periculum oboriatur Reip. 3. ne dissensiones ex Reip. administratione ortæ, veniant ad res privatas. 4. ut agatur placidè, aliquid remittatur, ut ad mediũ perveniatur. 5. erga collegas superiores pax, concordia & cultus, erga inferiores ornatus, erga pares honor præstetur; & erga omnes amor & benevolentia mutua. 6. Concordiæ & amicitiæ contraria vitia tollantur, detractio, ἐπιχαιρεκακία, insultatio, extenuatio benefactorum, ambitio. 7. ira caveatur, & lingua coërceatur. 8. patientia adhibeatur.

Ephes.c.4.2.3.4.5. Vide exemplis illustrantem Melch.Jun. *lib.1.pol.quæst.25. Ephes.c.4.1.* Precor vos, ut ambuletis ita, ut convenit vocationi, quâ vocati estis. 2. Cum omni animi submissione & lenitate, cum iræ cohibitione sufferentes alii alios per charitatem. 3. Studentes conservare unitatem spiritus per connexum pacis. *&* c.5.21. Subjicientes vos alii aliis cum timore Dei. *Col.c.3.8.* At nunc deponite iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam. 13. Sufferentes alii alios, & condonantes vobis mutuo, si quis adversus aliquem habuerit querelam, *& seqq.*

70 Officia magistratuum intermediorum secularium & ecclesiasticorum distincta & separata servanda, & publici commodi studiosissimis committenda sunt.

2.Chron.c.26.17.18. 1.Chron.c.23.& seqq. 2.Chrō.c.19.11. Esa.c.3.& c.24.2.3.4. ubi confusio horum dicitur indicium mali status publici. David officia publica ita esse distincta voluit, *1.Chron.c.23. & capp.seqq.* Vide Greg. *lib.8.c.2.n.14. 15.de Rep.*

71 Curabit summus magistratus, ut immediatè hæc à se pendeant, ut liberos habeat officiarios, nulli alii, quàm sibi adstrictos & obligatos, & ab iis rationem officii administrati exigat, quotiescunque res postulaverit.

72 Caveat, ne plus videatur sequi partes nobilitatis, quàm plebis, aut contrà: quia tunc futurum est, ut ex principe universali fiat tantùm alterutrius partis caput.

73 Videat inprimis, ne de statibus optimatibúsve regni querela esse possit illa, de qua Tzephan. *cap.3.3.* Principes ejus in medio ejus sunt leones rugientes, judices ejus lupi vespertini, qui non rodunt ossa in matutinum usque. 4. Prophetæ ejus rapidi, viri perfidiosissimi, sacerdotes ejus profanant rem sanctam, vim faciunt legi, *& seqq.* Vide *Lament. Jerem. & Esa. cap.1.cap.3. Mich. cap.1.cap.2. cap.3.*

Bene

Bene meritos quoque prȩmiis ornet, honore, dignitate, donis, immunitatibus, privilegiis & commendatione merita. Vide Bodin. *lib.5. c.4. de Rep.* Scip.Amir. *lib.2.discurs.2.* 74

Curet similiter, ut bonorum & fortium virorum merita erga se, erga Remp. erga singulos habeat cognita ac perspecta, ut cæteri ad bene de se merendum, acriùs incitentur. *Neh.c.7.* 75

Contrà etiam delicta magistratuum intermediorum & officiarios puniat & corrigat, *Neh.c.5. psal.101.* ne mala vita horum principem dehonestet, & administrationi ipsius noceat. Scip.Amir. *lib.4. discurs.1.* & propria domus principis censura sit publicæ disciplinæ & exemplum: vide suprà *cap.23.* Nam læsus à principis officiario, contra principem magis, quàm contra privatum iram recondit coquitque. 76

Et pessimè, ut Plin. *in panegyr. in Trajan.* dicit, consulit Reip. magistratus summus, quando malignitate vel negligentiâ delinquentibus magistratibus inferiorib. vel malè agentibus, aut aliis magistratibus togatis, aut bellicis ipse procurat impunitatem. Ita Heli & Samuëlis filii, parentib. suis peccata eorundem non punientibus, & sibi & ipsis pœnas attraxerunt, *1.Sam.c.3.& c.8.* Quod si horum delicta non puniantur, accidit, quod in navigatione accidere solet. Nam ut delictorum, quæ in navibus committuntur inter navigandum, si quis nautarum deliquerit, parvum est damnum; sin gubernator deceptus fuerit, aut aberraverit, communi calamitate omnes vectores involvit: sic plebeiorum peccata non in populi, sed in ipsorum damnum cedunt. At magistratuum & Remp. gubernantium peccata ad nos universos pertinent, & pœna horum securitatem imperandi comparat. Quapropter Solon plebeiis tarda, magistratibus & gubernatoribus velocia constituit supplicia, quod existimabat, de illis quovis tempore sumi posse pœnas, hos normam ultionis non admittere. Oppressâ enim libertate, qui pœnas repetat, fore

neminem. adde Simanc. *lib.5.de Rep.c.12.* Hinc peſſimè Reip. conſuluerunt Ninyas & Sardanapalus Aſſyriorum reges, quorum ille vacuus ſemper fuit à curis Reip. hic verò muliebrem duxit vitam, ſolis voluptatibus ſuis inſerviens. Sicuti & Lucullus, qui Calliſtheni liberto ſuo omnium rerum curâ demandatâ, luxui operam dedit.

77 Familiarum, collegiorum, oppidorum, urbium & civitatum ſummam curam habebit, eorumque privilegia, jura & immunitates conſervabit pro more majorum: concordiam inter eas omnibus viribus ſanciet & fovebit.

Arg. *Geneſ.cap.16.2. cap.21.30. 2.Sam.c.13.22. Judic.c.1.3.* Nam regnum diſſidens adverſus ſeſe, vaſtatur; & omnis urbs aut domus diſſidens adverſus ſeipſam, non ſtabit, *Matth. c.12.25.*

78 Metropoli proſpiciet, ne unquam maneat vacua, inculta, civibus aut propugnaculis deſtituta, ne pateat hoſtibus ad occupandum. Ideoque ex aliis regni oppidis cives ad metropolin ſunt alliciendi, quam non facilè deſerent.

Nehem.c.7.3 c.13.19. Vide Liv. *lib.5.decad.1. & lib.1.dec.3.* ubi vicini benignè invitati Romam, eandem auxerunt & ornarunt.

79 Hactenus de univerſali adminiſtratione: ſequitur de particulari, nimirum perſonarum & rerum privatarum, quâ curâ, providentiâ & gubernatione ſuâ ſummus magiſtratus perſonas, & bona ſingulorum ſubditorum contra vim & injuriam defendit, protegit, & ad vitam politicam commodè & bene degendam, dirigit & gubernat.

Ut enim bonus medicus totum corpus primùm curat, ex eoque malos humores educit, & deinde ægrum membrum, cui remedia ſpecialia applicat: ita & Reip. adminiſtrator, primùm corpus totum Reip. deinde illius membra curat, & diverſa remedia illis adhibet.

Quod

Quod ad perſonas ſubditorum attinet, cum his, ut Plin. *in paneg. in Trajan.* princeps bonus verſari debet, veluti cum liberis propriis, non tanquam cum ſervis. 80

Et alibi idem autor ait. Sub bono principe ea eſt principis & populi inter ſe æmulatio, ut contendant, uter alterum magis amet. *Deut.c.17.* Nō cor ſuum ſuper fratres ſuos extollat. Vide Steph. Jun. Brut. *in vindic. quæſt.3.* & ab injuriâ illatâ illos vindicabit, atque non aliter atque tutor pupillum ſuum, defendet. Vaſq. *1.c.8.n.14. illuſtr. controv.*

Nihil verò principi glorioſius eſt, quàm illuſtres & divites habere ſubditos quamplurimos, & familias claras ab interitu vindicare. Vide Scip. Amir. *lib.2.diſcurſ.8.* vide ſuprà *c.20.* 81

Præcipuè verò illos liberaliter regere debet, ne ſubditi pro mancipiis hominibusque propriis habeantur, & exactionibus & ſervitiis nimiis inſtar ſervorum tractentur. 82

2.Chron.c.10.4. Nehem.c.2.4.5.c.5.c.9.37. 2.Chron.c.2.17. 18. c.8.20.21.22. Nam deſpectam & contemptam gentem reddunt ſervitus nimia & ſordes nimiæ, quæ ex inopia nimia naſcuntur, uti in Moſcovia, Turcia, & Tartaria. Salomo ob hanc cauſam ſerviles operas à ſuis ſubditis non exegit. *1.Reg. c.9.22. Johan.c.8.33.* quæ imponebantur Gibeonitis, *Joſ.c.9.* & Judæis in Ægypto, *Exod.c.1. & ſeqq. capitib.* ex quâ ſervitute Deus eos eduxit, *Exod.c.20.2. Deut.c.5.6.* Vide ſupr. *c.13. num.13.*

Inprimis verò cura & defenſio miſerabilium perſonarum ſummo magiſtratui commendata eſt, *Deut.c.10.18.19 c.24.17.19.20. c.15.4. & ſeqq.* de quibus leges conſtituet, iisq; inſpectores, tutores, curatores bonos & fidos præficiet: veluti cæcis, furioſis, mutis, ſurdis, pupillis, viduis, pauperibus, valetudinariis, ſenibus, leproſis, mendicantibus invalidis & infirmis iis, qui ad commiſerationem propter 83

calamitatem & miseriam suam nos movere possunt, & similibus.

Menoch.*cas.65. & cas.66. lib.2. arb.judic. Exod.c.22.22. 23. Jerem.c.22.3. Job c.24. 3. c.31.16. Jac.c.1.27. Deut.d.loc. & c.14.29. Psal.82.& 72.& 146.* Menoch.*cas.332.arb.*

84 Certum quoque locum & reditus in usus necessarios harum miserabilium personarum constituet. *Deut.c.24.17.c.26.12.c.15.4.5.6. & seqq.*

Unde xenodochia, nosocomia, hospitalia, orphanotrophia, ptochotrophia, pædotrophia, gerontocomia, ergastula furiosorum.

Novell.123.c.23. qualia magna cum laude habet & sustentat civitas Amstelrodamum, Argentina, & aliæ complures.

85 Miserabiles verò personæ inter alias censentur pupilli, viduæ, pauperes, cæci, surdi, peregrini, & omnes qui aliorum ope, auxilio & consilio perpetuo opus habent. *Deut.d.loc.* Menoch.*d.locis.*

86 In constituendis verò hospitalibus harũ personarum, distinctæ habitationes discernendæ sunt. ut 1. sit distincta & separata domus pro alendis, instituendis & erudiendis pupillis & orphanis. 2. domus alia separata pro senibus decrepitis viris, & alia pro vetulis. 3. alia domus pro viris valetudinariis pauperibus, & alia pro fœminis. 4. pro mente insanis, furiosis. 5. alia domus pro militibus ægrotantibus, corpore læsis & mutilatis. 6. pro peste, vel alio morbo epidemico laborantibus.

Qualia hospitia maximis sumptibus Amstelrodamum & pleræque aliæ Belgicæ populosæ civitates constituerunt & sustentant.

87 Deus pauperibus & miserabilibus personis prospexit in politia Judaica lege ecclesiasticâ & politicâ.

Eccle-

Ecclesiasticâ lege:

I. Contributione & collatione facienda in festis annuis tribus, in usum pauperum & sacerdotum, *Exod.cap.23.15. Deut.c.16.16 17.* Deinde in sacrificiis & oblationibus spontaneis, decimarum, vini, olei, frumenti, pecudum, & aliis, *Deut.cap.12.12. 18. Deut.cap.15.19.20.cap.16.11.14.cap.26.10. 11. Exod.c.18.11. 1. Sam.c.9.13. 1. Chron.c.29.22.* Tertiò in decimis cujusque anni post sabbatharium, *Deut.c.24.28.29. cap.26.12.13.* Quartò in natis in anno sabbathario, *Exod.c. 23.10.11. Lev.cap.25.3.4.5.6.cap.20.21.22.* Quintò in collectis in gazophylacio Hierosolymitano, *2.Reg.c.12.9. Nehem. c.13.5. Luc.c.21.1. 2.Joh.c.8.20.*

Lege politicâ pauperibus prospiciebatur in eo: 88

Quòd pauperi concessum erat, ob inopiam liberos vendere, *Exod.c.21.2. Deut.c.15.12. Lev.cap.25.39. Matth.c.18. 2.Reg.c.4.1.2.3.4.* Deinde manumittendi egeni à manumittente donabantur, *Exod.c.21.2.10. Deut.c.15.13.14.* Tertiò ex spicilegiis & relictis in agris vel vineis pauperes capiebant. Vide *Lev.cap.19.9.10.cap.23.22. Deut.c.24.19.20.21. Ruth cap.2.2.3. Matth. cap.12.1.* Quartò juvabantur pauperes mutui datione. *Deut.15.7.8.9.10. Exod. cap.22.25. Lev.c.25. 36.* Quintò in exsecutione & restitutione pignoris, *Deut.cap. 24.6.10.11.12.13.* Sextò solutione maturè factâ pauperibus, *Lev.c.19.13. Deut.c.24.14.15. Sirac.c.34.27.*

Media, quibus pauperum cura haberi potest, relinquuntur in arbitrio magistratus, qui pro temporum, locorum, terræ regionis & populi cujusque ratione, varias vias, modos & media constituere potest, quibus caritatis & misericordiæ officia erga pauperes & miserabiles personas declaremus, & sceleratæ mendicitati ansam præcidamus, Sunt aliæ civitates maritimæ, in quibus variæ merces importantur: Aliæ regiones venis & fodinis metallicis abundant: Aliæ feraces sunt frugum omnis generis: Aliæ rem pecuariam exercent, in quibus varia & diversa adminicula charitatis exercendæ præbentur. 89

In primitiva ecclesia collectæ ordinariæ & extraordinariæ in pauperũ usus fieri solebant. Ordinariæ primo quoq; die hebdomadis fiebant in ecclesia, *1.Cor.c.16.v.1.* Extraordinariæ fiebant calamitate & necessitate incidente, tempore persecutionis, pestis, famis, *Act.c.11.v.29. Rom.c.15.v.26. 2.Cor.c.9.v.1.2.3.4. Gal.cap.2.10. 1.Cor.cap.16.1.2.* Oblationes aliæ quoque fiebant in pane, vino, carnibus, & aliis speciebus, quibus necessitati pauperum subveniebatur, *1.Cor.c.11.21.22. Act.c.6.c.4.34.35.* Vide Zepperum *in polit. eccles. & de legib. forens. Mosaic. lib.4.c.26.* Inter pauperes verò non sunt habendæ viduæ ditiores, *1.Tim.c.5.v.4.16.* Item valida illa & sana mendicantium turba, quæ ex aliorum saginatur sudoribus, & morbos mentitur, cùm labore manuum suarum vivere posset, *1.Thess.c.4.11. 2.Thess.c.3.10.* de qua & Constitutiones Imperii.

91 Hujus loci quoque est cura annonæ procurandæ, ut ea viliori pretio vendatur atque tempore necessitatis habeatur, ejusque sit facilis & expedita importatio & copia.

92 Reliquorum singulorum subditorum statum inquisitione habitâ, examinare princeps debet, *Psal.101. & 119. & 2.Reg.c.10.v.1.2.3. Gen.c.31.22.* imprimis verò familiam propriam, utq; illa tota ex piis & fidis ministris constet, curabit. *Psal.101. Gen.c.31.22. 1.Sam.c.2.25.30. Prov.c.10.30.31.* & singulorum linguas ac manus observare, quid quisq; loquatur & agat, & singulis malis remedia quærere debet, atque observare per suos, quis insidiarum, seditionúmve suspectus, & qua de causa, ne sint intra mœnia & in sinu urbis hostes; quò pertinet censura de qua alio in loco antè dictum, *c.31.*

93 Habebit etiam cognitos viros bonos, eximios atque præstantes, tam in pace, quàm in bello. Virorum, qui sunt pacis artibus insignes, nomina in librum referat, & illorum nomina, quos in bello fortes, generosos & utiles sibi & Reipub. evasuros putat, in alium librum referat & notet. utrosque viros pro meritis honestabit. Nam horum alii mente & sapientiâ, alii manibus & fortitudine è maximis illum aliquando angustiis educere valebunt, ut ait Scipio Amirat *lib.1.discurs.5.* Vide *Esth.c.6.1. Chron.c.11. & c.20.2. Chron.c.17.* Vide *c.32.supra.*

94 Insidiæ, quæ plerunque à suis subditis magistratibus struuntur, diligentissimè sunt observandæ. Plures enim reges à suis, quàm ab hostibus interemptos legibus, *ut refert Curt. lib.9.*

95 Deteguntur & in apertum proferuntur insidiæ, linguæ temeritate ipsorum insidiantium, quorum mentem lingua propria prodit. Ideoque indicii præmium decernendum est, lege latâ & sæpius renovatâ, vel publico edicto. Sed licet talibus delatoribus aures semper præbendæ, non ideò tamen semper fides. Cùm nemo innocẽs esse possit, si accusasse sufficeret. De convictis verò pœnas sumet, si tutò poterit, sin minus, temperabit vel dissimulabit. Vide Lipsi. *lib.4.c.10.polit.* Negligentia inquirendi suspectos, & nimia confidentia plures principes perdidit. Greg. *lib.22.c.11.de Rep.* Ita periit Julius Cæsar, ita Dion, ita Phocas & alii. Gregor. Richt. *ax.polit.129.*

96 At vindicta de nece antecessoris principis sumpta, munimentum imperii præsens, imposterum ultionem, & securitatem imperandi comparat.

Ita Severus Pertinacis, Domitianus Neronis, Vitellius Galbæ interfectores punivit. Vide Clapmar. *lib.3.c.17.de arcan. Rerump.* Scip. Amirat. *lib.17.discurs.*

97 Quòd si uno in loco regni subditi nimis crescant, operam dabit princeps, ut commodè in alium locum sui regni colonia ducta, transferantur. Vide Tholosan. *lib.1. cap.2. & lib.6. cap.7. de Repub.* & in otio viventes, turpi inertia & voluptatib. diffluen-

tes, ad bellum emittantur, ut sentina malorum hominum expugetur, & corpus Reipub. à corruptis hisce humoribus vacuetur: *Psalm.101. l.13. congruit. de offic. præsid.*

98 Sequitur de bonorum, hominumque privatorum cura, quæ magistratui sunt demandata, quoad protectionem & defensionem contra vim & injuriam.

Novell.85. in princ. ibi, studemus omnes, subjectos nostros, quorum regimen credidit nobis Deus, illæsos & sine calumnia custodire. Psal.82.1.2.3.4. Psal.72.1.2.3. & seqq. Jerem. c.22.c.23.

99 Bona privatorum sunt triplicia. Primò vita & incolumitas corporis. Deinde fama & existimatio. Tertiò bona externa.

Quibus si homo pacatè & tranquillè fruitur, commodè & pacificè vivit, *1.Tim.c.2. Vide supra c.10.n.6.7.*

100 Corporis incolumitas est, quâ hominis corpus à læsione, vulneratione, pulsatione, verberibus, nece & quavis alia coërcitione & suppressione liberum & immune est.

Luc.c.3.14. Joan.c.18.22.23.24. Deut.c.27.24. Exod.c.22. 21.22.23.c.21.24. & seqq. Act.c.25.26.27.29. & passim Juriscons. tradunt. Ergo hæc vitam naturalem respicit, corporis integritatem & libertatem hominis naturalem, ubi etiam sanitatis habenda ratio in loci salubritate conservanda & aliarum rerum necessariarum subsidiis.

101 Defensio vitæ consistit in securitate præstanda contra vim & injuriam hostium, latronum, prædonum, insidiatorum, & quovis modo lædentium. Ideo usus armorum subdolosorum, sicarum & bombardarum interdicendus: Et ideo præsidiarii viarum, vigiles nocturni, aliiq; securitatis præstandæ ministri constituendi, & malis hominibusque noxiis provincia quælibet purganda.

Psal.

Psalm.101. l.13. congruit. de offic. præsid. & propugnacula, vel arces munitæ ad regni limites, pro defensione parata extruendæ. Vide Bod. *lib.5.cap.5.* Tholos. *lib.2.cap.5.* & ad defensionem limitum & portuum præsidiarius miles habendus, exemplo Salomonis.

Hîc tamen observandum, magistratui in personam vel corpus hominis duplex jus competere. Primum est jus compellendi: Alterum est jus puniendi. 102

Jus compellendi competit ad hoc, ut subditus faciat & præstet, vel omittat fugiatque ea, quæ in præceptis decalogi & jure recepto regni, mandantur vel prohibentur. Ad mandata adigit: à prohibitis, interdictisve coërcet: In mandatis continentur facienda, in interdictis omittenda & fugienda. 103

Jus puniendi est, quo personam delinquentem & peccantem contra leges Decalogi vel regni, pœnâ mortis, vel pœnâ mutilationis membri, corporis, pœnâ vel læsionis, vulnerationis, pulsationis, fustigationis, vel quâvis aliâ corporis afflictiones, vinculorum custodiæve afficit. 104

Bona fama & existimatio est aliorum hominum bonorum, de nobis honesta opinio vel illæsæ dignitatis & status judicium. 105

Unde bonum testimonium de aliquo dicitur, *1.Tim.c.3. 7. Tit.c.1.6.7. Actor.c.23.12.c.9.22. Rom.c.18.* quæ fama omnibus divitiis præstantior & melior dicitur. *Prov.c.22.1. Eccles.c.4.15.16.*

Ad hanc bonam famam conservandam & consequendam pertinet cura publica disciplinæ, morum, & bona educatio, institutio & informatio in scholis vel officinis tradenda.

Hac existimatione hominem magistratus pri-

vare poteſt, ob commiſſum maleficium: Innocentiam verò ipſius contra conviciatores & diffamatores defendere debet.

106 Ad hanc exiſtimationem refero etiam caſtitatem, ſtatum & dignitatem hominis, quam quis vel à virtutibus, quibus eſt ornatus, habet, vel à magiſtratu ſummo in ſe collatam, accepit.

107 Bona externa ſunt mobilia & immobilia, quibus ad vitam noſtram ſuſtentandam utimur, quisq; ſuis & propriis, quæ ideò à furto, rapina, læſione, imminutione, interverſione, ruptione, damno quovis alterius, jure naturali dictitante, immunia eſſe debent, magiſtratu in lædentes, damnum inferentes, vel ea auferentes, animatvertente.

Nam hisce externis bonis & copia rerum omnium ſubditos abundare, Reipub. utiliſſimum. Vide Antimach. *lib. 3. theor. 32.* Nam veræ ac certæ principis opes & propè extra omnem periculi & jacturæ aleam poſitæ, in ſubditorum divitiis ſunt ſitæ. Reliqua quæſtorum negligentia dilabi, perfidiâve averti, vel bello, aut quocunque caſu perire poſſunt. Bona verò quæ populus penes ſe habet, hisce caſibus obnoxia non ſunt.

108 Bonis ſubditorum, varii fures & impoſtores inſidiantur, qui per fraudem, modis illicitis, ſubditos emungunt, qui à magiſtratu tanquam cuſtode & defenſore bonorum privatorum, ſunt coërcendi. Tales verò ſunt errones illi magici, agyrtæ, ſortiarii, aleatores, luſores, ſcenici, mimi, comœdi, ſpectaculorum exhibitores, ſaltatores, funambuli, lupanarii, uſurarii, Judæi, caupones & quivis voluptatum artifices. Vide Taffin. *de emendat. libr. 2. cap. 18. cap. 19.* Keckerm. *ſyſtemate polit. libro 1. cap. 22.*

109 Hujus generis etiam ſunt bonorum ſuorum decoctores,

coctores, prodigi, epicurei, otioſi, alchimiſtæ, rerum ſacrarum profanatores, rebus ſuis abutentes, imprimis poteſtate maritali, patriâ, vel dominicâ. Similiter hujus generis ſunt peregrini & eccleſiaſtici, ementes bona immobilia ſubditorum, quæ ob hoc poſtea oneribus publicis eximuntur.

Qua de cauſa bellum Venetum defenſivum contra Pontificem Romanum ſusceptum fuit, nunc verò ſopitum. Vide varios ſcriptores Apologiarum pro Venetis contra Pontificem Romanum.

Ne etiam bonis ſubditorum inundationibus, 110
incendiis & direptionibus damnum inferatur, legitimis mediis magiſtratus antevertet. Similiter ne etiam beſtiis noxiis corporibus & bonis ſubditorum noceatur.

Ejusmodi ergo bona ſubditorum pravata ma- 111
giſtratui ſunt commiſſa, quo ad defenſionem & conſervationem, contra omnem vim & injuriam, non quoad alienationem & ademptionem, niſi ex cauſis duabus, ſubditi nimirum culpâ, vel publicæ ſalutis neceſſitate.

1. Sam. c. 8. 10. & ſeqq. Jud. c. 9. 8. Senec. *lib. 6. de benefic. c. 4.* Jure civili omnia regis ſunt, & tamen illa, quorum ad regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquæque res habet poſſeſſorem ſuum. Itaque dare regi & domum & mancipia poſſumus, nec donare illi de ſuo dicimur. *& c. 6.* regio more cuncta poſſidet dominia verò ſunt ſingulorum. Et Pharao rex Ægypti, non niſi poſt titulũ emptionis, vel permutationis, prædia ſuorum ſubditorum ſibi vindicavit, *Gen. c. 45.* & reprehenditur Achabus rex Iſraël, quòd vineam Naboth ſibi vindicaverit, *1. Reg. cap. 21. Ezech. cap. 45. 8.* Ipſi portio hujus terræ eſto in jus poſſeſſionis apud Iſraëlem, ut non opprimant ampliùs principes mei populum meum, ſed terram reddant domui Iſraëlis per tribus ipſorum, *verſ. 9. & cap. 46. 16. 17. 18.* non accipiat

princeps de possessione populi, oppressione deturbando eos de jure possessionis ipsorum &c. Nec Moses ullius asinũ se accepisse dicit, *Num.c.16.&* Samuel, *1.Sã.c.12.* Steph. Jun. Brut. *in vind.quæst.3.* Vide Bod. *lib.1.c.8.* Geil. *lib.2.obs.56.& seqq.* Covarr. *lib.3.resol.c.6.* Vasq. *lib.1.c.5.illust.cont.* Pruckman. *in §. soluta postetas c.4.effect.5.*

112 Ex culpa subditi, magistratus bona ejusdem externa, pro parte, vel in totum adimere vel confiscare & publicare, hoc est, in fiscum redigere potest, ob delictum ab eodem commissum.

Ut habet *tit.de bon.damnator.& tit.de jure fisci. 2.Sam.c.16.4.5. 1.Reg.c.21.15.16. 1.Sam.c.8.11.12.* quibus locis, licet factum improbetur, jus tamen regis tale fuisse inde constat, *Jos.c.7.15.24.* Et hæ sunt mulctæ & confiscationes, quibus ærarium populi locuples efficitur, & delinquentes jure puniuntur. dixi *sup.c.10.& c.17.n.16.17.*

113 Sæpe etiam quibusdam indignis bona auferuntur & fisco vindicantur. *tit.de his quibus ut indign.& sup.d.c.17.c.10.n.11.*

Huc refero ἀπληρονόμητα, ἀδέσποτα bona vacantia, quæ dominum non habent, vel habere desierunt, bona caduca & inventa.

Tit. C. de bon. vacant.tit. C. de thesaur. Ulpian. *tit.19.* Greg. *lib.9. c.1.n.22.23.24.25. de Rep.* & de quibus *sup.c.17.& cap.10.*

114 Hujus loci esse existimo bona furiosorum, mutorum, surdorum, cæcorum, prodigorum, impuberum, minorum, & quorumvis, qui ob defectum quendam corporis, vel animi, bona sua administrare ipsi nequeunt.

Tum enim rectè magistratus, vel lex horum bonorum curatorem & administratorem constituit, ut latè tradunt JCti.

115 Necessitas & salus Reip. nonnunquam permittit summo magistratui, de rebus subditorum suorum dispensare, cásque alienare, vel sibi eas usurpare, etiam domino illarum invito.

Pruck. *in d.§. soluta potestas.c.4. memb.1.eff.5.n.5.& seqq.* Pinell. *in rub.part.1.c.2.n.24. C. de rescind. vend.* M. Anton. Peregr. *de jure fisci lib.1.tit.3.n.85.& seqq.*

Ratio est, quia utilitas publica præferenda est privatæ, *l.unic.§. fin.C. de caduc.toll.* & multa utilitatis publicæ causâ permittuntur, quæ alioquin sunt vetita. *l.ita vulnaratus.§. multa. ad l. Aquil.* & quando agitur de utilitate publica, agitur etiam de privata ejus, cujus res capitur. Et quando pluriũm interest, & res respicit universos ut universos, attenditur majoris partis sententia potiùs, quàm unius vel paucorum, *l.quod major. ad municip.* Et in consociatione publica, omnes consenserunt in ea quæ publicè utilia sunt. Quando verò & quibus ex causis hoc fiat, docent JCti, inprimis Geil. *lib.2. obs.55.& seqq.* Zasius *consil.10.vol.2.* Petr. Gregor. *lib.7.c.20. n.40.& seqq.& 54.55.56.& seqq.& lib.9.c.1.n.7.& seqq. de Rep.* Bod. *lib.1.c.8.* Ant. Gabriel. *in tit.de jure quæs.non tollend. in com.opin.* Læl. Zecch. *lib.1.c.3.polit.* Ren. Choppin *de dom. lib.2.tit.14.15.* Pruck. *d.loco.* qui tamen à reliquis dissentit, & non nisi ex consensu vel delicto domini hoc posse fieri statuit, per *§. per traditionem. Inst. de rer.divis.l. id quod nostrum. de reg.jur.* Quo casu tamen pretium quandoque illi cui res sua eripitur, est restituendum, *2.Sam.c.24.4.* Geil. *d. loc.& obs.seqq.* sed tamen ad libidinem propriam, non hoc ipsum illi concessum, *1.Sam.c.8.10.& seqq. 1.Reg.c.11.& cap. 12.& c.21. Neh.c.5. Deut.c.17.* Greg. *d.locis.* Danæ. *lib.3.c.4.* Vasq. *lib.1.cap.5.num.15.16.& seqq.* Wesenb. *cons.45.num. 46.47.*

Hinc damna & injurias subditis illatas princeps 116
remittere potest, pacis faciendæ causâ.

Pruckman. *d.loc.c.4.memb.2.effect.3.* & Geil. *lib.2.de pac. pub.c.19.* Vasq. *illust.controv.c.4.n.11.* Jason. *in l. Barbarius.n. 29.de offic.prætor.& in l.venia.n.15. C. de in jus vocand.* Sed contrarium, nimirum principem sine consensu subditorum, id non posse, sentit Pruckm. *n.10.& seqq. d.loc.&* Mynsi. *cent. 4.obs.9.* Gabriel. *d.tit.de jure quæsit.non tollend. conclus.8.* Ita quoque, ait, princeps non potest subditum cogere ad contrahendum secum, vel ad dandum mutuum, quod contra reliquos Pruckm. sustinet *d.eff.4.* Covarr. *resol.lib.3.cap.14.n.1.* Mynsi. *cent.5.obs.27.* Marc. Ant. Peregr. *de jure fisc. lib.1.tit.3.*

n.12. & seq. inter distinguit, & an privilegia sua concessa revocare possit, disputat.

Administratio magistratus consistens in adquirendo, est, quâ regno, seu Reip. quid adquirit, vel bello gesto, vel matrimonio, vel federe, aut aliis legitimis modis.

117 Belli jure quidquid magistratus adquirit, id jure gentium populo, seu regno, non sibi, adquirit.

Nam communibus populi viribus, opibus, & pecuniâ adquirit, tanquam procurator, minister, vel servus suo domino mandanti, vel institor suo domino præponenti. Steph. Jun. Brut. *de vindic. contra tyr. quæst. 3. Vide sup. c. 32. in fin. & 33.* Quas verò regiones, vel provincias bello, vel matrimonio Reip. adquisivit, recipit populi consensu in societatem & unum corpus regni, iis conditionibus quibus inter victos & vincentes convenit. *Vide sup. c. 17.* de confederatione & consociatione. Ideoque pro libitu & placito suo nequaquam illis imperare potest, prout putavit Greg. *lib. 7. c. 19. n. 9. 10. de Repub.*

Matrimonio, vel occasione ejus, si provinciam, vel urbes, aut pagos adquirit summus magistratus, hæc etiam regno adquiri existimarunt quidam.

Nam non præsumitur uxorem ducere, vel uxor illi nubere, quatenus Rudolphus, aut Maximilianus, sed quatenus rex, imperator, & princeps illius regni. Et quæ post partum & adeptum regnum adquirit, publicis regni opibus & pecuniâ adquisivisse magistratum, præsumptio est, ut dicit Steph. Jun. Brut. Sic olim regnum Persicum & Babylonicum conjuncta, datâ in uxorem Cyro Cyaraxis filiâ; & hodie domus Austriaca per matrimonia plurima regna sibi conjunxit. *Vide Thesaur. polit. c. 6. 7. & 10.*

Federe regno adquirit provincias paciscentes iis conditionibus, quibus receptæ illæ fuerunt in jus regni & civitatis. *Vide sup. c. 17.*

118 Operâ, labore & parangariis subditorum parcè utetur, & non nisi necessitate exigente. Rigidos laborum exactores Deus exsecratur & punit. *Vide*

Vide sup. cap. 13. n. 14. Mich. c. 3. Habac. c. 3. Exod. c. 5. Jer. c. 22. ita ut, quando duplicantur lateres, etiam Mosen quendam mittat.

Aliis legitimis causis & titulis adquirendi, regnum augetur, nimirum successione testamentariâ, vel ab intestato: sic Attali regis hæres factus est populus Romanus: item donatione, emptione, deditione, bello. Vide Scipionem Amiratum *lib. 2. de regni & regis instit.*

CAPUT XXXVIII.

De tyrannide ejusque remediis.

1 *Tyrannis quid sit.*
2 *In quibus societas humana consistat, & quibus convellatur.*
3 *Tyrannus quis.*
4 *Non omnis magistratus delinquens, est tyrannus.*
5 *Tyrannis duplex.*
6 *Tyrannis, violare fundamentales Reip. leges.*
7 *Item, ordines regni in officio faciendo impedire.*
8 *Generalis tyrannis quanam.*
9 *Absolutâ potestate uti, est tyrannis.*
10 *Specialis tyrannis quæ.*
11 *Exercitio puræ religionis privans, est tyrannus.*
12 *Abolens virtutum & pietatis officinas.*
13 *Primates Reip. opprimens.*
14 *Justitiam non administrans læsis.*
15 *Partes officii sui præcipuas negligens.*
16 *Contra vim & injuriam membra regni non defendens.*
17 *Fovens dissidia, factiones, bellâve inter subditos.*
18 *Usum commerciorum & alia symbiotica jura tollens inter subditos.*
19 *Immoderatis exactionibus exhauriens subditos.*
20 *Conventus publicos impediens.*
21 *Publicis regni bonis ad libidinem abutens.*
22 *Publica in privatum usum transferens.*

23 *Publica bona profundens & alienans, dilapidans, minuens.*
24 *Voluntatem & facultatem resistendi subditis adimens.*
25 *Facultatem adimit variis modis.*
26 *Tyranni in sacris variis appellantur nominibus.*
27 *Tyrannus absq; titulo, non propriè est tyrannus, & à privatis etiam tolli potest.*
28 *Remedium tyrannidis duplex.*
29 *Resistentia tyrannidis, quæ licita.*
30 *Rationes resistentiæ hujus.*
31 *Natura obligationis inter magistratum & populum.*
32 *Quæ potestas non data principi.*
33 *Deo magis obediendum, quàm magistratui.*
34 *Dei imperium non est communicandum magistratui.*
35 *Qui habent jus constituendi magistratum, iidem etiam habent jus exauctorandi eundem.*
36 *Cessat etiam aliquando obligatio inter parentes & liberos, dominum & vasallum.*
37 *Contra vim & injuriam inferentem licet se defendere.*
38 *Ephori ratione officii & obligationis tenentur resistere tyrannidi.*
39 *Magistratus fines mandati excedens fit privatus, cui subditi non obligati sunt.*
40 *Deficiente conditione & causâ finali contractus, deficit quoq; obligatio.*
41 *Sibi jus quis dicere potest, quando deficit judex.*
42 *Notoriè iniquè agenti licet resistere.*
43 *Licentia tyrannorum destruit humanam societatem.*
44 *Exempla ex sacris eorum, qui tyrannis restiterunt.*
45 *Exempla ex profanis historiis regum exauctoratorum.*
46 *Quæ sint observanda in hac tyrannorum reprimendi potestate ephoris concessâ.*
47 *Qui tyrannis resistere possint & debeant.*
48 *Resistentibus ephoris, qui se adjungere teneantur.*
49 *Detrectantes juvare ephoros, sunt hostes.*
50 *Specialium ephororum cura.*
51 *Quando deserere possunt oppressos.*
52 *Speciali huic ephori se alii subditi adjungere possunt.*
53 *Unus ex ephoris pluribus, non potest regem officio suo privare.*

54 Ces-

54 *Cessantibus aliis ephoris collegis, unus potest tyrannidi resistere.*
55 *Unus etiam ephorus tenetur regnum contra invasorem & hostem defendere.*
56 *Quando sit resistendum tyranno.*
57 *Nota tyrannis quando & quomodo.*
58 *Obfirmata tyrannis quæ sit.*
59 *Insanabilis tyrannis.*
60 *Quando periculum in mora, quid faciendum.*
61 *Resistentia defensiva.*
62 *Resistentia verbalis & realis quid & quando licita.*
63 *Quandiu resistendum tyrannidi.*
64 *Respub. tyrannum suâ approbatione legitimum facit magistratum.*
65 *Privati non debent tyrannidi resistere, & quare.*
66 *Quatenus magistratus legibus solutus.*
67 *Quando fuga subditis est concessa ob tyrannidem magistratus.*
68 *Tyrannus absq; titulo invadens regnum, à quolibet, etiam à privato, occidi potest.*
69 *Tyranno amoto, familiæ ipsius quando jus salvum manet.*
70 *Dejectio regum tyrannorum, non caret cladibus & incommodis.*
71 *Ephororum potestas non minuit regis potestatem, sed potiùs eam confirmat.*
72 *Finis potestatis ephoris concessæ.*
73 *Error Bodini.*
74 *Paria jura non habet dux, Comes aliúsve ephorus cum rege.*
75 *Potestas ephori specialis, regis verò generalis.*
76 *Pars una regni, vel membrum potest sibi peculiarem regem constituere.*
77 *Impugnantes sententiam de exauctorandis regibus.*
78 *Quando resistere liceat parenti & regi.*
79 *Subditi quando ad alium magistratum confugere possint.*
80 *An subditi ob tyrannidem fugere teneantur.*
81 *An rege populus sit superior.*
82 *An sola pœna conscientiæ malæ sufficiat.*

83 *Cui principi non maledicendum neq; malefaciendum.*
84 *An majora mala ob resistentiam sequantur.*
85 *Quis constituat regem.*
86 *An resistentia tollat Rempubl.*
87 *Moses, Aaron, & David quare regibus non restiterunt.*
88 *Pater, maritus, dux exercitus & similes, suam potestatem ob abusum amittunt.*
89 *Potestas omnis justis ex causis amittitur.*
90 *Matrimonialis, seu maritalis obligatio, solo adulterio & desertione tollitur.*
91 *Superioritas ex quibus causis cesset.*
92 *Ex quibus magistratus factis, societas humana tollatur.*
93 *Ephororum jurisdictio an justa in regem.*
94 *Exempla impunitæ tyrannidis.*
95 *Samuel & David quare non restiterunt tyrannidi Saulis.*
96 *Vita principis scelerata, quæ faciat tyrannum.*
97 *Obedientia quænam Cæsari debeatur.*
98 *An Judæi censum Cæsari jure dederint.*
99 *Sensus verus dicti Rom. c. 13.*
100 *Obedientia duplex.*
101 *Ephori, quatenus regis subditi eique obtemperare teneantur.*
102 *Resistentia quando licita.*
103 *Christus Tiberio quare tributum dederit.*
104 *Impii reges, quare nihilominus reges remaneant.*
105 *Barclajus sibi contrarius.*
106 *Exempla ex sacris allata à mala interpretatione Barclaii vindicantur.*
107 *An vitia magistratus ejusdem officium tollant.*
108 *Quæ delicta regis eundem privatum reddant.*
109 *Scripturæ quædam dicta & exempla à Barclaii interpretatione vindicantur.*
110 *Civitates singulæ, an contra magistratum suum insurgere possint.*
111 *Uxoris dimittendæ & regis removendi an eadem sit ratio.*
112 *Ordines nullos Becaria agnoscens refutatur.*
113 *An vindicta sit resistentia.*
114 *An populus sit prior rege.*

115 *Alius*

115 *Alius rex, aliud officium regium.*
116 *Electio regis à Deo facta, an tollat electionem populi.*
117 *An omnes reges per electionem ad regale sceptrum venerint.*
118 *Fausta regum acclamatio quare facta.*
119 *Ad exempla eorum, qui contra tyrannidem non egerunt, respondetur.*
120 *An superioritas imperii sit penes regem.*
121 *Unde potestas & autoritas regis.*
122 *Officium regis quale sit.*
123 *An ephori necessarii in quovis Reip. statu.*
124 *Distinctio vana Bodini refutatur.*
125 *Absoluta potestas concessa, non tribuit jus contra leges agendi.*
126 *Proprietas & ususfructus summi Imperii.*
127 *Jus majestatis alienari non potest, & est individuum.*
128 *Naturæ regiæ gubernationis quænam, & num. 130.*
129 *Huic naturæ contraria gubernatio tyrannica & absoluta potestas.*
131 *Indicia veræ tyrannidis contra Arnisæum.*
132 *Tyrannus evertit & convellit Rempub.*
133 *Facta tyranni societatem humanam dissolventia, quænam.*
134 *Facta, quibus obliquè societatis politicæ vincula dissolvuntur.*

EX his quæ diximus, satis de natura rectæ & justæ administrationis constat; sequitur ut hæc oppositione tyrannidis illustremus, ejusque remedia, quibus à tanto malo Respub. liberetur & conservetur, addamus.

Tyrannis igitur est justæ & rectæ administrationi contraria, quâ fundamenta & vincula universalis consociationis obstinatè, perseveranter & insanabiliter contra fidem datam & præstitum juramentum, à magistratu summo tolluntur & evertuntur. 1

Superioribus capp. præcedentibus à cap. 9. & seqq. fundamenta & vincula universalis consociationis, diximus consistere in fide ultrò citroq; à corpore consociato & rege data & accepta ad legum fundamentalium & aliarum, in quas tempore initiationis suæ juravit summus magistratus, imprimis verò ad illarũ, quæ consociationem universalem conservant, observationem & defensionem atque rectam Reip. gubernationem. Hisce, quando magistratus contraria facit, societatem illam, quantum in se est, rumpere, dissolvere & disociare conatur, uti colligitur à sensu contrario, *Prov. c. 20. 28. & c. 25. 5. c. 29. 4. 14.* & tandem, si non impediatur, rumpet, vel in aliam formam mutabit, nimirum, ut incipiat talis esse, qualis tempore inaugurationis non erat, vel speciem societatis maleficiorum perpetrandorum induat, in qua omnis pietas & justitia exulat, status ecclesiasticus & secularis convellitur, sine quibus tamen consociatio universalis legitima, non minùs esse potest, quàm homo sine anima. Petr. Ribadeneira *de principe Christian. lib. 2. c. 9.* Thol. *lib. 26. cap. 5.* Ita David de tyrannide Saulis conqueritur, *Psal. 75. 4.* Solutas columnas terræ & habitatorum illius aptabo maximè. ubi rectè Junius per solutas columnas terræ & habitatorum illius, intelligit tyrannidem Saulis in utriusque status regni afflictione & turbatione. & *Psal. 72.* ubi ex descriptione veri regis, tyranni natura contraria colligitur. & *Psal. 82. 5.* naturam tyrannorum describit: Ignorantibus, ait, & non animadvertentibus in tenebris indesinenter illis ambulantibus, dimoventur omnia fundamenta terræ: hoc est, quando reges vel principes jus justæ administrationis non intelligunt, impingunt in fundamenta consociationis & regni. Mich. *cap. 3. v. 1. 2. 3. 9. 10. 11. 12.* Jer. *c. 22. c. 33.* Ezech. *c. 34.* Hinc Plato dixit se videre interitum ei Reipub. paratum, in qua non lex magistratui, sed legi magistratus præesset. Cicero similiter, legem, ait, vinculum societatis revellere, est leges spernere. *Vide infra num. 104. & 109.* Atque hoc modo utitur magistratus ea potestate, quam neque à Deo, neque à corpore Reipub. accepit, & facit ea, quæ nec facere posse dicitur, *l. filius 15. de condit. instit.* ut non minister Dei, *ut Rom. cap. 13.* legitimus magistratus, sed diaboli instrumentum dicitur, Marant. *disput. 1. n. 16. & seqq.* ob quod facinus Deus ipsi comminatur privationem officii, Jer. *c. 22. c. 23. 1. Sam. cap. 12.*

cap. 12. sub fin. Eccles. cap. 10. 16. 17. 18. suprà *c. 18. n. 32. & seqq. & infrà n. 42.*

3 Tyrannus igitur est, qui obstinatè, violatâ fide & religione jurisjurandi, vincula & fundamenta consociati corporis Reip. convellere & dissolvere incipit. Sive is sit monarcha, sive polyarcha, qui maxima Reip. bona, uti pacem, virtutem, ordinem, legem, nobilitatem, avaritiâ, superbiâ, perfidiâ, crudelitate evertit & extinguit.

Ut describit Middendorp. *polit. quæst. 16.* Tyrannos Esaias *c. 19. 4.* ita describit: Concludã Ægyptios in manũ dominorum durè dominantiũ, donec rex rigidus dominetur in eos, dictum domini. *Prov. c. 28. 15. n. 26. infrà.* Alias descriptiones tyranni videre licet apud Gig. *de crim. læs. majest. lib. 1. Rub. qualiter & à quibus. quæst. 65.* Farinac. *de crim. læs. majest. quæst. 112. n. 31. & seqq.*

4 Non verò talis protinus dicendus est, quando in aliqua tantùm officii & gubernationis suæ parte lapsus est. Hominem eum esse cogitandum est, unde vel optimi in officio quandoq; languent, nec tamẽ ideo, ut tyranni habendi sunt vel tractandi, quando fundamenta & vincula consociationis universalis salva & illæsa permanent, illaq;, vitiis, vel scelerib. principum non peruntur, moventur aut turbantur, vel etiam ipsi in incepta tyrannide non obstinatè & insanabiliter perseverant. Arg. *2. Sam. c. 11. & ult. 1. Reg. c. 11.* Calvin. *lib. 4. Inst. c. 20. sect. 24. & seqq.* Zoannet. *part. 3. n. 1. 2. 3. trip. defens.* Gigas *de crim. læs. maj. quæst. 65. n. 10. lib. 1.* Nam scelerata vita magistratus regiam dignitatem illi non abrogat, *1. Sam. c. 15. 31.* Nam ut nec conjugium, omne maleficium à conjuge altero commissum, dissolvit, sed tantũ adulterium, *Matth. c. 19.* quod directò illius naturæ est contrarium, *1. Cor. c. 6. 16. c. 7:* Sic nec quodvis maleficium magistratui adimit sceptrum, sed id tantùm, quo posthabitâ & neglectâ administrandi ratione justâ contra fundamentalia & substantialia consociationis humanæ aliquid molitur, vitamque civilem socialem tollit. Multum itaque interest inter principem vitæ flagitiosæ, nimirum homicidam, adulterum, mendacem, vel alio modo sceleratum, atq; eum qui gubernandi ratione justâ neglectâ,

fundamenta Reip. convellit, quique navem Reip. in qua ipse cum omnibus regni membris navigat, perforat, eamque submersam & eversam cupit. Talem magistratum, seu principem non magis hoc nomine dignabimur, quàm pastoris appellatione illum, qui gregem non pascit, sed deglubit, & nihil quod pastoris est, facit, sed è diametro pugnantia & contraria nomini, & officio & professioni suis facit, quibus nihil minus, quàm pastorem agit. Ribadeneira *d. lib. 2. c. 9.* Tholos. *lib. 9. cap. ult.* Rosa. *c. 1. num. 6.* Vide infrà *num. 90. 91. 96. 104 107. 108.*

5 Tyrannis hęc, seu tyrannica Reip. administratio est duplex. Una, quæ in legibus regni fundamentalibus evertendis & tollendis occupatur. Altera, quæ in negotiorum & rerum corporis consociati administratione, pietati & justitiæ contrariâ, consistit.

6 Prioris tyrannidis species est, 1. quando summus magistratus leges regni fundamentales violat, mutat, tollitve, præsertim illas, quæ religionem veram concernunt.

Deut. cap. 13. 14. 15. Pet. Greg. Tholos. *lib. 7. c. 20. n. 23. de Rep.* Heig. *lib. 1. quæst. 5.* Pruckman. *de solutâ potest. effect. 4.* Talis fuit Athalia regina, *2. Reg. cap. 11. 2. Chron. c. 23.* Talis Philippus Hispaniarum rex, qui in Belgio contra leges Reip. fundamentales & patrias, administrationem vi & armis instituit. Talis Galliæ rex Carolus 6, qui natos ex Margareta filia Angliæ regina, successores in Galliæ regno voluit esse, excluso Carolo 7. filio, contra legem Salicam fundamentalem regni Gallici. Pruckman. *§. soluta potestas. num. 17. 18. d. loc.*

7 2 Quando corpori consociato fidem non servat, & jurisjurandi religionem contemnit, ordines & status regni tollit, vel in officio faciendo eos impedit.

Exod. c. 9. Esa. c. 33. 12. c. 24. Cum tali enim nulla vitę communio & societas esse potest, qui fidem rerum humanarum, & omnis societatis vinculum tollit.

Poste-

Posterior tyrannis est generalis, vel specialis.

Generalis est, quæ in omnibus consociationi universali adversatur, ut quando summus magistratus hostiliter Ecclesiam & Remp. vastat, pervertit, turbatque. 8

Similiter, quando summus magistratus absolutâ potestate, seu plenitudine potestatis, in administratione sua utitur, & repagula atque vincula, quibus humana societas est obserata, revellit & perfringit. 9

Pruckman. *d. loc. c. 3.* Paris de Puteo *in tract. syndic. de reg. excess. c. 3.* Farinac. *de crim. læs. majest. quæst. 112. n. 34.* Tessaur. *decis. 91.* Vasq. *lib. 1. illust. controv. cap. 26. n. 22.* Pinell. *in rub. part. 1. c. 2. n. 25. 26. C. de rescind. vend.* Covarr. *lib. 3. var. resol. c. 6. n. 8.* Coras. *in repet. l. frater à fratre. n. 71. de condict. indeb.* Capic. *decis. 166. n. 12.* Soto *lib. 4. de just. & jur. quæst. 4. artic. 1.* Arist. *lib. 3. polit. c. 12.* August. *de civit. Dei lib. 4. c. 4.* Remotâ, inquit, justitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Utitur enim princeps potestate & jurisdictione peccandi, quæ ipsi data non est, neq; dari potuit, uti suo loco diximus. Talis tyrannus fuit Achab, Nebucadnezar, Nero, Caligula, Domitianus, Heliogabalus, & alii qui se pro diis coli voluerunt. Patrum nostrorum memoriâ Christiernus rex Daniæ & Suedię talis fuit. Alia exempla recenset Tholos. *lib. 22. c. 7.* Quando itaque princeps seu rex, neque pietatis, neq; justitiæ ullam habet rationem, sed pro libidine ex plenitudine potestatis, quam habere se putat, imperat, tyrannus est. Similiter, qui dum fallit, & re ipsâ nocet, id tamen agit, ut vir bonus esse videatur, quippe specie aliquâ legum ipsas leges evertit. Ideo dicunt, cum tyrannide sophisticam esse conjunctam: vel imperia tyrannica esse sophistica. Vide Greg. Richt. *axiom. polit. 74. & 162. & 163.*

Specialis tyrannis est, quæ quibusdam administrationis partibus & capitib. adversatur: nimirum administrationi negotiorum, vel bonorum corporis consociati, vel privatorum juri. 10

Negotiorum ecclesiasticorũ, vel secularium administrationi justę & rectę contraria agit tyrannus, 11

qui membra regni unum vel plura, exercitio religionis orthodoxæ privare, vel ad idololatriam subditos cogere vult.

Uti fecit Roboam, Achab & alii reges Israëlitici, Nebucadnezar, *Dan.cap.3.19.20.* Ninivitarum, *Nahum cap.1.1e. & seqq.c.2.* adde *Deut.c.13. & librum Judicum, Deut.c.28. 1.Reg.c.9.4.& seqq.Ezech.c.7.* Pareum *in c.13.ad Roman.in dub.* Vide Paridem de Puteo *in tract. de synd. c.de reg.excess.* Tholos.*lib.22.c.14.*

12 Similiter, qui ad populi mores corrumpendos, ganeas, popinas, lupanaria, ludósve alios inhonestos instituit, & seminaria virtutum & officinas pietatis, gymnasia, ludos literarios abolet negligitve.

Uti fecit Julianus apostata, Nero, Caligula, Heliogabalus, Antiochus & alii. Hoc modo tandē consociatio honesta mutata transit in congregationem cyclopicam hominum impiorum, atheorum, pernicioſorum & flagitioſorum.

13 Item, qui primates regni ecclesiasticos, vel seculares, dolo, fraude, calumniis vel vi opprimit, atque eos, qui Reip. incolumitatem & instaurationem procurant, tollit, vel eorundem autoritatem & dignitatem imminuit.

Aristot.*lib.5.polit.cap.11.* atque majora regni negotia suo sensu, vel cum paucis, cæteris non convocatis, expedit. Paris de Puteo *d.loc.n.18.* Innocent.*in c.quanto.ext.de jurejur.*

14 Nec non, qui justitiam in pœnis & præmiis tribuendis administrare recusat & Rempub. latrocinium & malorum hominum congregationem fieri patitur.

Dan. cap.5.19. Mich. cap.3. Jerem. cap.22.3.4. & seqq. Psal.82.5. Proverb. cap.20.28. cap.25.5. cap.29.4.14. Habac. cap.2.8.10.12. 1.Machab. cap.1.23.24. 2.Macch.cap.5.11. & seqq. cap.6.c.7. uti Sardanapalus & Benjaminitæ, *Judic.c.20.* & alii.

15 Qui vivens in luxu, scortatione, avaritiâ, ignaviâ & crudelitate, partes officii sibi demandati omnino negligit, vel inutilis & inhabilis est ad imperandum.

Esa.c.19.4.5. ubi Jun. uti Sanctius rex Portugalliæ, Sardanapalus, Childericus, Nero, Vitellius, Caligula, Wenceslaus & alii, de quibus Pet.Greg.*lib.26.c.4.c.5.& lib.6.c.19.de Rep.* & attulimus exempla suprà *c.24.* Paris de Puteo *d.loc.§.fin. n.17.* Bald.& Cyn.*in l.non ambigitur.de legib.* Bald.*in tit.de pace constant. in fin.*

Qui contra vim & injuriam membra regni, cùm posset, non defendit, sed aliorum injuriis, oppressioni, vexationi vel direptioni permittit. 16

Mich.d.c.3.Ezech.c.34.1.& seqq. Jerem.c.22.3.4. & seqq. Psal.82.5. David Pareus *ad Rom.cap.13.in dub.* Decian.*lib.7. crim.c.49.n.27.28.29.* Alberic.Gentil.*de jure belli,lib.1.c.23.* Alciat.*in l.placet.n.11. C.de sacrosanct.eccles.* quo casu se subditi alii submittere possunt. Gigas *de crim.læs.majest.libr.1. quæst.56.* Toming.*consil.13.num.43.* Felin.*in c.cùm non liceat. num.12. in 8.consid. de præscript.* & fedus cum aliis inire possunt. Mynsing. *cent.6.obs.2.* Paris de Puteo *de syndic. c.de reg.excess.*

Qui concordiæ & tranquillitatis publicæ turbator & hostis est, dum divisiones, schismata, simultates & diffidentiam inter subditos fovet & alit, ita, ut pars altera factionis, alteram metuat, ut neutra in ipsum rebellet, vel insurgat. Antimach.*lib.3.theor.15. & 30.* & qui factione existente inter subditos, uni parti plus quàm alteri favet, cùm possit utriq; parti suo imperio jubere convenire. 17

Tholos.*lib.23.c.1.de Rep.* Symbiosis in unione & concordia consistit, cui contraria est discordia, quæ omnem consociationem tollit & rumpit. Vide suprà *c.2.n.8.& c.31.*

Item, qui bella nutrit, ut illis enervet vires subditorum, ut unius partis ope alteram deleat, ac superstitem tandem etiam opprimat.

Similiter, qui factiones & disfidia inter subditos serit, alit, fovet, & hos inter se committit, ne subditi amicè & familiariter inter se vivere possint, & collegia tribúsve suas habere queant.

Nam in concordi populo, violenta & injusta imperia, satis commodè exerceri nequeunt, quia jugum detrectat, & iniqua tyranni jussa novaque onera subire recusat. Quamobrem tyranni fundamenta suæ tyrannidis ponunt in discordia optimatum & subditorum. Item qui ipsemet mutua odia exercet cum membris regni, quæ sublata cupit. Itaque tyrannum ex hac parte comparare licet cum illo, qui in navi procellis vexata existit, & mutuo cum vectorib. odio certat, navemque perforat, nec tamen ullam aliam, quàm in nautarum fide, spem salutis habet.

18 Qui usum commerciorum, & alia jura symbiotica necessaria inter subditos tollit vel impedit.

Hoc enim modo vitæ sustentandæ præsidia necessaria tollit, & per consequens vitam ipsam & omnem consociationem, *l.4.necare.de lib.agnosc.& alend.*

19 Qui immoderatis & nimiis exactionibus, contributionibus & servitiis subditos suos exhaurit.

Jerem.c.22.13.14. uti Pharao, Roboam & alii, *Ezech.c.34. 1.Reg.c.12.19.Psal.14.4.* Paris de Puteo *de syndic. cap.1.de reg.excess.n.4.& 39.& c.20.n.9.*

20 Qui publicos regni conventus & consilia malis artibus prohibet vel impedit, suffragiáve eorum, qui mittuntur, conducit, limitat, restringit, coarctat, ne quod sentiunt, dicere audeant, velint, vel possint. Cùm in libera Rep. teste Cic. etiam liberæ voces esse debeant.

Qui uxori, servis, adulatoribus, aliisq; improbis hominibus, summam licentiam permittit in patrandis sceleribus consociationem universalem turbantibus. Aristot. *lib.5.c.11.polit.*

Tyrannis,

Tyrannis, quæ ex publicorum bonorum regni administratione mala oritur & elucet, est, quâ ad libidinem privatam, ad luxum & voluptates illicitas, publicis bonis, sine quibus symbiosis publica constare non potest, magistratus abutitur. Greg. *lib.22. cap.5. de Repub.* oppida, pagos, urbes, provinciásve regni alienat, distrahit, qui ideo jus suum amittit. 21

Pruckman *in §. soluta potestas. c.4.memb.2.effect.6.n.40.* Borch *de feud.num.136.* Cravetta *consil.241.n.5.* Clar. *§. feudum.qu.st.28.* Paris de Put. *de syndic.c.de reg. excess. Vid.sup. c.24.num.36.37.& seqq.*

2 Quæ publica diruit, ut sua privata ædificet, qua multis adimit, ut paucos locupletet. 22

3 Quæ res regni in usum prohibitum convertit, & quę bona regni in publicam perniciem regni profundit, dissipat, alienat, minuit, dilapidat, regnumque evisserat, mutilat, minuit. 23

Uti Wenceslaus & Carolus 4. Cæsares, Nero, Caligula, Vitellius, Heliogabalus & alii. Paris de Put. *tract. Synd. de excess.reg.n.17.22.44.45.per Ezech.c.19.5.6.7. Esa.c.3.15.16.sup. c.24.n.36.37.& seqq.*

Tyrannis, quæ in privatorum hominum subditorum abusu consistit, est, quando hoc agit princeps, ut subditis adimat tum voluntatem, tum facultatem resistendi sibi tyrannicè & iniquè agenti. *Aristot.lib.5.c.11.polit.*

Voluntatem adimit, per pusillanimitatem & diffidentiam.

Facultatem, per ademptionem bonorum, armorum, præsidiorum & virorum excellentium, & dissemination em discordiarum & factionum. *Arist. d. cap.11.* 24

1 Quando nimirum viros justos, graves & innocentes affligit, odio prosequitur & opprimit. 25

Exod c.1.16.1.Sam.c.22. 2.Chron.c.21.4. 2.Reg.c.11.1. Jer. cap.2.30.c.15.21. uti Saul, *1.Sam.cap.20.33.cap.22.16.* Joram, *2.Chron.c.21.4.* Athalia, *2.Reg.c.11.1.2.3.*

2. Quando opes subditorum minuit, attenuat, exhaurit, omnia in fiscum convertens, & sanguinem populi usque ad deliquium eliciens, operâ, labore, sudore & bonis subditorum pro sua libidine & avaritia abutiur, *Psalm.10.2.& seqq.Psal.12.2.& seqq. Ezech.cap.34.1.& seqq. Thren.c.5.5.8. Esa.c.3.15. Psal.14.4. Psal.53.5.Mich.c.3.Exod.c.1.11. Prov.c.39.4.* Rex judicio stabilit regionem, vir autē oblatis muneribus serviens, destruit eam. *1.Reg.c.12.c.21. 2.Chron.c.10.11. Ezech.c.34. 2.Reg.c.9. & c.10.Jerem.c.22.14.15.16.17.* vel præter jus eripit, *1.Reg. c.12.21.1.Sam.c.8.9.10.* Tholos. *lib.22.c.12. de Repub.* qui exempla refert.

3. Quando in paupertate vult subditos vivere, ut interim intenti labori, ad vitam sustentandam, in eum non insurgant, aut de libertate recuperanda minùs cogitent. *Thren.c.5.5.8. Exod.cap.1. & seqq. Nahum c.1.10.11.13.c.2.2.*

4. Quando hostis est suorum subditorum, imprimis verò de Repub. bene meritorum, & ex liberis servos facit.

Uti Pharao, *Exod.c.1.c.2.& seqq.* & Saul, *1.Sā.8.* Manasses, *2.Reg.c.23.36.Jer. c.38.5. 6.Prov.c.28.15.* Ut leo rugiens & ursus discursans est dominator improbus in populum tenuem. *Esa.c.3.v.14.* Sistit se Jehova ad judicandum populos. Jehova ad judicium advenit contra seniores populi sui & principes ejus, at vos depavistis hanc vineam, rapina pauperis est in domibus vestris. *16.* Quid vobis est, qui conteritis populum meum, & faciem pauperum commolitis, dictum Jehovę Domini exercituum. *Michæ c.3.* alloquitur principes & ductores: Osores, inquit, sunt boni & amantes mali, rapientes cutem eorum ab iis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum *& v.9.* Abominantur jus, & quicquid est rectum, pervertunt, *11.* Munere judicant. *& 12.* Ideò Tzión ut ager arabitur, & Jerusalem in acervos abibit. *Jerem.c.22. Ezech. c.34.per tot.*

5. Quando

5. Quando discordias inter subditos alit, fovet, seminat, ut hisce impediti consensu unanimi contra injurias & vim tyranni nihil agere possint.

Ob hæc tyranni facta, quæ diximus, & enumeravimus, tyrannus in sacris literis comparatur draconi, lupo rapaci, leoni, urso, *Prov.c.28.15. Ezech.c.22.27. Dan.c.2. & cap.seqq. Psal.58.Esa.c.27.* Paulus de Nerone loquens, liberatus sum, ait, de ore leonis; & Salomo *in Prov.c.28.* Leo rugiens, & ursus discursans &c. *Sophon.c.3.3. Ezech.c.19.5.6.* Draconi, *Psal.58.Esa.c.27.* Vulpi, *Luc.cap.13.32.* Sui, seu porco, *Psal. 80.14.* & dicuntur exedere populum, *Psal.14.4.* vastare populum, *Jesa.c.33.1.* & violenti esse, *Jer.c.15.21. Jesa.c.25.4.* dominator improbus, *Prov.c.28.15.* Talis tyrannus fuit Pharao, *Exod.cap.1.& seqq.* Abimelech, *Jud.cap.9.* Saul, *1.Sam.c.13. cap.14.c.22.& seqq.* rex Cazor, Jabin, *Jud.cap.4.* Roboam, *1.Reg.c.12.* Achab, Manasses, Nero, Caligula, Domitianus, Maximinus & plures alii, quorum catalogum recenset Pet. Greg. *lib.22.c.7.lib.26.c.5.c.6.lib.6.c.18.c.19. de Rep.* Danæ. *lib.3.c.6.& lib.6.c.3.polit.* Greg. Richt. *axio.pol.166. & seqq.* Antimach. *lib.3.theor.15.* Bod. *lib.2.cap.4.de Rep.* Lipsi. *lib.6. cap.5.polit.* Melch. Jun. *quæst.polit.23. lib.1.* Ursin. *dispos.44. & ult.lib.2.* Zoannet. *part.2.de defens.triplici.* Calvin. *lib.4. Instit.c.20.sect.31.* Autor libelli *de jure magist. in subdit.* Steph. Jun. Brut. *in vind.contr.tyr.quæst.3.* Middend. *q.16.* Paris de Puteo *d.loc.* 26

Addunt alii adhuc aliam speciem tyrannidis, illius scilicet, qui cùm summus magistratus videri, dici & haberi velit, est tamen revera non magistratus, vel tyrannus, sed hostis regni, qui vi, scelere, vel malis artibus sine ullo electionis vel successionis titulo, aut belli justa causa regnum invadit. Malis artibus, nimirum desidiâ, ignaviâ, luxu magistratus veri aburens, illum deliciis & voluptatibus inescat à rebus publicis cognoscendis & tractandis, vel à gubernanda Republ. avertit, & ad se regiam autoritatem & potestatem transfert, nudum nomen regi relinquens. Bart. *in tract.de Tyran. quæst.6.* Gigas *de crim.læs.majest.quæst. 65.& 22.lib.1.* Fatinac. *de crim.læsæ majest.quæst.112. n.35.36.37.* 27

Sine ullo justo titulo successionis, vel electionis regnum invasit Abimelech, *Judic. cap.9.* Athalia, *2.Regum cap.11.*

2.*Chron.c.23.* Ismaël, *Jerem.c.41.* & omnes illi reges, qui sub judicibus Remp. Israëliticam invadebant, de quibus in libro Judicum. Vide Jun.Brut. *de vind.contra tyran.quæst.3.* Pet.Greg.*in lib.6.cap.18.lib.7.cap.17.& cap.18.& lib.26.cap.7.de Rep.* ubi plurima exempla ponit, & inter alia est illustre Sejani,qui Tiberiũ à cura Reip. abduxit ad tempus.Verùm uti,dixi,revera hæc species tyrannidis non est, sed bellum, vel injusta violentia,vis & injuria ab alio illata,quam quivis patriæ amans vi repellere potest, & debet.

28 Cognitâ tyrannidis naturâ, videndum nunc est de remedio, quo tempestivè illa tollatur; quod consistit in resistentia & exauctoratione tyranni, solis optimatibus concessâ; ut diximus *supra c.18.de Ephoris.*

29 Resistentia igitur hæc est, quâ ephori verbis factísve tyrannidem summi magistratus impediunt, eumque quando insanabilis est, & aliter jura consociati corporis salva, sarta, tecta conservari & Resp. à malis liberari nequeunt, exauctorant vel è medio tollunt.

Juris verò resistendi summo magistratui,eumque ab officio suo removendi,quod habent optimates nomine populi, sunt potissimùm rationes decem sequentes.

30 Prima ratio sumitur ex natura pacti inter magistratum & populum,seu consociationem universalem initi,ex quo magistratus purè est obligatus ad justè & piè imperandum, secundùm sibi præscriptas leges, utramque nimirum Decalogi tabulam,& leges regni: *Deut.c.17.15.16.& seqq.* Populus verò conditionaliter est obligatus ad obtemperandum magistratui, si nimirum justè, piè imperaturus sit, *2.Chron.c.6.16.Psal.132.11.12.Psalm.89.30.31. 2.Sam.cap.7.12. 1.Chron.c.28.7.8.9. 2.Chron.cap.6.16.* ubi Deus sub tali conditione regnum promittit: & Jeroboamo sub eadem defert *1.Reg.cap.11.37.38. Rom.cap.13.* ibi,Est minister tibi in bonum. Hac conditione deficiente,populus ampliùs non est obligatus ad obedientiam. Obligationis autem hujus vinculum solvitur ab illo, qui prior à pactis recedit, qui ideò omne jus pacto

pacto adquisitum amittit, ut alter liber fiat:Evanescit n.obligatio & pro nulla habetur, quando essentiales ejus conditiones, propter quas obligatio est contracta, violantur,vel non præstantur. arg. *1.Cor.cap.7.15.* ibi,Non est servituti subjectus frater&c.Sicut enim conjugium non omne peccatum tollit,sed quod illius naturæ directò est contrarium adulterium;ita quoque non omne crimen obligationem inter magistratum & corpus consociatum tollit,sed quod fundamentum consociationis evertit.Imprimis verò,quando non præstatur id, quod dedit causam contractui, seu finalis illius causa fuit,sine qua aliâs pars altera non fuisset contractura. Tum enim ob hunc defectum contractus rescinditur.Vide Roland à Valle *consil.69.n.38.39. vol.4.* Mascard. *de probat. conclus.1387.* etiã tum, quando juramento contractus fuisset confirmatus. Roland. & Mascard. *d.loc.Dd.in l.quisidem.de transact.*Non enim commodum debet sentire ex contractu, quẽ vel omittendo,vel committendo quis impugnat,uti neq; in eo se impugnans fundare potest. Anton. Gabriel. *comm. conclus.lib.6.titul.de regulis juris.conclus.1.n.32.& seqq.* Quãdo verò dicatur quis contra contractum facere,vide *in l.121. qui non facit.ibiq; Dd.de regul jur.* Hinc dicteria,Fidelis dominus,fidelis servus,& cur ego te haberem principem, cùm me non habeas senatorem? Vide Pruckman. *§.soluta potestas.cap.3. numero 40. & seqq.*Borcholt *de feud. cap.9. numero 19.*

Altera ratio est, quòd supra terminos tributæ sibi juris- 32
dictionis,vel extra potestatem sibi datam imperanti,& fines demandati sibi officii excedenti, impunè non pareatur. *leg. ultima.de jurisd.*vide *Ose.cap.5.vers.10.* Nec enim princeps accepit illam potestatem, vel illi à populo, aut quovis alio dari potuit, ut agat, vel præcipiat contra Decalogum, vel leges fundamentales regni. *Actor. cap.4.19. Exod. cap.1.17.17.20. 1.Samuelis cap.12.16. 2.Samuelis cap.24.4. Josu. cap.1.8.*Vide Tessaur *decis.91.*Covar.*lib.3.var.resolut. cap.6. numero 8.*Pinell. *part.1.in rubrica.C.de rescind.vend. numero 25.26. c.2. l.4. C. de legibus.* In quibus illi quilibet obedientiam detrectare potest.Nec Respub.constituendo principem, seipsam sui servandi facultate spoliavit, hancque tyranno diripiendam tradidit.

33 Tertia ratio est, quòd Dei causa & obligatio, tanquam potior & antiquior, in populi & magistratus pacto posteriori, si non expressè, certè, tacitè semper à subditis censeatur excepta. Deo igitur, tanquam utriusque magistratus & populi superiori & domino, ut obedientia præstetur, magistratus tyranno, Dei solium & jus affectanti in animam & con-
34 scientiã hominis, *Matth.c.10.* & cui soli animi recessus arcani sunt cogniti, *Act.c.10.* vel Deo bellum inferenti, est resistendum, ad exercitium nimirum pietatis, cultus divini & justitiæ retinendũ, & charitatem erga proximum exercendam & regnum Dei inter nos & in regno nostro conservandum, & denique ad civilem societatem inter homines constituendam & ad posteros propagandam. Resistens igitur hoc modo magistratui, seditiosus dici non potest, qui ideò resistit, ut Deo tribuat, quæ Deo debentur, atque priùs Deo promisit, & resistit ideò, ut non tribuat magistratui, quæ ipsi minimè debentur, neq; promisit, aut dedit, cum talis resistens Rempub. tueatur contra legum violatorem, perfidum & perjurum, qui nihil minus est, quàm magistratus, qui lex animata esse debet. Vide Aret. *cat. de mag. secul.* & Steph. Jun. Brut. *quæst. 1. & 2. de vind. contr. tyran.* Davidem Pareum *ad Rom. c. 13. in dub.*

35 Quarta ratio est, quòd ut constituendi & eligendi potestatem & jus, ephori, nomine populi habent: sic & exauctorandi jus meritò habent, *l. nemo qui 37. de regul. jur. l. 6. solent. de offic. proconsul. l. 3. de re judic. Novel. 15. de defensor. civi. cap. 1. §. 1. l. 2. §. sed cùm placuisset. de origin. jur. l. nihil tam naturale. de reg. jur.* Pruckman. *d. loc. effect. 3. num. 8. cap. 4. autor libelli de jure magist. in subd. quæst. 6.* ut enim concilium generale est supra Papam, collegium capituli super episcopum, & senatus supra consulem: sic & imperium, seu regnum quod optimates repræsentant, supra principem. Unde apparet, principis potestatem hac in re parem non esse potestati populi, quam in ephoros suos transtulit, sed longè inferiorem. Vide Fernand. Vasq. *illust. controv. lib. 1. c. 34. n. 2. & 5. vid. sup. c. 18.* Unde ex justissima causa Imperatorem imperio privari posse, tradit Lancellot. *in templo omn. judic. lib. 1. c. 1. §. 2. quæst. 6.* Clar. *§. fin. quæst. 35. num. 6.* Paris de Puteo *de synd. c. de reg. excess. §. ult.* ubi dicit, Tyrannum crimen læsæ majestatis committere, ideoque occidi posse, quo ipso multorum salutem procurari dicit. Quinta

Quinta ratio est, quòd inter populum & magistratum non sit major obligatio, quàm inter parentes & liberos, libertos, servos, clientes, & patronum, vel dominũ, *Col. c. 4. 1. Eph. c. 6. 9. Joh. 31. 31.* & quàm inter virum & uxorem, quàm inter dominum & vasallum: quos tamen omnes proditoriè, nefariè & impiè agentes monere, cohibere, & impedire jure concessum est illis, qui subsunt illis atque imperio eorundem obtemperant. Arg. *l. mintmè 35. de religios. & sumpt. funer. & 1. Cor. c. 7. 15. Luc. c. 14. 26. Matth. c. 10. 37. c. 5. 29. 30. Ephes. c. 6. 8. 9. Aut. libelli de jur. magist. in subd. quæst. 6.* de quo reciproco pacto inter magistratum & subditos *sup. c. 18. c. 19. cap. 28.* cui accedit, quòd princeps aliud in electione & commissione sua promisit, quo contractu obligari eum latè probat Pruckman. *d. c. 4. memb. 2. effect. 1.*

Sexta ratio est, quòd tyrannus contra pactum cum po- 37
pulo initum, faciens, & ipsa fundamenta Reipub. convellens, ipso jure amittat omnem potestatem & fiat privatus, ut rectè Vasquius asserit, qui ut privatus & plebeius est moriturus, *Psal. 82. 7. Esa. c. 14. 10.* Contra quem, ubi vim intulerit, se defendere licet, & quem vitam, vel bona & jus populi tyrannicè invadentem, repellere, & periculum amoliri, & avertere licet cuilibet etiã privato: Ursin. *lib. 2. dispos. 42. & seqq.* Zoannet. *d. part. 3. num. 33. de defens. tripartit.* Vasqui. *lib. 1. illust. controvers. c. 8. n. 18. & seqq. & c. 18. n. 10. 11. & cap. 1. & 2.* Domin. à Soto *de justit. & jur. lib. 5. q. 1. art. 3.* Petr. Mart. *Jud. c. 1. v. 36.* Danæ. *lib. 6. polit. &* Pareus *in explic. c. 13. ad Rom. in dub.* ubi dicit, furioso comparati tyrannũ, qui furiosus rectè movetur autoritate publica, arg. *Dan. c. 4. 31.* Sed & defensio jure naturali, contra vim inferentes, est concessa, præsertim quando est injuria irreparabilis. Vid. Zoan. *part. 3. n. 19. & seqq.* vel vis notoria esset, *idem n. 43. & seqq.* Quod ergo singulis hominibus naturâ est ingeneratum, ut se contra vim & injuriam defendant, id totis provinciis Rebusq; pub. nobilissimis non eripiendum, æque ita inermes rabidi magistratus libidini prostituendæ, ut si is, quovis lupo & leone immanior, aut Iartone vias obsidente truculentior, in omnium vitam & fortunas grassetur, jugulum tamen præbere teneatur, nec excipiendo vulneri clypeum objicere liceat. Qui hoc asserunt, magistratum omni potestate contra Rempub. armant.

38 Septima ratio est,quòd status, seu ordines regni & magistratus ejus summus,sint duo correi,pmittendi &debendi,ut Decalogi leges in regno obseruẽtur,quorũ quilibet in solidũ tenetur, quando culpâ alterius non satis fit promissioni. Sic & collegæ,quibus officium publicum idem est demandatũ, sustinent periculum commune, quando ab administrante Respindemnis seruari non potest,*l.11.Imperat. & l.seqq. ad munic.l.ult.§.8.de admi.ad civit.pert.13. ad. municip. l.2.C. Quo quisq, ordine conven.* Interest ergo socii, ut resistat, ne peccatis alienis ob negligentiam suam communicet. Steph. Jun. Brut.*de vind.cont.tyr.q.2.arg. 1.Sam.c.12.14.2.Chron. c.15.v.9.13. 2.Reg.c.23.v.2.c.14. 1.Chrõ.c.21.17. 2.Sam.c.24. 2.Sam.c.21.*Peccant igitur ephori in omittendo, vel cessando & tolerando, connivendo,non repugnando tyranno.Siquidem non impediunt quæ impedire debebant ex vi obligationis, qua Deo tenentur,ne quid culpâ, vel negligentiâ sensim introducatur, quod purum Dei cultum corrumpere possit, & qua regno tenentur, nequid contra illius leges & jura fiat.

39 Octava ratio sumitur à natura contractus mandati, quo summa magistratui administratio est delata à populo,ad hoc ut Reip.prosit,non ut noceat.*Rom.c.13.*ibi, Est minister tibi in bonum. Vasq.*lib.1.c.44.n.6.& c.1.& 2.illustr.contr.*Geil. *lib.2.obs.57.*ubi dicit,magistratum dominum negotium subditorum gerere. Quando igitur mandatarius fines mandati excedit,nõ illi obligatus est mandator.*§.15.qui.Inst.de mand Luc.c.16.1.2.3.& seqq.* Et quando conditio status & fortuna mandatarii mutatur in deterius. *l.si quis cum. de procur. l. cùm quis.de solut.*ubi Bart. Nic.Moz. *tit.quom.solv.mand. n.9.10.& seqq.* aut mandatum à mandante revocatur,vel ipse mandans agere & tractare negotium incipit,ut tradunt JCti. Vide Vasq.*lib.1.cap.43. num.5. & c.41.n.12. illust. controv.* Sic si gubernator navẽ cum vectoribus ad scopulos allidere voluerit,an nõ vectores eum impediẽt?Si imperator perfidè exercitum hostibus prodere voluerit, an milites huic imperatori non possunt resistere? si civitatis custos immissis facibus,urbem suæ fidei commissam, incendere studet, num civibus interdictum erit, incendium extinguere & custode sublato, reliquos omnes seruare? An aliquis potest ita à se salutis suæ curam abdicare,ut lupo ad se laniandum irruenti non possit resistere, & latroni jugulum suum petenti non possit repugnare? Deinde

Deinde huic conventioni suâ naturâ inest tacita conditio, 40
si fides & promissa à summo magistratu præstentur, ordines & regnum eundem pro magistratu habiturum, eique obedientiam & obsequia præstiturum. Adde *Psal.132.11.12. & Ps.89.30.31.1.Chron. c.28.7.8.9.2.Sam.c.7.12.13.14. 2.Chrõ. c.6.*ubi Deus sub hac conditione pmittit regnum,uti & Jeroboamo *1.Reg.c.11.37.38.* Deficiente hac conditione, deficit obligatio,& fidem non seruanti, fidem quoque non seruari æquum est.Nam qui non facit quod debet,nec recipit quod oportet,nec petere potest,quod ei ideo ab alio debetur: quã naturam esse conventionum,in quibus utraque pars contrahens obligatur,testatur Tiraq.*de legib.connub.gloss.1.part.13. num.42.*& latè Mascard. *concl.1387.per alleg.ibid.* Roland à Vall. *consil.69.vol.4.& consil.53.vol.1.* Quando ergo una pars promissa non præstat,facit eo ipso,ut & altera liberetur. Dynus, Alexander & Jason *in l.cum proponas. C.de pactis.*

Nona ratio est,ubi judicis copia haberi nõ potest,q; liceat 41
nobis ipsis jus dicere. *l.ait prætor.§.si debitorem.qua in fraud. cred.*Decianus *in crim.lib.7.num.13.& lib.12. cap.9. num.3.* & quòd armorum imploratio tunc concedenda,quando judicis ordinarii auxilium,vel de jure, vel de facto deficit, neq; superior justitiam administrans adiri potest. Alexand.*consil. 135.lib.1.n.1.*

Decima ratio est, quòd notoriè iniquè agenti & procedenti magistratui, resistere liceat. Mynsi. *cent.5. obs.18.* Farinac. *quæst.32. num.86. & seqq.* Geil. *lib.2.obs.76.*Menoch. *remed.8.recup.poss,* latè & eleganter Maranta *disput.1. num. 16.& seqq.* Frid. *lib.2.cap.13. de mandat.* Boër. *decis.340. num.6.* Anton.Gabriel. *conclus.1.num.124.& seqq. lib.5. tit. de restit. spol.per text.in l.prohibitum.* ubi Bartol. *C.de jurisd. lib.10.& l. votum. C. de metat. lib.12.* ubi Bart. Nam quando gravamen est irreparabile, tum de facto resisti potest magistratui;per Gabriel.*d.loc.n.129.& 154.per alleg.ibid.* Geil.*d.obs.67.*

Undecima ratio est,quòd sublatâ hac defensione contra sæ- 43
vitiam tyrannorũ,confirmaretur licentia tyrannorum infinita,quâ palàm destrueretur societas civilis,& melior pars generis humani, præsertim verò ecclesia. Ideo Deus etiam vult coërceri & puniri ordinariâ potestate in Rep.delicta com-

missa. Ea autem potestas est ephororum, vel populi, quando illi non sunt. Ita Ursin. *c.44.lib.2.dispos.& c.ult.* & Petr. Martyr *Judic.c.1.* his verbis: *At si dixeris, quo jure, vel imperatori, vel regibus, vel Reip. minores principes, ephori, cùm religionem sinceram, & veram fidem asserunt, sese opponunt?* Respondeo, jure imperatorio, seu regio, seu Reip. Nam ab imperatoribus, regibus & Rebuspub. tanquam adjutores ad res administrandas adsciti sunt, quò justitia magis magisque vigeret. Ut itaque justè ac piè Remp. pro parte sibi regerent, instituti fuerunt. Quamobrem ex officio faciunt, quando religionis causâ potestati superiori sese opponunt. Neque illa potest jure conqueri, si eo casu deseritur. Imperator *in tit. C. si contra jus vel util. public.* testatur, se contra jus nolle, ut sua ulla decreta in judiciis locum habeant, sed irrita debere fieri, si fortasse cognoscantur à justitia discedere. Unde non immeritò Trajanus laudatur, qui cùm præfecto prætorio gladium cum baltheo traderet, ait, Si justè imperavero, pro me; sin verò injustè, contra me illo utitor. & paulo post: Existimant nonnulli, cùm superiores potestates ab inferioribus conantur impia extorquere, consultũ esse ut qui versantur in minori functione, se abdicent & magistratu suo abeant. Mihi verò id non videtur. Esset enim hoc à vocatione sua desciscere: quod fieri minimè debet; præsertim cùm cernitur, impiis, qui regnum Dei vel oppugnent, vel opprimant, locum cessione hujusmodi patefieri ac dari. Imò manendum iis censeo, quoad à superioribus potestatibus vi non ejiciantur, quò Dei gloriam fortiter, ubi sunt, manendo defendant, & asserant. Quando verò ordines hi, qui publicæ libertatis custodes & præsides sunt constituti, hoc non faciunt, eos perfidos esse in officio, & patriæ suæ proditores, si patiantur eam libertatem aliqua in parte minui, vel violari, nedum omnino sibi eripi & tolli, asserit Johan. Calvin. *in Institut. lib.4.c.ult.20.* Tholos. *lib.26.c.ult.num.ult. de Rep.* & eleganter Thucyd. *lib.2.* Non modò, ait, tyranni sunt, qui alios in servitutem redigunt, verùm longè potiùs ii, qui cùm eam violentiam reprimere possint, non curant; imprimis verò qui defensores Græciæ & communis patriæ vocitari volunt, patriæ verò oppressæ non opitulantur.

14 Duodecima ratio sumitur ab exemplis sacris & profanis; sacra

sacra extant passim in scriptura sacra, præsertim in libro Judicum. Nam si quid in politia Judaica contra leges regni vel majestatis & Dei cultum factum esset, omnes ordines de eo cognituri & definituri conveniebant. Vide exempla *Josu.c.22. Esdr.cap.9. Neh.cap.5.& 9. 1.Sam.c.12.3.* ibi, Ecce, auscultavi voci vestræ, &c. & constitui vobis regem, & *2.Reg.cap.8.22.* ubi Libnenses à rege Joramo defecerunt: & Josua dicit *cap.24.15. Josuæ*: Vos quidem universi eligite utrum malitis, obedire Deo vero, an diis Amorrhæorum: At ego saltem & familia mea serviemus Domino. Habitabat verò Josuæ familia in urbe Thimnath, quæ erat membrum Reip. Judaicæ, *Jos.c.19.50.* Adde exemplum aliud quod extat *1.Reg.cap.12: 15.16.17.* ubi à Rehabeam ob tyrannidem defecerunt 10. tribus, *2.Chron.c.26.16.* Ingressus enim est Huzzya in templum Jehovæ, ut adoleret super altare suffitus. *17.* Ingressus verò post eum Hazaria sacerdos, & cum eo sacerdotes Jehovæ octoginta robusti. *18.* Obstiterunt Huzziæ regi, dicentes ei, Non est tuum, ô Huzzya, adolere Jehovæ, sed sacerdotum filiorum Aharonis, qui consecrati sunt ad adolendum; exi è sanctuario. nam prævaricatus es, neque futurum est tibi gloriæ à Jehova Deo. *19.* Tum indignatus est Huzzya, habens in manu sua suffimentum ad adolendum: cumque indignaretur contra sacerdotes, lepra exorta est in fronte ejus coram ipsis sacerdotibus in domo Jehovæ ab altari suffitus. *20.21. 1.Reg.cap.18.19.& seqq.* ubi populus in concilio congregatus, invito rege cultum idololatricum receptum à rege, abrogavit, & prophetas Baalis interfecit. *& 2.Reg.c.11.* ubi Jehojadah cum sacerdotibus & Levitis sese opposuit Athaliæ, eamque interfecit, & Joaschum filium regis illi substituit, & Baalis idololatriam destruxit. *& 2.Reg.c.18.7.* Et aderat Jehova ei; quocunque prodibat, secundabatur: rebellavitque in regem Assyriæ, ut non serviret ei; nimirum exutiens jugum quod pater ipsius Achaz receperat. *c.16.7. dict. loco.* Et Sauli restitit populus cùm vellet iniquè agere, *1.Sam.c.14.45.* Jeremiam prophetam Ahiham defendit contra regem volentem eum interficere, *Jerem.c.26.24.* Aliud exemplum submoti magistratus mali extat *2.Reg.cap.14.19.* Tandem cùm fecissent contra eum conspirationem Jerusalaimis, fugit Lacischum. quamobrem miserunt post eum Lacischum, ubi morte affecerunt eum. quæ historia etiam

extat *2.Chron.c.25.27.28.* Expreſſum mandatū ordinibus & ſtatibus regni datū extat *Deut.c.13.12.* Si audiveris de aliqua civitatum tuarum, quas Jehova Deus tuus dat tibi, ad habitandum illic, dicentes: *13.* Egreſſi homines nequiſſimi è medio tui, depulerūt habitatores civitatis tuæ, dicendo, Eamus & colamus deos alienos, quos non noveratis. *14.* Ubi inquiſiveris & perveſtigaveris ac percunctatus fueris bene, ſi ecce vera certaq; erit res illa, ſi commiſſa fuerit abominatio hæc in medio tui. *15.* Omnino percutito civitatis illius habitatores acie gladii: internecioni devoveto eam, & omnes qui erunt in ea, jumentaq; ejus acie gladii. *16.17.18.* Adde *Jud.c.4.2.3.& ſeqq.c.2.18.& c.3.15.20.21. & ſeqq.c.6.35. & ſeqq.* ubi judices ſeſe oppoſuerunt tyrannis. *Judic.c.20.* ubi Benjaminitis Iſraëlitæ ſeſe oppoſuerunt, & ob denegatam juſtitiam bellum contra illos ſusceperunt; juxta præceptum Moſis, *Deut.c.13. 12.13.14.* Aliud exemplum extat *2.Sam.c.18.* ubi Abſolom ob injuſtè occupatum imperium fuit interfectus. ita Nebucadnezar furioſus, publicâ populi autoritate fuit remotus, *Dan.4.* Ita Judæi contra tyrannos ſæpe, Deo approbante, inſurrexiſſe leguntur, & Macchabæi in libris Macch. *lib.1. c.3.45.* ubi Antiocho regnum opprimente, Mathathias populum rectè ad arma vocavit. Sic quoque ſi Rubenitæ idololatriâ ſe inquinaſſent, reliquæ tribus ab illis defecturæ fuiſſent, *Joſua c.22.* Exempla alia extant *Judic.c.3.18.19.20. & ſeqq.c.9.21.1.Sā.c.16.1.2.3.c.24.18.19.20. c.26.2.Reg.c.9.c.10.*

Exempla è profanis autoribus ſumpta extant in annalibus regnorum. Munſterus in Coſmographia formam abrogandi imperii & exauctorationis ponit, & Sigonius *lib.9.de regno Italiæ.* Exempla ſeveritatis in tyrannos, & libertatis Reip. oppreſſores, inſidiatores, imò etiam ſuſpectos, plurima recenſet Valer. Maxim. *lib.6.c.3.* Ita Piſiſtraditę Athenis dejecti, quòd pro libidine, non ex legibus, cum populo ab initio conventis, regnarent, ut docet Herodotus *lib.1.* Sic Demaratus: ſic Cleomenes Spartæ. Ita plures Cæſares à Senatu Romano hoſtes ſunt judicati. Plutarch. in Lycurgo refert de Theopompo Spartæ rege, quòd regiam poteſtatem quidem optimam eſſe intelligeret, ſi reges ea moderatè uterentur: & quia plures eſſent, qui eam in ſuperbiam & libidinem verterent, ideo ſolutæ regum potentiæ, ephororum autoritatem, tanquam frenum, injecit, ſibiq; & ſequentibus regibus, illos veluti cenſores & caſtigatores morum impoſuit. Cùm verò

ei uxor exprobaret, quòd regnum filiis minus quàm acceperiſſet, eſſet relicturus: Imò, inquit, eo majus, quo diuturnius. Ita Tarquinius regno ejectus eſt à ſubditis, ut refert Liv. & Halicarnaſſ. Ita Wenceslaus ab electoribus & Statibus imperii à regni adminiſtratione dejectus. Mynſing. *conſ.19.num.6.* Joh. Dauth. *in l.3.n.1.C. de teſt.* Ita Vitellio, Heliogabalo, Neroni, Maximino & Didio Juliano fuit imperium ademtum. Vide Suet. Tranq. Val. Max. *lib.6.c.3.* Greg. *lib.26.c.4.& c.7. ult.n.ult. de Rep.* Sic Sardanapalus: Sic Michaël Imp. Orientis: Sic Nebucadnezar regno pulſus fuit: Sic in regno Galliæ reges nonnunquam dejecti propter luxum, ſcortationem, crudelitatem, avaritiam, ignaviam, tyrannidem. Ita imperium abrogatum Childerico primo, anno 469. quòd in ſtupris & ſcortationibus ætatē conſumeret, & regni adminiſtrationem negligeret: & Eudo, paulò poſt, quòd ſuâ potentiâ abuteretur ad lævitiâ, dejectus. Sic Childericus 2. anno 679 & Theodoricus ann. 696. & Chilpericus rex 18. ann. 750. & Carolus Craſſus ob ignaviam ann. 890. & Odo rex 26. ann. 894. & Carolus Simplex, rex 27. anno 926. & noſtro ſeculo Henricus 3. rex Gallię, eccleſię perſecutor anno 1588. à ſtatib. regni exautoratus & imperio privatus fuit. & olim Sigebertus, Dagobertus & Lodovic. x 1. reges Galliæ. Ita & quidā Anglici, Hiſpanici, Danici, Suedici reges ob tyrannidem & abuſum ſui imperii dejecti & exauctorati leguntur in hiſtoriis. Vide Hotom. *de antiq. jure reg. Gall. cap.7.* Ita Helvetii ob tyrannidem ſuorum principum, à domo Auſtriaca defecerunt. Ita Athenienſes & Lacedæmonii ſuos ſuperiores magiſtratus & tyrannidem ſæpe exauctoraruntut anonym. *de jure magiſt. in ſubditos qu&ſt.6.* probat. Ita parentum noſtrorum memoriâ Chriſtiernus rex Daniæ ob tyrannidem regiâ dignitate fuit exutus, & carceri incluſus uſque ad mortem. Ita Maria regina Scotiæ ob tyrannidem & cædem mariti privata fuit ab Ordinibus Scotiæ regno, & tandem in Anglia interfecta. Ita Henricus Valeſius Poloniæ rex ab ordinibus regni Polonici ob fugam & abſentiam ſuam remotus eſt anno 1575. Ita hoc tempore Sigiſmundus rex Poloniæ, ab Ordinibus & Statibus regni Suedici, in quo rex natus erat, remotus fuit ob mutatam religionem, non ſervata pacta, denegatam privilegiorum confirmationem, bellum patriæ illatum, ſublatum uſum liberum commerciorum, alienationem caſtrorum & provincię, quæ exauctoratio facta fuit anno 1605.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ita rex Hiſpaniæ Philippus ſecundus, ab Ordinibus Belgicis anno 1581. propter tyrannidem, hoſtis Belgii declaratus, & jure ſuo in Belgicas provincias privatus fuit. De utriusque regis ſolemni exauctoritate & remotione, extant ſcripta edita. Sic in Anglia plures à parlamento & ordinibus regni exauctorati, vel interfecti ſunt. Ita Veneti principes plures ob tyrannidem ab imperio removerunt. Ita Conſtantinus Imp. petentibus proceribus civitatis Romanæ, Maxentium removit ob idololatriam & eccleſiæ perſecutionem. Longum eſſet omnia exempla vetera & recentia hîc recenſere in regnis diverſis. Vide Hotom. Antimach. Steph. Jun. Brut. *de vindic. contr. tyran. quæſt. 3.* Danæ. *lib. 6. c. 3. & lib. 3. c. 6. pol.* latè Paris de Puteo *in tract. de ſyndic. de reg. exceſ. c. 3. per tot.* Anonym. *de jure magiſtr. in ſubd. quæſt. 6.* Zoan. *part. 3. num. 28. & ſeqq. de defenſ. tripartit.* qui plura exempla ex hiſtoriis referunt. Pet. Greg. *lib. 26. c. 4. c. 5. & lib. 22. c. 7. de Rep.* exempla recenſet eorum qui tanquam inhabiles, indigni & inutiles à regno ſunt ſubmoti. Nam paria ſunt, non eſſe, & inutiliter eſſe, *l. quoties. qui ſatisd. cog.* Idem Pet. Greg. Tholoſ. *lib. 26. cap. 6.* exempla eorum, qui adminiſtratione & imperio fuerunt exuti, refert: eorum qui ob tyrannidem imperio dejecti ſunt, recenſet *lib. 22. c. 7. & lib. 8. c. 1. & lib. 6. c. 19.* Danæ. *lib. 3. c. 6. polit. & lib. 6. c. 3.*

Ita ergo jus reſiſtendi tyrannidi magiſtratus ſummi, ephoris & optimatibus univerſalis conſociationis competens, & rationibus & authoritatibus atque exemplis abundè probavimus.

46 Ut verò ephori hoc jure rectè utantur, neceſſe eſt requiſita ſequentia obſervent: 1. Quinam optimates ſeu ephori tyranno reſiſtere poſſint & teneantur: 2. Quando: 3. Quomodo: 4. Quouſque & quandiu.

47 Reſiſtere igitur primò tyrannidi poſſunt & tenentur optimates regni univerſi & ſinguli pro virili.

Hi enim cum ex juſſu & conſenſu populi jus creandi magiſtratum habeant, etiam poteſtatem eundem judicandi & exau-

exauctorandi acceperunt. Urſin. *lib. 2. diſpoſit. ult. & diſp. 44.* Anonymus *de jur. mag. in ſubd.* Pet. Greg. *lib. 26. c. 5. & c. ult. n. ult. de Rep.* Joh. Marian. *de rege & regis inſtit. lib. 1. c. 6. & 7.* Zoan. *part. 3. num. 28. de tripart. defenſ. arg. l. 2. C. de profeſ. & med. l. ſed & de excuſ. tut. l. ut gradatim 11. §. reprobari. de mun. & honorib.* Danæ. *lib. 6. polit.* Caſm. *lib. pol. c. 10.* & diximus fuſiùs *ſup. c. 18. de ephoris. n. 68. 83. 85. & ſeqq.* Et certè deterrima conditio principis eſſet, ſi neminem haberet, quem vereretur, uti exemplis pluribus probat Scip. Amir. *lib. 14. diſc. 1.* Ratio, quare univerſi & ſinguli poſſint, eſt, quòd inter ſe ſint correi, quorum ſinguli alterius correi fraude, perjurio, dolo, ceſſatione culpâve non liberantur ſua obligatione, cæteris perfidè ceſſantibus, colludentibus, conniventibus vel Remp. perdentibus, vel periclitantem deſerentibus. *Judic. c. 22. 12. c. 20.* Sic *Judic. c. 5. 16.* objicitur ignavia ephoris ceſſantibus. Sic & tutori imputatur factum adminiſtrantis & gerentis tutoris, & dolus culpâve in tutela non diviſa, ſicuti & tutor ſuum contutorem ſuſpectum facere tenetur, & correus de correi culpa tenetur. Sic & qui navarchum in navi videt ebrium, aut dormientem, aut non rectum curſum tenentem, non excuſatur, quando potuit navem ſalvam facere, & non fecit.

Reſiſtenti verò ephoro, vel optimati, debent ſe 48
adjungere ſubditi reſiſtentis & cives patriæ amantes, qui Remp. ejusq; jura ſalva eſſe volunt, *2. Sam. c. 2. v. 2. 34. 1. Chron. c. 12. 1. 2. 3. 18. 19. 20. 21. Judic. c. 6. 34. & ſeqq. c. 20. 1. Sam. c. 25. 13. & ſeqq.*

Detrectantes, ope, pecuniâ vel conſilio reſiſten- 49
tem juvare, habentur pro hoſtibus & deſertoribus.

Judic. c. 20. Danæ. *lib. 6. polit. Chriſt. de magiſtrat. inferioribus. qui oppreſſam patriam neglexerunt & prodiderunt.* Calvin. *lib. 4. Inſt. c. ult.* Ergo contra tyrannum, tanquam ad incendium publicum, omnes & ſinguli currere debent, certatim aquam haurire, tecta ſcandere & flammam arcere debent, ne tota Respub. conflagret, tum ſcilicet, quando eſt in actu & tyrannidem exercet. Jun. Brut. *quæſt. 3. arg. l. 3. l. omne. §. ult. de re militari.*

Speciales ephori, eam regni partem, cujus tutela 50

& cura ipsis est commissa, defendentes, ulteriùs
51 non obligantur. Prorsus autem subditos & regionem cui præsunt, deserere non debent, nisi rebus omnibus priùs legitimè tentatis, iisque deploratis & desperatis.

1.Sam.cap.27.1.2.3.4.& cap.12.1.2.3.11.12.c.22.1.2.3.4.5. Danæ.*lib.6.polit.Christ.tit. de magistr.infer.*

52 Huic autem speciali ephoro, quin se alii subditi quoque conjungere ejusque defensioni subjicere possint, dubium non est.

Judic.cap.6.35.& seqq.1.Sam.cap.22.2.20.23. Danæ.*lib.6. Christian.politic.d.loc.* Exemplum præbent historiæ Helveticæ. Primò enim pauci quidam ordines, oppida, civitates & pagi se opposuerunt tyrannidi Austriacorum principum: Posteà hisce se plures alii adjunxerunt. Sic nostrâ memoriâ, quidam Ordines & Status Belgii se tyrannidi regis sui opposuerunt, quibus se plurimi, imò omnes ferè reliqui ordines posteà conjunxerunt sub conditionibus certis, quas gubernatrix Margareta nomine regis confirmavit, rex verò postea nunquam servare voluit, ut refert Emmanuel Meteranus *in histor. suis.*

53 Sed nec uni ex tribus ephoris vel statibus regni, reliquis non consentientibus, licet, quod universis, nimirum magistratui adimere imperium, eumque privatum declarare, vel interficere, vel extra territorii sui, seu regionis sibi adsignatæ fines illi resistere, vel eum persequi. Quod enim ad universos spectat, hoc singuli per se & separatim, reliquis, vel maximâ illorum parte dissentiente, sibi usurpare non possunt. Licebit tamen parti uni regni, vel singulis ephoris, aut regni statibus, sese subducere à magistratus sui tyranni subjectione, & se defendere.

Argumentum hujus rei sumo ex *2.Reg.c.8.22.* ubi Libna defecit à rege Joram, & sese defendit contra vim & injuriam illius. Intelligendum verò hoc est, modò id non extra territorii sui fines & supra jurisdictionis suæ limites fiat, extra quos non habet jus persequendi summum magistratum. Nam apud eos, qui volunt ferre illius tyrannidem, manet summus magistratus, *1.Sam.c.24.5.6.7.8.9.10.11.12.& c.26. 7.8.9.10.11.& seqq.* ubi David Saulem regem noluit interficere, quamvis esset hostis ipsius. Ratio est, quia defensio contra vim conceditur, sed non offensio, vi cessante. Danæ. *polit.Christ.lib.6.d.loco.*

Iniquissimum verò esset, ut si alii, vel universi status regni, 54
nolint sibi consulere, ii qui sapiunt, non possint sibi prospicere & se tueri contra vim & injuriam. Sit ergo aliqua civitas, sint aliqui magistratus inferiores, sint aliqui qui videant magistratus superioris sui vim & tyrannidem; si illi remediũ negligant, vel moniti non velint adesse, sed perire, alii verò secus, neque tamen aliter possint auxilium à legitimo civium conventu impetrare ad coërcendam tyranni libidinem: tum licet illis bonâ conscientiâ sese subducere ab imperio tyranni, non autem illud illi penitus abrogare, quod universis licet, non uni, vel singulis. *l.non est 176.de reg.jur.* Sic Libna civitas, uti diximus, defecit à suo rege, quòd ille deseruerat Deum, *2.Chron.c.21.& 2.Reg.c.8.22.* Sic Helvetii sese subduxerunt ab imperio Ducis Austriaci, cui imperium non abrogarunt in reliquos. Sic Hollandi, Selandi, Frisii, Geldri & reliqui ordines confederatarum Belgii provinciarum se ab imperio Hispani subduxerunt. Sic quoq; reliquę tribus à Rubenitis ob idololatriam defecturæ erant, *Jos.c.22.15.& seqq.* & jubẽtur illos opprimere, qui ad alienos deos defecerũt, *Deut. c.13.14.15. adde 2.Reg.c.23.15.c.8.21.22. Judic.c.6.35.& seqq.*

Observandum tamen hîc est, teneri etiam unum 55
ephorum à toto regno propulsare tyrannidem hostis & ejus, qui absque titulo se pro magistratu legitimo vult obtrudere, cùm non sit; atque corpus consociatum, cujus & ipse est membrum, contra vim & injuriam defendere.

Sic tribus Zabulon, Nephthali & Issaschar, vel saltem quidã ex illis tribubus, sub imperio Deboræ & ductu Barac bellum contra tyrannum Jabin suscipiunt, *Judic.c.4.& c.5.* & totam politiam Judaicam à tyrannide liberant. Nam in hoc casu, quando optimates pleriq;, neglectâ fide, Remp. vel perdunt,

vel periclitantem deserunt, ideò cæteri, vel unus eorum non debet eam deserere, qui tum eo magis tenetur fidem suam præstare, exemplo plurium tutorum, qui si malè gerunt tutelam, tum unusquisque eorum tenetur. Hujus rei aliud exemplum extat, *1.Macch.c.3.v.4.5.* Vide quę dixi *suprà cap. 16.* Sic Hollandi, Selandi, Frisii, Geldri, atque reliqui confederati, reliquos Status & Ordines provinciarum Belgicarum sibi consociatos, contra vim & tyrannidem Hispani defendunt. Sunt qui Pontifici Romano potestatem exauctorandi reges & imperatores tribuunt, sed malè. Vide Gregor. *lib.26.cap.5.num.6.7. & de Repub.* & pacificatorem Marsilii. Lupold. *de jur. Imp.*

56 Secundò sequitur, quando resistendum sit magistratui tyranno, nimirum tum, quando ipsius tyrannis, qui est tyrannus exercitio, est primò nota: deinde obfirmata: & denique alia remedia non adsunt.

Sic Rehabeam regi, in conventu publico regni, *1.Reg.c. 12.1.* causâ cognitâ, *d.c.12.3.4. & seqq.* imperium & regnum super Israëlitas ademptum, *d.cap.12.16.17.18.19.20.* quod à Deo approbatum, *d.c.12.24.* Autor *de jure magistr. in subdit. quæst.7.* Greg. *lib.26.c.ult.n.8.9.10. ex Gerson.* Zoan. *d.loc.* Boss. *de princip. & ejus priv.n.55. & seqq.* Junius Brutus *d.loc.* Obrecht *de bello, thesi 155. & seqq.*

57 Nota verò & cognita ut fiat tyrannis ejusmodi, necesse est, ut optimates regni concilium indicant, & generalem omnium ordinum populi conventum cogant, in eoq; tyranni opera & facta examinanda proponant & dijudicanda, *Judic.c.20.2.3.4.* vel si ephori nulli sint, ad hoc ipsum à populo vindices & defensores publici constituantur.

Bodin. *lib.2.c.5.* Greg. *d.loc.* Ursin. *dispos. ult. lib.2.* Danæ. *lib.6.cap.3. Argum. Judic.cap.6.34.35. & sequentib. cap.20. 1.Sam.c.24.10.11.12.13.c.26.18.19.20.* Ita Israëlitæ contra tribum Rubenitarum bellum gesturi, ob mutatam religionem, convocant reliquas tribus, & cum iis deliberant priùs & exami-

examinant causam, *Jos.c.22.14.15. & seqq.* Et propheta idololatriam populi demonstraturus, & ab illâ Dei ecclesiam purgaturus, & tyrannidem Achabi ostensurus, cogi curat conventum generalem populi, cujus consensu purgat ab idololatria provinciam etiam invito rege, *1.Reg.c.18.19.20. & seqq. & c.12.*

Obfirmata tyrannis dicitur, quando sæpiùs ab optimatibus sine fructu & emendatione sui officii magistratus admonitus, à tyrannide non desistit, sed eò tendit, ut impunè quidvis patrare possit, *2.Reg.c.14.18.19.* Exemplum Pharaonis extat in *Exod. c.2. & seqq.capp.* 58

Alia remedia reprimendæ & coërcendæ tyrannidis: Omnia priùs sint frustra tentata, semel atque iterum, ne morbo ipso remedia periculosiora existant: Non solùm enim hîc, quid liceat, sed & quid expediat, explorandum est. Obrecht *de bello constit. thes.15.6. & seqq.* Vide Greg. *lib.26.num.8.9. cap.ult. de Republ.* 59

Observandum tamen hîc, quando periculum est in mora, malum verò ingravescit & adquirit vires, statim tyranno obviam licere ire & resistere: ne morbus per moram curatu difficilis, vel impossibilis fiat. Bodin. *lib.2.c.5.* adde exemplum *Judic. c.6.34. & seqq.* Steph. Jun. Brut. *d.quæst.3.* 60

Tertiò, resistendum est tyranno suscipiendo partes defensivas, non offensivas, ut loquuntur, *1.Sam.c.24.7.8. & seqq.c.26.9.10.11.* intra territorii sibi adsignati fines, resistendum, inquam, verbis vel facto. 61

Verbis, quando verbis tantùm Dei cultum violat, & Reip. jura atque facta oppugnat. 62

Vi & armis, quando armatâ manu & vi externâ tyrannidem exercet, vel quando eò est progressus,

ut non absque vi armatâ expelli, aut reprimi & cœrceri possit ipsius tyrannis: & tum licebit exercitum conscribere ex regnicolis, confederatis, amicis, vel aliis, tanquam adversus hostem patriæ & regni.

Vide Valer. Max. *lib. 6. c. 3.* Machiavell. *lib. 2. disput. c. 20.* Lipſ. *lib. 5. polit. c. 9. 10.* Ranzov. *lib. 1. comment. belli. c. 11.* Atq; tum adversus talem licebit usurpare illud, quod Valer. Max. *d. lib. 6. c. 3.* de Manlio scribit: Manlius fuisti mihi, cùm præcipites ageres Senones: postquam verò mutari cœpisti, unus factus es ex Senonibus, & unde tu eos depulisti, tu ipse præcipitandus es.

63 Quartò, tamdiu resistendum est, quamdiu durat tyrannis, quousque verbis, facto, dolo, vel arte oppugnat Remp. & pacto inito contraria facit, loquitur vel agit, & donec res in pristinum statum restitutæ sunt, adeò, ut ejusmodi tyrannum ab officio removere, administratione demandatâ privare, imò etiam, si aliter contra vim se defendere non possunt, interficere, & alium in ejus locum optimates substituere possint.

64 Quòd si tamen Resp. oppressa, in mutationem suarum legum ritè consentiat, & ille, qui absque titulo tyrannus erat, titulum acceperit, ampliùs non erit huic legitimo magistratui resistendum.

Ut docet exemplum Zedechiæ regis, qui non rectè Nebucadnezari se opposuit, *Jerem. cap. 37.* At idem Zedechias rectè se opposuit adversùs Sennacherib, *2. Reg. cap. 24. c. 25.* Non enim huic fidem dederat, prout Nebucadnezari. Sic primò Cicero & Brutus rectè se opposuêre Antonio & Augusto: sed non rectè, postquam Augustus à populo Romano pro legitimo principe & imperatore erat agnitus. Vide Farinac. *de crim. læs. majest. quæst. 112. n. 38.* Gig. *d. tit. lib. 1. c. qualiter & à quib. de crim. læs. maj.* adde Jun. Brut. *quæst. 3. in vindic. contra tyran.* Bod. *lib. 2. c. 5.*

95 Quid verò de subditis & privatis ex populo sentiendum

tiendum est? Nam quę hactenus diximus de ephoris, personis publicis dicta sunt. Planè hi privati, quando magistratus tyrannus est exercitio, quia non habent usum & jus gladii, neque eo jure utentur: *Mat. c. 26. 52. Rom. c. 13. 1. Sam. c. 26. 9.* Juris n. non est, ut singulis concedatur, quod per magistratũ publicè fieri potest, majoris tumultus vitandi causâ, *l. non est 176. de reg. jur.* sed quiescent & injuriam patientes, jugum tyranni ferent, *1. Pet. c. 2. 18.* arg. *Jer. c. 29. 8. Bar. c. 1. 11. Eccles. c. 10. 1. Ezech. c. 29.* Zoannet. *part. 3. num. 95. & seqq. & n. 102.* Steph. Jun. Brut. *in vindic. quæst. 2.* Obrecht *de bello constit. thes. 184. & seqq.* Anonym. *de jur. magistr. in subdit. quæst. 6.* & Christus jussit Pharisæis obtemperare, quia in cathedra Mosis sedebant, *Mat. c. 23. Mat. c. 12. 14.* & Cæsari jubet reddere, quæ ei debẽtur, *Matth. c. 22.* Itaq; occisor Saulis justè punit⁹ fuit, *2. Sã. c. 1. & c. 4. 7. & seqq.* & alii, ut videre est *2. Reg. c. 21. 23. 24. 2. Chrõ. c. 33. 25. 2. Reg. c. 14. 19. c. 15. 10. 14. 15. 25. 30.* & David à cęde illius rectè abstinuit, *1. Sam. c. 24. & c. 28.* cùm nec maledicere principi sit concessum, *Exod. c. 22. 28.* multò minùs eundẽ interficere licet, atq; Dei ordinationi, quę bonis bona, resistere, *Rom. c. 13.* Nam magistratum rejiciens, Deũ rejicit, *1. Sam. c. 8.* ibi, Non te, sed me spreverunt. Nebucadnezarem Propheræ nõ jusserunt interficere, sed pro eo orare, *Jer. c. 29. Ezech. c. 29. Baruch c. 1.* Adde Bod. *lib. 2. c. 5. de Rep.* Calvin. *d. c. 20.* Hinc Liv. *lib. 3.* dixit: Scutum potiùs, quàm gladiũ subditis in tyrannos esse sumendum, quos modestia & patientia subditorũ mitigat, cõtumacia verò exasperat. Tyranni enim pro pœnâ dantur subditis à Deo, *Job c. 34. 30. Amos c. 3. Dan. c. 8. 23. & seqq. Lev. c. 26. 33. & seqq. Jud. c. 2. Ezech. c. 7. Prov. c. 28. Esa. c. 10. c. 45. Ose. & c. 13. 11.* In ira mea dedi ipsis regẽ. Cõstat etiã, ex tyrannis & crudelib. factos esse optimos reges. Vide Greg. *lib. 26. c. 7. & lib. 8. c. 1. n. 16. 17.* Lipſ. *lib. 6. pol. c. 5.* Rationes hujus rei de privatis, adfert Steph. Jun. Brut. *de vind. cõtra tyran. quæst. 2.* & Pet. Greg. Thol. *lib. ult. cap. ult. de Rep.* Quia hi ex federe inter Deum & universum populum, tanquam singuli, qui membra Reipublicæ non faciunt, non tenentur. Deinde non tenentur ex officio, neque vocatione suâ, qui jubentur cum Petro gladium in vaginam recondere,

Matth.cap.26. Sic Israëlitæ pro onerum servitiorumque levatione apud Pharaonem institerunt. *Exod.c.2.23.c.5.15.16.* & alii. Vide *Esth.c.7.5.c.4.16.* Neque David manum in unctum Domini mittere voluit. Et rebelles privatos in magistratum Deus gravissimè punivit, *Num.c.16.c.12.1.9.10.c.21.5.6. 2.Sam.c.15.10.c.16.5.6.7. 1.Reg.c.16.9.10.18.c.11.26.c.12.20. Act.c.5.36.37.*

66 Atq; eatenus summus magistratus legibus pœnariis solutus est: quia, ut maximè ipsum populus constituerit, tamen eundem judicandi, vel puniendi non habet potestatem, sed soli optimates.

Zoannet. *d.part.3.num.104.& seqq.* Sicuti pupillus, non nisi auctore tutore, actionem instituere potest, & si ille verè est dominus, hic tantùm pro domino habeatur, *l.8.l.9. de adm.tut.* Ita quoque populus non potest aliquid suscipere, nisi iis auctoribus, in quos auctoritatem & potestatem suam contulit, & gladio in eam rem accinxit, & quibus se regendũ curandumque commisit. Ejusmodi magistratus sui interfectores & parricidas graviter etiam à successoribus punitos, constat ex historiis. Sueton. in Vitellio *cap.10.* & in Nerone *c.49.* & David jussit parricidam Saulis occidere, *2.Sam.c.1.* à quo manus abstinuit David rectè, *1.Sam.c.24.* Vide suprà *c.21.n.22.*

67 Sed hæc ita accipienda, modò non tyrannidis ministri hi privati esse cogantur, vel quicquam facere, quod Deo sit contrarium. Nam tunc fugient in alium locum, ut obedientiam hîc non resistendo, sed fugiendo declinent.

Arg. *Matth.c.23. 2.Chron.c.11.v.13.14.* Sic David tyrannidem Saulis fugiens in montes se recepisse legitur. Et Christus in Ægyptum ob Herodis tyrannidem fugit. Pet.Greg. *lib.26. c.6.n.24.& seqq.& c.7.* Calvin. *lib.4.Inst.c.20.sect.23.* Zoannet. *d.lib.num.114.& seqq.* Steph.Jun.Brut. *quæst.3.* Verùm quando notoria vis privato à magistratu infertur, tũ in casu necessitatis & vitę suæ defendendæ, defensio ipsi est permissa. Hoc enim casu regum constitutiones & jus naturale, privatos armant contra magistratum, vim vitæ inferentem, de qua re JCti latiùs.

Ergo

Ergo ejusmodi privati, privatâ suâ auctoritate contra summum suum magistratum nihil facient, sed jussum optimatum etiam unius, opem & arma illorum inclamantis ad tyrannum corrigendum, exspectabunt.

At tyranno absque titulo regnum invadenti, 68
etiam privatâ autoritate sine alterius jussu, omnes & singuli patriæ amantes optimates & privati resistere & possunt & debent.

2.Reg.c.11. 2.Chron.c.23. Judic.c.9. Est enim hic tyrannus alienus, cui populus nullo jurejurando, vel jure est obligatus, unde ei, tanquã privato & aggressori vim inferenti rectè quivis Reip. civis restitit, *l.3.de justit.& jur.l.4.l.45.ad L.Aquil.* Arg. à contrario sensu, *l.sacri.C.de divers.rescript.l.1. C. ut ord.dign.* Argum. *Num.cap.16.* Bodin. *lib.2.c.5. de Republ.* & Gregor. *lib.26.c.7.de Rep.* Steph.Jun.Brut. *quæst.3.de vindic. contra tyran.* latè Vasq. *lib.1.c.8.n.33.& seqq. illust.cont.* nisi optimatum consensu, talis qui ab initio erat tyrannus, posteà approbetur, & pro magistratu recipiatur. Nam populus ex tyranno legitimum principem facere potest, & sic Herodi Ascalonitæ tyranno, Judæi regnum obtulerunt. Bodin. *lib.2.c.5.de Rep.* Sic & Julio Cæsari regnum delatum fuit.

Observandum verò hîc, quando justè magistra- 69
tus officio ab ephoris est privatus, tum jus consequendi regni, ejusdem familiæ salvum servandum esse, quando scil. ex lege regni fundamentali, ipsius submoti familiæ & posteris ex contractu pactóve successio in regno competit & debetur.

Argum. *l.3.de interd.& releg.* Pet.Tholos. *lib.26.c.5.n.23. de Republ.* Arg. *Auth.res quæ.& l.fin. §.ult. C.com. de legat. l.37.placuit. de jure fisci.*

Itaque licet Amasius dejectus fuit ab imperio, tamen posteris illius imperii successio non fuit ademta, de qua re suprà suo loco *c.19.n.85.86.* & Greg. *lib.26.c.6.de Rep.n.23.& seqq.* Arg. *Auth.res quæ.& l.fin.§.fin. C.com. de legat.* Danæ. *lib.3.c.6.polit.*

70 Notandum quoque, dejectionem ejusmodi & mutationem magistratus, maximas clades & incommoda secum trahere. *Exod. cap. 5. 21. 22. 23. 1. Sam. cap. 16.* & quandoque avaritiam. Non tamen ideo bona necessaria, propter mala & incommoda, quæ inde sequuntur, sunt omittenda. Nec etiam privata commoda publicis sunt anteponenda.

Exod. cap. 5. 21. & seqq. Lips. *lib. 6. cap. 5.* ob mala quæ comitantur vindicias tyrannorum, putat minus esse malum tolerare tyrannos; sed malè, ob rationes, quas suprà adduxi. Nec etiam bona sunt omittenda ob incommoda quædam. Pluris nobis esse debent religio, libertas, cultus Dei & posteri, quàm mala & incommoda, quæ nobis rectè agentibus obveniunt iniquè.

71 Sed quando tantam potestatem ephoris tribuimus, non hinc existimandum, ob hanc eorum potestatem magistratus summi jus & potestatem minui, cùm potiùs ea confirmetur & augeatur, ideo quòd alienâ ope sustinetur, & ab interitu vindicatur is, qui culpâ & negligentiâ propriâ aliàs interiret.

72 Nam ephororũ potestas & officiũ huc respicit, ut magistratus summi imperium & administratio secundùm justitiam legumque normam instituatur, atque ab hac non aberret, quæ tum dicitur vera & legitima administratio: secus verò non tam administratio Reipubl. quàm direptio, latrocinium & malorum hominum conspiratio. Aug. *de civit. Dei lib. 4. c. 4.* Nam Deus non eò minùs potens censetur, quòd per se peccare non possit: nec eò minùs sanum aliquem putamus, quòd medici ei assident, qui ipsum ab intemperie dehortantur, qui noxiorum ciborum esu interdicunt, qui etiam invitum sæpè & renitentem purgant. An medicos istos, qui illius salutem curant, an verò adulatores, qui noxia & insalubria quæque obtrudunt, magis amicos putabimus? quibus

73 argumentis utitur Steph. Jun. Brut. Unde sequitur, valde errare Bodinum, qui non agnoscit regiam potestatem, ubi tales sunt ephori & optimates regni, & ideo Romano-Germanicum Imperium esse monarchiam negat, Galliæ regem tantùm monarcham esse contendens, qui tamen optimatum Galliæ judiciis & sententiis, arctioribus vinculis & legibus, quàm

quàm Cæsar Germanus ab Electoribus & Statibus Imperii constringitur, uti apparet ex Steph. Jun. Brut. & Cæsar. *lib. 5. & 7. de bello Gallic.* qui dicit, ea tum regum Galliæ imperia fuisse, ut non minùs populus ritè convocatus in regem, quàm rex in populum autoritatis haberet. Vide Hotom. *de antiq. jur. reg. Gall. cap. 7.* qui contrarium testatur de Gallia contra Bodin. & suprà probavi *cap. 18.* populum injustis actionibus regis obstitisse, & à rege ad populum provocationem factam. Nec ideo paris potestatis cum Imperatore & 74
collegâ illius censetur Dux, Princeps Comésve, qui regalia accepit ab imperatore, uti nec vasallus paris potestatis cum suo domino putatur. Nam semper superioritas & præemi- 75
nentia concedentis reservata in tali concessione dicitur, quæ superioritas naturâ suâ omnino est incommunicabilis & individua, atque est in omnes & singulos Imperii status, cùm contra optimatum horum regalia & jura sint limitata, & restricta specialia, quę ut ex beneficio superioris concessa sunt, & ab eodem pendent, sic & ab eodem adimi possunt. Ideoq; & in hisce semper potestas superior & præeminentia concedentis excipitur, ut suprà latiùs diximus *c. 8. n. 53. & seqq. c. 18. & 19. n. 5.*

Potest etiam ex optimatibus unus, vel pars una 76
regni, peculiarem regem, aut novam Reipublicæ formam sibi deligere, derelicto reliquo corpore, cui adhærebat, quando vel istius partis totius publica manifestaque salus id omnino suadet, vel leges patriæ fundamentales à magistratu non observantur, sed obstinatè violantur & insanabiliter, vel verus Dei cultus jussusq; patefactus, id fieri distertè præcipit & postulat. Et tum hæc pars statum suum & formam novam ejusmodi adversus reliquas ejusdem regni partes, à quibus descivit, defendere vi & armis potest.

Sic Israëlitæ à domo & imperio Davidis defecerunt, & proprium regnum condiderunt, *1. Reg. cap. 12. per tot.* Sic &

tribus Juda defecit rectè à reliquis Israëlitis & posteris Saulis, *2.Sam.c.2.45.& seqq.* Sic rectè Jehojadah cum omnibus subditis defecit ab Athalja imperante, *2.Reg.c.11. per tot.* & sic plerique judices *in lib. Judic.c.3.18.19.c.4.c.6.c.11.* Remp. & leges regni fundamentales ex manibus tyrannorum eripuerunt. Sic & rectè civitas Libnensis à suo magistratu defecit, *2.Reg.cap.8.22.* & Zidekias rex à rege Babyloniæ, *2.Reg. c.25.3.4.5.* Sic etiam subditi ab auxilio suo magistratus, qui eos non defendit, cùm deberet, justè ad alium principem confugere possunt, Alberic. Gentil. *lib.1.de jure belli.cap.23.* & alii se submittere: Decian. *lib.7.crim.c.49.n.29.* atq; si recuset justitiam administrare, illi resistere poterint, atque tributorum solutionem denegare. Lucas de Penna *in l.1.C.de superind.lib.10.* Alciat. *in l.placet. n.11. C.de sacrosanct.eccles.* Decian. *d.l.c.n.27.28.* Vide suprà *c.8.n.91.92.*

77 Hanc sententiam de potestate ephororum adversus summum magistratum tyrannum, novissimè improbavit Alberic. Gentilis *in disputationibus regalib.* Guiliel. Barclajus *de regno & regali potestate, lib.3.c.6.* & Johan. Beccaria *in libell.* cui titulum fecit, *Refutatio cujusdam libelli anonymi, de jure magistratuum in subditos.* sed moti levissimis, imò dixerim nullis rationibus. De indiciis quoque tyrannidis aliter sentit Henningus Arnisæus. Præcipuę rationes ex his, quibus Gentilis utitur, hæ sunt: Patri jus & imperium patrium non est adimendum, multò minus eidem vis est inferenda. Ergo neque principi. Imò, inquam ego, sunt casus, in quibus hoc licet. Vide *l.35.minimè.de relig.& sumpt.fun. Exod,c.23.2.28.* & *seqq.* inprimis verò, quando præceptum aliquod tabulæ
78 primæ decalogi hoc exigit. Nam præceptis primæ tabulæ cedunt præcepta secundæ tabulæ, uti exempla ostendunt: *Luc. cap.9.3.24.25.59.60.61.62. 1.Reg.cap.21.10.11.12. Marc. cap.9.42.43.& seqq. Matth.c.5.29.18. cap.9.13. cap.10.37. cap.12.5.11. Actor.cap.5.29. 1.Sam.cap.19.17.18. Ose.cap.6.6.* Et qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est dignus me, uti Christus dicit *Matth.c.10.37.* Princeps per similitudinem dicitur parens patriæ, quòd scil. pari charitate suos subditos complecti debeat. Similitudo verò nihil probat, sed illustrat, ut docent Logici. Unde argumentum sumptum à similitudine, claudicare dicitur. Qui pater est, naturâ talis est. Magi-

Magistratus persona naturâ talis non est, sed ex electione & inauguratione. Pater alit liberos suos: Princeps non alit subditos, sed alitur ab illis, atque thesauros colligit, non subditis, sed sibi. Nec dicimus, principem tyrannum statim interficiendum, sed illius vi & injuriæ resistendum esse, & uno in casu interfici jure posse, quando scilicet tyrānis ipsius est nota & insanabilis, atque quando furiosè spretis omnibus legibus perniciem & exitium regni molitur, & civilem inter homines societatem, quantum in se, tollit, & in propria viscera sævit, atque alia remedia non dantur. Sic etiam parenti furioso, fatuo, qui rebus suis commodè præesse non potest, filius curator dari potest, *l.1.l.2.de cura furios.* & parens, qui abutitur suâ potestate patriâ, eâdem rectè privatur, *l.6. lenones. l.7. C. de infant. expos. l.2. C. de parent. qui fil. distrax. l.2. de his qui sunt sui vel alieni jur. §.sed dominorum. Inst. d. tit. l. ult. si quis à parent. manumiss.* Unde Geil. *lib.1. obs.17.* Fernand. Vasqu. *illu.quæst. lib.1.c.8.* idem de intermedio magistratu abutente suâ jurisdictione asserunt. Sic subditi auxilio principis sui, qui eos non defendit cùm deberet, destituti, ad alium principem confugere possunt. Alberic. Gentil. *lib.1.de bello.c.23. per alleg. ibidem.* Decianus *lib.7.crim.c.49.num.28.29.* Lucas de Penna *in l.1.C. de superind.lib.10.* Est enim domini & subditorum status (inquit Alberic.) connexus. Hi dominum suum magistratum, hic verò subditos suos defendere debet. Atque ut subditi obligati sunt ad obedientiam, sic dominus ad piam administrationem. Pruckman. *d.c.3.n.35.& seqq.* Geil. *lib.2. obs.25.n.15.de pac.pub.* Borch. *de feud.c.8.n.135.* Sed idem Gentilis *in disputationibus regalib. quæst.3.* asserit, quòd contra vim & injuriam principis, defensio justa consistat in fuga. Fugere ergo debent subditi à tyranno. Ita est: privati potiùs fugere debent, quàm resistere suo magistratui, aut cum patientia injuriam & vim sibi illatam ferre debent. Ordines verò, seu optimates regni, personæ publicæ, minimè hoc possunt, nec debent. Ad hoc enim illi jus gladii acceperunt, ut impiis molitionibus tyranni resistant, eo quo dixi modo, uti rationibus & exemplis probavi suprà. Fugientes itaque, officium suum deserunt, & patriam omnesq; in ea relinquentes lupo, leoni vel urso, quibus animalibus rapacibus tyrannum scriptura sacra comparare solet, exponunt, atque ex

pastoribus fiunt mercenarii, fugitivi, & pro defensoribus & custodibus, regni & Reip. proditores perfidi. Optimatum itaque fuga, hoc in casu, non honesta, neque licita est Pugnat enim cum præceptis Decalogi de regno Dei defendendo, pugnat cũ consociatione & civili societate, pugnat cum ipsorum promissione, qua patriæ officium suum, operam, studium & fidem suam, in hoc rerum statu promiserunt & addixerunt, ut apparet ex iis quæ suprà de Ephoris dixi. Par
81 postea (idem Gentilis dicit) in parem, multò minus inferior in superiorem habet imperium, quod latius urget Barclajus *lib.3.c.4.de regno & reg.potest.* Ergo Ephori, qui sunt minores rege, non possunt resistere tyranno. Contrarium ego assero. Reverà enim Populus & Ephori sunt superiores principe, quem ipsi constituerunt, à quibus, quam habet potestatem, ille accepit. Sic quoque Capitulum supra Episcopum, Senatum supra Consules esse, suprà demonstravi. Deinde tyrannus ejusmodi definit esse rex & persona publica, & ob tyrannidem suam incipit esse privatus, cui obedientia non debetur in illis, in quibus jurisdictionis suæ limites excedit, *l.11.l.ultim.de jurisdict.* de qua re *infrà num.95.latius.* Impium & absurdum est dicere, Deum omne jus suum resignasse & in magistratum contulisse, ita ut magistratui usurpanti sibi ea, quæ solius Dei eiq; soli sunt præstanda, non resistere
82 liceat, ut Deo jus suum illibatum maneat. Pergit Gentilis, & ait, tyrannidis nulla alia pœna est, quàm conscientiæ tormẽta & metus quo aliorum vim metuunt. Hæc est communis omnium malefactorum pœna, de quibus conscientiæ diris & laniatibus Apostolus ad *Rom.c.2.* sed obduratam & cauteriatam conscientiam habentes, hanc pœnam non sentiunt, ut idem Apostolus alio in loco ait. Et tyrannus in pœnam datur subditis, *Job.c.34.30.* cùm & Deus dicatur creare malum & bonum, *Amos.c.3. Esa.c.45.* Sed & Deus excitat liberatores & salvatores atque vindices contra tyrannos. Vide *lib. Judic. Exod.c.1. & seqq.c.* Nec etiam ideò pœnæ civiles cessabunt, aut ipsorum malitiæ indulgendum est cum Reip. ruina, gloriæ Dei & regni illius detrimento. Nec ideo Ephori
83 desinent officium suum facere, aut negligentes hoc excusantur, uti supra suo loco diximus. Principi porrò, ait, nõ est maledicendum, multò minus ergo vis inferenda, neque eidem imperium adimendum, & potestate ille sua privandus, quẽ Deus constituit. De principe, non tyranno, hæc dicuntur, nec

de illo qui pro privato habetur. Sequitur, ait, majus malum, 84
si per vim tollitur tyrannus. Nã si tyrannum volumus auferre, nascetur bellum civile tyranno deterius. Ergo vis tyrannidi non est opponenda, sed ferre tyrannidem, ex usu & re regni erit; quasi post ejectũ tyrannum, non deterior, sed melior sequatur; imò exemplo pœnæ alii à tyrannide abstinent. Non sunt mala quælibet tolerãda ideo, ne alia majora sequãtur, nec mala facienda, ut bona eveniant, ut dicit Apostolus. Ubi Dei mandatum extat, de eventu non est disputandum, sed Deo is commendandus. Religio, libertas & jura patriæ sunt defendenda, etiamsi inde multa incommoda sequãtur, nec ob eventum incertum, officii partes sunt deserendæ. Vir bonus & patriæ amans, mori etiam pro patria sibi gloriosum judicat, ut dicit Cicero. Regero argumentum, historias testari, sæpè majora bona secuta fuisse eversâ tyrannide. Quæro etiam, quæ possit esse comparatio inter salvam, sartam, tectã religionem, regnum Dei & libertatem patriæ, & inter incommoda, miserias, ac calamitates, quæ eversionem tyrannidis præcedunt & sequuntur? Nimirum majus bonum est religio, regnum & gloria Dei, quàm declinatio omnium miseriarũ, calamitatum & injuriarum, quas resistentes tyranno perpeti
coguntur. Sed pergit Gentilis ad aliud argumentũ. Populus, 85
vel ephori populum repræsentantes, non dederunt principẽ. Ergo nec tollere possunt. Antecedens negatur. Contrariũ ex jure gentium & divino probavimus, & exemplis adductis illustravimus. Melius est postea, dicit, habere aliquam Remp. quàm nullam, uti in commotione fieri solet. Non tyrannis, 86
sed eversio tyrannidis Remp. facit. Negatur quoq; esse commotio, quando optimates justo & legitimo modo tyrannidem exercenti resistũt, sub ephoris verò esse Remp. ex iis quę suprà diximus, abundè liquet. Tyrannus evertit Remp. uti de Saule David conqueritur *Psal.75.v.4.* ubi Junius: ephori verò erigunt, & defendunt: Nec n. latronum conventus & conspiratio cõtra leges, Remp. facit, uti disputat Cicero in paradoxis. Addo, historias ostendere, interfectis tyrannis, Remp. cõvaluisse & melius habuisse, uti David de se gloriatur *d.Psal. 75.4.5.6.* Moses & Aaron contra Pharaonem non concitarunt
Populum Israëliticum; nec David Saulem voluit interfice- 87
re, ajunt. Scilicet, quia hi privati fuerunt, non Ephori, optimates, vel status regni, qui soli id jus habent, ut supra diximus. Atque hæc sunt præcipua argumenta, quibus Gentilis

Universidad de Deusto Biblioteca

Lib.3. c.4. de regib. & regal. potest.

contra Theologorũ & JCtorũ communem sententiam movetur, quæ desumpsit ex Barclajo, qui pluribus aliis insuper utitur. Patrifam. inquit Barclajus, in familiam, non huic in partem f. potestas competit, ille jus vitæ & necis in liberos, non contrà hi in patrem habebant. Sic & de marito, uxore, de
88 domino & servo dicendum: item de duce exercitus & militibus, & aliis similibus. Quid si regeram, certis casibus patrem jus patriæ potestatis, quod in filios habet, amittere, *tit. Inst. quibus mod. jus pat. pot. amitt.* Quid si ob abusum, tyrannidem, sævitiam & crudelitatem à magistratu patet fam. dominus, dux, maritúsve suo jure in filios, servos, uxorémve
98 privetur? Et quis ignorat, pluribus casibus hoc jus patrium, dominicum, & maritale cessare? Vide *§. dominorum. Inst. de his qui sunt sui vel alieni jur. l.3. §. si vel parens. de agn. & alend. lib. l. nec filium. C. de patr. potest.* Geil. *lib.1. obs.17. l.2. l.3. C. de infant. expos. Novell.115. cap.3.* Sed & ex his potestates illæ, quæ ex solo hominum consensu & pacto sunt constitutæ, contrario dissensu dissolvuntur. Ita enim servus esse desinit, quem dominus emancipavit: ita dux exercitus finito & confecto negotio & mandato suo, talis esse desinit &
90 fit privatus. Ita etiam, licet potestas maritalis & matrimonii vinculum, nullis aliis delictis, incommodis, morbis vel impedimentis tollatur, tamen adulterio & desertione dissolvitur, *1. Cor. cap.7.* Hæc enim delicta cum ipsâ naturâ & substantiâ matrimonii pugnant, atque ob hæc eos qui unum corpus per vinculum matrimonii erant facti, *Matth. c.19.* duos faciunt & separatos homines, duo separata corpora, *1. Cor. c.6.16.* etiamsi aliàs vinculum illud indissolubile dicatur, quod ab homine solvi non debeat, neque possit, *Matth.*
91 *d. c.19.4.5. Gen. cap.2.24.* Ex hoc genere etiam dici potest superioritas & magistratus summus, qui ut consensu subditorum, nimirum electione & mandato constituitur, sic revocatione & cassatione mandati talis esse desinit. Quæ tamen cassatio non ex quavis & ob quamvis causam fieri potest, sed tantùm ob illas, quæ substantiam & essentiam summæ potestatis & administrationis perimunt. Hoc fit factis illis, quibus magistratus summus ex pastore populi, lupus, leo, ursus, draco, ex patre prædo, ex administratore & curatore consociationis generalis, dissipator, dilapidator, fur & latro, rapax, harpyia, ex defensore & protectore hominũ sibi

sibi commissorum, homicida, ex privilegiorum & jurium populi defensore & patrono, oppressor & violator eorundem efficitur. Hæc & similia alia facientes, desinunt esse magistratus summi. Nam ex hisce factis ruina societatis humanæ sequitur, atque hisce consociatio illa, cui præest, transformatur & degenerat in latronum atque pessimorum aliorum hominum congregationem. Hisce evertuntur & tolluntur humanæ societatis fundamenta, hoc est, spernuntur & negliguntur leges majestatis ecclesiasticæ & politicæ. Quando enim societas & consociatio humana, eversis ipsis fundamentis per tyrannidem administratoris ejusdem, est sublata, quis dicet, talem eversorem ampliùs esse administratorem societatis, quæ esse desiit, aut etiam esse posse. Fateor, potestatem puniendi & animadvertendi, quam e-
93 phori sibi in principem vindicant, actum jurisdictionis esse & superioritatis, sed hîc exercetur nomine regni, penes quod semper majus & summũ remansit imperium & suprema potestas, quæ exercetur in regem tyrannum, tum, quando ille est privatus declaratus, atque rex amplius dici non potest, ut demonstravi hoc *c.38.* Dictator apud Romanos factorum suorum rationes nemini reddebat, isque summum liberumque exercebat imperium, nimirum ex consensu populi & Reip. atque ad tempus breve, ob Reipubl. summum periculum, quo illa urgebatur, neque ille comitiorum potestati eximebatur. Sic quoque tribuni plebis à nullo in ordinem *Barcla. c.6. lib.3 de regn. & reg. potest.* cogebantur, præterquam à comitiis regni, hoc est, ab ipso regno, quod illi superius agnoscere tenebantur. Non sequitur, Saul & alii multa impunè fecerunt, sicut & David. Ergo omnes impunes in suis delictis. Exemplis non est judicandum. Neque omnia delicta sapiunt tyrannidem, ut *Barcl. lib.3.c.* diximus suprà hoc capite. Neque exemplo Samuelis & Da-
7. vidis tyrannus est ferendus, *1. Sam. cap.24.* qui ut homines
95 privati, id ipsum, quod ephori Israëlitici, personæ publicæ, quibus hoc jus datum erat, poterant, non fecerunt, neque jure facere potuerunt: Samuel enim post electionem Saulis, jurisdictionem aut potestatem in populum ampliùs non usurpabat, quam in Saulem populi consensu & Dei jussu transtulerat, *1. Sam. c.8. c.12.* Quare verò, ait Barclajus, Saulem à Domino projectum & imperio exutum, Samuel David & reliqui Saulis ministri regem adhuc & dominũ suum

agnoſcunt? *1.Sam.c.15.* Nimirum,quia nondum populi, ſeu optimatum regni judicio & ſententiâ Saul tyrannus declaratus,& imperium illi ademptum erat;quam declarationem æquum erat illũ expectare, uti diximus ſupra hoc *c.38.n.65. 66.67.* Et quid ſi proceres regni tyrannum ferre malint, quàm officium ſuum faciendo, Reipub.bene conſulere? An ideo jus illis non erit? David, licet à Deo ſucceſſor Saulis deſtinatus fuerat, non tamen vivente Saule, & rerum potiente, atque in ſolio regio conſidente, imperii habenas gubernavit. Ideoque Saulem meritò dominum & regem ſuum legitimum, nondum remotum ab officio, agnovit, *1.Sam. cap.24.cap.26.* Bella gerebat ſui & populi defendendi gratiâ, non lædendi Saulem,quem mortuum lamentatus eſt, *2.Sam.c.1.* & quo defuncto demum à populo legitimè ad regni adminiſtrationẽ vocatus & inauguratus eſt,*2.Sam.c.3.* Unde evincitur, ante illam populi electionem & inaugurationem,illum regẽ, vel magiſtratum legitimũ non fuiſſe. Vita

96 *Barcla. c.8.lib.3 de regn. & reg. poteſt.* principis ſcelerata non adimit ipſi officium & dignitatem, niſi talis ſit,quæ fundamenta conſociationis univerſalis convellat, atque ex ſocietate hominum civili, latronum & peſſimorum hominum faciat congregationem: qua de re & ſupra *n.2.3.4.90.91. & infr.n.104. & 107.* diximus. Cæſari

97 ſunt reddenda, quæ ipſi debentur. Sed talis obedientia,conniventia& patientia in ſceleribus & tyrannide,ab ephoris ipſi non debetur,imò reſiſtentes illi,Deo & Reip. ſeu regno tribuunt,quæ ipſis debentur, dũ cultum divinum,religionem Chriſtianam, & jura Reip. contra tyranni machinationes, vim & injuriam, ſalva, ſarta,tecta conſervant. Hoc agentes

98 quomodo delinquere & malefacere dici poſſunt? Malè Barclajus Phariſæos optimates & ephoros fuiſſe affirmat, de qua re latiùs *in c.8.in fin.* diſſero. Nec cenſus à Judæis Cæſari præſtitus,*Matth.c.17.* iniquus & illicitus fuit. Suberant enim eo tempore Judæi Romanis. Ideò illis tanquã ſuo legitimo magiſtratui,meritò cenſum præſtabant, ut docet Paulus *Rom.c.13.* Urget porrò illud *1.Petr.c.2.18.* Subjecti eſtote,

99 *Barcl. c.9.lib.3 de regn.* non tantùm bonis & æquis, ſed etiam malis,*Epheſ.cap.6.* *1.Tim.c.6.1.* cum quo conſentit illud Pauli *ad Rom. cap.13.* Omnis anima ſubjecta ſit; qui ſine exceptione obedientiã pcipit. Uterq; Apoſtolus hæc ſcripſit eo tempore,quo magiſtratus Chriſtianus non erat. Ergo indiſtinctè omnes & ſinguli cuivis magiſtratui etiam tyranno obedientiã debent.

Apoſtoli hæc ſcribunt ad privatos, nimirum ad eccleſias, Romanã & Epheſinã,in quibus nõ niſi privati illo tempore erant,ideoq; de privatorum obedientia, quã illi & regi & ephoris, ſuis magiſtratibus recta & juſta imperantibus,debebant,ſcribunt.Ut n.mandata magiſtratuũ ſunt duplicia,impia,injuſta,vel pia & juſta,primæ & ſecundæ tabulæ conformia,ſic etiã obedientia eſt duplex,pia nimirũ,juſta,vel impia & injuſta.Et ut impia & injuſta mandata à magiſtratibus dari non debent,ſic nec obedientia impia&injuſta illis debetur, uti de ſervis & dominis loquitur Apoſt. *Eph.c.6.4.5.6.7.8.9.* Apoſtolus,ut non loquitur de mandatis magiſtratuum impiis,ſic nec de obedientia impia & injuſta quicquam præcipit. Nam impia, turpia, illicita magiſtratibus præcipientibus, non obediendũ eſſe,alibi expreſsè docetur, *Act. cap.4.cap.5.* Ideoque regi præcipienti aliquid contra primam vel ſecundam Decalogi tabulã,non obediendo reſiſtẽdum. Excedit n.poteſtatis ſuæ terminos. Vide quæ dixi *c.9. de ephoris.& hoc 38.de tyran.* Nam magiſtratui notoriè iniquè agenti & procedenti, reſiſtere licere propriâ autoritate, jura civilia concedunt,ut ſupra diximus *n.42.* Sed, ait, ſi o- 101

mnis anima ſubdita magiſtratui eſſe jubetur, etiã optimates *Barcla.* ſinguli illi ſubeſſe & obtemperare jubentur.*Rom.c.13.*Ita eſt. *lib.3.c.* Sunt ſubditi ſinguli ephori,ſed regis juſtè & piè imperantis, *10.& lib. 4.c.* neq; ſua poteſtate abutentis,ut dixi. Notoriè iniquè agenti *21.* regi, ephorus reſiſtere poteſt,ut habet communis Dd. concluſio,pſertim in illis,quæ ad regni adminiſtrationẽ & ſalutẽ conſociationis univerſalis pertinent. Tum n. ſalus Reip. ſuprema lex eſt.Tum cogitabit,officii ſui eſſe, iniqua regis facta corrigere,eumq; ad ſanam mentem reducere. Tum plus Deum & Remp.quàm regẽ amabit.Talem regẽ tyrannũ audire,nõ eſt obtemperare inDomino,ut Apoſtolus ſervis pcipit,ſuis dominis, in Dño Chriſto obedire, ſed legem Dei & naturæ, juxta cujus normam omnis obedientia dirigenda, non agnoſcere. Hoc etiam modo imperare,non eſt imperare,ſed contra rationem imperandi lege præſciptam, *Deut.c. 17.16.17.18.* agere.Magiſtratus,lex animata, & Dei miniſter dicitur,*Rom.c.13.* Quando itaque ille non eſt lex animata, neq; miniſtrum Dei agit, tum ſe pro illo gerit,qualis non eſt,neque agnoſci debet. Nam tandiu princeps eſt miniſter 102 Dei,quandiu facit juſtitiã; quando facit injuſtitiã,non dicitur judex,ſed remanet privat⁹,ut dicit Marãt. *diſp.1.n.17.* De⁹

non omnem potestatem Cæsari dedit, sed dixit, Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. Resistentes tyrannidi regis ephori, Deo dant, & Reip. quæ illorum sunt, h.e. cultum divinum & politiam defendunt contra vim & injuriam. Regi verò denegant, quæ ipsi non sunt data, neque à Deo, neque à populo, & per consequens quoq; quæ ipsi minimè debentur. Rex verò talia faciens notoriè, officii & potestatis suæ terminos excedit, cui resistere licet, ut Dd. statuunt, Marant. *disput. 1. n. 16. 17. & seqq.* Farin. *q. 32. crim. n. 86. & seqq.* & cui impunè non parere concessum est. *l. ult. de jurisd. omn. judicum.* Nam judex, qui non facit justitiam, non solùm non dicitur judex, verùm etiam nec homo poterit appellari, sed inter animalia bruta numeratur, teste Aristotele, ut refert Marant. *d. loc.* De tali magistratu Paulus *in d. c. 13. ad Roman.* minimè loquitur, sed de pio, vel justa & recta imperante, qualem *in seqq. vers.* suis proprietatibus describit. Huic omnem animam obedientiam debere docet, contraria præcipienti, minimè. *Act. cap. 4. cap. 5.*
103 *Ecclesiast. cap. 8. 1.* ubi Jun. & diximus latè *cap. 9.* Sed Christus, ait Barclajus, Tiberio exigenti tributum, paruit, *Matth. cap. 17. & cap. 22.* Rectè, quia Tiberius summus erat illius magistratus, cui tributum debetur, *Rom. cap. 13.*
104 & cui id est solvendum, *Matth. cap. 22.* At impii & scelerati magistratus, nihilominus magistratus remansisse leguntur, ut Saul, David, Salomo, Achab, Roboam & plurimi alii. Et rectè atque meritò: Nam scelerata & impia vita, non adimit ipsis officium. Neque omnia delicta magistratum sua potestate & imperio privant, sed tantùm illa, quæ universalem consociationem tollunt, evertunt & dissolvunt suâ naturâ, ut est tyrannis nota, declarata atque insanabilis, de qua hoc *cap. 38.* Cætera delicta regis, privatos lædere possunt, sed non universalem consociationem extinguere. Potest itaque rex esse adulter, raptor, homicida, perfidus, superstitiosus, fur, ebriosus, vel similis: sed ideo non definit esse magistratus, qui tamen adhuc justè & piè imperare potest. Sic ethnici principes plures à Dei cognitione & cultu alieni, justè nihilominus suos gubernarunt, & optimè Remp. administrarunt. Vide *sup. n. 2. 3. 4. & infr. num. 90. 91. 107.* In reliquis, quæ sequuntur, à Barclajo
105 non dissentio, sed ipse à seipso dissensit. Valde probo & laudo, quæ de regum abdicatione & exitu asserit.

Nam si rex id committit, propter quod ipso jure rex esse desinit, & principatu se exuit, populus liber efficitur & superior, reverso ad eum jure, quod habuit ante regem electum. Ejusmodi casus juxta Barclaii sententiam tres sunt, quibus rex ipso facto se ex rege non regem & privatum facit. Primus est, si Remp. evertere conetur, uti Nero & Caligula fecerunt. Alter casus est, quando rex se in alicujus clientelam contulit, & regnum alienæ ditioni mancipavit. Tertius casus est in spontanea ejuratione. Primo casu describitur tyrannus; hic enim Remp. evertere conatur. quod multis modis fieri potest, directò, vel per indirectum, prout doceo in hoc c. 38. Sic ergo hîc Barclajus ignorans asserit id, quod in toto suo libro prolixè impugnat, nimirum tyrannum è solio regali meritò dejici posse. Hoc igitur facientes, malè monarchomachos vocat. In secundo casu, regi jus, regnum in alium transferendi, contra communem Dd. sententiam tribuit, ut docuimus c. 24. Facere hoc, est dilapidare & perdere id, quod bona fide sibi ab alio est commissum. quod tyrannidis est πεπμήριον, uti diximus hoc c. 38. De spontanea regni ejuratione & abdicatione nemo est qui dubitat.

Idem Barclajus lib. 4. de regno & regali potestate latè 106
contra nostram sententiam de tyrannide regis puniendâ & *Barcl.*
corrigendâ disputat. In c. 7. dict. lib. 4. exemplorum ex sa- *lib. 4.*
cris literis allatorum, vim & robur enervare conatur. Cædes *cap. 7.*
Amaziæ regis factáne illa sit à quibusdam Jerusalimitis, vel aliis, scriptura non dicit in *2. Reg. c. 14. 19. & 2. Chron, c. 26. 27.* Sed locum conjurationis exprimit, in quo, ut privatus vixit Amazias, uti ibidem notat Junius. Justè verò interfectus fuit, quia in *d. c. 26.* dicitur à Jehova defecisse, quales jubentur occidi à populo, *Deut. cap. 13.* & ostendit exemplum *2. Chron. c. 15. 13.* Sed & Libnenses à rege Judæ Jehoram rectè defecerunt, quia ille in viis regum Israëlis & Achabi tyranni ambulasse dicitur, *2. Reg. c. 8. 16. 17. & seqq.* Vel, quia ille Jehovam dereliquerat, ut dicitur *2. Chron. c. 21. 10.* Libna verò urbs sacerdotum fuit in Judææ territorio, *Josuæ cap. 21. 13.* Eandem quoque ob causam Edomæi à Juda defecerunt, *d. 2. Reg. c. 8. 16. & seqq.* Sic quoque quidam homines pii ex Israëlitis ad Judam defecerunt à rege Israëlis, ob ipsius apostasiam & cultum Dei corruptum atq; abolitum. *2. Chron. c. 19. 9.* qui Deo potiùs, quàm magistratui obedire voluerunt,

Actor.cap.4. Sic & Judæi ab impio Athaliæ imperio defecerunt, *2.Reg.cap.11.& 2.Chron.cap.23.* Necnon justè à rege Roboam tribus Levitica ob idololatriam illius defecit, *2.Chronic.cap.11.13.14.16.17.cap.15.9.* Similiter justè Ezechias rex Judæ ab Assyriæ rege defecit, qui nullo titulo justo oppresserat Judæos, *2.Reg.c.18.7.c.19.* Scribitur quoq; rex Judæ Joakim contra regem Babyloniæ rebellasse, *2.Reg.c.24. 2.3.4.* & Zidekia rex Judæ, *2.Reg.c.25.2.3.4.* idq; contra Dei voluntatem. Unde postea captivitas secuta. Israëliticæ quoq; tribus à domo Davidis, ob exactiones immodicas, defecerunt, & proprium regnum atque regem constituerunt; *2.Chron.cap.10.19.* Et Moabitæ ab Israëlitico regno defecerunt, *2.Reg.cap.1.1.c.3.5.* Servi Ammonis regis eundem factâ conspiratione occidentes, justè puniti fuerunt à populo, quia privatis non licet, quod ephoris, causâ cognitâ, *2.Reg.cap.21. 23.24. 2.Chron.c.33.24.25.* Quam ob causam etiam parricida Saulis justè punitus, *2.Samuel. cap.1.* quamvis, Deo permittente, id facinus perpetraverit.

107 *Barc. lib.4.c. 10.& lib. 6.*

Pergit idem Barclajus in c.10. quod ejusdem cum libro 6. sententiæ est. Probitas, ait, & justitia non conferunt dignitatem regalem, sed legitima electio & successio. Ergo nec vitia istis contraria, eandem ritè institutis auferre possunt. Sic & mali episcopi, mali conjuges, domini, parentes, non desinunt tales esse. Non enim, quod ab alio qualitate aliqua separatur, id ab eo in totum & simpliciter removeri dici potest. Supra *n.2.3.4. & 104.* diximus, non quævis delicta & vitia magistratus, officium illius tollere, sed solùm illa, quæ tendunt ad dissociationem universalis consociationis, atq; fundamenta Reip. convellunt, jura majestatis ecclesiasticæ & politicæ violantia, quæ delicta ex Repub. & civili hominum societate congregationem hominum sceleratorum faciunt. Simili ratione non quævis delicta matrimonium dissolvunt, ejusque vinculum rumpunt, sed tantũ ea delicta, quæ ipsam corporũ conjunctionem dissociant & separant, uti adulterium & malitiosa desertio, *1.Cor.c.6.& c.7.* Nam ob hos duos fines, nimirum prolis procreationem & scortationis evitationẽ, contrahitur matrimonium, *d.c.7.1.2.3.4.* quos tollit adulterium & desertio. Illud tollit procreationẽ legitimæ sobolis, eamq; incertam reddit, ut Siracid. ait, hæc desertio verò remedium

108 evitandæ & fugiendæ scortationis adimit. Sic abusus juriumque majestatis & administrationis Reip. ipsum scopum electi & constituti regis tollit, naturam contractus, cum eodem à populo initi, impugnat, imò ipsam consociationem & Remp. in congregationem pessimorum hominum mutat & transformat, & ad dissipationem, dissociationem & dissolutionem consociationis universalis honestæ tendit, atque regem privatum facit, nisi pastorem illum velimus dicere, qui non pascit, sed deglubit, & discerpit oves, uti lupus facit. Delicta ergo regis ea, quæ ipsius officium commutant in prædonem, lupum, latronem, dilapidatorem, homicidam, ipsumq́ue patriæ hostem efficiunt, ex solio illum regali deturbant; quamvis non ipso jure, seu causâ ab ephoris cognitâ, executioniq; ab iisdem, non à privatis, aliisve, quibus cura Reip. nõ est commissa, demandatâ, uti latiùs trado *sup.n.46.& seqq.* Melius itaq; Barclajus concluisset ita: Electio regem constituit. Ergo contraria ejusdem remotio & exauctoratio eundẽ jure suo regio privant. Nam si omnis principatus ad populi utilitatem est constitutus, populo verò nocentissimum, hanc Potestatem à se ex toto abdicasse; etsi omnis concessio facta, ad utilitatem concedentis suâ naturâ est revocabilis: §. *rectè quoq;. Inst. de mand.* sequitur, populum per ephoros suos, regem, in tyrannum degenerantem, rectè & justè sua administratione & officio privare. Vasq. *c.47. lib.1. illust. controv.*

Idem Barclajus præterea ad quędam ex scriptura sacra de- 109
prompta dicta respondet, quæ perperam allegata putat *c.11. Barcla. lib.4.* de rege & potestate regali. Ad cap.23. Genes. respondet, *lib.4.c.* Ephronem non fuisse regem Hethæorum, sed privatum ex *11.* populo. Concedimus hoc. Sed tamen hic privatus, invito populo, noluit peregrino Abrahamo jus aliquod concedere, quod superioritatem populi arguit. Nec Hemor rex Sichemitarum inconsulto populo voluit cum Israëlitis fedus inire; *Gen.c.34.* aut id ratum, invito vel ignorante populo, putabat. Hoc ipso populi superioritatem agnoscit. Nec hodie principes, reges, Cęsares, invitis vel contradicentib. ordinibus suis, fedus cum aliis validum contrahere possunt. Exemplum petitum ex *1.Sam.c.14.* rectè à Bruto allegatur, malè à Barclajo explicatur. Nam invito & reluctante Saule rege, Jonathanem à pœna mortis per populum liberatum fuisse, apertè dicit textus in *d.c.14.v.44.45.46.* Simili modo exemplum sumptum ex *Jer.c.26.* Barclajus contra verba & mentẽ

textus interpretatur, quòd loquatur de principum facto, qui judicium regis Joakim improbarint, non verò judicarint. Loquitur enim Jeremias *d.c.26.* de Jeremiæ liberatione ex manu regis, eum per Ahikamum interficere volentis, *vers.24.* Primò principes Jeremiam ad mortem condemnarunt, *d.c. 26.v.8.9.10.11.* Sed hanc sententiam mutarunt, & prophetam à pœna mortis, auditâ Jeremiæ defensione, absolverunt, *d.c.26.v.16.* Rex verò eundem Jeremiam morte afficere volebat, *v.21.* & similiter populus, *v.24.* à quorum sententia, per Ahikamum, principum sententiam approbantem, *ibid.* Jeremias liberatur, *v.24.* Principes verò in talibus casibus judicasse, patet ex *1.Sam.c.2.8.Exod.c.18.26.Esa.c.1.23.* & latiùs diximus in Polit. *c.8.in fin.n.72. & seqq.* Malè quoque impugnat exemplum, quod ex Jerem. *c.38.* desumptum est, quo Sedeciam regem putat, non ex liberæ & absolutæ potestatis defectu, sed cæco nimis in suos aulicos affectu, impulsum, votis principum injusta petentium, indulsisse. quæ interpretatio ipsis verbis textus, satis refutatur. Nam *Jer.d.c.38. v.5.* dicit, Ecce est in manu vestra. nam minimè is est rex, qui possit contra vos quicquam. *& v.16.25.26.* satis significatur, potestatem morte afficiendi apud principem fuisse. Simile exemplum extat *1.Sam.c.29.3.4.5.6.7. & seqq.* ubi satrapæ & principes Philistæorum, invitum Aciscum regem suum coëgerunt Davidem dimittere. & aliud *1.Reg.c.20.7.8.* ubi seniores populi & principes regi Achab interdicunt, ne in postulata Benadadi regis consentiat. David libenter suorum principum decretum sequitur, *1.Chron.cap.13.1.2. & seqq.* quibus sententia Bruti latiùs confirmatur. In *c.13.14.15.16. 17.18.* sententiâ suam Barclajus exemplis Roman. Germanorum, Polonorum, & Gallor. illustrare conatur. Sed malè. quâ de re disputet cum Francisco Hotomanno, Antimachiavello, Budæo, & Buchanano, Matharello, & aliis, qui contraria exempla allegant, ac aliter de hisce sentiunt & scribunt. Anarchiam non sequi ex Bruti sententia, ex supradictis constat, & ex iis, quæ in Politic. diximus.

110 Barcla. lib.4.c. 22.

Porrò in c.22. Barclajus subjungit decisionem quæstionis, An civitates singulæ contra magistratum insurgere possint. Quod negat. Nam civitates singulæ comparatione & respectu Reip. totius, loco privatorum habentur, *l.eum qui 16.de verb.signif.* Qua in re ego distinguendum censeo. Nam, aut illæ

illæ uni ex ephoris immediatè, & regi mediatè sunt subditæ: aut contrà immediatè regi subsunt, nullum alium superiorem recognoscentes. Priori casu, aut volunt se subducere ab imperio regis, & non possunt, sed auxilium sui immediati magistratus, contra vim & injuriam regis implorare possunt, vel sui immediati magistratus injuriam coram mediatè superiore accusare possunt; prout disserui *cap.8.in fin.* & Geil. *lib.1.obs.17.* Vasq. *illust.quæst.lib.1.cap.8.* vel in casu, non præstitæ defensionis petitæ, se alii potentiori submittere possunt. Wesenb. *cons.48.num.23.* Mynsing. *cent. 6.obs.2.* Gigas *de crim. læs. majest. lib.1. quæst.56.* Decian. *lib.7.cap.49.num.27. & sequentib. in crimin.* Vel contrà notoriè iniquè procedentem magistratum, se resistendo vel non parendo defendere possunt. Mynsing. *cent.5.obs.18.* Farinac. *quæst.23.num.86. & sequentibus.* Posteriori casu, quando civitas immediatè regi subest, nullum alium magistratum recognoscens, poterit se non solùm contra regis tyrannidem defendere, eamque propulsare, sed etiam se ab ejusdem imperio subducere, exemplo civitatis Libnensis, *2.Reg.cap.8.22.* prout latiùs edissero *in hoc c.38.§.speciales ephori.n.50. & seqq.* Ejusmodi rebellionis licitæ exempla plura ex sacris attuli. Denique idem Barclajus *in c.23.* ait, uxor ducitur prolis gigendæ causâ, non ut jurgiis & opprobriis lacessat maritum, licet hoc faciens, dimitti & repudiari non possit. Sic & rex semel constitutus, ob vitia & tyrannidem suam dimitti non potest. Nulla similitudo probat. Nec solùm prolis suscipiendæ causâ, sed etiam ad evitandam scortationem uxor ducitur. Uterque finis quando deest, matrimonium ipso jure nullum est. *de qua re supra.num.90.91.* 111 Barcl. lib.4. cap.23.

Hactenus de Barclajanis argumentis: sed Beccaria Jesuita ulteriùs progreditur, & ordines seu optimates regni nullos agnoscit. Quam sententiam *suprà cap.18.num.92. & sequentibus.* rationibus & exemplis sacris atque profanis, satis, ut puto, refutavimus. Contra principia hæc negantem, frustra disputatur. De vindicta prohibita quæ adfert ex *Matth.c.5. Deut.c.32.* huc non pertinent. Quod enim ephoti faciunt, ut legitimi magistratus ad hoc constituti, & qui in eum usum gladium acceperunt, faciunt, nimirum pro defensione patriæ, religionis & libertatis & ad sceleratos puniendos, jure vocationis suæ, ut magistratus. Nec enim 112 113

privati sunt ephori. Populus & rex eodem tempore extiterunt, dicit. Ergo populus rege non est prior. Nam magistratus
114 & subditus cùm sint relata, eodem tempore sint, necesse est; ita ut alterum ante alterum vi relationis esse nequaquā possit: sicuti pater & filius simul eodem tempore extiterunt, sed tamē à populo rex constitutus, à patre filius genitus, nō contrà; causa regis est populus, causa filii est pater. Rex & filius illorum effectus. Causa verò suo effectu naturâ est prior. Quoad officium, rex est dignior & potentior, non quoad personā privatam, quatenus est homo. Negari igitur non potest, ante regē populum extitisse, & ante filium parentem. At populus non agnoscens regem, seu aliquem superiorem, regis subditus dici non potuit, quam tamen qualitatem postea eo ipso tempore, quo regem suum magistratum constituit, adsumpsit. Negare verò, regna & societatem hanc universalem publicam ortum suum à primis initiis suis à familia, collegis, pagis, oppidis & civitatibus ac provinciis habuisse, est cum ratione insanire, & omnem historiis fidem abrogare, & contradicere omnibus iis quæ sup. latè docuimus in cap. 1. 2. 3. & 4.

115 Est insuper in his magna diversitas. Populus enim est immortalis, pluresque personas continet. Rex mortalis & individuum unum. Officium regis est excellentius. Officium subditorum minus excellens. Et dignitas hæc non est quiddam naturale, verùm accidentale temporale.

116 Sed videamus reliqua, quæ hic Jesuita adducit: Salomo ex familia Davidis à Deo & à Davide patre, cum populi approbatione rex fuit electus, *1. Reg. c. 2. 1. Chron. c. 28. 5. 6. 7. cap. 29. 1. 2. Chron. c. 1. 9.* Ergo à Deo, Davide & populo Salomo est electus. Non sequitur: A Deo electus est. Ergo nō à populo: imò populus Dei mandato ex posteris familiæ Davidis eligebat reges, *Deut. c. 17.* & ideo quòd à Deo & patre Salomo fuit electus, etiā à populo, *1. Chron. c. 29. 22. 23. 24.* Quasi invito & reluctante Deo factum, quod populus egit? Diversum Dei & populi finem esse posse concedo. Idem tamen effectum à diversis utriusque actionibus esse in rege eligendo contendo, de qua re fusius *sup. c. 19. n. 60. & seqq.* Audiamus sequens argumentum: Joram, Ozia, Ezechia, Manasses, Amon, Joachim, Asar, reges, non leguntur à populo constituti. Ergo, inquit, ab eodem etiam non sunt electi. Non ne-
117 cessaria est hęc collectio. In dubio potiùs præsumptio est, præscriptum Dei fuisse observatum, quod extat *Deut. cap. 17.* & consuetudinem atq; morem observatum repetitum in regū initiatione. Notum etiam est, non semper gesti negotii omnes circumstantias in scripturis enarrari. Aliquando, quæ uno in loco omittuntur, in alio plenius explicantur; Aliquādo etiam nullo in loco leguntur quædam facta, vel omissa esse. Quis hîc in alterutram partem aliquid affirmabit vel negabit? Mea sententia hîc est, quod scriptura non dicit, nos etiam affirmare, vel negare non debere. Erubescimus enim sine scriptura loqui. Sed nec scriptura subticet idipsum in electione, *2. Sam. cap. 16. 18.* Sequar regem, quem Deus, populus, & universi elegerint. Saul à Deo & populo electus fuit, *1. Samuel. cap. 12. vers. 1. 2. 3. & cap. 10. 15. 17. 22.* Nec non David, *2. Sam. c. 5. 3. 1. Reg. c. 2. 15.* Salomo, *2. Sam. c. 7. 13. 2. Chron. c. 20. 5.* juncto *1. Reg. c. 1. 32. 1. Chron. c. 28. 1.* Idem observatum in electione regis Azariæ, *2. Reg. cap. 24. cap. 12. cap. 15.* Amonis, *2. Reg. cap. 21.* Manassis, *2. Reg. cap. 22.* & plurimorum aliorum, de quibus latiùs sup. *c. 19. n. 69. & seqq. & num. 60. & seqq.* diximus. Malè verò causa faustæ acclamationis & electionis regiæ sancta & justa gubernatio antecessoris dicitur. Nam & impiorum regum filii electi leguntur. Et quod Judæi ex Dei mandato fecerunt, *Deut.* 118
c. 17. ibi, Constitues tibi regem &c. hoc non faustæ acclamationis ergò ipsos fecisse dicendum est. Urget exemplum Davidis, qui ob justitiam commendatur, quòd manus suas non intulerit Sauli, *1. Sam. c. 24. & c. 26. 2. Sam. c. 1.* scilicet non licuit hoc Davidi, cùm non esset neque ex generalibus neque specialibus Reipubl. Israëliticæ ephoris, qui ad hoc ipsum gladio armati erant, ut Rempub. contra tyrannidem regis defenderent, uti supra diximus *num. 65.* Sed quid ages 119
cum hoc homine, qui ordines nullos in Republica agnoscit contra omnem historiarum fidem & rationes & exempla, quæ supra à nobis sunt adducta. Mirum igitur non est, hominem hunc ita labi. Contra tyrannidem Saulis, Salomonis, Joram, Manassis, ordines nihil egerunt, dicit. Ergo nulli fuerunt. Non sequitur. quasi quis regem non esse affirmaret ideo, quia officium non facit. Quis tam ineptus est, qui velit dicere, quia tyrannidi horum regum primates populi non obstiterunt, ideo eos hoc etiam non potuisse, quod mortuo Salomone tyrannidem in vita exercente, postea

contra Rehabeam filium, patris tyrannidem imitantem, jure fecerunt, *1. Reg. c. 12.* Et quis dicet, non fuisse generales & speciales Reip. ephoros, quorum tam multis in locis scriptura sacra mentionem facit, ut patet ex illis, quæ latè supra adduximus, *c. 18.* Posteà hîc Beccaria ridet supremitatem, δύναμιν
120 & autoritatem imperii, quæ penes imperii optimates, membra, seu ephoros residet. Rideat hoc modo jus proprietatis ab usufructu distinctum; rideat, alium dici dominum rei, alium verò administratorem ex præscripto domini agentem. Dominus regni & imperii est populus in corpus regni consociatus. Administrator, curator & procurator regni est rex à
121 populo electus & constitutus. Populus est immortalis ob successionem perpetuam, qua in mortuorum locum alii succedunt. Rex est singularis persona & mortalis. Habet hic magnam potentiam, autoritatem & majestatem, sed non propriam, verùm sibi à populo adcommodatam & concessam; quæ omnia si populus repetierit ab eo, fit ille, qui rex erat privatus, & par reliquis hominibus. Longas habet manus, celerrimos pedes, oculos innumeros, & aures plurimas & divitias ingentes & immensas, sed hæc omnia à subditis & in ipsis. Horum manibus, pedibus, oculis, auribus & loculis seu facultatibus, unus ille ex consensu dominorum adcommodantium ei suas manus, aures, oculos, pecunias, utitur, fruitur, non ut privatis suis voluptatibus impendat, vel in dominorum à quibus accepit perniciem, sed in Remp. hoc est, communem universorum & singulorum utilitatem convertat, secundùm dominorum voluntatem & præscriptum.
122 Est igitur princeps nihil aliud, quàm dispensator, curator, administrator & procurator alienorum negotiorum & bonorum, quâ potestate si abutitur, à domino rationem administrationis exigente, privari potest, uti prolixè supra hoc c. & rationibus & exemplis probavi. Quæ cùm ita sint, non habuit causam Beccaria, quòd mortuo anonymo, autori libelli illius pii & eruditi, qui inscribitur de jure magistratuum in subditos, insultârit, tam scurriliter, confidenter & imperitè.
123 Sed & Keckermannus Theologus & Philosophus, optimates & ephoros, seu status in primo & perfectiori principatu nō agnoscit, sed tantùm in imperfectiori admittit. At meo judicio malè, ob rationes prędictas & exempla politiarū optimarum, inprimis Judaicæ à Deo constitutæ. Non enim nobis hîc fingenda est Resp. & politia Platonica, seu qualem Thomas Morus in Utopia fingit, sed talis, qualis in hoc humanarum rerum Oceano, & naturæ nostræ infirmitate haberi potest. Deinde quis permitteret, ut in tali perfectiori statu plenissima imperandi potestas, quam absolutam vocant, regi concedatur? quod tyrannicum esse diximus ex Covarr. *lib. 3. var. resol. c. 6. num. 8.* Pinell. *part. 1. c. 2. n. 25. 26. in rub. C. de rescind. vend.* Pruckman. *d. c. 3.* Sequeretur, nullam potestatem corpori politico consociato relictam, sed ademptam illi potestatem ea faciendi & procurandi, quæ ephoris tribuimus suprà *c. 18. & hoc capite.* Aut certè, si nihilominus hanc relictam asseramus, necesse est, ut exercitium & agendi facultatem etiã concedamus. Quorsum enim jus alicui damus, cui usus illius denegaretur. Sanè qui legem superiorē rege esse volunt, & regem legi subjiciunt, seu ut planiùs dicam, qui justitiam & Deum ipsum summum dominum statuunt, necesse quoq; est, ut corpori huic consociato concedant hæc, quæ ephoris tribuimus, *d. c. 18. & hoc cap.* Est ergo doctrina eorum, quæ traduntur de ephoris *in c. 18.* generalis, pertinens tam ad regiam, quàm polyarchicam potestatē, & ad quemvis omnino summum magistratum, secus quàm Keckermannus existimavit, uti cuivis conferenti hæc, & ad regem, seu perfectiorem statum, quem vocat, adcommodanti, apparebit.

Tandem hîc etiam Bodini sententia examinanda est. Ille 124
lib. 2. c. 5. de Rep. distinguendum in hac quæstione esse existimat. Nam principem tyrannum tam à peregrino, quàm cive jure interfici posse existimat. Nec enim hic princeps jura majestatis, quæ penes populum residet, habet. At regem monarcham, qui per se jura majestatis habet, neq; cives singuli, neque universi interficere possunt. Ab eo enim pendent omniū omnia imperia, & in eo præsente omnis alia potestas conquiescit. Ita Bod. *d. loc.* Tholos. *lib. 26. cap. 5. n. 24. de Rep.* & cum iis plurimi alii politici. Ego utrumque distinctionis hujus membrum probare minimè possum. Nec enim principem tyrannum civis quilibet interficere potest, sed soli ephori, primates & status imperii, seu principatus, quem princeps vel dux administrat, idque causâ cognitâ, & eo quem diximus modo. Quòd si etiam ille princeps tyrannus, est regni alicujus membrum, & superiorem agnoscit, tum coram

eodem accusandus est, & ob abusum suæ jurisdictionis, eadem à superiori magistratu, à quo suam potestatem accepit, est privandus, ut communem dicit Geil. *lib.1.obs.17.* & Fernan. Vasq. *lib.1.cap.8.illust.contr.* ut dixi suprà *cap.8.* vel etiam in comitiis, seu conciliis œcumenicis regni, hæc decidi possunt, ut *c.33.* dictum est.

125 Alterum distinctionis membrum falsum esse assero. Nam etiamsi populus in monarcham, seu regem talem, omne suum jus, summum imperium, absolutam, seu legibus omnibus solutam potestatem transtulit, *l.1. de constit. princip. l. princeps de legib.* non tamen verba illa generalia illum sensum habere possunt, quòd illis peccandi licentia & jurisdictio sit data, aut ideo absolutam habeat imperandi & administrandi potestatem. Covarr. *d. libr.3. variar. resolut. cap.6. num.8.* Pinell. *in rubr. part.1.num.25. C. de rescind. vend. c.2.* Tessaur. *decis.91.* suprà *cap.19.num.9.10. & n.35.36. c.21.n.16. & seqq. cap.24.n.48.* & quòd omnis ephororum Reipublicæ potestas sit sublata, & majestatis jus populo prorsus ademptum, vel quòd hisce ea, quæ naturæ & essentiæ imperii & potestatis sunt contraria, in regē translata esse existimentur. Ephororum & optimatum Reip. potestatem diversam & aliam esse à regis potestate & imperio, satis liquet ex illis, quæ in c.18. de ephoris diximus. Constat quoque, hanc à populo priùs constitui, quàm regis ab hisce electi potestas constituitur. Quam igitur potestatem populus antea optimatibus dedit, eam nec voluit, nec potuit postea illa generali & absolutâ potestate regi conferre. Quòd si verò regnum inveniatur, quod tales ephoros sibi non constituit, sed tantùm regem cum summâ & absolutâ potestate habet, tum regnum ipsummet, ephororum potestate tributim, curiatim vel centuriatim utetur, ut *cap.18. num.123. & seqq.* disseruimus. Nam corpus Reipublicæ hoc jus ephororum semper retinet, etiam rege cum summâ potestate electo. Siquidem hoc jus spectat proprietatem imperii, & legem seu justitiam, superiorem pro rege constituit, eumq; subjicit legi, ne tyrannis & pessimorum hominum congregatio potiùs, quàm honesta politia dicatur. Et quomodo populus tyranno, ad quævis scelera perpetranda suam autoritatem & potestatem, quam ab initio tempore initiationis suæ tyrannus accepit, & sine qua

qua privatus reputatur, ampliùs adcommodare bonâ conscientiâ potest, & tyrannum pluris, quàm Deum ipsum facere, sicuti latiùs disseruimus suprà *cap.19.num.35. & seqq.* Diximus quoque suprà *cap.18.num.40. & seqq. & cap.24.* 126 *num.37. & seqq.* proprietatem & usumfructum summi imperii & majestatis apud populum, ut dominum, sine quo tanquam proprio subjecto imperium illud consistere non potest, remansisse, & solam illius administrationem & procurationem generalem regi à populo esse demandatam. Quis verò dicet, talem generalem procuratorem & administratorem, etiam cum liberâ potestate constitutum, habere potestatem re alienâ, cujus proprietas penes proprietarium remansit, contra ipsum dominum abutendi, vel eam alienandi, vel sibi eam ex titulo proprietatis vindicandi? qua de re suprà *cap.24.* Quis item dicet, populum tale jus majes- 127 tatis in alium à se transferre potuisse? Stat enim illa communis JCtorum sententia, jus majestatis nec cedi, nec distrahi, nec ullâ ratione alienari posse à suo domino. Jason. *in proœm. feudorum.* Bodin. *lib.1.cap.10. de Republ. per alleg. ibid.* Rosenthal *lib.1. cap.5. concluss.10. & 11.* Covarruv. *cap.4.n.1. practicar. quæst.* Heig. *lib.1. quæst.4.n.25. & seqq.* & suprà *d. c.24.c.27.n.2. & seqq.*

Est enim individuum & incommunicabile, neque temporis diuturnitate præscribi potest ullo modo. Nam jus hoc majestatis à membris universis & singulis regni constitutum est, ab illis incepit, & sine illis consistere & conservari non potest. Nequaquam verò cum rege nascitur, qui etiam plenissimam potestatem habens, non potest membris regni sibi iniquè agenti potestatem & voluntatem resistendi adimere. Unde jus hoc dicitur anima & spiritus vitalis regni & Reip. quem alii citra interitum suiipsius communicare nequaquam potest, suprà *c.11.n.16.17. & seqq.* Natura ergo 128 hujus administrationis regi demandatæ, est, ut imperium suum submittat legi & justitiæ, *l.4. digna vox. C. de legib. l.2. Digest. de legib.* & vide suprà *c.18.n.29.30. & seqq.* & ut populum, seu regni corpus, à quo ipse rex quandoq; etiam in lumbis majorum suorum, omne jus suum quod habet, accepit, ut diximus suprà *capite 19.* dominum suum agnoscat, omnesque suæ administrationis partes ad

domini demandantis utilitatem, commodum & salutem referat, & ut finitâ morte administrantis gubernatione, vel ob abusum & fines mandati non servatos, ad dominũ, seu regni
129 corpus, quod est immortale, redeat. Naturæ hujus administrationis repugnat abusus demandatæ jurisdictionis in domini mandantis perniciem, & quando administrans pro domino in re mandata se gerit, & absolutum plenumque jus in re mandata sibi usurpat. Covarr. *sæpe citato c.6.n.8.lib.3.var. resol.* Tessaur. *decis.91.* Pruckman. *c.3.§.soluta potestas.* Vasq. *lib.1.c.26.* Pinell. *d.loc.cum allegatis ab eod.* Hæc enim contractui mandati & bonæ fidei prorsus sunt contraria. Etiamsi igitur concessio etiam generalissimis verbis facta, & absolutissima atq; plenissima attributa potestas regi, tamen generalia illa verba restringenda erunt, ne illa naturam contractus, & bonam fidem tollant vel mutent, aut contrahentium intentioni ac voluntati repugnent, quę fuit, politiam honestam secundùm rectam rationem legesque justas constituere, eiq; gubernatorem & moderatorem præponere, non tyrannum, qui ex politia latrocinium, deprædationem, pessimorumque hominum congregationem & conspirationem faceret. Unde JCti dicunt, in generali concessione, vel mandato minimè contineri ea, quæ in specie, vel verosimiliter quis non fuisset concessurus. Quis enim tam ineptus, qui procuratorem in negotiis & rebus suis ad dissipandum, dilapidandum & abutendum constituere velit, aut qui nullis æquitatis, pietatis & justitiæ legibus procuratorem in sua administratione adstrictum esse velit. Quis talem conventionem non turpem, & juri naturali ac honestati contrariam, & proinde nullam & impossibilem diceret? *l.filius 15. de condit. instit. l.nepos Proculo 125.de verb.sign.l.188.ubi.de reg.jur.l.185.d.tit.* Qua de re doctè asserit Fernand. Vasq. *lib.1.cap.43.num.2.3.4.5.c.2.c.3. cap.15.c.26.illustr.controv.* Pruckman. *d.c.3.* & dixi latiùs supra *cap.18.19. & c.24.* Quando etiam à tali tyranno non præstatur id, quod dedit causam contractui, seu ob quod ille electus est à populo, nimirum pia, justa & salutaris administratio, quis ampliùs obligatum populum dicet? Etiamsi igitur generaliter talis absoluta potestas intelligenda esset, nihilominus tamen hæc generalitas non ad impia, turpia, iniqua, abusum jurisdictionis & tyrannidis exercitium, aut ad contraria bonæ fidei extendi posset, sed tantùm ad salutaria

taria & omnia utilia & licita. argum. *l.125.nepos.de verb.sign. & l.filius.15.de condit.instit.& l.188.§.1.de reg.jur.* non ad ea, quæ tyrannidem sapiunt.

Ex quibus apparet, vanam esse illam Bodini & aliorum 130
distinctionem inter principem & regem tyrannum. Hinc quoque constat, naturam imperii & potestatis summæ & absolutæ non esse, ut quidvis pro libitu princeps seu rex facere possit, sicuti nec libertas dicitur licentia quidvis faciendi, sed tantùm ea, quæ jure non prohibentur, ut dicit JCtus *in l.4. libertas.de stat.hom.* Quam ob causam non ideo quis minùs liber dicitur, quòd non liceat ipsi peccare, fidem fallere, delinquere & turpiter agere. *d.l.filius.15.de condit.instit.l.nepos Proculo.125.de verb.signif.* Tessaur. *decis.91.* Nam ideo legum servi sumus, ut liberi esse possimus, ut Cicero dicit. Nec igitur minùs potens, vel summam potestatem habere dicitur, quòd non possit turpiter agere, & pacta atq; juramenta frangere, & jus naturale violare. Hæc enim pugnant cum naturâ imperii, quæ est, ut legibus, pietati & justitiæ se submittat, *l.4.digna vox.C.de legibus.* & legem dominam agnoscat, *l.2. de legib.* vide suprà *c.18.num.32. & seqq. cap.39. num.8.* nequaquam verò eam augent, atque impotentiæ potiùs, quàm potentiæ argumenta dicuntur, quibus ostendit princeps, se suis affectibus nondum dominari posse, sed tanquam mancipium iis servire, ut dicit Cic. *in parad.* Sic sæpè aliquid liberum est & manet, licet liberum sit sub certâ lege. Sic matrimonium sub certâ lege liberum est, sic donatio, sic alienatio, sic libertas contrahendi, alienandi, in jure libera dicuntur, quæ singula tamen certis legibus libera sunt, & in certis casibus & personis prohibentur. Vide Gœdd. *& in l. nepos 125.num.4.de verb.sign.* Hering. *de fideiuss.c.7.n.224. & seqq.* Bodin. *lib.6. cap.1. de Republ.* Ut igitur Deus non ideo minùs omnipotens dici potest, quia mentiri & peccare non potest, ut dicit Apostolus, sic & rex non ideo minùs potens dicitur, quòd cælum digito attingere, & Oceanum exhaurire, atq; montes transferre non possit, neque alia, quæ ipsius naturæ sunt contraria, agere queat. Concludo igitur cum Did. Covarr. *lib.2.variar.resolut.cap.6.num.7.* & Vasq. *lib.1.illust.controv.cap.26.num.23.* Pruckman. *d.c.3.* nullam absolutam potestatem reperiri, & si quis eâ utatur, tyranni

magis, quàm principalem potestatem dici. Cravett. *de antiq.temp.part.1. §.non omitto.num.4.* Pruckman. *d.cap.3. num.3.4.* Atque hæc sunt, quæ duxi respondenda esse impugnantibus ephororum potestatem. Supereſt, ut paucis de indiciis tyranni subjungam. Nam hæc omnia τεκμήρια, ex quibus tyrannum, vel tyrannidem in genere cognosci posse diximus, putat Arnisæus *cap.7.& 9.polit.* ad essentiam tyranni non pertinere, quippe quæ tantùm in cura privati commodi, & subversione publici consistat. Sed malè. Nam si certum est, ex singulis, quæ diximus, tyranni requisitis subverti & dissolvi publicam universalem consociationem, adeò, ut singula hæc tendant ad dissociationem & dissolutionem societatis illius, quæ Rempublicam seu politiam constituit, planè argumenta & indicia tyrannidis esse, negari non possunt. Officium veri & legitimi magistratus est, curare salutem & bonum regni publicum, atque Rempubliçam administrare secundùm leges honestas & justas, omnia facere, quæ pertinent ad αὐτάρκειαν, εὐνομίαν & βοήθειαν societatis civilis, ad promovenda ipsius commoda, & avertenda illius incommoda, legi & justitiæ se subjicere, ejusque dominium & imperium, tam in se, quàm subditos suos, admittere. Tyrannus igitur erit, qui facit contrarium, utpote qui id conatur, ut populo nocendi & resistendi sibi ita agenti voluntatem & potestatem adimat, ut impunè sibi grassari liceat, & pro libitu quidvis agere contra leges regni fundamentales; quique in perniciem Reipublicæ juribus majestatis abutitur, atque absolutam potestatem, seu plenitudinem potestatis in administratione sua usurpat & exercet, & legi seu justitiæ imperare conatur. Talis politiæ administratio indicat facinorosorum hominum potiùs congregationem, quàm corpus legitimæ politiæ. Unde si hæc facta tyrannus continuaverit, necesse est, ut tandem ruina imperii & interitus societatis illius universalis sequatur. Sic igitur illis societatem universalem
131 status regni atque leges politiæ, quibus illa est contracta
132 & constituta, subvertit. Nam hæc facta tyranni, contraria sunt causæ finali, ob quam politia & socialis vita hæc est constituta, atque formam societatis legitimæ contracta tollunt.

tollunt. Nulla siquidem societas maleficiorum perpetrandorum valet.

Sed particulatim videamus, quomodo facta, quæ hîc ad- 132
scripsimus tyranno, potestatem & voluntatem resistendi statibus regni adimant, atque eo ipso dissolvant societatem hanc politicam.

Quando igitur membra regni alienat & in alium trans- 133
fert, atque in propria viscera sævit, vires & potentiam regni minuit, contra juramentum à se præstitum hanc societatatem politicam lædit. Similiter, quando publicum Dei cultum sincerum, ob cujus defensionem contracta est hæc vita socialis, mutat in idololatriam, quando juribus majestatis, quorum administratio ipsi in commodum & salutem regnicolarum data est, abutitur in perniciem & eversionem regni: quando jus suum populo aufert: quando schismata, factiones, dissidia & bella civilia, quibus dissolvitur omnis societas & concordia, inter subditos fovet & alit. Hoc enim modo unitatem & concordiam populi, quæ vinculum societatis est, tollit, dividit & dissolvit. Fit hoc similiter, quando rex illos qui leges regni cultumque Dei & scholas in regno tuentur, tollit, & per horum obitum, vel exilium veræ pietatis exercitium adimit & pietatem regno expellit: quando omnia obstacula quibus impeditur, ne Rempub. 134
evertat, & grassandi licentiam sibi usurpet, removet. Per ejusmodi facta directò quidem politia non dissolvitur, sed quin ex hisce tandem ruina imperii & politiæ sit secutura, dubium non est. Sic qui navem, cui Respub. comparari solet, in qua navigat, perforat, vel velum, malum, clavum, aut aliud necessarium instrumentum, sine quo navis usus esse non potest, tollit, vel in mare projicit, statim quidem navem non evertit, sed quòd tandem tamē submersio, aquis paulatim irrumpentibus, vel tempestate ingruente, certò secutura sit, omnes intelligunt & vident. Sic & gubernator navis ebrius, vel non sanus mente, aut imperitus, quin tandem tempestate suborta, omnes suos vectores & seipsum perdat, dubium non est. Hosce gubernatores, vel navarchos, si quis ex vectoribus impediat, quis illi hoc vitio vertet? Facit enim pro sua & sociorum, qui eadem navi vehuntur, salute. Quòd si igitur tyranni ejusmodi facta sint,

quæ ſecum perniciem & interitum, ſeu diſſolutionem ſocietatis trahunt, quis talia non tyrannica dicet, ſive directò, ſive indirectò, per conſequentiam ad everſionem Reipubl. tendant. Planè in jure dicitur æquè homicida, qui cauſam mortis præbuit, ac qui telo occidit. Conſultius quoque & tutius exiſtimatur, prævenire & evitare pericula, quàm illa in ipſo actu velle propulſare: prævenire melius ſanè eſt, quàm præveniri, & poſtquam res deſiit eſſe integra & ſanabilis, remedium adhibere. Hoc in caſu, qui propulſare poteſt injuriam & vim, nec facit, æquè reus ac ſi intuliſſet, exiſtimatur; uti latiùs *ſupra in cap. 18. num. 48. & ſeqq. & hoc eodem cap. num. 30. & ſeqq.*

CAPUT XXXIX.

De ſpeciebus ſummi magiſtratus.

1 *Species magiſtratus ſummi.*
2 *Mixta gubernatio an ſit.*
3 *An Bodini diſtinctio de ratione gubernandi & ſpecie Reip. vera ſit.*
4 *Monarchicus magiſtratus quid.*
5 *Variæ regum appellationes.*
6 *Natura monarchiæ quænam.*
7 *Conſiliarii & ephori in monarchia neceſſarii.*
8 *An abſolutam poteſtatem habeat monarcha.*
9 *An limitata & circumſcripta poteſtas deſinat eſſe monarchica.*
10 *Status ariſtocratiam, concilia democratiam, & caput monarchiam repræſentant.*
11 *Democratia à prædominante parte dicitur.*
12 *Monarchia & Ariſtocratia à prædominante parte.*
13 *Quid democraticum in monarchia.*
14 *Quid monarchicum vel ariſtocraticum in democratia.*
15 *Qualibet ſpecies Reip. mixta.*
16 *Temperatura & mixtio illa optima.*
17 *Remiſſis gradibus temperantur ſpecies adminiſtrationis.*

18 Jura

18 *Jura majeſtatis individua & connexa.*
19 *Duæ ſummæ poteſtates eſſe non poſſunt.*
20 *Poteſtas in rege, autoritas in ſenatu.*
21 *Quando ſtatus monarchicus vel democraticus & ariſtocraticus dici poſſit.*
22 *Jus majeſtatis ex precario concedi poteſt.*
23 *Nulla ſpecies magiſtratus à mixtione immunis.*
24 *In monarchia perpetui magiſtratus.*
25 *Majores poteſtates non convenit eſſe perpetuas.*
26 *Propugnacula monarchiæ firmamenta ſunt.*
27 *Leges in monarchia utiles, quæ eandem contra reliquas ſpecies muniunt.*
28 *Utilis in ea lex, quâ princeps ad juſtitiam, & populus ad obſequium informatur.*
29 *Monarchia quando in Republ. Romana & Judaica.*
30 *Monarchia reliquis omnibus ſpeciebus eſt præferenda.*
31 *Statui monarchico quæ inimica.*
32 *Quid magiſtratus polyarchicus.*
33 *Natura hujus quænam.*
34 *Plures conjunctim hic imperium exercent.*
35 *Polyarchici unum in imperando repræſentant.*
36 *Jura majeſtatis ſeparari non poſſunt.*
37 *Jus collegas convocandi quis habeat.*
38 *Subditi quid præſtent uni ex polyarchicis.*
39 *Exercitium jurisdictionis quomodo pluribus attribuatur.*
40 *In periculis polyarchia per unum adminiſtranda.*
41 *Quomodo Reip. adminiſtratio eſt monarchica, ſtatus verò ejus polyarchicus.*
42 *Quæ leges utiles in polyarchia.*
43 *In polyarchia conſilium plurium prævalet.*
44 *Ut in hac conſilia ſint ſecreta.*
45 *Species polyarchiæ.*
46 *Ariſtocraticus magiſtratus quis.*
47 *Natura Ariſtocratiæ.*
48 *Electione Ariſtocraticus magiſtratus quomodo conſtituatur.*
49 *Sorte quomodo conſtitui poſſit.*
50 *Populo indiſtinctè electionem dare, periculoſum.*
51 *Conſuetudo eligendi quorundam populorum.*

52 *Ex optimatibus duo, vel plures, vel omnes pro administratoribus eligi possunt.*
53 *Divisio jurium majestatis facit duo regna.*
54 *Adsumptio & electio collegæ, facit Aristocratiam.*
55 *Quæ leges in hoc statu utiles.*
56 *Aristocratia in politia Judaica & Romana.*
57 *Democraticus magistratus quid.*
58 *In hoc statu quinam ephori sint.*
59 *Quomodo democratica administratio rectè instituenda.*
60 *Opinio rejicientium hunc statum.*
61 *Natura democratiæ quænam.*
62 *Quæ leges in hoc statu necessariæ.*
63 *Ex quovis ordine magistratus creari, populare est.*
64 *Ex quibus præterea indiciis magistratus democraticus probetur.*
65 *In hoc statu consultum est dispari numero esse senatores.*
66 *Ditiorum & potentiorum continuata autoritas exitiosa huic statui.*
67 *Qui viri exitiosi in hoc statu.*
68 *Electio hujus magistratus quomodo fiat.*
69 *Ut in hoc sint magistratus temporales, utile est.*
70 *In hoc ostraciſmus & petaliſmus quandoq; utiles.*
71 *Democratici magistratus cautela.*
72 *Dictator tempore periculoso in hoc statu utilis & necessarius.*
73 *Propugnacula huic statui noxia.*
74 *Quæ leges in hoc statu utiles & necessariæ.*
75 *Nimia indulgentia & licentia huic noxia.*
76 *Delicta magistratuum in officio graviora, quàm aliorum.*
77 *Democratia in populo Dei quando.*
78 *Mutationibus democratia obnoxia.*
79 *Petulantia magistratuum & adulatorum, hinc seditio, licentia, confusio, valde noxia.*
80 *Uni ex democraticis nimia potestas concessa & populi licentia, huic obest.*
81 *Populi licentia & audacia periculosa.*
82 *Populi inconstantia & levitas, huic obest.*

83 *De*

83 *De causis Remp. destruentibus & evertentibus, hîc non est agendum.*
84 *De provinciis & urbibus in hoc capite tractare, pugnat cum lege methodi.*
85 *De statu politico particulari, doctrina non necessaria.*
86 *Institutio, actio, amplificatio & conservatio, mala Reipub. species constituuntur.*

ATque hactenus de constitutione summi magistratus, ejusdem administratione & officio. Sequitur nunc de speciebus ejusdem.

Magistratus ergo summus, alius est monarchicus, alius polyarchicus. 1

Vide Bodin. *lib. 2. c. 1. de Repub.* Cornelius Tacitus ait' *lib. annal.* Cunctas nationes & urbes, populus, aut primores aut singuli regunt. Delecta ex his & constituta Reipub. forma laudari faciliùs, quàm evenire: si evenit, haud diuturna esse potest. Cicer. *lib. 3. de Rep.* prout citatur ab Augustino *lib. 2. de civit. Dei c. 21.* Resp. res est populi, cùm bene ac justè geritur ab uno rege, sive à paucis optimatibus, sive ab universo populo. Aristot. *lib. 3. polit. c. 5.* Horum generum similitudo à familiis peti potest. Nam patris cum filiis societas, præ se regnum ferre videtur. Viri atque uxoris communio, Optimatum potestati respondet. In fratrum verò conjunctione 2
species Democratiæ, seu popularis status cernitur. Aristot. *lib. 8. ethic. c. 10.* Patric. *lib. 1. tit. 3.* de regno. Etsi verò mixtiones in his gubernationum atque administrationum generibus reperiantur, tamen novæ formæ inde non oriuntur, nomen ab eo quod prædominatur, dependet, Greg. *lib. 5. cap. 1.* Nec, quæ intentione, vel remissione trium harum nascuntur vitia & corruptelæ, tam genera rerum, quàm παρεκβάσεις, digressiones & aberrationes appellandæ videntur.

Observandum hîc esse monet Bodinus, Rempub. posse 3
esse monarchicam, vel polyarchicam, cùm tamen ratio gubernandi & administrandi, longè sit alia & diversa à tali

ſtatu Reip. Sic ſtatus Reip. Rom. exactis regibus erat popularis, quoniam jura majeſtatis omnia penes populum erant, ſed ratio gubernandi fuit ariſtocratica, à populari alieniſſima. Nam ſenatus decretis omnia fiebant, & ſenatus conſulta omnes obligabant, & ſenatus jura majeſtatis uſurpabat. Quale imperium ſenatorum demandatum erat. Gerebant enim vices, nimirum populi, & precariâ utebantur jurisdictione, non propriâ, ſed alienâ, ſcilicet populi. Poſtea plebis ſcita ſucceſſerunt, quæ populare m ſtatum expreſſiùs declarabant. Sed malè, meo judicio, ita Bodinus diſtinguit. Nam ex ſola adminiſtrandi poteſtate ſpecies magiſtratuum ſumuntur, atque ex hac cognoſcuntur, num illi ſint polyarchici, vel monarchici, *infra num. 84. 85.* Jura majeſtatis ſemper, in omnibus ſpeciebus magiſtratuum & in omnibus adminiſtrationibus, ſunt populi, ſicut diximus *c. 19. & c. 24. ſuprà.*

4 Monarchicus magiſtratus ſummus eſt, qui ſolus, ſine ſocio, eſt ſummus magiſtratus, in ſubditos omnes univerſos, & ſingulos imperium, cum adminiſtratione regni, tenens.

5 Variis nominibus & appellationibus hic à variis vocari & inſigniri ſolet. Nam à quibusdam vocatur rex, à regendo. Vide Petr. Greg. *lib. 6. c. 8. de Rep.* & libros Regum, quod nomen populo Romano exoſum & deteſtabile factum, ob abuſum imperii regii, *l. 2. de orig. jur.* Greg. *lib. 6. cap. 15. de Rep.* Quibusdam talis monarcha dicitur imperator, *in princ. & præcm. Digeſt. & Inſtit.* Greg. *lib. 6. c. 9.* Alex. ab Alexand. *genial. dier. lib. 1. c. 2.* ab imperando, ſeu imperio. Quibusdam vocatur princeps, quaſi primus & præcipuus ordine, authoritate & ſuffragio, præcipuas partes obtinens, *tit. de conſtit. princip. l. princeps. de legib.* Greg. *lib. 6. c. 4. & c. 5. Deut. c. 17. arg. 1. Sam. c. 9.* Quandoque etiam judex dicitur, à judicandi officio. Petr. Greg. *dict. lib. 6. c. 6. & lib. Judic. & 1. Sam. c. 7. 6. Act. c. 13. 20. 21. 1. Reg. c. 3. 9. Pſal. 71.* Quandoque dominus, Greg. *lib. 6. c. 13. de Repub. per allegat. ibidem.* Vide Sueton. *in Octav. c. 53. & in Tiber. c. 27.* Aliquando dux vocatur, ab exercitu ducendo, *1. Sam. c. 8. Deut. c. 1. 30.* Gregor. *lib. 6. c. 7. de Rep.* Fuerunt quoque, qui ſuos magiſtratus ex peculiari & proprio alicujus rei, vel principis inſignis nomine, vocabant, quod in poſteros, propter ſingularem aliquam præſtantiam,

tiam, aut memoriam continuabatur. Sic Ægyptii ſuos reges quandoque Ptolomæos, quandoque Pharaones vocabant: & Parthi ſuos Arſacidas: Latini ſuos Murranos: & Albani ſuos Sylvios: & Romani ſuos Cæſares. Philiſtæorum reges omnes in Bibliis vocantur Abimelech, hoc eſt, patres, *Gen. c. 20. & c. 26. 1. Sam. c. 21. 11.* Greg. *d. lib. 6. c. 14. c. 16. & ſeqq.* Prophetæ unumquemq; ex approbatis regibus, David vocabant; veteres inſignem regē Conſtantinum. Vide latiùs Greg. *lib. 6. c. 10.* Turcatum reges Otomani ab Otomano primo vocantur. Porrò de ſuperbis vanisque nominibus & titulis quorundam regum, vide latiùs Pet. Greg. *d. lib. 6. c. 11. c. 12. c. 13. c. 15. de Repub.* Læl. Zecch. *lib. 1. c. 2. de princ.*

Natura Monarchiæ eſt, ut nutu & poteſtate unius, Respub. adminiſtretur; quæ propriè eſt poteſtas ſuprema, non pendens ab alieno arbitrio, quâ unus in univerſos & ſingulos imperandi jus habet, à quo cæteri, qui ſub eo Rempub. per partes ſibi creditas moderantur, pendent, & tanquam illius officiarii ſunt, per quos monarcha ſua mandata exſequitur. 6

Sunt qui contendunt, Monarcham ſine conſiliariis, ephoris & optimatibus regni poſſe de rebus gravioribus ſtatuere, ut de bello, pace, aliisque negotiis arduis: Barclajus *lib. 1. pag. 43. lib. 3. c. 4.* Alii negant, atq; in talibus optimates conſulendos eſſe, exiſtimant, atque ſine eorundem conſenſu, de talibus negotiis nihil ſtatuendum, decernendum & promulgandum eſſe; quorum ſententia mihi placet ex illis, quæ dixi *ſup. c. de conſil. 27. num. 42. & c. 18. n. 67. de ephoris. & c. 32. in fine.* Vaſquius *lib. 1. c. 23. illuſt. controv. arg. l. 8. humanum. C. de legib. l. proximè, de his quæ in teſt. delent. l. placet 8. C. de ſacroſ. eccleſ. Auth habita. C. ne fil. pro pat. l. fin. C. de legat. lib. 10.* Pruckman. *in §. ſoluta poteſtas. c. 4. effect. 3. n. 7. per allegat. ibid. & ſup. c. 18. n. 64. & c. 33. n. 20.* Bodin. *lib. 2. cap. 1.* dicit, in regno Galliæ, regem pro arbitrio ſententias ſingulorum per Cancellarium exquirere, eumque ponderare, non numerare ſententias, & quam probat, eam tanquam propriam, ſub ſuo nomine pronunciare. Qua in re habet contradictores Hotomannum, Antimachiavellum & Junium Brutum.

7

Vide quæ diximus *cap.33. de comitiorum, seu conciliorum universalium autoritate. num.20.* & alios quos supra allegavi.

8 Sed dices, quomodo dicetur monarchia, quando monarchæ potestas non sit absoluta & libera, quæ nimirum intra certas præscriptas metas se continere teneatur, & contra leges ac concilii universalis regni & ephororum voluntatem nihil possit facere. Planè libertas dicitur naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibeatur, ut dicit Juriscon. & Imperator ipsemet *in tit. C. de legib. in l. digna vox majestate regnantis*, legibus alligatum se principem profiteri, adeò de autoritate juris nostra pendet autoritas: & revera majus imperio est submittere legibus principatum. Non posse igitur & prohiberi imperatorem iniqua & prohibita facere, non potestati, neque libertati ipsius detrahit, sed veram ipsius libertatem & potentiam describit, in quibus terminis & factis illa consistat. Nam natura imperii non est, quidvis posse imperare, nec potestatis natura est, quidvis posse facere, sed ea tantùm, quæ naturæ & rationi rectæ conveniunt. Sic Deus non potest mentiri, ut dicit Apostolus, neque facere, ut duo contraria eodem loco & simul sint, uti lux & tenebræ. Nec tamen ideo minùs omnipotens dicitur. Nec rex ideo impotens dicitur, quòd non possit in cælum ascendere, vel digito cælum attingere, montes transportare & Oceanum exhaurire. Sic igitur monarchæ potestas summa erit, quæ jure, legibus & recta ratione circumscribitur, non quæ indomita & effrenis contra naturam & rationem fertur; latè Vasquius *lib.1.c.15. & c.45. illust. controv. & c.26. num.22. d. lib.1.* Covarruv. *lib. 3. var. resol. c.6. num.8.* Pinell. *in part.1. c.2. rub. C. de rescind. vendit. n.25.26. per. alleg. ibid.* Bart. *in l. Æmil. de minor* (ait) Magnus est Cæsar, sed major ratio & veritas. Cravett. *de antiq. temp. part.1. §.1.* Pruckman. *d. §. soluta potestas. c.3. & sup. c. 18. n.64. & c.38. n.130.* Rationi verò & naturæ convenit, ut pacta & leges regni, in quas juravit rex, serventur, ut conciliorum & optimatum consensum adhibeat in arduis; de qua re latiùs supra dixi suo loco. Regnum igitur Germaniæ vel Galliæ monarchia est, licet Imp. & regis potestas sit limitata & coarctata parlamento & conciliis regni. Non hoc

hoc negavi *in c.14.* ut Arnisæus putat, *cap.8. polit.* Nam licet 9
huic monarchiæ, seu regno Germanico & Gallico, quid insit aristocraticum, hoc tamen non efficit, ut ideò desinat esse monarchia. Sunt enim species Rerumpublicarum, æstimandæ à parte potiori præeminente, prævalente & prædominante, ut hominis, quas vocant, complexiones, seu crases. Nam nec Cholerici, nec Sanguinei, nec Melancholici, nec Phlegmatici, quatuor illis humoribus sine vitæ periculo carere possunt, sed fit tamen ut ex alterutro minus vel plus homo participet. Unde ex prædominante, & potiore humore, homo nominatur sanguineus, cholericus, melancholicus, vel phlegmaticus. Simili ratione, ut in corpore humano, cui Respub. comparari solet, sic etiam in speciebus Reipub. administrandæ accidit. Quæ enim Reipub. admi- 10
nistratio esse potest, aut stare, quæ careat suis intermediis magistratibus, vel statibus, vel consiliis, regni, vel certo quodam capite. At status, quos dixi, repræsentant quãdam Aristocratiam: Concilia verò Democratiam, & caput illud, sive sit illud persona una, sive plures, loco unius repræsentat monarchiam: uti sit in humano corpore, in quo caput instar regis imperantis est, cor cum quinque externis sensibus, instar optimatum, reliqua verò membra corporis omnia, instar plebis & populi universi. Magistratus verò hi intermedii pendent sæpè immediatè à populo prædominante, qui illis præscribit, illos constituit & abrogat.

Et tum rectè à prædominante dicitur Democratia: sæpè 11
etiam immediatè ab uno prædominante pendent, unde dicitur monarchia: sæpè à duobus, tribus, vel quatuor prædominantibus, immediatè pendent hi magistratus intermedii & status, quos dixi; & dicitur eam ob causam rectè Aristocratia. Sic etiam, si concilium regni ab uno vel à pluribus regitur & pendet, judicandum est. Pro capite verò 12
Reipub. si unus est constitutus, dicitur Monarchia; at si pro capite plures sunt constituti, Aristocratia; si universus populus, Democratia vocatur; Aristocratici illi duo, tres, vel quatuor, in imperando unũ repræsentant: Sicuti in Democratia populus unũ repræsentare debet consensu, concordiâ, unione & factis suis. Discordes enim separati, dissentientes, contrariaque agentes quî imperare possunt? Sic ergo in Aristocratia omnium imperantium concordia efficit, ut

plures instar monarchiæ, loco unius habeantur; à quibus
13 imperantibus pendet status Reip. Si amplius quæris, quid sit
democraticum in monarchia & aristocratia? Respondeo, in
utraque esse comitia regni, in quibus populus sibi jus suffra-
gii reservavit, & democratiam repræsentat; Si contrà quæ-
14 ris, quid sit aristocraticum in democratia & monarchia?
Respondeo, status regni & intermedios magistratus esse, qui
repræsentant quid aristocraticum. Monarchicum quid re-
præsentat in Aristocratia & Democratia, concordia & con-
sensus imperantium, quibus plurium voces ut unius vox
& voluntas esse reputantur, quæ voluntas nisi in Democra-
tia & Aristocratia sit, durare illæ non possunt, sed statim per-
15 eunt & in alias species administrationis abeunt. Quæ cùm
ita sint, rectè dicimus, temperatam & mixtam esse quamvis
Reipublicæ speciem, uti hominis complexio ex quatuor,
quos dixi, humoribus est temperata. Sic enim id quod est
monarchicum in Republica, continet in officio, & conser-
vat id, quod est Aristocraticum & Democraticum, & id
quod est Aristocraticum & Democraticum in officio con-
tinet & cohibet quod est Monarchicum. Quæ temperatu-
16 ra est optima & diuturnitati conveniens. Ita enim remedia
opponuntur variis vitiis & casibus, quibus singulæ Rerum-
publicarum species per se sunt obnoxiæ: non secus ac in hu-
mano corpore choleræ fervor à phlegmate mitigatur & san-
guinis concitatio à melancholia cohibetur, ita ut una com-
plexio alterius sit conservatio, & vitia in excessu vel defectu
corrigat. Polyb. *lib.6.* Manifestum est, eam politiam opti-
mam esse judicandã, quæ omnibus proprietatibus regni, ari-
stocratiæ & democratiæ, constat. Sed Cabotius *lib.2. disput.*
cap.4. asserit, mixtum statum tum dici, quando unum
genus supremæ potestatis rex habet, aliud senatus, a-
liud populus, imò etiam tum, quando idem, sed non
in eosdem, velut si populus animadversionem habeat in
cives, senatus in non cives. Erit quoque, ait, mixtus status,
si simul rex, senatus & populus idem in eosdem habeat. I-
tem si leges ex arbitrio regis, senatus & populi ferantur: vel
quando rex & senatus & populus, uno tempore imperant:
vel quando solus senatus, aut populus nihil potest sine rege.
Sed has mixtiones non probo; nec usus & praxis eas admit-
tit, nisi quatenus populus in electione regis vel summi ma-
gistra-

gistratus sibi quædam reservavit. Vide supra *c.19.num.35.47.*
Mixtio verò ea, quam dixi, optima. Talis putatur fuisse in
Republica Lacedæmoniorum. Vide Crag. *de Repub. Lace-*
dæm. cap.4. & talem commendat Caspar Contarenus
lib.1. de Repub. Venetor. Zecch. *de princip. lib.1.c.4.* Kirchner.
de repub. disp.3.thes.7. hanc temperatam & mixtam ratione
optimam existimat. Sed uti non obstat, quo minus à præ-
dominante specie, hunc cholericum, illum melancholicum,
alium sanguineum, vel phlegmaticum dixeris: sic nec im-
pedit, quo minùs monarchiam dixeris, in qua unius im-
perium prævalet & prædominatur, atque peculiaribus præ-
rogativis & juribus adversus reliquas species, aristocratiam
& democratiam scitè, munitur, ita ut in officio eas con-
tinere possit, ne supprimant monarchiam. Et quemadmo- 17
dum fieri per naturã non potest, ut omnes humores in cor-
pore humano pari potestate & quantitate dominentur; sunt
enim contrarii humores & qualitates, quæ se invicem tol-
lunt, nisi remissis & temperatis gradibus & qualitatibus in-
ter se temperentur: tum enim in uno corpore simul esse
possunt: Sic quoque hæ administrandæ Reipublicæ species
simul conjungi non possunt, nisi remissis gradibus tem-
perentur. Non enim solus populus, jura majestatis sibi u-
surpare potest, & simul quoque unus, vel optimates duo
plurésve, eodem tempore. Nec à solo populo immediatè
jura illa pendere possunt & simul à rege, vel optimatibus.
Neque etiam populus uno vel tribus majestatis juribus uti 18
potest, & reliquis Rex, vel Senatus, ut putat Cabotius *lib.2.*
disput.c.4. Vide infrã n.34.35. Nam natura horum jurium
majestatis est, ut qui unum habet, cogatur etiam necessariò
reliqua habere, neque uno uti possit, nisi & reliquorum usus
illi concedatur. Sunt enim connexa & individua. Necesse
igitur est, ut uni comperant exercitio, non pluribus simul,
nisi illi plures, instar unius, mutuâ concordiâ & consensu in
juribus hisce administrandis se gerant. Regnum enim u-
num, duos non capit reges; ut nec mundus duos soles. Ne-
que duæ potestates, seu imperia summa, simul esse possunt.
Summum enim est, quod non habet superius imperium, ne-
que par, idque tam in Monarchia quàm Democratia, vel A-
ristocratia locum habet. Fieri potest, ut potestas quidem sit 19
in populo, autoritas verò in Senatu, hoc est, ut senatus de-

çernat, populus jubeat decreta, iisq; quasi spiritum vitalem
20 infundat. Fieri quoq; potest, ut potestas sit in rege, autoritas
in senatu, uti in singulis Reipub. speciebus fit, quando ex sta-
tuum & ordinum consensu quid decernitur; sed hæc non est
21 mixtio, vel divisio, aut communicatio jurium majestatis, sed
vel Democratia, vel Monarchia. Status Democraticus est,
ubi summa potestas est penes populum, qui ex consilio quo-
rundam imperat & jura majestatis usurpat. Monarchicus
contrà status dicitur, ubi penes unum est summa potestas,
qui ex consilio quorundam agenda agere potest. Quare e-
nim alteri non posset concedi precario jus quoddam maje-
statis, ut nihilominus concedens juris concessi exercitium &
possessionem retineat, atque alius ipsius vices in exercendo
illo obtineat, tanquam vicarius quidã & substitutus, à quo
22 quovis tempore jus concessum repeti possit. Ita Cæsares &
Imperatores quidam Senatui & populo Romano multa ex
jure majestatis ad tempus concesserunt, vel indulserunt, ne
populus senatusque sentirent, jura à se transferri, & hoc ve-
lamento ac imagine tegerent imperatores jus suum: Covar-
ruv. *pract. quæst. c. 1. num. 3. per alleg. ibid.* vel etiam, ne subita
mutatio periculum adferret. Quamvis quidam etiam ex
ignavia & socordia, vel imperitia administrandi & imperan-
di, Senatui, vel populo jura quædam majestatis administran-
da indulserunt, quæ tamẽ illis, quocunq; tempore, licuit re-
petere Sed hæc omnia nõ faciunt, ut ideo jura majestatis fiant
dividua & cõmunicabilia, cùm in hisce casibus senatus, vel
populus Romanus jure Imperatoris usus fuerit, eundem-
que repræsentaverit, qui quandocunque precariò conces-
sam jurisdictionem repetere potuit. Ideò verò Senatus non
magis quàm prætor, vel procurator, vicarius delegatúsve
Cæsaris, sub quibusdam Imperatoribus majestatis jus habu-
it, ut latiùs docent JCti. Nam non propriâ, sed alienâ po-
testate tales fungi dicuntur, *l. 16. solet. de jurisdiction. l. 3. et si.*
23 *l. 1. §. 1. de offic. ejus cui est mand. jurisd.* De mixta Reipub. con-
stitutione & statu paulò aliter Bart. Keckerman. *lib. 2. c. 4. po-
lit. Systemat.* qui meam sententiam de mixto statu quem vo-
cat, non rectè intellexit. Constat enim ex præcedenti-
bus & tota doctrina politica, me nullam speciem ma-
gistratus ab illa mixtione immunem statuere. Simpli-
cem

cem & purum statum in politica hac consociatione non a-
gnosco, neq; ob naturæ humanæ imbecillitatem esse potest
diuturnus, aut bonus, & sociali vitæ accommodatus. Itaq; ut
aqua sine terræ aliqua mistura insipida & nutritionis expers
fuerit, atq; aër sine aliquo humore aqueo, vitæ humanæ mi-
nus inserviret, sic nec simplex talis & fictus status politiæ
Platonicus & Utopicus vitæ sociali prodesse posset. Nec
etiam mea sententia unquam fuit, ab illo, quod est opti-
mum, quodque mensura est reliquorum, debere fieri tra-
ctationis initium. A notioribus & generalioribus, à quibus
lucem sequentia accipiunt, per specialia minùs nota, cona-
tus sum procedere ad specialissima, quæ à præcedentibus
pendent, & sine illis intelligi non possunt. Hoc enim lex me-
thodi requirit.

In Monarchia consultum est, ut sint perpetui magistratus intermedii, Gregor. *lib. 4. cap. 5. num. 36. de Repub. per l. 30. Jurisperit. de excusat.* & lex Julia de ambitu accuratè observetur, *l. 1. ad. L. Jul. de amb.* 24

Nullus enim magistratus novus, quin aliquid novi ap-
portet, & cui non displiceat aliquid ex moribus sui anteces-
soris. Temporalis etiam, non ita strenuus in officio suo,
ne privatus effectus & potestate destitutus, periclitetur; &
metu subditos continere vix potest: Perpetuus verò majo- 25
rem experientiam habet ac discit; & semel satiatus, non in-
hiat bonis subditorum; sed tamen majores jurisdictiones &
potestates provinciarúmve præfecturas, non patietur per-
petuas. Vide *cap. 24. de nat. regni.* & Melch. Junium
libro 1. politic. quæst. ult. Bodinus *libro 4. cap. 4. de Republica.*

Arces & propugnacula, status monarchici non tantùm ornamenta, verùm etiam firmamenta sunt. 26

Quamobrem & à Davide & Salomone regibus optimis
sunt diligenter ædificata atq; retenta præsidiis, *2. Sam. c. 5. v. 9. 1. Reg. cap 4.* & similiter ab aliis regibus Judæ Israëlita-
rum, vide Bodinum *de Republica.*

Leges in hoc Reipublicæ statu tales esse con-
venit, quibus potestas monarchæ contineatur, 27
ne peccet in defectu vel excessu, quibus adver-
sus eos, qui potestatem quandam aristocraticam,

vel democraticam in eam usurpant, muniatur, & quibus eosdem in officio contineat.

Auxilio igitur bonorum monarchia munienda, ne Resp. multorum imperio distracta, dilaceretur. Deinde munienda est consilii autoritate, ne legitima ipsius potestas in tyrannidem convertatur. Osor. *lib.8. de reg. instit.*

28 Deinde utiles illæ leges, quibus populus in obsequium principis, & princeps ad justitiam informetur, & quibus dignitas principalis non enervetur. Itaque princeps hic habenas tenens, currum Reipub. regat, & cætera, quocunque ducat, sequantur.

Vide Pet. Greg. *lib.4.c.5.n.36. de Rep.* Nam hunc statum conjurationes & insidiæ maximè infestant. Aristot. *lib.5. pol c.10.* Osor. *lib.8. de reg. instit.*

29 Ejusmodi status monarchicus in Rep. Rom. fuit, cùm solus Romulus & posteà sequentes Imperatores lege regiâ imperium tenerent. Vide Halicarnassæum & Liv. Talis fuit status Reip. Judaicæ sub Mose & Josua, *Deut.c.33.5. Gen.c.36.31. Judic.c.17.6.c.18. 1.Exod.c.17.13. & sequentibus. Jos.c.1.17.18.* & sub Saule, Davide, Salomone & sequentib. regib. Judaicis, *1.Sam.cap.8.c.16. 2.Sam.c.7.19. Deut.c.17. Psal.2. & lib.1. & 2.Reg.* & talis status aliorum populorum fuit. Vide Gregor. *lib.5.c.3. & 4. de Repub. Et supra cap.19.num.69. & seqq.*

30 Atque Monarchia hæc aliis magistratuum speciebus melior & utilior à plerisque esse existimatur, ut latè probat Pet. Greg. *lib.5.c.3.c.4.* & Bodin. *lib.6. de Repub.c.4.* Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.4.* Simanca *de Rep. lib.3.c.2.3.* Thom. Morus in Utopia *lib.1.c.2.* Lipsi. *lib.2.polit.c.2.* & Aristot. *lib.8.polit. c.10.* Rationes præcipuè adferuntur: I. quia imperium in uno homine potentius, & terroris pariter & amoris plenius, quàm quod in multitudine conspicitur. II. quia naturæ conveniens, in qua semper una creatura reliquis sui generis dominatur & imperat, sicuti & anima una corpori, & Deus unus mundo. III. facilior est hîc gubernatio, tam quoad consiliorum inventionem, quàm quoad executionem eorundem & arcanorum silentium. Tholosan. *lib.13.c.12. de Rep.* IIII. quia status hîc non facilè mutationibus & confusioni est obnoxius naturâ suâ. Unde historiæ testantur nullas Resp. diutius durasse, quàm Monarchias. V. Quia antiquior, statim enim cum genere humano incepit, ut colligitur ex *Gen.c.11. & 12.* VI. Quia hac forma Deus in populi sui gubernatione usus legitur, *Num.cap.11. Exod.c.18.c.24. Num.c.16. Jos.c.1. Deut.c.17. in fine.* VII. Facilius & melius unus, quàm plures in navi clavũ torquere possunt. VIII. Sapientiorum populorum exemplum habet. Greg. *d.cap.3.n. 19.5.* IX. Quia incommoda multa in reliquis Reipub. statibus & formis, & eatenus illæ bonæ, quatenus similitudinem cum monarchia habent, vel proximè eam accedunt, de quibus Pet. Greg. *d.c.3. & 4.* Bod. *d.loc.* Nemo enim, teste Christo, duobus, multò minus pluribus dominis servire, nec plurium judicio ac voluntati facilè quis satisfacere potest.

Hunc tamen monarchicum statum conjurationes & insidiæ maximè infestant, quæ utplurimùm & sæpissimè contra monarchiam à subditis parantur & fiunt, Aristot. *lib.5.c.10. polit.* Meleh. Jun. *lib.1.polit.quæst.4.* Philip. Beroald. *in lib. de opt. Reipub. statu.* Patric. *lib.1. de regno.tit.3.* Bodin. *lib.2.c.2.* Vinc. Castell. *de offic.regis.c.1.lib.1.* Matth. Scholast. *de vero & Christ. principe. lib.1.cap.5.* 31

Polyarchicus magistratus summus est, qui subditis, cum aliis sociis pari vel eodem imperio summo instructus, imperat, & jura majestatis administrat: hoc est, vicissitudo administrationis inter plures communicata. 32

Natura hujus magistratus requirit, ut quilibet socius hujus imperii summi, in omnes subditos singulatim, vel singulos subjectos, id exercere possit, at in omnes collectim, vel in universos subditos, solus unus, sine socio non possit. 33

Bodin. *lib.2.c.6. de Rep.* Nam plures administratores hîc non habent diversas potestates & imperia, neque etiam ex his singuli penes se habent summam potestatem, sed omnes conjunctim simul unam supremam potestatem habent, quæ pluribus, ut universis, non ut singulis est data. Est enim una tantùm in Rep. potestas summa, eaque naturâ suâ individua, sicuti in corpore unico physico, una anima imperans. Hæc 34

unica ſumma poteſtas plurib. communicari non poteſt, Roſenth. *lib. 1. de feud. c. 5. concl. 10. n. 3. 4. Vide ſup. c. 11. n. 18. 19.* & Heig. *lib. 1. quæſt. 4. n. 25. & ſeqq.* non ſecus, quàm unitas. Itaq; rectè dicitur, hunc magiſtratum debere repræſentare unum in imperando & juribus majeſtatis adminiſtrandis, in quibus unam voluntatem & poteſtatem habere debent ſinguli
35 & univerſi ſummi magiſtratus. Nam diſſentientes inter ſe imperare non poſſunt, neque iisdem ſubditi iidem obtemperare, juxta dictum Chriſti, Nemo poteſt duob. dominis ſervire, *Matth. c. 12. Luc. c. 11.* Regnumq; in ſe diviſum deſolabitur. Unde ſi duo, vel tres, aut plures imperantes contraria præciperent & demandarent, ſubditi, nulli eorum obedire tenerentur. Pacian. *lib. 2. cap. 36. n. 54. & ſeqq.* donec ad
36 concordiam redigantur, *d. cap. 36. num. 57.* Num uti diximus, natura jurium majeſtatis eſt, ut ſint individua & incommunicabilia, quæ ſeparari & diverſis communicari non poſſunt. Qui enim utitur uno horum, neceſſe habet & reliquis uti. Sic qui jus cudendæ monetæ habet, ad expeditionem hujus etiam opus habet jure legis condendæ & puniendi, & ſic quoque in cæteris. Vide Pacian. *lib. 2. c. 36. de probat.* & diximus *ſuprà cap. 9. de jure majeſt. eccleſ. n. 18. 19. & ſuprà hoc c. n. 18. 19.*

37 Jus convocandi collegas, ad conſultandum & unanimi conſenſu imperandum, in unum hîc transferri conſultum eſt.

38 Subditi in polyarchia id præſtare debent omnibus & ſingulis polyarchis, quod uni in ſtatu monarchio præſtant.

39 Conſultum & utile eſt in ſtatu Reipub. polyarchico, quia exercitium & uſus communis jurisdictionis, non eſt penes quemlibet in ſolidum, nec à quolibet in ſolidum exerceri commodè poteſt, ut communi & concordi ſuffragio uſus jurisdictionis communis, per miniſtrum communiter & individuè exerceatur.

Ut multis JCtis video placuiſſe. Vide Covarruv. *pract. quæſt. ult.* qui hoc æquiſſimum eſſe cenſet, quando uſus jurisdictionis non commodè dividi poteſt, ſed quando diviſio fieri poteſt juxta portionem & partem, quam quisque majorem vel minorem in territorio eodem habet, putat diviſionem etiam eſſe æquiſſimam. Vide Boër. *deciſ. 5.* qui exiſtimat, alternis menſibus, vel annis, prout majorem vel minorem partem jurisdictionis habet quisque, jurisdictionem concedendam in ſolidum.

Sed etiam putarem, poſſe plures conjunctim, ſingulis, vel majori parte conſentiente & ex communi approbatione & decreto, uti jurisdictione communi.

Quando diviſio jurisdictionis fit pro ratione territorii cuilibet adſignati, putarem, conſtitui eo ipſo duas ſeparatas & diverſas ſpecies imperii, neq; poſſe ampliùs dici polyarchiam, ſed duo ſeparata eſſe regna & Resp. uti ſub Rehabeam, *1. Reg. c. 12.* & poſt diviſionem imperii in orientale & occidentale. Thol. *lib. 25.* Pacian. *d. c. 36.* putat diviſione oppidorum urbiúmve unius comitatus, non ipſum comitatum, ſed jurisdictionem, ſeu adminiſtrationem jurisdictionis cenſeri diviſam.

Planè in magnis periculis, magnisq; calamitatibus Resp. polyarchica nullâ ratione meliùs ſervari poteſt, quàm ſi ex communi imperantium conſenſu, imperii adminiſtratio uni vel alteri commendetur.

Patric. *lib. 1. tit. 13.* Id faciebant Romani, quando Dictatorem eligebant tempore neceſſitatis, ad tumultus, ſeditiones, diſcordias & alia incommoda evitanda. Clapmarius *lib. 3. cap. 9. de arcan. rerumpublicarum.* Richt. *axiomat. 59.* Ut enim unus commodiùs & meliùs habenas tenere & currum regere poteſt, ſic etiam unus meliùs Rempub. adminiſtrare. Atque hac ratione fieri poteſt, ut adminiſtratio Reipub. ſit monarchica, Reip. verò ſtatus polyarchicus.

Præterea in Polyarchia leges tales eſſe utile eſt, quib. poteſtas polyarchica munitur contra eos, qui monarchicam quandam poteſtatē in ea uſurpant.

In hac Polyarchia conſilium plurium imperantium notandum, ita ut quod majori parti imperan-

tium placuerit, sit sequendum & exsequendum necessariò, ne alioquin status polyarchiæ corrumpatur. Pacian. *lib.2.c.36.n.51. de probat.*

Ideoq; in hac polyarchia non est liberum arbitrium administratorum, in consiliis retractandis vel mutandis, sed necessitas parendi. Pet.Greg. *lib. 24.c.ult.& lib.22.c.1.c.2. de Repub.*

44 Consilia, ut secreta maneant in Polyarchia, per deputatos certos ineunda sunt, iisque deliberatio permittenda.

45 Polyarchicus hic magistratus, est Aristocraticus, vel Democraticus.

46 Aristocraticus est, quando conjunctim & individuè paucis optimatibus nobilibus, sive divitibus, vel aliis quibusvis, in reliquos singulos & universos, summum datur imperium & exercitium jurium majestatis.

Pet.Greg. *lib.5.c.1. de Repub.* Aristot. *lib.5.c.11.pol.* Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.4.* Bodin. *lib.6.c.4.& lib.2.c.6.de Repub.* qui commoda hujus imperii enarrant latiùs.

47 Natura Aristocratiæ postulat, ut pluribus sociis ex æquo jus imperandi, & par potestas indesinenter, conjunctim & indivisim, competat in eosdem subditos, singulos & universos, & specialibus legibus muniatur contra Monarchiam & Democratiam.

Sic in politia Venetorum, quæ censetur esse aristocratica, jura majestatis sunt penes consilium magnum, ad quod non nisi Patricii admittuntur. Princeps seu Dux Venetorum, honorem, dignitatem & prærogativam quandam habet, sed potestatem superiorem non habet. Hæc enim est penes collegium summum. Est igitur Dux Venetorum, princeps senatus & collegii, monarcha verò nequaquam.

48 Defertur hîc magistratus electione, suffragiis optima-

optimatum, vel subditorum, quorum suffragia centuriatim, vel curiatim, vel tributim colliguntur: modoq; ex census æstimatione divitibus defertur, modò ex virtutis opinione, viris præstantibus, modò ex ætatis aut nobilitatis æstimatione, viris senio, ætate, experientiâ, vel nobilitate conspicuis, electis.

Sorte quoque hic magistratus deferri potest populo consentiente, quæ electio sortiaria locum habere potest in casu, quando nec ratio, nec consilium adhiberi potest. Quòd si virtute præstantissimus eligendi jus haberet, ut sui similem eligeret, & hic electus tertium, & tertius quartum, & sic deinceps, donec numerus gubernantium est impletus, optima hæc eligendi ratio videretur Bodino. Sed & optimi, præstantissimi & sapientissimi in sua opinione & electione falli possunt. 49

Populo indistinctè electionē dare, periculosum videtur, utpote qui privatis suis affectibus ducitur, atque de bonis & prudentibus, aptis & idoneis personis judicare non potest: Bodin. *lib.2.c.6.* Consultum, ut optimatibus, seu ephoris jus hoc permittatur. His enim, quia regni natura & conditio est notior, ex officio injunctum hoc videtur. Vide suprà *c.18. de ephoris.* 50

Hodie in quibusdam locis jus eligendi illis competit, quibus mos patrius, vel arbitrium & consensus subditorum id dedit. Greg. *lib.4.c.5. de Rep.* Planè hîc virtus imperantium maximè spectanda, quæ nisi cōstanter servetur, statim labascit Reip. forma. Nam potestas malitiæ conjuncta, nervos & robur affectibus addit, & Resp. in tyrannidem vel in oligarchiam, aut monarchiam mutatur. 51

Arist. *lib.4.polit.cap.7.* arg. *1.Sam.c.8.* ubi ob avaritiam & improbitatem filiorum Samuëlis, Aristocratia in regnum fuit conversa.

52 Præterea, quando in Aristocratia ipsi optimates quidam, vel omnes electi tenent imperium, uti fieri potest, Greg. *lib.4.c.5.n.15.16. & seqq.* tum officium ephororum & inspectorum est penes populum universum, qui habito conventu in suos principes & gubernatores Reipubl. peragit ea, quæ ephoris in Monarchia & Democratia sunt facienda; quamvis & hîc ephori alii possint constitui.

53 Quando unum regnum dividitur in duo separata, quæ jura majestatis communia, eorumque administrationem communem non habent, illa divisio non constituit Polyarchiam, sed plura regna divisa & diversa.

Exempla regnorum hoc modo divisorum refert Pet. Gregor. *lib.25.de Rep.* In Alexandri regno post mortem ejus diviso: in regno Judaico diviso sub Rehabeam: in Romano imperio occidentali & orientali.

54 Quando verò collega adsumitur in administratione imperii, fit Aristocratia.

Tales collegæ in Imperio fuisse leguntur Antoninus Pius, & frater hujus Lucius Verus, Opilius Macrinus, ejusq; filius Diodomenus, Marcus Julius, Philippus, cum filio Cajo Julio Saturnino, Valerianus cum filio Galieno, Diocletianus Dalmata cum Maximiniano, Constantio & Galerio, Constantinus Magnus cum Licinio: Theodosius cum Honorio; Constantius cum Juliano; Valentianus cum Valente & alii nonnulli. Vide plura exempla apud Greg. *lib.25.* & Bod. *lib.2. cap.2.de Repub.* Lancellot. *lib.1.§.an unus. num.4.5.in templo omn.judic.per l.filiusfam.de legat.1. l.imperatores. de transact. l.si docueris. C. de falsi. l.unusquisque. C.ad L.Jul.repet. l.pen. & ult.C.fin.regund.*

55 In hoc Reip. statu illæ leges utiles, quæ avertunt illos, qui Rempublicam gerunt ab imbecillium contumeliis, calumniis & insimulationibus contra cives.

Ejusmodi

Ejusmodi status Reip. Aristocraticus videtur fuisse in 56
politia Israëlis sub senioribus & tribuum ac familiarum singularum principibus, quando nullus erat rex tempore judicum, *Jos.cap.22.14. Judic.c.1.c.2. Levit.c.9. Esd.c.9. Nehem. c.5.c.13. Gen.c.36.31. & Exod.c.3.16.18.c.5.14.15.16.17.19.20. cap.6.13. & seqq.* Nam judices ipsi regiam potestatem & dominatum non habebant, sed instar dictatoris apud Romanos eligebantur, vel dabantur à Deo periculosis temporibus. *Judic.c.8.22.23. 1.Sam.c.7.15.16.* Vide supr. *l.19.n.60. & seqq.* Ordinaria & perpetua jutis administratio erat penes seniores 70. & penes Chiliarchos, centuriones quinquagenatiorum & decuriones, & penes principes tribuum & familiarum ac civitatum, *Exod.cap.18.21. & seqq. Deut.c.1.13. & seqq.* adde suprà *c.8. de provincia.* An & apud Romanos hîc Reip. status, & hodie apud quos inveniatur, vide apud Bodin. *lib.2. c.6.de Rep.* ubi tamen malè negat, Germanorum Rempubl. esse Monarchicam, sicuti alio in loco diximus *c.18.n.68.69. & seqq. & c.33.n.20.21.*

Democraticus status, seu magistratus est, quando populi in regni corpus consociati, seu regnicolarum universorum nomine, quidam ex iis alternatim & successivè, certis temporibus ab universis electi, cæteris omnibus singulis, vel universis imperant, ita ut secundùm suffragia populi universi centuriatim, tributim, sive curiatim collecta, jura majestatis & summæ potestatis usurpent & administrent. Vide Bodin. *lib.2.c.7.de Rep. & lib.6.c.4.* 57

In hoc statu politiæ, optimatum & ephororum, si alii non sunt, locum & vices tenent provinciarũ præsides, Comites, Duces, Principes, aut si tales nulli sunt, præfecti collegiorũ, curiarũ, tribuum, centuriarũ aut classium, in quas populus totius regni est distributus. Hisce eadem potestas, quæ ephoris in Monarchia vel Aristocratia competit, data est. Ergo hic præfectus cujusque classis, vel centuriæ, vel collegii, loco ephori est, quando alii à populo 58

constituti non sunt. Populus verò universus totius regni, seu consociationis universalis corpus, summus magistratus, cujus arbitrio jura majestatis administrantur à duobus vel pluribus populum repræsentantibus, & omnia consensu & jussu populi
59 agentibus. Ideoq; Democratica administratio rectè instituitur & peragitur, quando populus instar unius, jura majestatis exercet, & quasi unum repræsentat in imperando.

60 Hunc magistratum quidam rejiciunt, ideo quòd universi simul imperare & parere non possint sibimet ipsis: sed hoc eodem tempore quidem ad idem & secundùm idem, & respectu ejusdem fieri non potest, contrà secus. Vide Gregor. *lib.5.c.2.lib.6.c.2.n.12.de Rep.* & Keckerm. *in syst.polit.*

61 Natura Democratiæ postulat, ut honorum æqualitas & libertas sit, quæ in eo consistit, ut populares per vices imperent & pareant, & sit isonomia, seu juris æquabilitas, & sit vicissitudo vitæ privatæ & honoratæ, ut omnes singulis imperent, & singuli omnibus obtemperent.

Arist. *lib.6.cap.2.polit.* Greg. *lib.4.c.5. & lib.5.c.2.* Melch. Jun. *lib.1.polit.quæst.4.* Bodin *lib.6.c.4.* ubi ita quidam imperant, eâq; conditione, ut quandoque pareant; & eâ conditione quidam obediunt, ut vicissim quandoque imperent, hoc est, ut sint vices parendi & imperandi. Danæ. *lib.6.cap.5. polit.*

62 Deinde postulat ipsius natura, ut suis specialibus præeminentiis gaudeat, quibus contra Monarchiam & Aristocratiam muniatur.

Apud Romanos in statu Democratico imperium erat in magistratibus, auctoritas & consilium in senatu, potestas in plebe, & majestas in populo. Hinc illa, Senatus decrevit, populus jussit, hoc est, populus jura majestatis immediatè administrabat per senatum & intermedios suos magistratus, qui tanquam vicarii populi, imperium, non proprium, sed demandatum sibi à populo usurpabant, tanquam precarium

carium. Hinc, quod senatus statuit, legem faciebat, *l.9.non ambigitur.de legib. l.item. §.prator.de petit.hared.* & senatusconsulta omnes obligabant; vide *tit.ad S.C.Maced. ad S.C. Vellejan. Trebell. Tertullianum & similia*, quæ sunt capita & jura majestatis. Politia Romana effecta est Democratia, cùm plebis scita vim legis obtinere inciperent, *§.4.Inst.de jur.nat. gent.& civil.* Ante tempus illud politia erat ambigua inter Democratiam & Aristocratiam, ut rectè Arnisæus asserit & Cabotius.

Populare est ergo, ait Arist. sumi & creari magi- 63
stratus omnes, ex quovis civium ordine, seu ex omnibus, ac præesse omnes unicuique, & unumquemq; vicissim omnibus.

Deinde non per suffragia, sed per sortem tribuere magistratus, vel omnes penitus, vel illos saltem, qui non peritiâ indigent, vel arte. Arist. *d.loc.*

Populare quoque est, à nullo censu esse magi- 64
stratus, vel saltem à minimo, & non nisi semel eundem magistratum ab aliquo geri posse, vel perrarò & annos paucos, exceptis hisce, qui versantur in bello.

Populare est, mutabiles & temporales esse magistratus, ut evitetur invidia, si alii ob continuationem magistratus excluderentur, & suspicio, ne magistratus illecti dulcedine potestatis continuatæ ad innovandam Remp. consilia capiant. Arist. *d.loc.* Greg. *lib.5.c.5.n.35. de Rep.*

Populare est, ut summa deliberationũ sit penes populum, scil. judicare omnes & ex omnibus, de omnibus, vel de plurimis, maximis & principalioribus, & concionem esse dominam omnium rerum maximarum. Ideoque in hoc statu sapientes consilium dant, sed de eo insipientes, & rerum imperiti judicant, hoc est, populus. Arist. *lib.4.c.4. & lib.6.pol. cap.2.*

Populare itaque est, superioribus comitiis cotisiliisque omnes cives regni interesse & posse judicare & decernere.

Populare est, omnes habere secundùm numerum, cùm nihilo magis gubernant divites, quàm pauperes, nec soli potestatem habent, sed omnes ex æquo secundùm numerum. Arist. *lib.6.pol.c.2.* Greg. *d.loc.*

65 In hoc statu est valde consultum, numero esse dispares consiliarios & senatores, ne qui numero pares sunt, si sententiis disident, actiones publicas impediant, aut qui plures erunt, ambitiosorum hominum vim frangere, & conatus perrumpere possint, & disidentes concilientur à tertio, vel numero majori.

66 Ideo democratico statui semper inimicissima & valde exitiosa fuit civium potentiorum & ditiorum, avarorum & ambitiosorum continuata in honoribus gerendis perpetuaque autoritas.

Arist. *lib.6.c.2.* & hanc ob causam ostracismus Athenis, & Syracusis petalismus fuit institutus, ut si qui nimiâ inter cæteros cives autoritate pollerent, ejicerentur. Nam in hoc statu populus ipse timeri vult, monarcha esse & videri; eam summam esse putat libertatem, facere & præcipere, qui cquid vult & lubet, adeò, ut summa deliberationum sit penes populum. Arist. *lib.4.c.4. lib.6.c.2. polit.* Melch. Jun. *lib.1. quæst.*
67 *polit. quæst.4.* Bodin *lib.6.c.4.* In hoc statu dominari solent homines inquieti factiosi & facundi, qui linguæ flabello populum variè concitant, & in suas opiniones impellunt. Ita in politia Attica floruerunt oratores, Pericles, Alcibiades, Demosthenes, Lycurgus, Demades, qui fuerunt faces multorum civilium bellorum. In Rep. Romana democratica maxima fuit potestas Tribunorum, qui senatus autoritate labefactatâ plebis potentiam auxerunt, & eam contra Senatores sæpè incitarunt. Unde dicitur rectè, democraticum statum obnoxium esse motibus & mutationibus. Nam qui auram popu-

popularem habent, viris bonis graviores & difficiliores sunt, quàm tyranni. Vide Richt. *axiom.61.* Bodin. *lib.6.c.4. de Rep.* Pet. Greg. *lib.22.c.2. de Rep.*

Electio hujus magistratus apud Romanos fiebat centuriatim, curiatim, vel quandoq; tributim. At mos patrius cujusque loci hîc inspiciendus, vel lex cujusque politiæ. Vide Bodin. *de Rep. lib.2.cap.7.* Greg. *lib.4.c.5.n.40.41. de Rep.* 68

Utilius est in hoc statu Reip. ut sint magistratus temporales, non perpetui. 69

Danæ. *lib.6.c.5. quæst.4. in pol.* & Bod. *de Rep.4.* Nam civium potentiorum & ditiorum continuata in honoribus gerendis perpetuaque autoritas huic statui est perniciosa. Arist. *lib.6. polit.c.2.& 4.* Unde ostracismus Athenis, ut dixi, inventus, ut tradit Plutarch. in Aristide, quamvis Resp. illæ, in quibus singulis annis sic magistratus mutantur, ut novi omnes creentur, sint finitimæ confusioni & anarchiæ. *Judic. c.18.7.* & decedentes non possint specimen exhibere eorum, quæ observâruut, & novi semper aliquid instituant, & ex prioribus quædam mutent. Greg. *lib.4.c.5.num.36. & seqq.* Ideoque in bene constitutis Democratiis solent etiam quidam magistratus esse perpetui. Sententia Joh. Bodini *lib.4. c.4. de Rep. & in method. hist.c.6.* de perpetuis magistratibus præferendis, mutabilibus & annuis, intelligenda est de Monarchicis & Aristocraticis. Melch. Jun. *lib.1. polit. quæst.26.* 70

Democraticis magistratibus videndum, ut vel omnes cives, vel saltem melior pars, vel major eorum, qui cæteris nobilitate, divitiis, prudentiâ, & usu rerum antecellunt, optimè sint affecti erga Remp. & ut ipsimet curent, non tam, ut placeant multitudini, quàm ut consulant utilitati communi. 71

Sunt enim plures, qui cùm id facere studeant, Remp. ad subversionem & interitum, vel ad confusionem revocant. Vide Greg. *lib.5.c.2. de Rep.*

Nimiam licentiam popularibus magistratibus concedere, non est consultum. Arist. *lib.6. pol.*

72 Consultum est, ut temporib. periculosis in hoc statu dictator ad tempus creetur cum summâ potestate, uti apud Romanos fiebat. Zuinger. *vol.28. lib.2.* Alex. ab Alex. *lib.1.c.6.gen.dier.*

73 Arces verò, propugnacula locáve munita condere, in Democratia periculosum.

Nam hæc à rebellibus occupari possunt ad evertendum Reip. statum. Gregor. *lib.2.c.3.n.4.6.7.*

74 In Democratia hac quædam leges utilissimæ sunt & necessariæ. 1. ut ratio gubernandi sit aristocratica, hoc est, pauci, iique optimi Remp. administrent. 2. ut pœna publicationis & confiscationis bonorum nõ obtineat, ne populus in condemnandis reis, & eorum bonis publicandis sit facilis. 3. ut publicæ accusationes sint rarissimæ, magnâ pœnâ cõstitutâ adversus eos, qui falsò accusarunt. 4. Magistratuum intermediorum electio sit duplex: una per sortem, altera per electionem: illa popularis est, quâ libertas conservatur; hac eliguntur meliores & idonei ad imperandum. Vide Aristot. *lib.6 polit.c.5.* Pet. Greg. *lib.5.c.2.de Rep.* vel ut quibusdam ex consensu populi jus eligendi detur. 5. ut collegia civium, quibus amicitia, concordia & pax conciliatur, fovetur & conservatur, sarta tecta serventur. Bodin. *lib.1.c.7.de Rep.*

75 Patiuntur & malum Democratiæ à magistratib. & consultoribus, quod paulatim populi imminuit robur, & parat viam ad Aristocratiam, quando magistratus nimiũ indulgent popularib. violant leges, dummodo rem suam agant. atque hoc modo ex mendicis fiunt divites, ex obscuris clari: unde nonnulli privatas ædes, publicis substructionibus, splendidiores compararunt, & quantò Resp. plus detri-

detrimenti cepit, tantò res ipsorum factæ sunt ampliores. Hi magistratus repellendi sunt, ut salva sit Respublica, ne universi improbitatis hujus pœnas luant.

Ut enim culpa delictorum, quæ in navibus committuntur, inter navigandum, si quis nautarum deliquerit, communi calamitate vectores omnes involvit: sic magistratuum Remp. gubernantium peccata, ad nos universos pertinent. Quapropter Solon plebejis tarda, magistratibus & gubernatoribus velocia supplicia constituit. Oppressâ enim libertate, qui pœnas repetat, fore neminem existimabat, dixi supra, & latiùs Petr. Greg. *lib.4.c.ult.in fin.de Repub.* 76

Status Democraticus in Judaica politia fuit, quando in conventu publico ex suffragio totius populi Israëlitici, de summa rerum statuebatur, ut *Judic.20.& 21.& 1.Sam.c.10. c.12.* & ex aliis locis colligitur. 77

Democratia autem maximè est obnoxia mutationibus. 78

In hac enim multum potest ductorum populi & adulatorum petulantia, qui divites calumniis onerant, & excitant popellum contra potentes & nobiles. Exemplis illustrat Melch. Jun. *lib.1.polit. quæst.5.* Pet. Greg. *lib.22.c.2.* septem causas mutationis hujus recitat: 1. est perfidia calumniatorum, qui conspirationem concitant. 2. est seditio & discordia civium. 3. nimia licentia à magistratu populo concessa. 4. res prosperè à gubernatoribus gestæ, quæ inducunt populum ad principatum conferendum. 5. nimia indulgentia magistratus, quâ sibi gradum ad dominatum facit. 6. Mala gubernatio magistratus & negligentia. 7. Confusio & ἀπαξία. Exemplis illustrat Greg. Richt. *axiom.63.* 79

Deinde nimia sæpè potestas conceditur uni ductorum, ubi ambitio tyrannidem excitat; & quandoque effusa populi licentia & impotentia facit, ut egenorum magis, quàm Reip. seu utilitatis & salutis publicæ, ratio habeatur, quæ est ὀχλοκρατεία. Vide Melch. Jun. *lib.1.q.2.polit.* Patric. *de regn. lib.1.tit. 3.* Richt. *ax.63.* Greg. *lib.22.c.2.* 80

81 Quandoque populi licentia & audacia tanta est, ut ampliùs ab electis & deputatis non velit regi, sed omnes simul volunt regere, nemo parere, quæ est Anarchia.

82 Denique plebis inconstantia & levitas tanta est, ut mutationibus crebris delectetur, & secum tandem pugnet in electionibus & aliis negotiis publicis, imperitiâ magnâ laboret, & naturale odium adversus nobiles habeat. Jun. *d. loco.* Vide de natura populi & vulgi, quæ *supra c. 23 diximus.*

83 Atque hæc sunt quæ de politica arte dicenda esse existimavi. Ut separatim de causis destruentibus consociationē, seu de eversione Rerump. agam, ut omnes Politici faciunt, adduci non possum. Nam ut rectum indicat obliquum, virtus vitium, sic & consociatio rectè & legitimè constituta est index vitiosæ, corruptæ & malæ. Ut verò tanquam consectaria cuique consociationis speciei vitia contraria subjungantur & exprimantur, iisque præcepta illustrentur, prout à nobis in locis propriis est factum, non alienum ab arte politica esse judicio. Præcepta verò de vitiis, defectibus & nævis consociationis, vel de mala symbiotica tradere, prorsus alienum est ab ea, quam tradimus, arte politica. Unde duplex illis ars politica, altera bona symbiotica; altera mala, cujus utriusque duplices & inter se contrarii fines. Qua de re Logici & methodici docent. Nec possum hic approbare Dn. Keckermanni & D. Hœnonii sententiam, qui existimant, post magistratus summi species in politicis præcipiendum esse de statu mixto, ex tribus illis speciebus quas diximus, temperato, nimirum de Provinciis & Urbibus. Pugnat enim hoc cum lege methodi. Nam negari non potest, ex pagis & urbibus provincias, ex hisce verò Respub. & Regna constituta. Sicuti igitur causa, suâ naturâ præcedit effectum, eoque notior est & simplex, seu primum id qp compositum seu ortum à primo est, antecedit ordine, ita quoque Pagi, Civitates & Provinciæ, Regna antecedunt & priùs quàm ea fuerunt. Hic enim naturæ ordo & processus, ut conjugium, seu consociatio domestica viri & uxoris, fundamentum & principium humanæ societatis dicatur, & ex hac porrò producantur consociationes

84

sociationes consanguineorum & adfinium diversorum, ex his verò sodalitates, collegia, ex quorum conjunctione corpus compositum, quod pagum, oppidum, vel civitatem dicimus. Atque hæ consociationes symbioticæ, tanquam primæ per se subsistere possunt etiam sine provincia, vel regno, quamvis, donec in corpus consociatum universale symbioticum provinciæ, vel Reipbl. regnive non conjungantur, multis commodis & necessariis vitæ subsidiis destituantur. Necessariò igitur doctrina de vita symbiotica conjugū, propinquorum, collegiorum, civitatum & provinciæ, antecedit eam, quæ est de regno vel universali consociatione symbiotica, à priore orta & ex ea composita, quamvis usu ad salutem communem singulorum & universorum symbioticorum conjungenda hæc omnia. Nam nec publica consociatio sine privata domestica esse potest. Utraque enim ad αὐτάρκειαν & commodam vitam degendam utilis & necessaria. Quod verò de provinciis, amplis urbibus & ditionibus dicitur, eas quoque aliquando aristocraticè regi, quandoque democraticè, & aliquando monarchicè, id minus rectè dicitur. Nam id accipiendum de symbiotica consociatione universali regni vel Reipub. à qua urbes & provinciæ, tanquam membra unius corporis, reguntur per unum, duos plurésve ministros, prout membrorum illorum necessitas & utilitas postulat. Atque tales urbium vel provinciarum rectores, qui suorum principalium superiorum sunt ministri, nihil proprii habent, sed potestate mandantium principalium utuntur. Ideoque horum vicariorum potestas & administratio metienda est ex jure illius, à quo eam illi acceperant, & quem repræsentant. Si igitur hic mandans est princeps, rex, vel monarcha, etiam vicariorum horum, quamvis plurium administratio, non aristocratica, sed potiùs monarchica dicenda est. Siquidem in administrando, voluntate, consensu & factis suis unum, nimirum suum principalem demandantem regem, repræsentare debent, *l. 16. solet. de jurisd. l. 3. etsi. de offic. ejus cui est mand. jurisd.* Licèt igitur plures vicarii, delegati & ministri regis civitatem quandam gubernantes, similitudinem aliquam cum administratione aristocratica, quoad exercitium inferioris potestatis, pluribus indivisim & revocabiliter concessum habeant: gubernationem tamen & potestatem superio-

rem propriam aristocraticam minimè habent, sed monarcham suum, ut diximus, repræsentant in iis quæ secundùm
85 accepti mandati fines agunt. Nequaquam ergo ex ratione & modo administrandi, sed ex potestatis, quam quis habet, quaque regitur consociatio, materia & forma species magistratus sunt constituendæ, prout supra capite hoc *n.3.* contra Bodinum probavimus. Sed nec de statu politico particulari doctrinam specialem necessariam esse puto, contra quam alii neoterici. Debet enim ars politica esse generalis, quæ omnibus etiam specialibus & particularibus locis, temporibus vel populis semper & ubique conveniat & adcommodari possit, quamvis regna diversa & separata, suis propriis legibus ab aliis discrepantibus in quibusdam causis sæpè utantur. Ducatus, Principatus, Dominatus, Dynastia, Comitatus, Landgraviatus, Marchionatus & similes quos vocant, quid aliud sunt, aut esse possunt quàm provinciæ, membra, ordines, statusque illius regni ad quod pertinent; licet & hi suis legibus peculiaribus & à jure totius regni diversis in quibusdam sæpe utantur, uti suprà *cap.8. de provinciis* di-
86 ximus. Sed nec species Politicæ constituere volui, institutionem ejusdem, auctionem & amplificationem, ac conservationem. Nam politiæ augendæ, amplificandæ, conservandæ & instituendæ eadem planè est ratio. Iisdem enim artibus conservatur amplificaturque, quibus est constituta, uti definitio nostra Politicæ satis explicat *c.1.sup.*

FINIS.

De

De UTILITATE, NECESSITATE ET ANTIQUITATE SCHOLARUM

Admonitio panegyrica.

DE literarum Scholis, Gymnasiis, vel Academiis aperiendis, habendis & conservandis, magnum mihi multorum videtur esse silentium. Suam, quam quisque profitetur artem, si commendat apud suos auditores, officio suo se defunctum esse existimat. Quòd si etiam quis fortè de scholis quid dicat, id tamen raro & quidem Laconicè fit, quasi argumentum hoc pro dignitate & utilitate sua, uberiorem commendationem & demonstrationem non desideret. Dolendum est, rem tam præclaram, & generi humano necessariam, meritâ suâ laude carere. Nimirum vilescunt nunc, & dixerim ferè sordescunt nobis scholæ. Nam sicut naturâ comparatum est, ut quod nobis carum & cordi, hoc perpetuò in ore & corde habeamus; sic contrà, quod non magni facimus, negligere solemus. Sed & facilè ejus rei, quæ subinde in oculos nostros & manus incurrit, ex frequenti usu, satietas nos capit. Qua in re idem, opinor, nobis, quod pueris, accidit. Hi cibo potuque satiati & repleti, panem quem tenent, in quodvis obvium scamnum, sedile, vel terram projiciunt, de futura inedia & indigentia sua nihil soliciti. Bonus verò paterfamiliâs, cui utilitas & usus panis ad vitam hanc sustentandam est cognita, etiam in copiâ & abundâtiâ illius, de futura necessitate co-

gitat,& de mediis quibus eundem comparare,conſervare,& reponere poſſit,ſolicitus eſt. Nota etiam eſt humana imbecillitas,ignorantia,oblivio,& ſocordia. Hæc perpetua admonitione,vellicatione,& calcaribus niſi expergefiat, facilè in oblivione ſua obdormiſcit. Operæ pretium igitur facere mihi videbar,ſi huic negotio aliquid temporis tribuerem,& in amœniſſimos ſcholarum hortos intrarem,& quaſi per tranſennam fructus ſcholarum præſtantiſſimos luſtrarem. Nam ſi hisce ſtudiis,quæ in ſcholis excoluntur & diſcuntur, Eccleſia Dei & Resp.ædificatur, continuatur & ad poſteros transmittitur,regnumq; Dei in hisce terris ſtabilitur, erigitur,& nominis divini gloria,majeſtas & amplitudo cognoſcitur & celebratur,quis Chriſtianus non in ea omnes ſuas vires, facultates & operam lubens conferret? Quis non intelligit hîc vocationis & creationis ſuæ finem? Hoc nimirũ ſtudia,quæ colimus,à nobis exigunt. Quæ à Deo ab origine ad finem uſque mundi,homini commendata.De qua re mihi quædam dicturo,rogo,aures benignas præbeatis. Dicam breviùs,quàm fortè tanta res poſſit. Quo nimirum tempore ſcholæ pietatis & honeſtatis & honeſtarum artium inceperint,quomodo & qua de cauſa inſtitutæ,& quæ harum utilitas. Res & cauſa eſt jucunda, gravis & utilis, ad vocationẽ noſtram ſpectans,in qua ideò,non opinor,mihi neceſſarium veſtras aures ad attentionẽ invitare. Diſtinctè dicam,primò de ſcholarum utilitate & neceſſitate. Deinde de earundem antiquitate. Det Deus, ut cum fructu & profectu dicam.

Utilitas & neceſſitas ſcholarũ,quæ ſunt pietatis & virtutũ officinæ, ſeminariumq; Eccleſiæ & Reip.tanta profectò eſt, ut meritò nos omnes ad earundem amorem, ſuſtentationẽ & ædificationem inflammare debeat. Hanc neceſſitatem ſcholarum ſatis(opinor)oſtendero, quando noſtram penuriam, inopiam & miſeriam; utilitatem, quando pulcherrimos & præſtantiſſimos ſapientiæ omniumq; virtutum fructus,quos ſchola cumulatè profundit, demonſtravero. Ex ſacris literis conſtat, hominem ſcientiâ boni & imagine Dei ornatum, eximiâ ſapientiâ, juſtitiâ, & dignitate excelluiſſe. Sed cùm hanc lucem cognitionis & ſapientiæ divinæ homines primi per lapſum,ſuâ culpâ, maxima ex parte amiſiſſent, pro luce illa Dei, ignorantiam illius, & rerum divinarum maximam acceperunt. Atq; hoc,proh dolor,miſeriæ & inopiæ

piæ noſtræ caput & initium eſt, unde ſcholarum inſtituendarum neceſſitas,quibus ſcil.amiſſas præclaras hasce dotes, quantum quidem fieri poſſit,recuperaremus. Nam ſcitis, animalem hominem poſt hunc lapſum primorum hominũ, minimè eſſe capacem eorum,quæ ſunt ſpiritus Dei,& intelligentiam carnis adverſus Deum inimicitiam eſſe: adeò quidem,ut nec idoneus homo remanſerit ad quidquam boni cogitandum,ſed omne figmentum cogitationis & cordis humani,ab initio tantùm ad malum ſit ppenſum. Unde in reprobis etiamnum ſpiritus ſoporis,torporis efficacia, illuſionum & tetra impuritas & ſentina vitiorum, horror conſcientiæ, impotentia,horrenda ἀπαξία & mors æterna. En, in quas deformitates & defectus nos lapſus ille conjecit! Quomodo autẽ ex hisce miſeriis & calamitatibus homo eluctari potuerit, hoc opus, hic labor. Planè ſuis viribus nunquam potuiſſet, ſcripturâ teſtante.Omnes igitur ipſius labores inanes,omnia conſilia irrita. Miſericors verò Deus illius miſertus,ſtatim poſt lapſum hunc, viam,media & modum oſtendit. Primùm ad eripiendum nos dominio Satanæ, voluit per filium à poteſtate tenebrarum nos liberare, & in regnum filii ſui transferre.Deinde,ad animæ dotes corruptas & imaginem Dei in nobis inſtaurandam & reparandam utitur tum artium & diſciplinarũ theoriâ & praxi,tum imprimis verbo Dei. Cognitio de voluntate Dei & Chriſto redẽptore noſtro, ex ſacro Dei verbo petitur, in ſcholis docetur & diſcitur,ſine qua cognitione & intellectu homo comparatur jumentis, *Pſal.49.13.14.15. Pſal.32.9.* Artium cognitionem peculiari Dei beneficio,primi illi homines hauſerunt ex immotis naturæ principiis,ſenſu,obſervatione,inductione & experientiâ, ex quibus artes illi genuerunt. Unde præſtantes illi, qui in *Geneſi c.4.& ſeqq.* prædicantur, primi artifices & inventores extiterunt. De quibus plura Polydorus Virgil. Harum artium inventarum ſcientiam iidem inventores primi,poſtea inſtitutione fideli juventuti, & poſteris ſuis commendarunt, & inculcarunt,& quaſi per manus tradiderunt. Planè ſi natura noſtra in ea puritate & integritate, in qua condita fuit,permaniſiſſet,tum omnes homines naturâ perfecti Logici,Rhetores,Theologi, JCti, Medici,Ethici & Politici,imò omnium virtutum viva exemplaria extitiſſent, nec ſchola, aut inſtitutio ulla neceſſaria fuiſſet. Eſſent in

toto terrarum orbe tanquam in refertissimo theatro, homines justi, sapientes, pii, prudentes, temperantes, casti, imò etiã in pueris nulla stultitia vel temeritas reperiretur. Essent, inquam, in hominibus clarissima pietatis, sanctitatis & justitiæ exempla. Nunc verò, proh dolor, horum omnium privatio & depravatio lapsum hominis consecuta, totius naturæ nostræ vires afflixit & penè extinxit, quas nunc magno labore & studio discendi, ex parte vix recuperare possumus. Nam sicut ager, quantumcunque fertilis, absq; cultura fructuosus esse non potest, ita & nunc post lapsum naturâ est comparatum. Animus sine doctrina & disciplina, sine studio & labore, bonarumq; rerum cognitione, excultus esse non potest. Unde & apud Ethnicos trita sententia extitit: *Dii dona sua laboribus vendunt.* Nam anima, cum corpus intrat, est tanquam tabula rasa, cui innata est omnium rerum ignorantia, & cui rerũ notiones postea sunt inscribendæ, ut scientia, pulsâ ignorantia, succedat, quâ anima perficitur & suæ pristinæ conditioni atq; bonitati, quam in creatione ante lapsum acceperat, aliquo modo restituitur. Unde rectè Imp. *in authent. habita. C. ne filius pro pat.* dicit, per scientiam mundum illustrari. *Et Tullius de natura Deorum, Nihil, inquit, est, per quod magis diis immortalibus similes simus, quàm per scientiam.* Sed ut cognoscamus & per transennam quasi præclarissimas & pretiosissimas scholarum merces conspiciamus, pauca quædã ex iis, quæ in scholis docentur & discuntur, delibabo. Incipiã de scientia legendi & scribendi. Hanc quis ex nobis non parvi præ reliquis artibus æstimat? sed tamen illa necessaria, utilis & mirabilis maximè. Legenda .n. cognoscenda & scrutanda nobis scripta, tam sacra quàm profana, aliæque artes, quibus hominis vita informatur, & societas humana colitur: Sine hoc necessario medio, literarum scilicet lectione, ad præclarissimarum & necessariarum harum rerum cognitionem pervenire non possumus. Lectione scripturarum ad Dei cognitionem deducti sunt Beroënses, *Act. c. 17. 11.* camerarius Candaces reginæ, *Act. c. 8.* Et quoties Christus se refert ad scripturarum lectionem, Uti scriptum est *Matth. c. 4. Rom. c. 15. 4.* Legere verò qui potest ille, qui non in scholis didicit? Quomodo fructus lectionis sine scientia legendi & scribendi consequi, imò quomodo cognitã semel memoriâ retinere possumus? Nam multa quæ scimus, ex humana infirmitate

firmitate oblivione tradimus, experientiâ testante. Literis consignata verò semel, permanent, & oculis & menti perpetuò subjici possunt. Hisce præclarorum virorum facta egregia, hisce Dei mirabilia consignamus, & quasi immortalitati apud nos consecramus. Ahasuerus rex insomnem noctem transigens, jussit sibi adferri & legi historias & annales priorum temporum, *Esth. cap. 6.* Sic & annales regum & rerum gestarum objecerunt Artaxerxi regi, *Esd. c. 4. Idcirco*, ajunt, *misimus & nunciavimus regi, ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum, & invenies scriptum in commentariis, & scies &c.* Et quoties dicitur in libris regum, Nonne scriptum hoc extat in libris Chronicorũ? quoties se Apostoli referunt ad scripturam veteris Testamenti, Mosis & prophetarum? Literis animi tacita cogitata aliis etiam absentibus & remotissimis per epistolas vel scripturam patefacimus absentes, imò hisce & mortui loqui non desinimus. Mirabile quid DEUS in arte scribendi & legendi in vilissimis chartis & scriptura omnibus conspicuum proponit. Quod tamen ob satietatem & usum quotidianum parvi facimus. Audi, quid de hoc DEI beneficio & scripturæ excellentia Americani judicaverint, quibus hæc ars scribendi & legendi usque ad nostrum seculum ignota fuit. Refert Benzo in historia novi illius orbis, cùm gentiles homines illius orbis viderent Hispanos suos victores & dominos, animi cogitata per chartas leves, aliis etiam absentib. patefacere, hoc ipsum ad stuporem & miraculum usque admirati sunt, & chartas ori, auribus, oculis admotis, cùm vim nullam iis inesse perspicerent, concludebant, divinum quid in hisce hominibus esse, quos ideo quidam eorum, tanquam deos coluerunt. Planè sine hac legendi & scribendi scientia omnes historiæ & artes sepultæ jacerent, nihilque de plurimis DEI miraculis & operibus divinis constaret. Literis hisce earumque scientiâ sublatis, quid inter nos & inhumanos ferosque alios homines interesset? Literæ lux temporum sunt & fidelissimus rerum factorumque custos. Et hæc quidem commoda ex legendi & scribendi peritia in genus humanum profluunt, quæ ars inter alias infimum locum sortita est. Quid dicam de fructibus Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ, & aliarum artium superiorum? Arithmeticæ & Geometriæ beneficio homo quasi in cælum ascendit ad sidera & planetas, orbes cœlestes

discurrit, rerum quantitatem, locorum distantiam, longitudinem, latitudinem metitur, describit, totam mundi machinam percurrit, in eaque suavissimâ operum Dei cognitione se oblectat. Hinc posteà de tempestatibus anni temporibus colligit, statuit, directionique suorum negotiorum utiliter accommodat: locorum spacia, distantias, intervalla indagat, quantitatem, numerum, latitudinem, altitudinem, profunditatem, crassitudinem rerum describit. Sed quis enumeret hos omnes & singulos matheseos fructus? Extant integra volumina scripta, quæ loquuntur. Ex hujus matheseos beneficio etiam Musica suam traxit originem. In hac si non tanta necessitas, quanta in scribendi, legendi peritia, quanta in Arithmetica & Geometria; major tamen ejus jucunditas & suavitas, in dulci illa sonorum diversorum harmonia. Hanc & olim & hodie magni Principes magnis stipendiis coluerunt & conducere solent. Hujus quoq; in Ecclesia prisca Judæorum & in aulis piorum regum, Davidis, Salomonis & aliorum, magnus usus & dignitas fuit. Quid dicam de Rhetorica? quid de Logica? earumq; insigni usu & necessitate in vita humana? Nihil tam est incredibile, *ait Cicero*, quod dicendo non fiat probabile, nihil tam horridum atq; incultũ, quod non splendescat oratione. Hac populus furens reprimitur & metu perculsus, excitatur, *ut Maro describit*:

Ac velut magno in populo cùm sæpe coorta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus.
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum quem
Conspexêre, silent, arrectisq; auribus adstant;
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Unde eloquentiam flexanimam ψυχαγωγὸν Ennius vocat, quòd animum, in quamcunque partem vellet, raperet. Eloquentiâ ad Dei cognitionem ejusq; cultum multi sunt traducti, & ab atrocissimis facinoribus patrandis avocati. Eloquentiâ multæ urbes sunt constitutæ, & plurima bella restincta, pax conciliata, & amicitiæ ac societates constitutæ. Plato ideo hanc artem peritiam incantandi, adulandi & fucandi vocat. Logica, quia rerum notiones & argumenta suppeditat, & judicium hominis informat atq; acuit, quis non similiter necessariam diceret? Occupatur circa id quod hominem à bestiis distinguit, Rationem; quæ, cùm lapsu primorum hominum

minum valde debilitata, obscurata & corrupta fuerit, instauratione hac imprimis opus habet. Sed de hac logicarum artium usu nihil amplius dicam. Harum enim artium usus & necessitas ita apud omnes manifesta est, ut meo testimonio non sit opus. Encomia harum indies ferè auditis, ita ut verear, si de harum laudib. aliquid dicere vellem, ne aurib. vestris molestus sim, & parũ dixisse videar, etiamsi totum diem dicendo consumerem. Omisso igitur sermone de hisce, ad altiora & magis necessaria humano generi veniamus; quamvis & prioribus nullo modo indigere possumus, sine quib. ad reliquas artes non patet aditus. Quid igitur de rerum naturalium scientia, seu Physica dicã? Hæc rerum naturas & proprietates docet, quæ sit hominis, quæq; bestiæ & cæterarum rerũ omnium, quæ cælo, mari terraq; continentur, natura à Deo illis indita, quæ virtus, quæ operatio naturalis, quæ præternaturalis. Quæso, nónne harum rerum consideratio etiam apud ethnicos & atheos cognitionẽ de Deo peperit, ut quod de Deo scire potest, ex natura & rebus conditis mundi, Deus illis manifestaverit, ut docet Apostolus *Rom. c. 1.* adeò ut ex hac cognitione etiã illi inexcusabiles teddantur, quando omiserunt facienda, vel fecerunt omittenda, conscientiâ illis suggerente, & accusante scelera, atq; excusante ob innocentiam: *Rom. c. 2.* Quid dicam de meteoris, de natura tot planetarum, tot animalium, tot populorum & regionũ diversissimarum? Quid de causis, signis & generibus morborum, de sanitate tuenda, vel amissa recuperanda? Quid de innumerabilibus aliis, quibus tota scientia & ars physica & medica abundat, & sine quibus misera omnino vita nostra futura esset. Ob ejusmodi rerum creatarum excellentiam & utilitatem necessitate conjunctam, regius prophera David, Salomo & alii sapientes, Creatoris sapientiam & potentiam summam, cum summa admiratione prædicarunt. Sed & hæc, quia indies in scholis docentur & discuntur, quid opus est nunc dicere? Progrediar ad majora hisce, ad doctrinam theologicam & juridicam, artes practicas. Quarum artium usus magis necessarius in mundo, quàm solis & elementorum. Sine quib. humana vita constare nullo modo potest, & quib. nulla vitæ pars vacare potest. De te, sacrosancta igitur & veneranda Theologia, meliori jure id quod Cicero olim de philosophia, exclamare possum: O vitæ Theologia dux! ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non

modò nos, sed omnino vita hominum, sine te esse potuisset? Tu nos primùm ad Dei cultum revocasti, tu ab animo nostro, tanquam ab oculis caliginem dispulisti, tu vitia extrahis, & præparas animos ad fatus percipiendos. Tu mederis animis, solicitudines detrahis, cupiditatibus liberas, tu pellis timores. Quis summum bonum, creatorem cæli & terræ, Deum Opt. Max. omnipotentem, misericordem, redemptorem, sanctificantem & justificantem nos, sine te unquam cognoscere potuisset? imò quis penitiùs seipsum & suæ naturæ pravitatem, malitiam & reatum absque tuo ductu intellexisset? Unde meritò scientia theologica omnes alias longissimè excellit, & scientia scientiarum & regina meritò dicitur. Hæc scopum ostendit, ad quem omnes aliæ artes collimare debent. Hæc viam vitæ & lucernã pedib. nostris ostendit, ut celebrat propheta *in Ps. 119.* Te duce & comite, pii homines & probi redduntur, qui Rempub. etiam malam tanquam fulcra sustinent, quo minùs justâ DEI pœnâ corruat, *Esa. cap. 6. 13. & c. 1. 9.* Est enim pius vir pretiosus thesaurus Reip. qui se exitio Reip. opponit, ne Resp. perdatur à DEO, ut docet exemplũ Abrahami, *Gen. c. 18. 23. & seqq.* Samuelis, *1. Sam. c. 12.* Mosis, *Exod. c. 33.* Pauli, *Act. c. 27.* & scriptura testatur, *Jer. c. 5. 1. Prov. c. 11. 1.* cùm contrà impii & injusti DEI iram, etiam Reip. in qua vivunt, attrahant, *1. Sam. cap. 12. 7. Deut. c. 31. 29. c. 28. Esa. c. 66. 12. de quare Theologi.* De te verò, Politica & Jurisprudentia, quam vocant, quæ dicam elogia? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti. Tu eos inter se primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxisti. Tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti. Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem hominum malorum sustulisti. Tu præmium virtuti & pœnas maleficiis statuis, & suum cuique tribuis. Tu amore virtutis & præmii bonos ad bene agendum invitas, & terrore suppliciorum malos à delinquendo deterres. Tu utilia & necessaria ad socialem hanc vitam invenis, inventa ordinas & constituis. Tu omnia incommoda & nocitura removes. Te meritò veteres donum & inventum deorum dixerunt, *l. 2. de legib.* Tu præmiis invitas & alliçis bonos, & malos contrà pœnis & suppliciis coërces. Tu regna facis ut sint politiæ justæ, & non fiant latrocinia. Tu suum cuique tribuis, & facis ut honestè vivamus, neminemque lædamus. Quam ob causam *Cicero, Nihil*, dicit, *in civitate diligentius retinendum quàm jus civile, quo sublato, exploratum esse nemini potest, quid suum, quid alienum: quid à patre accepturus, & quid liberis porrò relicturus esset: nihil denique inter mortales æquabile, nihil concors remaneret. Proinde qui jus contemnit, non judiciorum modò, sed & publica utilitatis vitæque communis vincula revellit.* Nam ad civium salutem, civitatis incolumitatem hominumque beatam & quietam vitam, leges inventas esse, testatur Cicero *de legibus*, & *Jurisconsult. in l. 7. de legib. l. 2. §. posthac deinde. de orig. jur.* Legisperiti sunt, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus sæpè publicis in rebus ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minùs provident generi humano, quàm si præliis ac vulnetibus patriam parentésque defenderent, ut dicit *Imp. in l. advocati. C. de advoc. div. jud.* Magna sunt hæc beneficia harum artium, & excellentissima bona, sine quibus vita & societas humana nunquam stetit, neq; imposterum ne per momentum quidem stare potest. Felicissimam & beatissimam vitam ducimus eam, in qua DEUM & nosmet ipsos noscimus, & vocationi nostræ congruenter vivimus. At verò quomodo cognitio hæc & vita, quam dixi, sine scholis & sine fideli institutione & informatione haberi potest? *Siracid. cap. 6. cap. 10. cap. 15. cap. 39.* Scimus, nobiscum illam cognitionem non nasci; & dicit scriptura, fidem esse ex auditu, auditum verò ex prædicatione & institutione, *Rom. c. 10. 14.* Et antè dixi, quam miseros & vacuos nos natura in lucem hanc protrudat. Necesse igitur est, ut ex fideli institutione & verbo Dei hanc discamus. Aliunde enim quomodo haberi potest? Liberi Christo sunt adducendi, *Marc. 10. 14.* sine institutione verò quomodo possumus. *Coloss. cap. 3. 16. Sermo Christi, ait Apostolus, inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientiâ docendo & admonendo vos mutuo &c.* Hæc quomodo sine scripturæ lectione & scientia fieri possunt? Nam quæ scripta sunt in sacris literis, ad doctrinam nostram sunt scripta, *Roman. 15. 4.* Necesse igitur est, ut scriptura sacra legatur & doceatur, quod utique sine institutione fieri nequit. *Tota scriptura divinitùs est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia, ut perfectus sit*

homo Dei ad omne bonum opus perfectè instructus, ait Apostolus *2.Timoth.cap.3.16.17. & 2.Petr.cap.1.19.* dicitur, *Lux in tenebris. & in Psalm.119.105. Lux & vita vita.* Hisce bonis si frui cupimus, necesse est, scholas adeamus & salutari illa DEI cognitione nos imbuendos & informandos tradamus. Eò, hujus rei causâ, Christus remittit divitem epulonem, *Luc.cap.16.29.* & adolescentem, *Luc.cap.10.16. Paulus dicit, 1.Timoth.cap.3.2. oportere episcopum esse διδακτικὸν, hoc est*, idoneum ad docendum, & *2.Timoth.cap.2.11. qui sermonem veritatis secare possit. & Tit.cap.1.9. qui possit exhortari per doctrinam sanam, & convincere contradicentes. Jerem.cap.3.10. Daturus sum vobis pastores ex animi mei sententia, qui pascent vos scientiâ & intelligentiâ.* Sine fideli institutione scholastica & artium cognitione quis præter Apostolos illud facere potuit. Discendæ sunt linguæ veteres, in quibus doctrina de DEO traditur. Addenda est Philosophiæ cognitio, quam DEI donum veteres Theologi etiam dixerunt. Addendi ratio disserendi, tropicas locutiones à propriis cognoscendi, & distinguendi notitia historiarum & antiquitatis conjungenda. cognoscenda judicia aliorum doctorum; ethnicorum scripta etiam legenda, quibus Apostolus hanc laudem tribuit, quòd illi cognoverint id, quod de DEO sciri potest, quanquam DEUM non glorificarint, *Roman.cap.1.* conferenda & examinanda omnia, & quod bonum est, retinendum, exemplo Pauli citantis quædam ethnicorum dicta: exemplo Augustini & aliorum veterum eximiorum Theologorum: exemplo Mosis, Josephi, Salomonis, Danielis, qui mundanam eruditionem cum divina conjunxerunt: Et Christus dicit, Scribam doctum proferre nova & vetera. Multa etiam ingenia prava inveniuntur, quæ petulantiâ, ambitione, & φιλονεικίᾳ veritatem detinent & corrumpunt, quantum in se est. Hisce os obstruendum est, & veritas ab horum injuriis vindicanda, & ad posteros transmittenda. Qui verò id sine artium cognitione, quæ in scholis hauritur fieri potest? Nisi superior ætas, majores scilicet nostri, homines in omni scientiarum genere doctos & excellentes habuissent, quomodo hæreticorum fallacias, technas fraudesque aperire, explicare & quomodo sine disserendi peritia evertere potuissent? Egregia illa lumina seculi sui, quæ tempore hæreticorum vixerunt,

runt, tollite, tollite suo seculo Augustinũ, Ambrosium, Hieronymum, Athanasium, Lactantium suo seculo, Cyprianum, Chrysostomum, Bernhardum, aliosque omni genere doctrinarum excultissimos viros, acerrimos, veritatis propugnatores, quorũ egregia eruditione & doctrinâ magno cum commodo usa est Ecclesia primitiva. Hosce tollite, quomodo illa se contra Arianos, Pelagianos, Sabellianos, Donatistas, aliaq; monstra hæreticorum defendere potuisset? Quomodo puram doctrinam ad nos propagare & transmittere? Tolle suo seculo Papinianum JCtum, tolle Ulpianum, Scævolam, Paulum Africanum, Modestinum, Pomponium, aliosque complures JCtos & seculi sui lumina, quàm multis utilibus & necessariis scriptis careremus hodie, & quomodo turbulentissimis temporibus sine ejusmodi hominibus Resp. conservari & continuari potuisset? Tolle Galenum, tolle Hippocratem, quomodo medica facultas salutaris, tam exculta ad nostras manus pervenire potuisset? Omitto alios doctos plurimos, quos enumerare esset prolixum & fastidiosum. Ex quibus omnibus hoc contendo & concludo, non potuisse doctrinam pietatis, justitiæ, sapientiæ, aliarumq; virtutum, sine scholis & fideli institutione doceri, nec potuisse propagari ad posteros, conservari & defendi sine scholis. Atq; hęc causa extorsit concilio Toletano & Viennensi olim decretum de Academiis & bonarum artium studiis diligenter conservandis & promovendis. In scholis enim homines ad pietatem veram, vitæ integritatem & morum honestatem formãtur. Ex scholis homines docti, sapientes, excellentes & eruditi sumuntur ad ministeriũ Ecclesiæ & ad Reip. gubernationem. Sic in politia Judaica, ex tribu Levi, quę literis operam dabat, & scholas in toto territorio Reipub. Hebræorum aperiebat, sumebantur judices & reliqui magistratus, *1.Chron.18.14.15. c.23.5.c.26.29.30.* & sacerdotes & omnes ministri Ecclesiæ, *2.Chron.c.23. & c.seqq. Ezech.c.7.24. & seqq. Num.c.27.20. & seqq.* Quod etiam animadvertens ille philosophus, rectè demum fore beatas Resp. quando eas docti, vel philosophi tum dixit, gubernarent: & Sapiens indicat, *Prov.cap.29.18 Cùm non est visio, nudatur populus; qui autem observat legem, ô beatum illum.* Unde benè idem alibi dixit, multitudinem sapientum esse orbis sanitatem. Imperator similiter in Authent. *habita. Cod. ne filius pro patre.* experientiâ

rerum magistrâ edoctus, præclarè dicit, doctorum hominum scientiâ totum mundum illuminari, & ad obediendum DEO & magistratui informari, publica & privata commoda promoveri & procurari. Nam quod oculus in corpore, hoc gymnasia & scholæ in regione aliqua; Et quod ratio & anima in corpore, hoc docti & sapientes in Republ. Ex hisce status in Repub. ecclesiasticus & politicus constituitur, & hi soli ad hoc munus idonei. Sine quibus columnis duabus, uti vocat David *Ps.75.* regnum consistere non potest, sed omnia confusa & turbata erunt. Soli intelligentes & in scholis benè informati ad Reip. gubernacula apti sunt. Unde prophetа ignorantiam juris objicit & exprobrat primoribus & ducibus politiæ Judaicæ, *Mich.cap.3.1. Audite primores Jacob & ductores domus Israëlis, an non vestrum est scire ipsum jus? Jerem.cap.5.5. Ibo ad magnates ipsos. Nam ipsi norunt viam Jehovæ, jus Dei sui &c. Et Psal. 82.5. ignorantibus (magistratibus) & non animadvertentibus, in tenebris ambulantibus illis, dimoventur omnia fundamenta terræ.* Sed præter status, optimates & principes idoneos, utiles & bonos, schola etiam alios in societate politica homines utilissimos & maximè necessarios nobis præbet. Morbo quis affligitur, quis est, qui morbi causas scit, & ægrotum à morbo curare potest, nisi doctus medicus, qui talis in scholis est factus? Hippocrates medicus, cùm pestis universam Græciam absumeret, patriam Græciam incolumem servavit, vastissimæ sylvæ inflammatione, quâ aërem infectum purgavit. Consilio in rebus arduis & gravibus opus est, quis est, qui illud præter doctos & sapientes dare potest? Aristoteles patriam suam consilio suo ex Macedonum hostium manu eripuit. Cicero patriam suam ex Catilinæ faucibus ereptam, contra conjurationem infensissimâ defendit, dum patefecit & oppressit conjuratores, atq; ideò pater patriæ dicebatur. & certè parva foris arma, nisi domi consilium. Melior sapientia, quàm robur & vires, *Sapient. c.6.* imò & quàm fortitudo, *Eccles.c.9.* Græciam tempore Xerxis regis, solus Themistocles philosophus ab imminente periculo liberavit, & potentissimum hostem in Persiam suam redire coëgit, re infectâ. Qua de causa Xerxes dixisse legitur, se non posse gravius malum optare suis hostibus, quàm ut dementia capti, sapientes viros à se alienarent & expellerẽt.

Nam,

Nam, uti Salomo ait *Prov.11.14. Ubi non sunt prudentia consilia, ibi corruit populus. Salus in amplitudine consiliarii.* Lis & controversia est inter partes dissidentes, quis est, qui jus dicere possit, nisi Jurisperitus? Ideo Moses *Deut.c.17.8.9.10.11.* rectè præcepit, dicens: *Si occulta res sit tibi in judicio, adibis eruditos in lege Domini, sacerdotes & judices: ut consulas eos. Hi tibi indicabunt statum causæ, à quorum sententiâ tu ne recedito.* Quis est, qui solidè ex verbo Dei nos instituere, in calamitatibus nos consolari, conscientiâ scelerum, & sensu iræ divinæ prostratos erigere possit, nisi Theologus. Hic est, ex cujus ore requiremus consilium & doctrinam pro animabus nostris. Hic animarum pastor, & Dei internuntius. Hac causâ Deus populum suum solatur apud *Esa.c.30.v.20.* ubi Propheta ait, *Dabit quidem Dominus vobis panem angustiæ, & aquas oppressionis, verùm non includetur angulo ullus docentium te, sed oculi tui videbunt doctores tuos, & aures tuæ audient verbum à tergo tuo dicentium, Hæc est illa via, incedite per eam &c. & tum dabit pluviam sementis tuæ proventus, adeò, ut panis terræ sit uber & pinguis, & in omnib. Deus tibi benedicet &c. ut sequitur in seqq.* Solus sacerdos Jojada, *2.Reg.c.11.* cùm regnante Athaljâ, fœminâ improbissimâ, miserrimus Reip. status esset, omni religione purâ contaminatâ & deletâ, suâ eruditione, pietate & zelo afflictissimam Remp. restituit, cultumq; divinum purum putum reduxit, collegia Levitarum, imò ipsum regẽ ejectum & suppressum in regno collocavit. Ita testantur omnes historiæ, quando Deus Reip. alicui benedicere voluit, eamq; florere, dedit ei homines doctos, sapientes, & in scholis bene institutos & informatos. Cõtrà, quando punire voluit populũ, priùs bonos & doctos viros illi ademit. Unde Josaphat, *2.Chron.c.17.* ex scholarum in regno suo restitutione consecutus est regnũ pacatum. Factus n. pavor super omnia regna terrarũ, quia, ut dicit textus, Deum patris sui requirebat, & non imitabatur factũ Israëlitarũ, sed in omnes regni sui partes misit doctores, qui subditos in lege Dei informarent. Ideo huic regi confirmavit Jehova regnũ in manũ, & metus Jehovæ omnia regna pervasit, ut non gererent bella contra Josaphatum, & ipse crevit valde. Sic & rex Ezechias, *2.Chron.c.30. & 31.* Sunt hæc egregia cõmoda, quæ ex scholis & à sapientib. viris in scholis institutis, in omnes Reip. partes dimanant. Dat enim schola Reip. gu-

bernatores peritos, consiliarios bonos, & ministros idoneos & utiles; Ecclesiæ eximios episcopos, doctores, pastores & prophetas. In *Act.c.7.* legitur propheta Moses in omni sapientia Ægyptiorũ institutus fuisse, & Daniel propheta in scientia eruditus, *Dan.c.1.* & apostolus Paulus ad pedes Gamalielis informatus. Philippus rex Macedonũ pater Alexandri Magni ad Aristotelẽ, nato Alexandro filio, scripsit, & sibi gratulatur, filium hunc genitũ sibi, atq; diis gratias agit, nõ quia natº sibi esset filius, sed quia suis temporib. fuerit natus. Spero n. dicit, ut à te edoctus & eruditus, dignus regno fieri possit. Gell. *lib.9.c.3.* Ab hoc præceptore Aristotele Alexander Magnus posteà etiam institutus, talis evasit, qualis extitit, h.e. uti dicit Curtius, ut in toto regno nihil pulchrius, nihilq; præclarius ipso rege Alexandro extiterit. Ita omnes suos subditos sapientiâ, prudentiâ, justitiâ & fortitudine, atq; aliis virtutib. quibus à præceptore erat informatus, superabat. Si igitur in Rep. & Ecclesia bonos duces, gubernatores & ministros cupimus, necesse est, ut scholas, in quib. tales informantur, conservemus. Ex scholis David rex pius & sapiens sibi ministros tales delegit, ex quibus temporib. periculosissimis apud se sacerdotes cõsiliariosq; doctos habuisse legitur, *1.Chron.c.27. 32.33.c.13.1.2.& seqq.* Josaphat horũ beneficio regnum florentissimũ habuit, *2.Chron.c.17.* itẽ Ezechias, *2.Chron.c.30.* Quamdiu etiã Joas rex cõsilio Jehojadæ usus est in regni sui administratione, & hunc ille docuit, fecit rectum corã Jehova, *2.Reg.c.12.* At hoc mortuo, defecit, & miserè posteà à servis propriis interfectus periit. Quamdiu etiã Zacharias regẽ Huziam informavit & instituit, rectè & piè vixit: & Jehova eundẽ secundavit, ut habetur *2.Chron.c.26.4.5.6.* Quamdiu rex Salomo viros doctos, pios & sapientes habuit, eorumq; consilio usus est, regnum florentissimũ habuit, sed conversus posteà ad idola, regnũ filio Rehabeam turbatum & afflictum reliquit. Esdras post reditũ è captivitate Babylonicâ Remp. & Ecclesiam Judæorum restauraturus, quid agit? Primò omnes sacræ scripturæ libros inquisivit & collegit, posteà scholas & synagogas instituit & aperuit. Sed exemplis quoq; aliorum rem illustremus. Carolus Magnus, quòd collapsas scholas & Academias erexerit, Magni nomen est cõsecutus. Saron, Gallorum rex, cùm ferociã Gallorum compescere non posset, & in officio continere, publica gymnasia introduxit, quib. ferocia ingenia mitigavit, & ad humanitatem traduxit. Schola enim est institutio liberalis, quæ emollit mores, nec sinit esse feros. Ideo Cicero alibi, *Nihil*, ait, *hominũ vitæ datũ melius, quàm illa mysteria, quib. ex agresti immaniq; vitâ exculti, ad humanitatem traducti sumus. Bonarum enim artium mater philosophia, urbes peperit, & belluinos dissipatosq; homines conjunxit in unum locum: atq; inventrix legum, morum & disciplinæ magistra fuit.* Julius Cæsar ex Ægypto insignes mathematicos in Italiã adduxit. Augustus Octavius hujus successor, juventuti præceptores optimos constituit. Vespasianus ingenia & artes maximè fovit, iisq; salaria constituit: Sueton. in Vesp. *c.13.* De Nerva & Trajano idem refert Dio. Hadrianus etiã scholas & bibliothecas plurimas instituit. Quos omnes tamen in eadem causa superant Constantinus & Theodosius, ut refert Nicephorus *lib.10.c.32.& lib.14.c.3.* Carolus IV. Romanorum Imperator in scholam Pragensem aliquando ingressus, cùm disputantes philosophos per horas quatuor audivisset, & purpurati cænę tempus adesse dicerent, respondit: *Mihi tempus minimè: Nam cœna mea hæc est*, ut testatur Cranzius *lib.10. Vandaliæ.* Alphonsus Arragonum rex sæpissimè lectionibus professorum interfuit, ut testatur Panormitan. *lib.1. de reb. gestis ipsius.* Ludovicus XII. Gallorum rex potentissimus, Ticini Jasonis Jurisconsulti auditorium ingressus, scholasticis silentium indixit, atque iis immixtus consedit, & docentem Jasonem per horam audivit. Post lectionem verò sibi à latere comitem Jasonem esse voluit tecto capite, quem togâ aureâ donavit. Narrat Bodinus, quòd Selimus Turcarum imperator, commentaria Cæsaris primus in vernaculam linguam transferri curaverit, ex iisq; bellandi arte instructus, magnam Africæ & Asiæ minoris partem, cum majorum imperio conjunxerit. Artaxerxes rex Persarum, Hiscam præfecto Hellesponti scripsit, ut Hippocratem medicum, quibuscunque posset fieri, præmiis in familiam suam invitaret. Et alia exempla plura refert Chassan. *in catalog. gloriæ mundi, considerat. 7. part. 10.* Simanca *de Republ. libr.9. cap.26.* Quid dicam de eximiis privilegiis, quibus studia bonarum artium ob insignem earum utilitatem Imperatores ornarunt? De hisce privilegiis & immunitatibus licet videre *titulum C. de profess. & medic. toto titulo C. de episcopis & clericis, titulum de*

sacrosancta Eccles. Novell.5.6.7.8.9.11.46. Inprimis verò de docentium & discentiũ privilegiis Imperatorum constitutiones extant *in l.3.l.5.l.8. C.de profess.& medic. l.8.§.4.l.6.l.11. de mun.& honor. Nov.131.apud Horat.Luc.de privilegiis studiosorum.* Pet.Greg.*lib.3.c.7.lib.13.c.20.lib.18.c.7.de Rep.* quæ privilegia etiã in sacra scriptura approbata videre licet, *Exod. c.30.22.& seqq. Num.c.1.47.49.5.lib.3.Esd.c.8.24.25.* Hæc eximia & magna privilegia tot Imperatores & pii magistratus, docentib. & discentibus nunquã tribuissent, nisi scholas conservare Ecclesiæ & Reip. maximè interesset. Rem enim magnam ob utilitatem & necessitatẽ suam, homines sapientes in pretio habere solent. Ideoq; Ecclesia inter gravissimas calamitates privationẽ scholarum & synagogarum in Rep. refert, cùm ita conqueruntur pii in *Psal.74.7. Immiserunt ignem in sanctuaria tua, dejicientes in terram profanarunt tabernaculum nominis tui, incenderunt omnes synagogas Dei fortis, dejicientes in terram: insignia nostra non videmus: Non est amplius propheta, neq; est apud nos, qui sciat usq; quò.* Ezechiel propheta, cùm pœnam & iram Dei declarare vellet *c.7.26.* dicit: *Ærumna superveniet ærumnæ: desiderabunt visionem à propheta, & lex peribit à sacerdote, consiliumq; à senibus. Salomo Prov.c.19. Ubi non est prophetia, inquit, dissipabitur populus. & Esa.c.3.2.3.& seqq. miserrimus Reip. status describitur, ubi nulli doctores & præsides; 2.Chron.c.15.3. dies multi aguntur Israëlitis sine Deo vero, & sine sacerdote docente, ac sine lege. Amos c.8.11.12.13.c.9.11.12.& seqq.* Fundamenta terræ dimoveri ignorantib. & non animadvertentibus malis & impiis magistratib. conqueritur Psaltes *Psal. 82.5.* Sed ad nostra secula nos convertamus. Quando Ecclesia Romana ad tantam defecit barbariem doctrinæ, morum & religionis? Nimirum, postquã scholę aut penitus neglectæ fuerunt, aut sanè barbaris sophistarum literis corruptæ. Qui præterea maximè Ecclesiæ & Reip. nocuerunt? Illi sanè, qui scholas honestarum artium deleverunt: sicuti Julianus Apostata tum maximè nocuisse legitur, quando scholas bonarũ artium clausit Christianis; & Antiochus, quando scripturam sacram veteris testamenti abolere voluit, *1.Machab.c.1.59.* Contrà, qui optimè de Ecclesia & Rep. meriti sunt? Omnium judicio illi, qui hospitia ecclesiæ & scholis præbuerunt. Adhuc est ob oculos exemplum Germaniæ: in hac simul cum bonis

bonis artibus & disciplinis, patrum nostrorum memoriâ studium sacrarum literarum etiam restitutum, & integritas cultus divini & veritas, quę sub Papatu in regno tenebrarum per multos annos pressa corruptaq; erat. Nimirum, ut deletis vel neglectis scholis, nulla Resp. diu stetit, aut stare potuit, sic excultis illis regna florentissima plurima extiterunt. Quid aliud diluvium induxit in primo illo seculo, quàm quòd nulla cura haberetur institutionis & scholarum. Unde homines profani, impii, athei, & obbrutescentes, pœnas hasce sibi attraxerunt. Quid aliud Judæis pernicieim & deportationem Babylonicam attulit? quid clades & alias calamitates illis peperit, nisi quòd Levitæ & sacerdotes, & totus populus officiũ suum in docendo & discendo neglexissent? Nã si sapientum & doctorum hominũ multitudo est orbis sanitas & oculus: horum defectus & ademptio quid aliud, quàm morbus & cæcitas? Si doctrina scholarum est officina pietatis & virtutum, seminarium Reip. & ecclesiæ, quid aliud privatio hatũ, quàm atheismus, epicureismus, & regnum tenebrarum? Homo sine literis & scientiâ, jumento comparatur, *Psal.49.& 32.* Unde Diogenes videns divitẽ literarum ignarum, sedentem super lapidem, dixit: *Lapis super Lapidem.* Si enim doctorum hominum scientiâ mundus illustratur, quid aliud imperitorum ignorantiâ, quàm mundi obscuratio? Imperito verò homine nihil iniquius. Et cæcus cæci dux si est, nónne ambo cadent in foveam? sed non est opus, ut rem manifestam ob oculos positam, ampliùs declarem.

Venio igitur ad ANTIQUITATEM scholarum, de qua secundo loco dicere constitueram. Hanc cùm ex fide dignis testibus probare cupiam, eâm nullo alio ex fundamento meliùs & certiùs, quàm ex sacra scriptura, quę omniũ historiarum antiquissima & certissima est, demonstrari posse arbitror. Videamus ergo, quid de schola sacra scriptura nobis tradiderit: Hoc ut dilucidius fiat, tres temporũ periodos mihi hac in causa observandas esse existimo. Nimirum, quisnam scholarum status fuerit à tempore mundi conditi, usq; ad tempora Judicum & Regum. Deinde, qualis sub Judicib. & Regibus politiæ Mosaicæ, usq; ad Christi adventum. Et deniq; qualis sub apostolis & primitiva Ecclesia ad hæc nostra usq; tempora. Nam, non eadem in his omnibus scholarum ratio fuit, nec status idem. In prima periodo, quam

dixi, scholæ & exercitia pietatis & bonarum artium pauca, eaque magnâ ex parte privata fuerunt. Nam cùm exiguus hominum numerus illo tempore esset, ex iisq; pauci studiosi pietatis, justitiæ aliarumque virtutum, quorsum scholas plures, easque publicas aperire & constituere necesse fuit, aut etiam plures constitui potuerunt? uti posteà hominum numero aucto & mundo repleto? Sed videamus tamen, quæ illo tempore primi seculi pietatis, justitiæ aliarumque virtutum exercitia quæque illarum officinæ extiterint. Schola prima domestica & privata fuit in domo Adami, in qua de fide & nascituro Christo Abel institutus fuit, uti colligitur ex *capite 11. ad Hebræos.* & post hunc frater ejusdem Seth, quo tempore (testante scripturâ) nomen Jehovæ publicè prædicari & invocari cœptum est, *Genes. cap. 4. 26.* Abel verò, de quo dixi, quomodo sine fide meliorem hostiam Deo offerre potuisset, quàm Cain? Et Seth cum familia Deum incognitum qui invocare potuisset? Cognoscere verò eundem Deum sine privatâ domesticâ institutione & scholis pietatis, quomodo homines naturâ cæci potuissent? Fides enim non nobiscum nascitur, sed ex auditu verbi Dei, & institutione generatur, *Rom. cap. 10. 14.* Nec animalis homo est capax eorum, quæ sunt Spiritus. Fuisse ergo scholam tempore Sethi duntaxat in familia illa colligimus. De posteris Sethi idem legimus. Nam Noah post diluvium holocausta & odorem gratum Deo exhibuisse, constat ex *c. 20. 21. Gen.* Posteà & Abraham in sua familia scholam habuit. Nam ex patria sua Ur Chaldæorum profectus, circa Bethel Jehovæ legitur altare ædificasse, & nomen Jehovæ aliquoties invocasse, *Genes. c. 12. 8. c. 13. 4. 18. & c. 15. 9. 10. 11.* De hujus Abrahami institutione Deus testimoniũ ferens in *c. 17. Gen.* dicit, *Ego sum Deus omnipotens, indesinenter coram me ambula, & esto integer.* Quo tempore signum fœderis, circumcisionem, accepit, & præclarum illud testimonium, quod legitur *c. 18. 19. Nam ego, dicit Jehova, agnovi Abrahamũ, ut cùm præceperit filiis suis, & familiæ post se, etiam observent viam Jehovæ, exercendo justitiam & jus, utq; præstet Jehova Abrahamo id quod promisit.* Quid hic apertius de juventutis fideli institutione dici potuit? quid expressius de institutionis hujus propagatione ad posteros? *Scio,* inquit Jehova, *quòd præcepturus sit filiis suis, & familiæ suæ post se, eamq; instituturus in viis domini.*

Nam

Nam solebant patres totam suam familiam erudire, uti colligitur *ex Joh. c. 4. 53. Act. c. 10. 2. 24. 33. c. 16. 33.* Tempore Adami & Sethi scholam fuisse, ex necessariis causis collegimus? hic verò tempore Abrahami extitisse scholam & juventutis institutionem, aperto testimonio evicimus. Hæc Abrahami institutio pia familiæ & domesticorum, repetitur *c. 20. 17. c. 21. 33. c. 22. 14. 15. & seqq. cap. 24.* & commendatur iterum *in c. 26. 5.* quam hujus filius Isaac à patre acceptam, continuavit & posteris suis tradidit, ut videre licet *Gen. c. 25. 2. c. 26. 25. c. 28. 1. 2. 3. 4.* Quid nunc dicam de Jacobo, Isaaci successore & filio? Hic similiter exercitia pietatis à patre accepta, toto vitæ suæ tempore coluit, & liberis suis tradidisse legitur, *Gen. c. 28. 18. & seqq. c. 31. 11. 12. 13. 53. 54. c. 33. 20. c. 35. 1. 2. 3. 4. & seqq.* ubi prolixè Jacob liberos & uxores totamq; familiam suam de Deo ipsiusq; cultu docuit, eamque institutionem repetiit, *c. 46. 1. 2. c. 48. c. 49.* ubi liberos suos congregatos docuit de rebus gravissimis futuris. Atq; hæc privata domestica schola & institutio in familia Abrahami continuata, & quasi per manus transmissa fuit ad posteros ejusdem per annos quadringentos, & usq; ad nativitatem Mosis & liberationẽ atq; migrationem populi ex Ægypto duravit. Atq; sic ex Jacobi schola, posterorũ Jacobi scholam, quę fuit in Ægypto, ingrediamur, quæ nos deducet in secundã periodum temporum, scholas scil. populi Israëlitici aucti & viventis sub judicib. & regib. Quis ergo scholarũ status fuit in hac periodo? in Ægypto quidẽ scholæ & institutiones fuerunt privatæ & domesticæ, quas quilibet in familia & domo sua exercuit. Post Jacobũ quidem Joseph in Ægypto fratres suos & totã familiã de voluntate & exitu populi Israelitici ex Ægyto docuit, ut habetur *Genes. c. 50. 23.* Post Josephum quælibet tribus in sua familia scholas habuit, eo usque quo Deus Mosen & Aaronem legis & voluntatis suæ interpretes & internuncios publicos excitavit, qui postea docendi munus ex mandato Dei susceperunt. Nam cùm populus Israëliticus mirum in modum auctus esset, quomodo prior domestica privata institutio sufficere potuit? Ergo ipsa populi Judaici aucti utilitas, necessitas & Dei gloria institutionem publicã desideravit. Hæc ergo publica institutio primò, ut dixi, Mosi & Aaroni à Deo ipso fuit cõmendata. Posteà verò cùm nec hi duo

sufficerent, toti tribui Leviticæ, uti apparet ex *Exod.c.3.c.4. c.5.& seqq.c.13.cap.28.& seqq.* Moses igitur & Aaron primi populi doctores publici, suos discipulos & totum populum instituerunt & docuerunt de agno paschali, ut habetur *Exod.c.12. Deut.c.4.14.* de manna, *Exod.c.16.* de consecratione primogenitorum, *c.13.* de liberatione facta, *c.15.* de justitia & de judiciis, *cap.18.* de Decalogo, *c.20.* Præscripserunt quoque leges ceremoniales, de cultu divino, *Exod.c.28. & seqq.* similiter leges judiciales politicas & jura docuerunt. Hoc est, ut summatim dicam, Theologiam & Jurisprudentiam tradiderunt. Hoc leges, quas dixi, & præcepta, quæ literis consignata nobis reliquerunt, luculenter docent. Quæso enim, de quibus rebus aliis, quàm de theologicis & juridicis loquuntur? Sed audiamus de hac re, quæ extant, testimonia sacra. *Deut.c.4.14. Mihi*, ait Moses, *præcepit Jehova, tempore illo docere vos statuta & judicia, ut exerceatis ea in terra, quò mox transituri estis. & c.5.1. Hæc est lex illa, quam proposuit Moses filiis Israëlis. & v.7. & passim alicubi.* Quis igitur amplius, cùm mandatum Dei de docendis & instituendis Israëlitis extet, deque doctrina ab ipsis tradita constet, de scholis eorundem publicis dubitabit? Quasi scilicet institutio sine schola, docentes sine discentibus, præceptor sine discipulo esse, aut intelligi possit? Expressiora Dei mandata de domesticis scholis instituendis requiritis? Extant *Deut.c.6.6. Et erunt, ait Jehova, pcepta ista, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: eaq; acutè ingeres filiis tuis, ac loqueris de iis cùm sedes domi tuæ, cùm ambulas p viã, cùm cubas, cùm surgis, & seqq. & c.4.10. ut*, ait, *discant illi timere me, quibuscunq; diebus victuri sunt sup terrã: & doceant filios suos. & c.6.20. dicit Moses, Cùm interrogaverit te filius tuus posthac, dicendo, Quid sibi volunt testimonia, statuta & judicia illa, quæ præcepit Deus Jehova noster vobis? Dices filio: Servi eramus in Ægypto, &c. & præcepit nobis Jehova exercere omnia statuta ista, timendo Deum Jehovam nostrum. & quod Ex. cap.12.24. & seqq. & Deut. c.11.19. repetitur. Præterea*, ait, *docebitis ea filios vestros, loquendo de eis, quum sedes domi tuæ, cùm incedis per viam, & cum jaces & cum surgis.* Publicæ igitur Scholæ Israëliticæ, primi doctores fuerunt Moses & Aaron, cùm interim privatæ scholæ domesticæ ab iisdem non sublatæ, sed confirmatæ fuerint. Sed cùm hi duo publici

publici doctores in tanta populi frequentia & turba sufficere non possent, suasit utilitas & necessitas, ut plures tum scholæ publicæ diversis in locis, tum doctores & scholarchæ plures constituerentur. Doctorum illorum quidam ordinarii fuerunt, ut Levitæ, seu tota tribus Levi, uti dixi. Quidam etiam extraordinarii à Deo excitati, quando Levitæ non faciebant officiũ. Tales fuerunt pphetæ. De singulorum horũ officio docendi in scholis & synagogis & ecclesiis, extat *Lev.c.10.11.* ubi Deus de Levitis præcipiens, ait: *Vinũ, vel potũ inebriantem ne bibito, tu aut filii tui, quando ingressuri estis tentorium conventus, ad discernendum inter sacrum & profanum, ad docendum filios Israëlis omnia illa statuta, quæ edixit Jehova per Mosen. & Ezech. c.44. & Malach. c.2. Sacerdotis labia, ait, custodient scientiã, & legem requirent ex ore ipsius, quia angelus Domini est. & Agg. c.2. & Deut. c.18.5. Quia eum selegit Jehova ex omnibus tribubus, ut constanter administret in nomine ipsius, ipse & filii ejus omnibus diebus. Deut. c.17.8. Si occulta res erit tibi, &c. surges & ascendes ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus, & adibis sacerdotes, Levitas, vel summum judicem, qui erit diebus illis, ut consulas eos, & indicent tibi statum illius rei, & observabis, ut facias secundùm ea, quæ te docuerint.* Levitæ hi, ut melius & majori cum fructu docere possent, passim in tota terra & regno Israëlis suas urbes cum suburbanis habuerunt, *Num.c.35. Jos.cap.21.3. 41.* in quibus urbibus, quarum erant quadraginta octo, suas scholas, Academias & synagogas Levitæ habebant, & publicè docebant: posteà verò in singulis civitatibus, in synagogis Levitæ Mosen & prophetas docebant, *Act.15.21. & cap.13.* Sicuti & Christum postea totam Galilæã & Judæam transiisse & in synagogis illarũ docuisse constat, *Matth.c.4.c.9.c.12. & c.13.* Ampliſſimos quoque proventus, decimas, censusque à singulis tribubus Levit æhabebant, ut nimirum liberati curis & mundi negotiis liberiùs & commodiùs docendi muneri & studiosæ juventuti vacare possent. Siquidẽ nemo qui militat, vitæ hujus negotiis implicatur, *2.Tim.c.2.* Levitarum horum quidam discebant, quidã docebant, h.e. quidam discipuli, quidam doctores erant. Discipuli & theorici incumbebant theoriæ & studiis Legis usq; ad annum vigesimũ: ab hoc usque ad trigesimũ ætatis annum, erant intermedii: post trigesimum verò annum fie-

bant practici, & ad munus docendi in synagogis & scholis, vel officia alia ecclesiastica admittebantur, ut patet ex *Num. c.4.3. cap.8.24. 1.Chron.23.26.* ubi Jun. *Esr.c.3.8.* Quidam etiam ex iis populo publicè prælegebant scripturam, eamque interpretabantur, *Nehem. c.8.3. & seqq.c.9.34. Matth. c.23.1.2. & seqq. 2.Chron.c.17.7.8.9.* ubi pius rex Josaphat anno tertio imperii sui legitur misisse per universam Judæam, qui in singulis civitatibus docerent & erudirent populum in synagogis, unde legisperiti & eruditi in lege vocabantur, *Matth.c.13.c.23. Nehem.c.8.2. & seqq.* & Rabbi, tempore Christi, *Joh.c.3.10. Matth.c.23.8.* De religione disputabant, & examinabant eos, qui novum doctrinæ genus sequebantur, *Johan.c.1.19.20.21. Act.cap.4.3.6.7. Luc. cap.12. 11.cap.21.12. Joh.c.9.22.c.12.42.* Quidam ex Levitis res ecclesiasticas curabant, *1.Chron.c.23.4.5. Matth.c.21.23.c.27. 20.* Quidam aream Dei ferebant illique administrabant, *1. Chron.c.15.2.16. & seqq.c.26.per tot. c.23. & seqq.* Quidam templi Diaconi & ministri erant, *Num.c.3. Deut.c.10.* Quidam pro populo precabantur, *Num.c.9.6.* Quidam erant archisynagogi in ecclesia & directores legisperitorum, *Marc. c.5.22. Luc.c.13.11. Act.c.13.15.c.18.8.* Quidam victimas & sacrificia pro populo offerebant, *Levit.c.10.9.* Quidam erant janitores, quidam musici, *1.Chron.c.23. & seqq.* Quidam etiam judices, *Deut.c.17.9.10.11.12. 1.Chron.c.19.8.9. & seqq. c.23.5.c.26.29.30.* Sed cùm Levitarum horum docentium in synagogis & ecclesiis ingens esset numerus tempore Davidis, ideò David, & post eum Salomo, ordines horum ministrorum & docentium constituit: eosque in classes 24. redegit, atque distincta eorum munera tradidit in synagogis & templo Hierosolymitano, ut constat ex *1.Chron.c.23.c.24. c.25.c.27. 2.Chron.c.8.26.cap.23.8. cap.29.25. & seqq.* quæ classes & ordines Levitarum usque ad adventum Christi remanserunt, uti apparet ex *Luc.c.1.2.8. 2.Macch. cap.10.6.7. 1.Esd.c.3.4.5.6.c.6.18. Neh.c.12.44.* etiã in captivitate Babylonica, *Dan.c.1.* & post reditum in patriam Hierosolyma, *Hest. c.1.1,2.c.3.2.4.c.5.2.c.7.6.10.25.c.9. Nehem.c.5.c.7.cap.8.9.10.* Sed quid de extraordinariis doctoribus, prophetis dicemus: Hosce etiam ecclesiarum, synagogarum & scholarum doctores & moderatores fuisse, constat argumento illorum quę dicuntur in *Act.c.13.1. & 1.Cor.c.14.* ubi Apostolus dicit, Qui prophe-

prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem, *1.Cor.c.12.28. Eph.cap.4.12. 1.Cor.c.14.1.3.29.30. Esa.c.1.1.* Sic Samuel propheta, ex institutione summi sacerdotis Heli, *1.Sam.c.1.25.26.c.3.1.2.* scholarum & ecclesiarum egregius doctor suo tempore extitit sub primo rege Judaico, uti habetur in *1.Sã.c.3.20.21. c.7.2. & seqq.c.14.15.16.* & filios à se eruditos judices constituit, *c.8. 1.2. & seqq.* atq; scholam prophetarum, hoc est, discipulorum, instituit & habuit celebrem, cui ipse præfuit in Najoth, *1.Sam.c.19.20.21. & seqq.* Hoc tempore, nimirum sub regibus, alia plurima collegia prophetarum & discipulorum discentium extitisse, probari potest ex *1.Sam.cap.10.5.* ubi dicit Samuel ad Saulem, Fiet, ut occurras turbæ prophetarum descendentium de illo excelso, *& v.11. & seqq. & d.c.19.20. & sequentibus, c.18.9.c.22.11.12. 2.Sam. c.7.3.4.5. & seqq.c.12. 1.Reg.c.13.1.2.* Prophetarum verò filii spirituales, quid aliud, quàm studiosi legis Dei, Theologiæ & juris, seu legis moralis, ceremonialis & forensis, seu judicialis fuerunt? Hoc enim apertè colligitur, imò probatur ex *1.Cor.c.12.c.24. Act.c.2. 17.* Atq; eo tempore vulgò dicebatur, *Etiam Saul inter prophetas,* hoc est, inter discipulos? *1.Sam. cap.10.11.12.* Post Samuelẽ easdem scholas, collegia synagogasque retentas fuisse sub sequentib⁹ regibus constat ex *1.Reg.c.18.13.* ubi Hobadia ad Eliam prophetam & collegio prophetarum præfectum, *Nonne,* inquit, *indicatum est domino meo, quid fecerim, cùm occideret Jesebel prophetas, ut occultavi è prophetis Jehovæ centum quinquagenos viros in una spelunca?* Egregium sanè studium piissimi hujus Hobadiæ in scholis earumque discipulis ad seminarium Ecclesiæ & Reipublicæ conservandũ, occultandis & defendendis? Exempla plura alibi leguntur: imprimis verò *2.Reg. c.2.5. Accedentes filii prophetarum, qui agebant Jerichonte, &c. vers.1.7. Quinquaginta viri è filiis prophetarum euntes constiterunt è regione populi: & vers.15. 16.17. & rursum cap.4.1.2. & sequentibus 38.30. capite 6.1.* Dixerunt, ait textus, *filii prophetarum (qui scilicet discendi causâ Elisæ adhærebant & discipuli erant, quales etiam ab Apostolo filii dicuntur ad Galatas & Corinthios, & Esaiæ capite 8.16.18.) Ecce, jam hic locus, ubi nos considemus, coram te angustior est, (hoc est, auditorium,*

in quo nos doces, est angustius) quàm ut nobis sit satis. Abeamus, quaeso, ad Jordanem, ut accipientes inde quisq; tignum unum, paremus illic locum, ubi habitemus. &c. c.9. Elysa vocato uno ex filiis prophetarum dixit &c. & v.4. Abiit itaque puer ille propheta Ramotas Gilhadis. Quid Amos de se dicat, *ex cap.7.14. constat; Non eram, inquit, propheta, neque filius prophetæ: sed bubulcus eram, perquirens sycomora, cùm adsumpsit me Jehova, & dixit mihi, Abi, prophetato apud populum meum.* Extant exempla plura, *1.Chron.c.15. cap.16. 22. 1.Reg.c.2.26.27. Esa. c.49.23. & cap.8.16.17.c.54.13. & passim alicubi.* Nazareni quoque fuerunt discipuli & studiosi theologiæ, qui informabantur in doctrina sacra, ut aliquando in locum suorum præceptorum succedere possent, Amos *c.2.11.12.* qui posteà in ecclesia acoluthi dicebantur, quòd suos præceptores sequerentur: Socrates *lib.6. c.2. & 3. eccles. hist.* Augustin. *epist.62.* Porrò in Levitarum synagogis, collegiis & scholis quid aliud à doctoribus & professoribus illis sanctis, quàm artes liberales discentibus traditas fuisse dicemus? & quid aliud illo tempore scholas, quàm officinas pietatis & virtutum & seminarium Ecclesiæ & Reipubl. fuisse existimabimus? Mandatum siquidem Mosi Deus dederat de docendâ lege, quæ est moralis, ceremonialis, vel judicialis. Fuerunt ergo Scholæ & Synagogæ illæ Theologicæ & Juridicæ: in quibus etiam quæ nunc philosophica vocamus, tradebantur. De hac doctrina testantur omnes libri Mosis, Judicum, Regum & Prophetarum, in quibus partim theologica, partim juridica, partim politica, partim philosophica traduntur, & discentibus inculcantur, & de quibus consulere Doctores dubitantes jubebantur. Sic enim habetur *Deut.cap.17.8. Si (dicit ibidem Moses) occulta res erit tibi in judicio ferendo inter eadem & eadem, inter litem & litem, plagam & plagam, rebus controversis intra portas tuas; tunc surgens, ascendes ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus, & adibis sacerdotes Leviticos, vel ad summum judicem (scilicet prout causa ecclesiastica, vel civilis est) qui erit diebus illis, ut consulas illos, & indicent tibi statum illius judicii, & observabis ut facias secundùm omnia, quæ docuerunt te.* Facultatem quoque interrogandi placidè & verecundè de iis quæ intellecta satis non erant, & respondendi omnibus qui volebant, data-

tam, in hisce Synagogis, apparet ex *Luc.c.2.46. & 1.Cor.c. 14.* & tot locis, in quibus discipuli Christum interrogasse dicuntur. Ex Scholis igitur Hebræorum prodibant Theologi, Jurisconsulti & alii viri docti. Politicos quoq; suos egregios illam ætatem habuisse, constat ex tot testimoniis, quot in politicis pro præceptorum illustratione adduximus. De egregiis Ecclesiæ Judaicæ doctoribus, qui illo tẽpore floruerunt & JC. qui lites & controversias inter disceptantes litigantes dirimebant, res est notior, quàm ut exemplis probẽ. Nec dubium est, ætatem illam suos medicos, physicos, aliosque doctos viros habuisse, quod tot locis probatur, quot Danæus in suis commentariis ethicis & physicis ex scriptura adducit. Nam licet veteres illi propheratum auditores, præcipuè discebãt oracula cœlestia & legem moralem, ceremonialem & judicialem, tamen alias quoq; artes adjungebant. Docebant aliquid de natura rerum, quærebant historias, musicæ & medicinæ studiosi erant, ut exemplis excellentissimorum medicorum & musicorũ illius seculi comprobari potest. Theologos & Jurisconsultos ex hisce Scholis ad officia publica sumptos constat ex *2.Chron.c.19.8.11. 1.Chron.cap.18.14.15.16. Psalm.122. 1.Reg.c.4.1.2.3. & seqq. 2.Sam. cap.9.2.3. 4.cap.20. 23.24.25. Ezech. cap.7. 24. & seqq. ubi Jun. Num.c.27.20.20.22.* Posteriori seculo, tempore Christi, Theologi pharisæi, Jurisconsulti verò scribæ, utrique legisperiti & legis interpretes (*Lucæ c.11.45.46.*) appellabantur, ut passim apud Evangelistas videre licet. Ut igitur concludam hanc periodum, quæ fuit sub regibus usque ad Christum, certum est ex sacris, scholis ordinariè præfuisse Levitas, quorum successio perpetua & continua fuit, præfuisse etiam extraordinariè à Deo excitatos prophetas plures, ex quibus primus (quod sciam) fuit Samuel, post quem floruit Nathan, deinde Abias Silonites, sub Salomone & Jeroboamo. Hunc sequutus est Ananias, Asæ tempore. Sequenti tempore excitatus fuit Elias, qui cùm diu res maximas gessisset, antequam à Deo in cœlum evectus est, successorem Elisæum delegit. Elisæus annos septuaginta circiter docuit, & scholas aperuit in populo Dei. Hunc Elisæum vidit Esaias adolescens: Esaiam Jeremias: Jeremiam Daniel: Danielem Zacharias: Zachariam Esdras & Nehemias: Nehemiam Onias, celebratus in Ecclesiastico. Aliquantò pòst

hunc secuta sunt tempora Macchabæorum, eorumq; bella: quo tempore vixit Matathias sacerdos, qui legis divinæ assertor extitit. Aliquantò pòst fuerunt Simeon & Zacharias, quorum mentio fit *Luc. cap.1.* Deinde Johannes Baptista, qui suos discipulos ad Christum mittit, *Johan.c.1.28. Matth. cap.11.2.* Post quem Christus docere cœpit & discipulos habere, in quo pervenio ad penultimam periodum, scilicet, ut dicam, quæ scholæ pietatis & justitiæ officinæ extiterint tempore Christi & Apostolorum. Hoc igitur tempore, duorum generum scholæ fuisse leguntur: una Judæorum, quæ erat Pharisæorum, in qua Mosis scripta & prophetæ explicabantur, quamvis non semper dextrè; uti constat ex Christi refutatione, *Matth.cap.5. Luc.18. cap.6.14. Johan. cap.5.7. 9. Matth.cap.9.cap.23.cap.12.* & passim aliis in locis, qui legis Doctores & Scribæ vocantur, *Luc. cap.5. cap.7. Matth. 22.* Altera schola erat Christi & post hunc Apostolorum. De Christi schola, doctrina & discipulis, ipsemet testatur, *Johan.c.18.19.* Pontifex maximus ergo interrogavit Jesum de discipulis ejus & de doctrina ipsius. 20. Respondit ei Jesus: Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga & in templo quò undique Judæi convenint, &c 21. ibi, Interroga eos qui me audierunt. De Pharisæorum scholis & discipulis extat testimonium apud *Matth. cap.22.15.16.* ubi Pharisæi suos discipulos è scholis suis mittunt ad Christum, & apud *Johan.cap.3.10.* ubi Nicodemus dicitur fuisse doctor in hisce Pharisæorum scholis, sicuti & Gamaliel, *Actor.cap.22.* Paulus fatetur, se in schola Gamalielis condiscipulos suos superasse, *Galat.cap.1.* & Timotheus Pauli discipulus dicitur, *2. Tim.c.3.1.* De Zacharia & Simeone, *Luc. cap.2.* In hisce utrisque scholis Moses & Prophetæ, hoc est, lex moralis, forensis, judicialis & ceremonialis, unà cum historiis legebantur & explicabantur à Pharisæis & Scribis, doctoribus, & Apostolis, ut liquet ex plurimis testimoniis, *Matth. cap.4.23.cap.6.2.5.cap.23.6. Act.cap.13.14. & seqq. Ingressi*, dicit, *synagogam, die Sabbathorum sedebant: Post lectionem autem Legis & prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes; Viri fratres, si quis est ex vobis sermo exhortationis ad populum, dicite, &c.* & *cap.15.21. Moses*, inquit, *à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus,*

tatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbathum legitur, cap.19.8. Ingressus Paulus synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans & suadens de regno Dei. Actorum cap.20.7. Unâ sabbathorum cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat in mediam noctem, &c. Quid dictis hisce clarius de scholis dici poterat? Quid gravius, quid melius? Nimirum piissimi & doctissimi homines scholas frequentarunt, ibique se in pietatis studio exercuisse, disputasse, aliosque docuisse, vel didicisse leguntur. Fecit hoc Christus salvator noster. Fecerunt hoc Apostoli. Fecerunt hoc pii omni tempore. Quo suo exemplo quid aliud docere voluerunt, quàm scholas pietatis honestarumque artium omni studio nobis frequentandas esse discendi caussa? De Christo adolescente 12. annorum legimus *Luc. cap.2.4.6.* inventum illum sedentem & docentem in medio doctorum, audientem & interrogantem eos: sicuti & alibi, in scholis hisce docuisse, *Matth.cap. 4.cap.9.cap.12. & Luc.cap.4.15.16.17.* legitur, ubi Christus docuisse in synagogis ipsorum, & die sabbathi in synagogam ingressus dicitur, & surrexisse, ut legeret; datumque ei fuisse librum prophetæ Esaiæ, ex quo multa egregia, magna cum admiratione auditorum, explicasse dicitur. Quid quòd alibi Christus de Pharisæis & Scribis testatur? Dicit, hosce in cathedra Mosis, hoc est, in scholis & synagogis sedere & docere, *Mat.23.1.2.3.* Habebant enim in scholis cathedras superiores & inferiores, quas discentes & docentes & conferentes inter se occupabant, uti constat ex *Mat.d.c.23.6.* Erant & Archisynagogi, *Matth.cap.5.* Ergo mos ille docendi & discendi in scholis illo tempore usitatus, etiam à Mose antè observatus fuit. In hisce scholis Judæorum, sicut in templo legitur etiam alibi Christus docuisse: *Matth.cap.26.55. Marc. cap.4.49.cap.6.2. Johan. cap.18.19.20.21.* Ad hasce scholas, fratres epulonis discere cupientes, Abraham remittit. Habent, inquit, *Luc. cap.16.* Mosen & Prophetas, ab hisce instituantur, ne veniant in hunc locum. Centurionem alibi Judæi commendant ob hoc, quòd synagogam ipsis ædificaverit, *Luc. capite 7.5. Matth. cap.4.23. cap.6. 2.5. capite 23.6.* De schola & discipulis Christi & Johannis Baptistæ quid dicemus: De Johannis schola & discipulis

extat *Johan.cap.1.28. Matth.c.11.2.* De Christi discipulis testatur Johannes, *Joh.c.4.1.2.* Nam dicit: *Ut ergo cognovit Dominus, Pharisæos audivisse, ipsum plures discipulos facere & baptizare, quàm Johannes: quanquam Jesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus.* Nec duodecim tantùm Apostolos Christi discipulos fuisse, putandum est, de quibus testimonium extat apud *Matth.cap.10.2.cap.4.18. & seqq.c.11. 1.Marc. cap.2.14.15.23.* sed plures alios eundem habuisse testatur *Lucas cap.10.1. Post hæc autem (dicit) designavit Dominus etiam alios 70. misitq; eos binos ante faciem suam in omnem urbem & locum, quo futurum erat ut ipse veniret, & seqq. & vers.17.* Sed prolixus essem, si omnia quæ extant, de scholis Christi & fideli illius institutione vellẽ adducere. Videre licet *Matth.cap.11.1.cap.12.cap.13.10.11.16.36. Marc. cap.7.17. Luc.c.9.45. Johan. cap.2.19.22.c.12.16.c.13.7.33.36. cap.16.12.17.* & totam historiam vitæ Christi. Atque hoc docendi officium, hoc est, Scholas, Christus post ascensionem suam discipulis Apostolis demandavit, ut habetur *Marci cap.16.14.15.16. & sequentibus. Matth. capite 28.19.* Quod egregiè quoq; Apostolos præstitisse, passim in actis eorundem probatur: inprimis *Act.c.15. Moses ab antiquis temporibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis, in singulis civitatibus.cap.13. c.15.cap.20.7.cap.6.9.c.22.c.18.cap.14.* & testantur abunde etiam Apostolorum horum scripta nobis relicta. Constat ergo, hunc docendi & discendi morem antiquum à majoribus per manus posteris traditum, sicuti & *Matth.cap.23.* dicitur. Proferam unum atque alterum locum ex plurimis. *Actorum cap.17.vers.2.* dicit Lucas: *Venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum; secundùm consuetudinem autem (ubi rursum observandum, quod dicit, secundùm consuetudinem) Paulus introivit ad eos, & per Sabbatha tria disserebat eis de scripturis, aperiens &, insinuans, quòd Christum oportuit pati.* Formam verò & modum discendi, docendi & communicandi in synagogis de lege & verbo Dei, describere videtur *Paulus 1.Corinth. cap.14.5.& Actorum cap.13.14. & seqq. & cap.17. Disputabat igitur in synagoga cum eis. & cap.17.vers.11. Quotidie scrutantes & discentes scripturam, an ita se haberent. & cap.2. Erantq; perdurantes in doctrina Apostolorum.* Ex quibus, in verbis, *quotidie scrutantes*, & in verbis, *perdurantes in*

tes in doctrina, innuitur mos & recepta consuetudo discendi & docendi in scholis. Similiter in *capite 19.8.9. Actorum: & cap.6.9.* ubi scholæ & synagogæ Libertinorum, Cyrenæorum, Alexandrinorum & aliorum fit mentio. *& c.13.2.3.* in schola Antiochena doctores fuisse leguntur, Barnabas, qui postea Apostolus factus, & Simeon Niger, Lucius Cyrenæus & Manahen. Hanc Antiochenam scholam & Alexandrinam, cujus paulò antè fuit facta mentio, etiam Constantini Magni tempore extitisse, Eusebius & alii testantur. Sic Paulus se Timotheum docuisse testatur, *2.Timoth.c.3. 2.Tim. c.2. Quæ audivisti à me, hæc communica, seu commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, ut alios quoq; doceant.* Imò plures eundem discipulos habuisse, ex epistolis illius constat, sicuti & reliquos Apostolos. *vide cent.1.lib.2.cap.10. historiæ eccles. Magdeburg.* Johannem Evangelistam assiduos habuisse discipulos plures, & inter hosce Polycarpum, ex historiis constat. Ex hisce omnibus satis, ut opinor, demonstravimus, scholas ex institituto Dei in populo ipsius à principe & patre Judæorum Abrahamo, usque ad Judices & Reges, à Regibus quoque post Hierosolymorum eversionem, in captivitate, & post eam usq; ad Christi adventum, & postea sub Apostolis fuisse usitatas, conservatas, tectas, sartas, incolumes, & gravissimis atque celeberrimis doctoribus & præceptoribus ornatas, quibus tanquam instrumento Deus ad regni sui inter nos conservationem & propagationem utitur, & quibus pura, puta & sana religio conservata & ad nos propagata fuit. Jam etiam paucis demonstrabimus, quæ scholæ post Apostolos in primitiva ecclesia fuerint, usque ad nostra tempora, quæ est ultima periodus, de qua dicere constitueram. Primitivam ecclesiam suas quoque scholas habuisse, testantur omnes historici ecclesiastici. In hisce pueri prima religionis elementa discebant, & deinde libros sacros explicari audiebant, & artes liberales, ut testatur *histor. ecclesiast. cent.2. cap.7. & in cent. seqq. eodem cap.* Qui hæc religionis elementa docebant, Catechistæ & Doctores dicebantur. Constant etiam nobis ex historiis Eusebii, de schola Cæsarienſi in Palæstina, in qua docuit Origenes. Item constat ex eodem Eusebio & Nicephoro, Socrate, Ruffino, Sozomeno, de schola Alexãdrina, toto orbe celeberrima, item de Antiochena, Ephesina, Nicomedienſi,

Tarsensi, Byzantina, in qua Nazianzenus docuit, item de Athenensi, Corinthiaca, Rhodiana & pluribus aliis. Nam nulla fuit ecclesia metropolitana, vel cathedralis (quam vocant) cui non esset adjuncta schola: quot igitur ecclesiæ cathedrales erant, tot etiam scholæ & officinæ pietatis erant. Refert Clemens Alexandrinus in libro Strom. se pervagatum fuisse totam Asiam,& de singulis doctrinæ articulis consuluisse eruditos ubique; sed postquam venerit Alexandriam, fuisse se contentum judicio Pantæni, quem ajunt (dixit) eruditione & pietate eximiâ præditum,fuisse,& ornatum testimonio Spiritus sancti, seu miraculis. De cujus doctissimi & celeberrimi viri Pantæni schola, vide Euseb. *lib.5. ca. 9.10.11.& lib.6.cap.3.* Nicephor. *lib.5. cap.18. & cap.10.* Porrò de doctoribus Cretensibus,Antiochenis,Athenien sibus, Corinthiis, Romanis, Illyricis & pluribus aliis, *latè cent. 2.cap.7. & cap.10. hist. ecclesiastica, & in eodem cap. cent.seqq.* Nazianzenus scholarum Palæstinæ meminit, in quibus se Rhetoricam didicisse scribit. Sozomenus meminit scholæ Plotinianæ *lib.1.cap.5.* Laodiceæ scholam habuit Epiphanius sophista, quam frequentavit Apollinarius: *Socrat. lib.2.c.46.* Nicomediensis Lactantio clara fuit, quem Rhetoricam in ea docuisse traditum est. Sed ut dilucidiùs de scholis primitivæ ecclesiæ usque ad nostra tempora constet,de doctoribus earum excellentioribus continuâ serie dicam. Dixi suprà, post bella Macchabæorum publicè docuisse Simeonem & Zachariam, quorum fit mentio in *Luc. cap.1.* Hosce secutus est Johannes Baptista, & hunc Christus,uti ex historia evangelica constat. Post ascensionem Christi, Thomas Apostolus Osroënos docuit & regem Abgarum, *Eusebius lib.1. cap.13.* Andreas Apostolus Scytas docuit, *Euseb.lib.3.cap.1* qui dicitur etiam in Græciam pervenisse & Byzanzii docuisse. Simon Zelotes docuit in Africa, *Nicephor.lib.2.cap.40.* qui etiam in Britanniam venit, *Niceph.dict.lib. 2. cap.4.* Marcus docuit in Ægypto & Lybia, & prædicavit Cyrenæis & Pentapolitanis, *Nicephorus lib.2.cap.43.*In Europa docuit imprimis Paulus Apostolus per Græciam, Italiam & Hispaniam,uti & Jacobus Apostolus,cujus sepulchrum adhuc in Hispania ostenditur. Barnabas docuit Mediolani,& in finitima Lombardia. Ravennæ docuit Apollinaris, ut scribit Nauclerus. Ratisbonæ docu-

docuit Lucius Cyrenensis, de quo in *Actis cap.13.* Johannes Apostolus Ephesi suos domesticos auditores habuit, inter quos & Polycarpus fuit, ut testatur Irenæus *libro 3. contra hæres. cap.3.* qui Polycarpus posteà in Ecclesia Smyrnea citeriter quinquaginta annos doctrinam à Johanne traditam, feliciter propagavit. Hujus Polycarpi auditor & discipulus legitur fuisse Irenæus, qui hoc ipsum de Polycarpo testatur, *dict.lib.3. contra hæreses capite 3.* qui Irenæus doctrinæ suæ rivos in Pannoniam & Galliam adduxit. Illuxit Evangelium & artes liberales traditæ per pios doctores,etiam aliis populis,scilicet Argentoratensi, Agrippinensi, doctore Materno, qui Petri Apostoli fuit discipulus. Testatur quoque Eusebius, Trophimum Arelati fuisse ibique docuisse. Clementem testantur historiæ, Metenses ad Christi agnitionem vocasse & docuisse, qui Pauli commilito legitur, *Philip.cap.4.3.* Crescentem, qui Pauli dicitur discipulus, *2.Timoth.cap.4.10.* referunt Moguntiam venisse. Testantur quoque historiæ, Marcum, qui dicitur discipulus & filius Petri, *1.Petri cap.5.13.* & Pauli Apostoli adjutor, *Actor. cap.12.25. capite 13.5.13.* concionatum fuisse & docuisse ad Danubium in urbe Juliobona, quæ Vienna in Austria nunc dicitur. Idem Marcus Pauli comes, etiam Bæduri legitur docuisse, Clemens Metis, Nathanael Treveris & Coloniæ, ab Apostolo Petro ad hoc emissi. Mauritius in Valesia, Ursus ad Juram & Solodori, Felix Tiguri, persecutionibus acti docuerunt,& fidem sanguine suo consignarunt. Pii Imperatoris Constantini & aliorum leges de scholis eorumque professoribus videre licet in *tit. Codic.de profess. & medic.tit. Cod. de studiis liberalibus urbis Romæ.* Post hosce doctores & egregia lumina, etsi tempora exulceratissima sunt secuta ex barbarie Vandalorum, Hunnorum & Francorum, totam ferè Europam vastantium,remanserunt tamen reliquiæ piarum Scholarum &Ecclesiarum. Illis igitur temporibus paulatim collegia Canonicorum & monasteria fuerunt condita, in quibus doctrina pietatis & bonarum artium tradebatur illo tempore. Hisce monasteriis Abbates præfuerunt, ut liquet *ex Evagrii lib.4. c.38. & Turonensi lib.5.c.47.* Scholis virginum Abbatissæ

præerant. *Balæus cent.1.c.80. & c.83. Eccl.histor. cent.8.c.7. & seqq.cent.* Collegiis autem Canonicorum præerant præpositi. Toti verò regioni & diœcesi, seu multis ecclesiis provinciæ alicujus, præerant Episcopi. Sed cùm postea in collegiis Canonicorum, hæc literarũ studia negligerentur, quòd scil. illi Canonici essent occupati Regum & Aularum & aliis politicis ngotiis, imò regnis & bonis, quæ acceperãt ex Regũ liberalitate, bellis etiam & legationibus impediti: munus docendi in monasteria est translatum, *vide cent.2.c.10. historiæ Eccles. & cent.12.c.7.* Testimonium scholarum in collegiis Canonicorum, & Monachorum monasteriis habitarum, amplissimum mihi præbent, officiorum & munerum nomina imposita Canonicis & Monachis, quæ adhuc hodie ab illis retinentur. Vocantur enim Canonici, qui libros Canonicos explicant; Cantores, qui Musicam docent; Diaconi, Archidiaconi, Lectores, Decani, & plures alii ex officio injuncto, quæ nomina sanè stultè imposita à majoribus fuissent, nisi officio & rei veritati respondere deberẽt. Testantur hoc etiam amplissimæ facultates, quibus ab Impp. & aliis divitibus pro honesta doctorum & studiosorum sustentatione talia collegia fuerunt donata. Testantur id ipsum historici, præsertim Balæus ex *Chrysost. lib.3. contra vituperatores monastic& vitæ, Evagrius lib.4.c.38. cen.14.c.26. Zuing. vol. 26.lib.unico.* Testantur etiam historici, ex hisce cœnobiis, monasteriis & collegiis, tanquam ex equo Trojano & armamentario instructissimo, viros doctos, pios, ad Ecclesiæ & Reip. munera publica, quovis tempore olim adsumptos & adhibitos. *Vide Sozomen.lib.3.c.14. Ruffin.lib.2.c.8. c.9. & cent.4.hist. Eccl.c.6. & c.7.in omnibus cent.seqq.* Sed postea cùm hæc collegia monachorum, ad quos à Canonicis munus docendi erat translatum, onerarentur multitudine ceremoniarũ, & divitiis pluribus à piis bona intentione ditarentur: accidit, ut filia matrem deglutierit, & docendi labor molestus & difficilis redderetur, & tandem prorsus ex monasteriis ejicerentur & iis arcerentur omnes, qui non vellent se per totam vitam monasteriis, eorumque servitiis inutilibus, superstitiosis & impiis mancipare. Talia enim hodie sunt illa vetera Canonicorum & monachorum, vel cœnobiorum collegia. Quòd si veteres illi, qui fuerunt monachi, & Canonici, in sua hæc pristina cœnobia, vel collegia hodie redirent, quid puta-

putatis hosce dicturos? sanè porcos nostros saginatos in hisce latibulis, pro suis successoribus non agnoscerent. Tanta rerum omnium hìc mutatiò. Tanta Antichristi depravatio, & tam egregiè abusus monasteriorum, collegiorum & cœnobiorum usum verum & primævum hodie sustulit. Quasi scil. hæc omnia otiosorum hominum, non ecclesię, scholarum & Reip. nomine, à piis Impp. & magistrat. essent olim constituta, & quasi horum otiosorum munus suo nomini respondere non deberet. Collegia prisca Canonicorum & monachorum scholæ juventutis fuerunt, ex quibus seminarium Ecclesię & Reip. cõstituebatur, hominesq; docti, pii & idonei ad Remp. & Ecclesiam, non secus quàm apud Judæos ex synagogis & scholis prophetarũ sumebantur, ut testantur omnes historiæ. Pro talibus hodie ex hisce collegiis prodeunt, tanquam ex equo Trojano, ignorantiæ & Bacchi fratres, porci saginati, pingues vituli & boves Basan, epicurei, magi, necromantici & Baalatici sacerdotes, strenui regni Antichristi propugnatores. O domus antiqua, quàm dispari dominaris domino & modo! Hi sunt illi, qui clavem scientiæ & cognitionis sustulerunt priori suo seculo; qui ipsi non introierunt, & alios introituros longo tempore impedierunt, *Luc.c.11.v.52.* Sed Deus misertus nostri, alios scholarum doctores sibi quasi extraordinariè, hisce Canonicis & monachis stertẽtibus, elegit. Nam cùm posteriori hoc seculo scholæ, quæ Canonicorum collegiis & monasteriis commissæ erant, negligerentur ab iisdem, effecit Deus, ut necessitate & utilitate scholarum suadente, Academię publicę ab Impp. piis aperirentur, in quibus patrum nostrorum memoriâ literarum studia, inprimis verò nostro seculo, fuerunt excitata. In qua re hìc peccatum est maximè, quòd non simul facultates illę & bona ecclesiastica, quæ scholarum & docentium & discentium causâ largiter fuerunt olim monasteriis & collegiis collata, fuerint ad hasce Academias & Scholas translata. Ita satisfecissent illi intentioni & voluntati primorum fundatorum horum Collegiorum, & bona hæc non fuissent à monachis profanata. Academiæ verò ejusmodi & Scholæ posteriores hæ partim in Italia, Germania, Anglia, Gallia, Hispania, partim in aliis regionibus & terris fuerunt diversis temporibus, etiam hodie quædam apertæ & constitutæ à piis magistratibus, *de quibus latè Jacobus Middendorpius in libello de Academiis. Zuing.*

vol.26.theatri,& historia eccleſiaſt.Magdeburg.centur.6. & ſeqq.c.7. Omitto plurimas ſcholas alias,quas triviales,claſſicas,pædagogicas, particulares inferiores vocant. Omitto quoq; aliorum populorum Scholas & Academias plurimas. Sed in hisce referendis prolixior ſum,quod fecit ſingularis & ſumma Scholarũ utilitas & neceſſitas & antiquitas grata. Amamus & veneramur egregias præſtantiſſimorum hominum virtutes. Scelera perditiſſimorum & audaciſſimorum deteſtamur,& ferro atque igne vindicanda judicamus. Regnum Satanæ & tenebrarum abominamur: Scholæ igitur nos excolendos tradamus. Hæc medetur vitiis, cupiditates tollit, vitia extrahit radicitus, & animos præparat ad ſatus percipiendos,ignorantiam & errores pellit. Ab hac ſanari nos patiamur, ſi boni & beati eſſe volumus: ab hac omnia adjumenta & auxilia bene beateq́ue vivendi expetamus. Scholis à Deo generi humano nihil melius, nihil præſtabilius, nihil florentius datum eſt. In ſcholis enim unà nos,tum cęteras res omnes,tum quod difficillimum,didicimus, ut nosmetipſos noſceremus, imò & ipſum Deum noſtrum creatorem,conſervatorem,redemptorem & ſanctificatorem. Hæc ſcholarum ſtudia adoleſcentiam alunt,ſenectutem oblectant,nobilitatem & ſecundas res ornant, adverſis perfugiũ ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum,peregrinantur,ruſticantur. Quare rectè Bias philoſophus olim cum captâ ab hoſtibus patriâ,alii fugientes, pretioſa,quæ habebant,asportarent,& ipſum,ut ſimiliter faceret,invitarent, reſpondit: Etiam omnia mea mecum porto. Nihil enim ſuum putabat, niſi ſcientiam & virtutes. Rectè etiam Apulejus,Si laudas,ait,virum, quia dives,hæc fortunæ debetur: ſi,quia fortis,ægritudine debilitatur: ſi,quia nobilis, non ipſum,ſed parentes ejus laudas. Sed ſi ſcientiâ & virtute præditum laudas,tunc ipſum virum laudas. Sunt igitur hæc bona vera bona, ſunt tales divitiæ & opes,quas non India, neq; Ægyptus, vel America, imò ne totus quidem mundus dare poteſt. Quantò enim animi bona ſunt præſtantiora bonis corporis, tantò etiam Scholæ ſunt præſtantiores,& rebus omnibus cæteris excellentiores. Breviter dicam, ſi Resp. ſi Eccleſia & regnum Dei,ejusq́ue gloria nobis cordi eſt,ſi vita honeſta,pia,juſta,grata, ſi cognitio Dei ejusq́ue voluntatis,ſi rerum creatarum ſcientia, ſi temperantia, fortitudo, juſtitia, totusq́; chorus virtutum, ſi artes omnes & ſingulæ,utiles ac neceſſariæ; ſi denique benedictionem divinam & ſucceſſum in rebus & actionib. noſtris deſideramus;imò ſi regnum Dei, ejusq́ue gloriam & cognitionem quærimus;ſcholas,ſcholas, inquam,harum omnium officinam & portam,qua Chriſtus ad nos ingreditur, aperiamus & conſervemus, atque hisce totos nos excolendos & ſanandos tradamus, & hæc omnia conſequemur,ut extat promiſſio Dei, *Deut.c.11.19.20.21.& ſeqq. Eſa.c.30.21.& ſeqq. Luc.c.12.31. Vide quæ diximus in politia cap.28.* Nam qui prophetam in nomine prophetæ, hoc eſt,eò quòd talis eſt, recipit, mercedem prophetæ accipiet,*Matth.c.10.41.Marc.c.9.41.* Atque hoc modo tandem divinâ gratiâ ex vitiorum ſordibus eluctantes,piorum,ſapientum & juſtorum hominum multitudinem,quę(ut Sapiens inquit) *eſt orbis ſanitas,c.6.26.*& quorum inopia & defectus, mundi ſtultitia & paroxyſmus,habituri ſumus.

Te itaque, omnipotens & miſericors Deus, rogo, ut qui dediſti animum & voluntatem piam illuſtribus magiſtratibus,ut ſcholas & officinas doctorum & piorum hominum ad regni tui amplificationem aperirent, idem easdem officinas conſerves, augeas,defendas & protegas. Ita imago tua per lapſum Adami corrupta reſtaurabitur, & regnum tuum amplificabitur. Ne permittas in hac ultima mundi ſenecta, furore & rabie hoſtium tuorum,ut ſublatâ clave cognitionis, ſcholis piis, pura & ſalutaris doctrina de Chriſto filio tuo erroribus & tenebris involvatur,licentia peccatorum & regnum Diaboli vigeat. Fac potiùs,ut per has tuas officinas, invito Diabolo & hoſtibus tuis,ſeminarium Eccleſiæ & Reipublicæ,quæ illius hoſpitium eſt,conſervetur. Da etiam,ut plantulæ in ſcholarum harum hortulis,te autore plantatę & rigatæ,per fidos & diligentes informatores & doctores, qui tui ſunt miniſtri,& inſtrumenta,tuâ benedictione incrementa capiant, ut quandoque ſalutaria organa & fortiſſimi propugnatores, defenſores & propagatores veritatis & juſtitiæ eſſe poſſint ad nominis tui gloriam ſempiternam.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM IN HOC LIBRO CONTENTARUM.

In quo prior numerus caput, sequens verò capitis ejusdem numerum designat.

A

Abusus rei, vel juris sui, adimit abutenti jus suum. 38.88.99.
Actionum omnium facultas & voluntas. 31.28.29. & seqq.
Adfines. 3.12
Adfines ascendentes. 3.13
Adfines descendentes. 3.14
Adfines ex latere. 3.15
Adfinitatis jura. 3.38
Adulatores. 23.59.60
Adulatoris indicia. 23.61.62
Adulatores quomodo vitandi. 23.63
Adulatores aulici mali. 23.50.53
Administrator. 1.13
Administratio jurium civitatis. 6.42
Administratio juris provincialis. 8.1
Administratio juris regni. 18.1.2.3.4
Administratorum regni potestas & jus. 18.12.13. & seqq.
Administrator talis quo modo dominus & privatus. 18.15
Administratoris potestas unde. 18.25
Administratio Reipub. legitima qua. 18.32.33.34.35. & seqq. num.94.95.
Administratio regis à quo tempore incipiat. 19.50.95
Administratio regni. 21.2.3.6.24.44.45
Administrationis regula. 21.6
Administratoribus fugienda vitia. 21.14
Administrantibus cognoscenda. 21.15

Universidad de Deusto
Biblioteca

Administratio Reip. est legis exsecutio. 4.21.16.17.18
Administratio Reip. ad subditorum salutem instituenda. 24. 34. & seqq.
Administrationis publicæ species. 28.1
Administratio universalis. 28.2.3
Administratio ecclesiastica. 28.4.5.6.7
Administratio ecclesiastica prima & suprema. 8.27.8. & seqq.
Administratio ecclesiastica in quibus. 28.12. & seqq.
Administrationis ecclesiasticæ officia. 28.25. & seqq.
Administratio civilis. 29.1
Administratio justitiæ. 29.2.3
Administratio justitiæ Reip. vinculum. 29.27.28
Administratio rerũ publicarũ regni. 37.1.2. & seqq.23. & seqq.
Administratio particularis. 37.79
Affectio & amor in cognatos. 3.20
Affectus mali regis qui. 25.46. & seqq.
Affectus vitiantes administrationem. 25.59. & seqq.
Agricultura subjecta & finis. 1.19
Agricola. 8.47. & seqq.
Agricultura cultus. 32.65
Alimentorum exhibitio. 3.27.36
Alimentandi onus. 3.36
Alienatio bonorum regni, an licita. 24.37
Alienatio bonorum regni, quatenus licita. 37.48. & seqq.
Ambitiosa ingenia. 7.38
Amici quomodo tractandi. 23.58
Amnestia. 24.24.25.c.31.10.70
Angaria. 13.14
Annona Reip. 17.8
Anarchia. 18.24
Annona in bello. 34.43.44.c.35.24. & seqq.
Annona cura. 37.91
Apolides. 5.48
Appellatio. 16.8
Appellationis ministri. 16.9
Appannagium quid. 19.83.c.37.48
Appellatio libera. 29.57
Archivum. 6.25.c.14.5.c.17.9.10.11.12
Aristocratia. 39.46
Aristocratiæ natura. 39.47
Aristo-

Aristocraticorum electio. 49.48.50.51
Aristocratiæ leges utiles. 49.55
Artes impiæ. 2.33
Arma Reip. & armamentarium. 17.5.6
Articuli regis. 19.30.39. & seqq.
Armorum cura utilis. 34.1.2. & seqq.c.35.21.
Arma quæ. 34.11.40.41.42
Armorum cura tempore pacis. 34.12
Asylum. 5.79.c.6.20.
Athei qui. 9.44
Aurum lustrale. 12.18
Auxilium. 16.2.6
Aulicorum natura & mores. 23.40.41. & seqq.
Aulica vita lubrica. 23.45.56.59
Aulici parem vel superiorem ferre non possunt. 23.46.47
Aulici fallaces amici. 23.48.49.57
Aulici regis. 37.19. & seqq.
Aula factiones alit. 23.53
Autoritas quid & unde. 25.1.2.3. & seqq.
Autarceia. 32.70.71.

B

Barclajus refutatur. 18.92. & seqq.c.19.51. & seqq. 91.103. & seqq.c.28.23.24. & c.38.77. & seqq. 124.cap.38.94.95. & seqq.
Baro quis. 18.119
Barbari qui. 9.5
Beccaria refutatur. 38.77.112.113. & seqq.
Bellum. 16.16.c.35.1. & seqq.
Belli causa. 16.17.c.35.5.6.7
Bellum civile. 31.72.73.74
Bellorum administratio. 36.1
Bellorum cura. 34. per tot.
Bellicus apparatus. 34.39. & seqq.c.35.17. & seqq.
Belli susceptio. 35.4
Bellum inconsulto principe susceptum. 35.9
Belli præparatoria. 35.10.11.12
Bellum contra tyrannum. 38.62.63
Belli gubernatores. 35.27.28.29
Belli denuntiatio. 35.90
Belli gestio. 36.1
Belli gerendi occasiones. 35.26
Bellicæ actiones quæ. 36.26. & seqq.40

Bellica calamitas. 36.26.& seqq.
Bellica incendia. 36.45
Belli clades. 36.48.49
Belli sors dubia. 36.48
Bella quomodo finienda. 36.59
Bellici sumptus. 37.39.40
Belgicorum conventus & collegia. 33.130.& seqq.
Belgica confederatio. 33.136
Bodinus refutatur.18.69.cap.9.22.23.& seqq. & c.38.73.74. c.39.3.7.
Bonorum Reip.cura. 17.14
Bonorum Reip.proprietas & usus. 17.15
Bona publicata. 17.16
Bona ereptitia. 17.17
Bona vacantia. 17.18
Bona fiscalia. 17.19
Bona bello adquisita. 17.20
Bona Reip.donata. 17.21.22
Bona principis propria quæ. 24.36.37.c.37.61
Bona Reip.& regni. 24.37.c.37.61
Bona regni an alienari possint. 24.37.c.37.48.73.74
Bona externa. 37.107
Bonorum varia pericula. 37.108.& seqq.
Bonis suis abutentes. 37.109

C

CAbotius reprehenditur. 19.72
Cæsaris leges,in quas jurat. 19.39
Cæsar quantam habeat potestatem in decretis & constitut. sanciendis. 33.80.81
Cæsaris Commissarii. 33.92
Camera rationum. 33.136
Cancellarius regni. 14.5
Camera Spirensis. 16.9
Capitatio. 13.9.10
Canon frumentarius. 12.7
Capitulationes regum. 19.30.& seqq.
Castrum quid. 5.33
Captivitas in bello. 36.42
Captivi quomodo tractandi. 36.53.& seqq.
Censura seniorum. 3.36.c.30.1.2.
Censura inquisitio.30.5
Censura
Censura apud quos hodie. 30.4
Censorum officium. 30
Censura notatio. 30.24.25.26.27.28.29
Censura morum. 8.32.34
Censorum utilitas. 7.50.51.52.c.11.32.33
Christiani segnes in officio excitandi. 30.15
Christi natales,in quem mensem incidant. 22.14.15.16
Civis quis. 5.13.48
Civis officium. 1.22.23
Civis plenarius. 5.14
Civis Romanus,Hebræus,Atheniensis. 5.14
Civis originarius. 5.15
Civis assumptus. 5.16
Civis modo quodam. 5.17
Civis forensis. 5.18
Civis honorarius. 5.19
Civis confederatus. 5.20
Civitatis jus unde. 5.42
Civitatis præfectus. 5.49.72.51
Civitatis consiliarii. 5.59
Civitatis officiarii. 5.69
Civitatis incrementa. 5.70.71.& seqq.
Civitatis species. 6.1
Civitas libera. 6.2
Civitas municipalis. 6.3
Civitas mixta. 6.4
Civitas participans. 6.5
Civitatis classes. 6.7.c.32.58
Civitates desertæ. 6.8
Civium communicatio. 6.15.17
Civitatis res. 6.18.19.20
Civitatum libri. 6.92
Civium operæ mutuæ. 6.33.34.38
Civitatis jura,privilegia & beneficia. 6.39
Cives eodem jure utuntur. 6.40
Civitatis territorium & regalia. 6.41.42
Civitatis ordo & διτυξία. 6.7
Civitates filiæ. 6.6.12
Civitates personalia jura principum non habent. 6.42
Civitatis tribunalia & judicia. 6.43

Civitas statuta condere potest. 6.43
Civitas collectas sibi potest imponere. 6.43
Civitatis disciplina. 6.43
Civitatis jura adimi possunt. 6.45
Civitatis concordia. 6.46
Civitatis jurium administratio. 6.48
Civitatis prafecti. 6.52
Cives pernicioſi. 7.33.34.35.36
Civitatum ordo & cura. 8.45. & ſeqq.
Civitas imperialis. 18.121
Circuli Germania. 18.121. & c.33.94
Circulorum cura & poteſtas. 33.95. & ſeqq.
Clades belli. 36.48
Clementia magiſtratui utilis. 24.18.19.20
Clementia temperanda. 24.21
Clementia in pœnis exigendis. 24.22
Claſſes eccleſiarum. 8.33.35.36
Claſſes populi Romani. 4.26
Cognationis commoda. 3.19
Cognati qui. 3.3.4
Cognati quotuplices. 3.5
Cognati aſcendentes. 3.6
Cognati collaterales. 3.8
Cognati æquales & inæquales. 3.9.10
Cognati inferiores. 3.11
Cognatorum ſeniorum onus. 3.36
Collegii perſona. 4.5
Collegii prafectus. 4.6.7
Collegarum leges. 4.8
Collegia corpus conſtituunt. 4.10
Collegii bona. 4.11
Collegarum opera varia. 4.14
Collegii principis officium. 4.14
Collegarum ordo & album. 4.15
Collegium an ſtatuta condere poſſit. 4.16
Collegii jus. 4.17
Collegium civitatis eandem repræſentat. 6.50
Collegii civitatis poteſtas. 6.51
Collegarum ſuffragia. 4.18
Collegarum major numerus vincit minorem. 4.18.19.20.c.5. 63.64.
Collegii decreta & juſſa. 4.21.c.5.64.65.66
Collegium electorum Imperii. 18.62.110.c.33.56.57
In Collegio electorum quis jus convocandi, proponendi, rogandi habeat. 18.110.c.19.27.c.33.56. & ſeqq.
Collegarum mulcta. 4.22
Collegarum mutua benevolentia. 4.23
Collegiorum ſpecies. 4.24
Collegiorum genera. 4.26
Collegia majora politia cujusq. 4.30
Collegium ſenatus. 5.52
Collegium quid repræſentet. 5.55
Collegii convocatio. 5.57
Collegii locus. 5.57
Collegium ephororum. 18.62
Collegiorum ſuffragia. 5.61
In Collegio conſultandi forma. 5.62
Collegium eccleſiaſticum. 8.6
Collegia potentiorum. 32.77
Collegia licita conſervanda. 32.83
Collegia Ordinum. 33.12.13
Collegiorum buleuteria. 33.13.14
Collegia tria Ordinum Imperii. 33.55.56.59. & ſeqq.
Collegiorum horum reſolutio. 33.70. & ſeqq.
Collegium ordinis cujusq; provinciæ. 8.49
Collectæ à quo indicantur. 8.64.65
Collationis deſcriptio. 11.32
Collationis adæratio. 11.33 34
Collationis diſcuſſor. 11.36
Collationis quantitas & modus. 11.37
Collatio levis. 11.39
Collationis ſpecies. 12.1
Collatio ordinaria. 12.2
Collatio ex quibus. 12.4.5
Collatio forenſibus an imponatur. 12.6
Collatio in numerata pecunia. 12.9.10
Collatio auri viceſimarii. 12.18
Collectæ per ſortes. 13.11
Collationes extraordinariæ quantæ. 13.15.16
Colonia. 6.13.c.36.68.c.37.97
Communicatio mutua. 1.7

Communicatio rerum. 1.8
Communicatio operarum. 1.9
Communio juris. 1.10
Communicationis varietas. 1.21
Communicationis ratio. 2.7.44.46
Commodum commune. 2.11
Communicationis lex. 1.20
Communicatio inter collegas. 4.8
Communicatio rerum. 4.9.c.6.18
Communicatio operarum. 4.12.c.6.28.29
Communicatio juris. 4.16
Communicatio jurium, virtutum & vitiorum. 3.28.29.37
Communes operæ. 6.31
Communicatio civium. 6.15.17
Commercia. 7.62.c.11.5.6.8.c.32.1.2.3.& *seqq.*
Communio symbiotica universalis. 9.30.31
Communio ecclesiastica. 9.33.34
Commerciorum cura. 11.5.c.32.1.2.3.4.5
Commercia quarum rerum prohibita. 32.6.7.& *seqq.*
Commerciorum locus & tempus. 32.10.11.12
Commerciorum forma & modus. 32.14.15.& *seqq.*
Commerciorum usus liber. 32.23.24.25
Commeatus. 16.12
Comes quis. 8.50.c.18.118
Comitis potestas. 8.53.& *seqq.*
Comitiorum jus. 17.57.& *seqq.*
Comitiorum locus. 17.59
Comitia diversorum populorum. 17.61
Comitia quis indicat, ubi & quomodo. 33.6.7.17
Comitiorum habendorum ratio. 33.7.8.& *seqq.* 18.19.20
Comitiorum species. 33.21.22.& *seqq.*
Comitiorum ecclesiasticorum causa. 33.24
Comitia Romanorum. 33.36.& *seqq.*
Comitia curiata. 33.37.38
Comitia centuriata. 33.39.40
Comitia tributa. 33.41.42
Comitia singularum civitatum Græciæ. 33.45
Comitia Germanorum. 33.46.47
Comitia Germanorum ordinaria, eorumq; processus. 33.47.48.50.51.& *seqq.*

Comitiorum capita proposita. 33.49
Comitia extraordinaria Imperii. 33.88.& *seqq.*
Comitia circulorum. 33.93.& *seqq.*
Comitia deputatorum. 33.103
Comitia visitatorum. 33.107
Comitia Gallorum. 33.111
Comitia Anglorum. 33.112.& *seqq.*
Comitiorum potestas apud Britannos. 33.118
Comitia Belgii. 33.118
Comitia Polonorum. 33.119
Comitia aliorum regnorum. 33.120
Comitia Venetorum. 33.121
Comitia confederatorum. 33.122.& *seqq.*
Comitia Belgicorum confederatorum. 33.130.& *seqq.* & 13
Comitia indicta ob tyrannidem regis, ejusq; exauctorationem. 38.57.
Concilium quid. 33.1.2
Concilii causa. 33.3
Concilii personæ. 33.4.5.& *seqq.*
Concilii præses. 33.5.6
Concilii generalis sententia obligat regem. 33.20.30
Conciliorum ecclesiasticorum causæ. 37.24
Concilii ecclesiastici præses. 33.26
Concilii dimissio. 33.29
Concilia Judæorum. 33.31.32.& *seqq.*
Concilia Græcorum. 33.43.44
Concilia generalia. 17.56
Concordia inter regni proceres. 37.65.66.67.c.31.1.2
Concordiæ conservandæ media. 37.69.c.31.3.4.& *seqq.*
Consociatio quid. 1.2
Consociatio duplex. 2.1
Consociatio simplex. 2.2
Consociationis simplicis causa. 2.3.15
Consociationis privatæ membra. 2.4
Consociationis privatæ nexus. 2.5
Consociatio repræsentat unam personam. 2.12
Consociationis species. 2.13.37
Consociatio privata. 2.14
Consociatio conjugalis. 2.38.39
Consociatio est naturalis. 9.8

Consociatio populosa felix. 9.9
Consociationis universalis fundamenta. 9.32
Consociationis domestica commoda & onera. 2.41
Consociatio prima. 2.3.9
Consociatio propinquorum. 3.1
Consociatio hac quot personis constet. 3.2
Consociationis necessitas & utilitas. 1.2.4.8.25.33. & seqq.
Consociationis finis. 1.3
Consociationis lex communis. 1.12
Consociationis lex specialis. 1.19
Consociationis causa. 1.25.26.27.28.35.36
Consociationis forma. 1.29
Consociationis finis. 1.30
Consociatio est naturalis. 1.32.33.34
Consociatio universalis. 9.1
Consociationis universalis præsidia. 9.2
Consociationis universalis duo fundamenta. 9.31
Consociationis universalis membra. 9.5
Consociationis universalis vinculum. 9.7.8
Consociationis doctrina politica. 3.42
Consociationis civilis. 4.1.2.3.4
Consociatio publica. 5.1.2
Consociatio immortalis. 5.3
Consociatio major quid requirat. 5.4
Consociationis publicæ species. 5.6
Consociationis publicæ causa. 6.2.c.2.4
Consensio symbioticorum. 2.8
Concordia symbioticorum. 2.9.cap.6.47.c.31.1.2.3.4.& seqq. c.37.65.66.67.c.37.69.
Confederatio. 17.25
Confederationis requisita. 17.26
Confederationis species. 17.27
Confederatio plena. 17.27.28.29
Confederatio non plena. 17.30
Confederationis non plenæ requisita. 17.31.32
Confederationis leges. 17.33.& seqq.
Confederatorum mutua defensio. 17.34.35
Confederationis causa. 31.75.76
Confederationes cum quibus. 31.76
Confederatorum concordia. 17.36
Confe-

Confederatorum lites. 17.37
Confederatorum obligationes reciprocæ. 17.33.& seqq.
Confederatorum communium rerum administratio. 17.38.39
Confederatorum conventus. 17.40
Confederatorum politia non miscentur. 17.41
Confederationis confirmatio. 17.42.43
Confraternitas. 17.44
Confederatio protectionis ergo facta. 17.46.47
Confederatorum princeps. 17.50
Conscientiæ alienæ vis non inferenda. 28.63
Conjuratio. 31.5.6.7
Conspirationis causa. 31.8.9.13.& seqq.
Consistorium summum. 29.57.58.& seqq.
Consiliorum utilitas. 27.3.& seqq.
Consiliarii qui. 27.6
Consiliarii qualitas. 27.7.8.9
Consiliarii boni requisita. 27.10.11.& seqq.
Consiliarii experientia. 27.13
Consiliarius promptus, liber, constans, placidus, sine affectibus. 27.15.& seqq.
Consiliariorum electio. 27.27
Consiliarii ex quibus eligendi. 27.28.29.34.35.& seqq.
Consiliarii possunt esse ecclesiastici. 27.34
Consulendi forma. 27.40.41.42.43.c.35.10.& seqq.
Consilium Ordinum regni. 27.43.44.49
Consilii species. 27.46.& seqq.
Consilium ecclesiasticum aulicum erarii, nauticum, militare. 27.46.47.48.
Consiliorum communicatio matura. 27.50
Consilia non necessitant. 27.51
Consiliariorum multitudo. 27.53.c.29.40
Consiliorum approbatio vel reprobatio. 27.54.& seqq.
Consiliarius fidem non eventum præstat. 27.56
Consiliariorum libertas tuta. 27.18.58
Consiliariorum concordia. 27.58
Consiliarii placentini, & laudenses. 27.59
Consiliarii aulici, adulatores. 27.60
Consiliarius unus cæteris non præferendus. 27.62.74
Consiliis rex interesse debet. 27.64
Consilium utile quod. 27.65.68.69

Consilia stulta, mala, quæ. 27.66.67.68.69
Consilia non necessaria & prohibita. 27.70
Consiliarii an remunerandi. 27.71.72
Consiliariorum exploratio. 27.73
Consilia militaria. 35.34.& seqq.
Consultandi ratio in comitiis. 8.66.c.27.40.41.42.c.35.10.& seqq.c.33.per tot.116.& seqq.
Conclusio in conventu publico. 8.68
Consul quis. 5.50
Consulis adjuncti. 5.50
Constituens major constituto. 8.55
Contractus inter subditos & magistratum. 19.6.7.c.38.39
Contributio. 11.23.c.7.61
Contributionis causa. 11.25
Contributio ex quibus rebus. 11.27.28.29.30
Contributionis professio. 11.31
Contributionis taxatio, & moderatio. 11.34.35
Contributio iniqua. 11.38
Contributio extraordinaria. 13
Contributio extraordinaria, ex quibus & quibus. 13.3.4.5.16
Contributio per as & libram. 13.7
Contributio Belgis usitata. 13.8
Contributio subditorum regni. 20.18
Contributionum ratio & modus. 32.78.79.& seqq.
Conventus presbyterorum. 8.16
Conventus ecclesiasticus. 8.36.39
Conventuum utilitas. 23.33
Conventicula perniciosa. 23.38
Conventuum convocatio. 28.41
Conventus provincialis Groning. 33.132
Conventus Frisiorum. 33.133
Conventus Hollandorum. 33.134
Conventiones. 11.11
Conventum quis indicat. 8.64.c.28.41
Conventum quis dimittat. 8.66.& c.28.41.42.& seqq.c.18.110.c.19.27.
Corpus quid. 4.25.c.5.8
Corpus populi Romani. 4.26
Coronatio regis. 19.92.93
Cultus divini defensio & propagatio. 9.38.& seqq.

Cura

Cura corporis in quibus. 1.16
Curia populi Romani. 4.26
Cura bonorum Reipub. 17.2.& seqq.
Curiositas tollenda. 30.12

D

Diaconi. 8.15
De Deo rectus, sensus. 7.6
Decalogi tabulæ secundæ finis. 1.23.25.26
Decalogi divisio. 21.27.c.7.4.& seqq.
Decalogi doctrina quatenus homogenea in politica. 21.41
Defensio mutua. 5.36
Defensionis commoda. 5.37
Dei verus cultus. 7.7
Defensio. 7.60
Decretorum in conventu confirmatio & publicatio. 8.65
Defensio universalis consociationis. 16.1.3.4.5.6.& seqq.
Defensio mutua & correctio inter Ordines. 18.91
Defensio vitæ. 21.27.c.37.100.& seqq.
Defensio contra regem quando concessa. 38.37.41.42
Defensio contra hostem. 38.55.68
Dedititii. 17.29.51
Deliberandi jus. 17.58
Delectus. 26.5.
Delatores. 30.30.31.c.23.33.c.31.53
Democraticus status. 39.57.58.59
Democratiæ natura. 39.61.62.63.& seqq.
Democratia Romana. 39.62
Democratiæ leges. 39.72.& seqq.
Democraticorum delicta. 39.76
Democratiæ mala unde. 39.78.& seqq.
Democratia Judaïca. 39.77
Deputati Ordinum. 33.89.& seqq.
Deputati Imperii. 33.104
Disciplina in quibus. 1.15
Diaconi electio & vocatio. 8.22
Districtus provinciæ. 8.71
Dispensatio quatenus in Decalogo admittenda. 21.26.27.28
Dissimulatio quæ utilis. 26.8.9.10.11.
Discordia. 31.per tot.
Discordiarum causa. 31.13.& seqq.

Discordiarum remedia. 31.26.& seqq.
Discordiis vicinorum remedium quærendum. 31.79
Discrepantia & discordia in sententiis. 37.66.67.68
Dissidiorum tollendorum media. 37.69
Director. 1.13
Divitiæ subditorum. 32.13.c.30.17.18.19.20
Divisio regni, quando separata regna faciat. 39.53.54
Diversitas colligata. 1.35
Doctrina unde petenda. 21.12.13
Doctrina sana & sincera. 8.17
Dolus bonus. 26.10
Domus pro familia. 3.24
Domestici qui. 3.39
Domesticorum jura. 3.40
Domicilium quid. 5.17
Domus quid. 5.31
Dominus quid domesticis suis præstet. 3.40
Dominium protectionis & rerum. 18.28.& seqq.
Dominii adquisitio. 11.9
Donorum inæqualitas & imparitas unde. 1.26
Dona hominis unde cognoscantur. 7.22
Duumviri. 5.51
Dux quis. 8.51.c.18.116
Duella licita quæ. 34.33
Duellum illicitum. 35.1

E

Ægyptiorum distributio. 56.29
Ædificiorum constructio. 3.32
Ærarium tempore belli duplex. 35.19.20
Ecclesiastica negotia. 6.30
Ecclesiastica visitatio. 8.24
Ecclesiasticorum negotiorum administratio. 8.6.7.& seqq.
Ecclesiasticus ordo apud Judæos. 8.78.& seqq.
Ecclesiæ defensio. 9.41
Ecclesiarum visitatio. 28.39.44.
Ecclesiæ ministrorum reditus. 37.24
Ecclesiasticorum bonorum cura. 37.55.56.& seqq.
Ecclesiastica bona quando alienare concessum. 37.58
Electio magistratus cui competat. 18.16
Electorum convocatio. 18.110.c.19.27

Electio regum. 19.19.20.& seqq.c.18.16.17.18.19.64. c.19.24. & seqq.62.
Electorum juramentum. 19.28
Electionis actus quomodo peragatur. 19.31.34.38
Electionis species. 19.70
Electio regum libera. 19.71
Electio libera permittit mutationem politiæ. 19.72
Eligendæ personæ. 19.73
Electio adstricta. 19.74
Electio adstricta mutationem politiæ non admittit. 19.75
Electionis adstrictæ exempla. 19.75.& seqq.
Electio adstricta ad masculos heredes defuncti regis. 19.80.81.82
Electio legalis utilior, quàm alia. 19.88
Electio in hereditariis regnis non excluditur. 19.90
Electionis confirmatio. 19.93
Electio & constitutio an differant. 19.103.104.105
Electio, nominatio, confirmatio regis. 19.107
Electio polyarchicorum. 39.48.49.50.51
Electio democraticorum. 39.68
Ephori regni. 18.48
Ephororum variæ appellationes. 18.49.52
Ephororum utilitas & necessitas. 18.50.51.52.54.55.56.
Ephori diversorum regnorum. 18.53
Ephororum officium. 18.48.& seqq.
Ephori repræsentant Rempub. 18.57.58.62.c.19.26
Ephororum electio. 18.59
Ephori qui eligendi. 18.60
Ephororum juramentum. 18.61
Ephororum collegium. 18.63
Ephori constituunt regem. 18.64.c.19.26
Ephori regem intra limites continent. 18.65
Ephororum potestas, quomodo differat à regum potestate. 38. 71.72.74.75.81.& seqq.
Ephori juvant regem. 18.66
Ephori consiliarii regis. 18.67.68.c.27.43.44
Ephori injustis regis factis intercedunt. 18.68
Ephori non sunt paris potestatis cum rege. 18.70.81
Ephori universi majores sunt rege. 18.73.74
Ephororum potestas prior regia. 18.75
Ephori Germanici Imperii. 18.76.77.78

Ephorus conqueri potest de negligentia regis. 18.79.82
Ephororum est defendere jura populi & Reipub. 18.83
Ephororum est cohibere tyrannidem regis. 18.84.85
Ephororum obligatio qualis. 38.39
Ephororum est regni procuratorem constituere. 18.86.c.19.26
Ephororum est tempore interregni rectorem constituere. 18.87
Ephororum est tyrannum removere & exauctorare. 18.88
Ephororum est defendere magistratum summum contra vim & injuriam. 18.89
Ephororum jus in suis provinciis. 18.90
Ephoros rex cohibet. 18.91.c.37.63.64.65.73.76
Ephori perpetui, hereditarii, vel temporales. 18.107
Ephori ecclesiastici & seculares. 18.108.109
Ephori generales. 18.110
Ephori variarum politiarum. 18.110
Ephororum convocatio. 18.110.c.19.27
Ephori speciales. 18.11
Ephori specialis jus & potestas. 18.112
Ephororum inter se specialis obligatio & nexus. 18.113
Ephori speciales Judæorum. 18.114.& seqq.
Ephori speciales Imperii Germanici. 18.115.& seqq.
Ephori speciales Suecia, Belgii, Poloniæ. 18.122
Ephororum vices subeuntes. 18.123
Ephororum jus an præscriptione tolli possit. 18.124
Ephororum collegium habet electionem regis. 19.27.105
Ephororum resistentia & defensio regi contra jura regni agenti facta. 38.44.45
Ephoris quando resistentia concessa. 38.46.47
Ephoros juvare tenentur subditi. 38.48. 49.52
Ephori specialis resistentia. 38.50.51.52.54
Ephorus unus, dissentientibus cæteris, extra suam provinciam nihil tentabit. 38.53.54
Ephorus unus totum regnum potest defendere ab injuria & vi illata ab extero. 38.55
Ephori judicant de tyrannide. 38.57
Epgasteria colastica. 30.27
Eremirarum vita damnatur. 1.25
Eversio Rerumpub. 39.85
Extranei. 5.11
Exploratores. 23.33.c.30.31.c.31.53
Experientia magistratus. 26.1.& seqq.

F

Familia illata injuria. 3.22
Familia princeps. 3.16
Familiæ commoda. 3.23
Familiæ cognomen. 3.24
Familiæ insignia. 3.24
Familiam conservant masculi. 3.24
Familiam mariti, uxor amplificat & illi liberos parit. 3.24
Familiæ nomina & cognomina, prænomina. 3.24
Familiæ privilegia & sacra communia. 3.28.29
Familiæ incommoda & onera. 3.34
Fama bona. 37.105.c.21.27
Factio & ejus remedium. 31.5.6
Facienda & fugienda. 10.4.5.7
Fœdus par & æquum. 17.49
Fœdus impar. 17.50
Fœdus temporale. 17.30.32
Fœdera infelicia. 17.53.c.25.21.22
Fœdera cum quibus facienda. 34.49.50.51
Fœderum utilitas. 25.20.21
Fœmina, quatenus succedit in regno. 19.78.79
Frumenti cura. 32.8
Forum. 32.10
Frisiæ Ordines. 33.133
Functiones. 2.15.16.17.c.7.13
Functio rustica. 2.17.18
Functio pecuaria. 2.21
Functio pastoritia. 2.22
Functionis hujus utilitas & necessitas. 2.123.c.7.15.16
Functio venatoria. 2.24
Functio mechanica. 2.25.c.7.27
Functionum cultores. 2.26
Functionum laus. 2.26
Functionum mechanicarum nexus & vinculum. 2.27
Functionum species variæ. 2.28.c.7.26
Functiones viles. 2.31
Functiones voluptuariæ. 2.32
Functionum sordidarum species. 2.32
Functio promercalis. 2.34

Functio honorifica. 7.18
Functionis requisita. 7.19.& seqq.
Functio licita & honesta. 7.20
Functio idonea & apta. 7.21
Functionis finis. 7.24
Functionis fides & diligentia. 7.25
Functio privata. 7.27. *publica.* 7.28
Functionum publicarum scopus & effectus. 7.29
Functionum publicarum administratores idonei eligendi. 7.30
Fundamenta societatis humanæ universalis. 9.32
Fuga subditorum à tyrannide quando licita. 38.65.80

G

Gentilis refutatur. 38.78.& seqq.& c.19.30
Gentiles. 3.24
Gentilitia insignia. 3.24
Germanicæ politiæ ministri. 14.9
Gravius quis. 18.118
Gubernatio in quibus. 1.14
Gubernatio severa. 25.4.5

H

Habitandi jus. 6.43
Haretici quatenus tolerandi. 9.42.& seqq.c.28.52.53.& seqq.
Hollandiæ Ordines. 33.134
Homo animal sociale. 1.24.25.32.33
Homo, quare hominis minister. 1.25.26.27
Homo sibi non vivit. 1.27
Homicidia in bello. 36.42
Hominum natura unde cognoscenda. 23.2.3.& seqq.
Hominum propriorum opera. 13.14
Homagium quid. 19.29.c.20.5
Hospitia. 13.12
Hospes. 5.18.
Hospitii jura. 5.18
Hospitatio. 13.12
Hospitalia. 37.84.85
Hostes qui. 35.2
Hostis non contemnendus. 35.36.37
Hostes decipiendi. 35.51.& seqq.
Hostis fuga. 36.38

Huldigung. 20.2

I

Imperium & subjectio 1.12.34.35.36.37.38
Imperantis partes. 1.13
Imperium in quibus consistat. 1.13.14
Imperare est naturale. 1.12.c.18.21.22.& seqq.
Imperii proprietas cujus, & illius administratio cujus. 18.28. & seqq.101.102.103.c.19.2.3.
Imperium quò minus, eò durabilius. 18.31
Imperium in parem, par non habet. 18.96.& seqq.
Imperii Germanici vicarii. 18.110
Imperium & jus regis. 19.1.2.3.5.7.52.& seqq.
Imperii summi dominium est penes populum. 19.12
Imperii natura. 19.35.& seqq.58.c.18.c.37.54
Imperium & jus quantum in magistratu confertur. 19.47.48
Imperii exercitium & administratio à quo tempore incipiat. 19.50.
Imperare difficillimum. 21.7
Imperitia gubernantium perniciosa. 21.9
Imperium. casibus obnoxium. 24.2
Imperium quorum odiis objectum. 24.3
Imperantes quare exosi. 24.4
Imperantes propter successus redduntur securi & insolentes. 24.5
Imperium suâ naturâ aliis odiosum. 24.6
Imperantium miseria & pericula. 24.7
Imperium gratum & acceptum, quale. 24.15
Imperii temperamentum. 24.41.42
Imperare quid sit. 24.43
Imperium adstrictum. 25.11.12.13
Imperium affectantes, quibus remediis impediendi. 25.41.& seqq.
Imperantium affectus pravi. 25.46.& seqq.
Imperantis sufficientia. 25.48
Imperantium contemtus. 25.49.& seqq.
Imperium plurium quale. 39.33.& seqq.
Imperantium negligentia 25.58
Imperantium affectus vitiosi. 25.59.60.& seqq.
Imperantium insufficientia 25.63
Imperantibus contraria subditorum opinio. 25.64.65.66
Imperantium usus & experientia. 26.2.& seqq.

Imperantium delectus. 26.5.6
Imperantium dusimulatio & diffidentia. 26.6.7.8.9.10.11
Immunitas. 15.2.& seqq.
Immunitatis cauſſæ. 15.6.7.8
Immunitas quousq; extendatur. 15.9.10
Immunitas quomodo danda. 32.82.& seqq.
Impunitas delinquentium. 29.17
Ingenia quæ apta ad officia. 7.33.& seqq.
Incolæ & intranei præferendi extraneis. 7.41
Incola, inquilinus. 5.16.c.9.5.
Incrementa civitatum. 5.71.& seqq.
Indigentia cauſſa conſociationis. 1.27.c.6.16.c.1.33.c.14
Inæqualitas politiæ. 1.37
Indigentiæ remedium. 1.7.8.26.27.c.10.32.33
Inducia. 36.46
Infideles quatenus tolerandi. 28.55
Inſpectores rerum eccleſiaſticarum. 8.6.7.8
Inauguratio regis. 19.92
Initiationis & augurationis tempus, ſupputationem annorum Imperii facit. 19.95
Inaugurationis ſolemnitates. 19.96
Intellectus politicus. 21.10
Intellectus unde. 21.11
Inducia. 36.46
Inſidiatores. 37.94.& seqq.
Judæorum tribus. 4.28
Judæorum ſeniores, ſacerdotes, judices. 4.28
Judicia civilia. 29.36.37
Judicia criminalia. 29.38
Judices dati, vel delegati. 29.39
Judices plures neceſſarii. 29.40
Judicare debet ipſe magiſtratus. 29.30.31.32
Judicum officium. 29.46.47
Judicia publicè habenda. 29.49
Judicia ſubalterna. 29.55
Judiciorum abuſus. 29.48.& seqq.
Judices in Repub. Judaica, à Deo conſtituti. 19.61
Judices Judaici differebant à regibus. 19.63.68
Judices Judaici, reges vocantur. 19.64
Jugatio. 13.6

Indulgentia. 24.31
Iræ moderatio. 24.25
Jura ſanguinis. 3.18.19
Juramentum præfecti civitatis. 5.22
Juramentum fidei & obſequii. 5.23.c.10.1.2.3.4.
Jura civitatis, privilegia, & beneficia. 6.39.c.6.43
Juramentum ſubjectionis. 8.57.
Jura regni quæ. 19.29.& seqq.
Juramentum magiſtratus ſummi. 19.30
Juramenta regum. 19.39.40.& seqq.c.24.39
Juramenti ſubditorum relaxatio. 19.45.46.c.17.48
Juramentum ſubditorum. 20.2.4.5
Juramentum ſubditorũ habet inſitam conditionẽ tacitã. 20.3
Juramentum primùm ſummus magiſtratus, deinde ſubditi præſtant. 20.5
Jura majeſtatis connexa. 39.18.19.20
Juridica conſiſtoria. 29.41
Itinera publica. 37.27
Jus ſymbioticum. 1.10.c.2.6.c.5.5
Jus ſuffragii. 6.44.c.4.18.19.c.5.62.63
Juſtitiæ praxis. 7.11.12
Jus provinciale. 8.1
Jus majeſtatis. 9.13.15
Jus regni in quibus. 9.12.15.16
Jus regni individuum. 9.19
Jus regni duplex. 9.28
Jus regni in quibus. 9.29.c.19.29.& seqq.c.24.36.37
Jus majeſtatis eccleſiaſticum & ſeculare. 9.32.33.34
Jus majeſtatis eccleſiaſticum quomodo rectè inſtituatur. 9.35
Jus majeſtatis ſeculare quid. 10.1
Jus majeſtatis ſeculare generale. 10.2
Juris promulgatio. 10.3
Jus majeſtatis ſpeciale. 11.1.2.3
Jus protectionis. 16.1.2.& seqq.c.19.2.3.c.24.37
Jus regendi & imperandi unde. 1.12.c.18.18.& seqq.
Jus regis aliud, & jus populi aliud. 18.104.105.c.19.12.13
Jus regis & regni. 19.1.2.3.4.5.6.7.12.13.17.18.21.52 54.58. c.24.37.38.
Jus populi majus regis jure. 19.12.13.21

Jus regni, rege mortuo, quò devolvatur. 19.18.21
Jus regium, seu regiminis. 19.52.53.54. & seqq.
Juris regni violatio ab Ordinibus vindicatur. 38.44.45
Jus exauctorandi reges. 19.69
Jus resistendi regibus. 19.69
Juris dictionis usus in polyarchia qualis. 39.39
Jus imperii ad heredes suâ naturâ non transit. 19.91
Jus commune. 21.19. & seqq.
Justitiæ administratio. 29.15.16.17. & c.8.61. & seqq.
Justitiæ administratio sine respectu ullius rei. 29.26.27.35
Justitiæ administrandæ abusus. 29.46. & seqq.
Jus in hominis corpus. 37.102. & seqq.
Jus in bona hominis. 37.111
Jus rogandi, proponendi & sedendi in comitiis. 33.8. & seqq. 38. & seqq. 113. & seqq.

L

Leges consociationis. 1.19
Leges communicationis. 1.20
Leges decalogum explicantes. 10.8
Legis necessitas. 10.8
Legis interpretatio. 10.9
Legis exsecutio. 10.10
Leges regiminis. 19.29. & seqq. 53. & seqq.
Leges Cæsaris. 19.39
Leges Galliæ regis. 19.40.43.44
Leges Angliæ regis. 19.41
Leges Hispaniæ regis. 19.42
Leges Suecia regis. 19.42
Legis notitia & inclinationis gradus. 21.21
Legis capita. 21.22
Legis propriæ causa. 21.31
Legis propriæ membra. 21.32
Legis ceremonialis species. 21.36
Legis forensis species. 21.39
Leges mistæ. 21.40
Legum forensium immutabilitatem asserentes, refutantur. 22. 11.12.13.
Leges de religione. 28.28.48.50.51
Legum sanctio & exsecutio. 29.4
Legis

Legis requisita. 29.4.5
Leges quæ tollendæ, & quomodo. 29.6.8.9
Leges Reipub. alienæ an recipiendæ. 29.7
Leges sumptuariæ. 29.10
Leges de quibus rebus. 29.10.21.12.13
Legis executio. 29.14
Lex symbiosi inserviens. 1.10.11
Lex communis & perpetua politica. 1.11
Lex quid. 10.4
Lex fundamentalis. 19.43.49.52
Lex Poloniæ regis. 19.45
Lex principum Brabantiæ. 19.46
Lex regiminis. 19.53
Lex regula vivendi & administrandi. 21.16.17.18
Lex variè vocatur. 21.18
Lex respiciens vitam piam. 21.23
Lex respiciens vitam justam. 21.24
Lex moralis communis. 21.29
Lex propria. 21.30
Lex propria mutabilis. 21.33
Lex propria Judæorum. 21.34
Lex ceremonialis. 21.35
Lex forensis Judæorum. 21.33
Lex forensis in quibus mutabilis, vel immutabilis. 21.38
Lex propria quatenus abolita, vel minus. 22.1.2.3.4
Lex ceremonialis mutabilis. 22.5.6.7 8
Lex mista quatenus mutabilis. 22.9
Lex forensis, quatenus mutabilis. 22.10
Lenitas principis. 24.22.23.24
Liberis nomina imponunt parentes. 3.26
Lingua. 7.63
Linguæ necessitas. 11.16
Litis expensa. 29.54.55
Libidines prohibitæ. 30.8.9.10
Linguæ usus. 32.32.33.34
Loci commoditas, fertilitas, celebritas, amœnitas, summum consistorium &c. urbem augent. 5.74. & seqq.
Ludi publici. 37.35
Luxus tollendus. 30.16.17

M

Magistratuum electio quæ bona. 7.40.41
Magistratus subjectus est censuræ ecclesiasticæ. 8.32
Magistratus jus in ecclesiasticis. 8.58
Magistratus summi ministri. 14.10.& seqq.
Magistratus officium. 18.6.7.8.12
Magistratus constitutio. 18.4.7.16.17.18.& seqq.
Magistratus scopus. 18.7
Magistratus populum repræsentat. 18.11.26
Magistratus, quando Dei vel Diaboli minister. 18.33.& seqq. 41.42.44.45.46
Magistratus legibus est alligatus. 18.34.35.& seqq.40
Magistratibus excedentibus fines mandati, non obediendum. 18.41.& seqq. 43.
Magistratus quando dicuntur excedere potestatis suæ terminos. 18.42.
Magistratus amor in populum & sufficientia illius. 18.47
Magistratus summus quis. 19.1.4.5
Magistratus summus quid juris habeat in regno. 19.2.3.4.7
Magistratus summi constitutio. 19.6.& seqq.24.& seqq.
Magistratus obligatio. 19.6.7
Magistratus summi necessitas & utilitas. 19.23
Magistratus ineptus quando rejiciendus. 19.85.86.87
Magistratus summi species. 39.1.2
Magistratus monarchicus quis. 39.4
Magistratuum species mixtæ. 39.23
Magistratus debita reverentia & defensio. 20.13.& seqq.
Magistratus varia elogia & cognomina honorifica. 20.17
Magistratus lenitas. 24.18
Magistratus cujus causâ constitutus. 24.43
Magistratus autoritas. 25.1.2.3.4.5
Magistratus, fidei confessionem publicam promulgat. 28.28. 29. & seqq.
Magistratus quatenus possit disponere de rebus ecclesiasticis. 5.6.28.32
Magistratus edicta de religione. 28.27.28.50.& seqq.
Magistratus ad religionem neminem cogere debet. 28.64.& seqq.
Magistratui cura ecclesiæ commendata. 28.72.73

Magi-

Magistratus officium est judicare de controversiis subditorum. 29.30.31.32
Magistratus officium est inquirere. 29.31.32
Magistratus lege mitior esse non debet. 29.33.34
Magistratus species mixta an esse possit. 39.2.10.11.12.13.& seqq.23.
Magistratus judicium, sine respectu personarum, affectibus & muneribus. 29.35.
Magistratus intermedii. 29.42.43.44.46
Magistratus Romani. 29.45.46
Magistratus officium est, abusus judiciorum tollere. 29.48.& seqq.
Magistratuum inferiorum ordo. 32.92.93
Magistratus species unde æstimandæ. 39.9.
Magistratus inferior perpetuus, vel temporalis. 32.94
Magistratus intermedii pauci. 32.97.98.c.37.25.& seqq.76
Magistratum adimentia delicta. 38.88.& seqq.96.& seqq.
Magistratus mandata duplicia. 38.100
Magistratus quando Dei minister. 38.101.102
Majestas regum. 19.97.c.20.17
Majestas regni & regis. 9.24
Maritus director domesticæ consociationis. 2.40
Mariti officium. 2.42
Mariti patrocinium. 2.43
Mariti gubernatio & cura. 2.44
Mariti jus in uxorem. 2.45
Maritus quomodo uxore superior. 18.105
Maris dominium. 37.28.29
Marchio quis. 18.117
Masculorum prærogativa. 3.24
Mensura. 11.15
Mendicitas perniciosa Reipub. 8.60
Mendicitatis remedium. 8.60.c.30.11.13
Mercatores. 2.35.c.8.47.c.32.9
Mercatura inter artes refertur. 2.35
Mercaturæ usus licitus. 2.36
Mercatura regni. 17.28
Mercaturæ cura. 32.3 4.& seqq.
Mercaturæ locus. 32.5.10

Mercatura forma. 32.14.15
Metropolis. 6.6
Metropolis religionis & justitiæ templum. 6.6.7
Metropolis frequentia & amplitudo. 6.6.c.37.78
Metropolis potestas. 8.51
Metropoles variarum politiarum. 6.9.10
Metropolis regia. 6.10.11
Metropolis filiæ. 6.6.12
Ministri publici qui idonei. 7.30.31.32.& seqq.
Ministrorum ecclesiæ species. 7.53
Ministrorum ecclesiæ electio & vocatio. 8.18. & seqq.
Ministri nominatio. 8.19. approbatio. 8.20
Ministri ecclesiæ confirmatio. 8.21
Ministrorum ecclesiæ officium. 8.29
Ministrorum varia nomina. 8.30
Ministri regni. 14.4.c.32.39.40
Ministerium sacrum. 28.26.27
Ministrorum ecclesiæ contemptus. 28.69.70
Ministri Reipub. 32.39.40.& seqq.
Militari rei præfecti. 14.8
Militum privilegia. 15.10
Milites qui præferendi. 34.6
Militum delectus tempore pacis. 34.13
Milites idonei. 34.14.c.35.66.67
Milites pedites, equites. 34.15.16.c.35.63
Milites ordinarii, stationarii, præsidiarii, prætoriani. 34.17. 18.19.20.& seqq.
Milites in domiciliis relicti. 34.23.24
Milites subsidiarii. 34.25.26
Militum præfectus generalis & illius requisita. 34.28.& seqq.
Militaris scientia. 34.31.32.c.35.39.& seqq.
Militum exercitatio. 34.32
Militum præfectus specialis. 34.34
Milites Turcarum. 34.38
Militaris ducis consilium. 35.30.31.& seqq.
Militaris ducis requisita. 35.30.& seqq.
Militares excubiæ. 35.38
Militaris Ducis inquisitio de omnibus. 35.39
Militaris pugnandi ratio. 35.40.& seqq.

Milita-

Militaris acies quomodo instruenda. 35.43.45.49
Militares equites & pedites conjungendi. 35.46.47
Militaris ducis autoritas & amor unde. 35.54.55.56
Militaris ducis felicitas. 35.58.& seqq.
Militares duces secundarii. 35.59
Milites varii, veteres, tyrones. 35.60.& seqq.
Militum vocatio. 35.64.& seqq.
Milites boni qui. 35.66.& seqq.
Militum convocatio & conscriptio. 35.73.& seqq.
Militare excusantur quidam. 35.74
Militum probatio. 35.75.76
Militum distributio. 35.77
Militum regimen equitum & peditum. 35.78
Militum regiminibus inservientes & officiarii militares. 35. 80.& seqq.
Militum juramentum. 35.89
Militaris disciplina in quibus consistat. 36.3.4.5.& seqq.
Militum præmia. 36.18.& seqq.
Militares pœnæ. 36.24.& seqq.
Monarchicus status quis. 39.20.21.22
Monarchiæ salutaria. 39.24.27
Monarchia Romana. 39.29
Monarchia optima. 39.30
Monarchicum statum infestantia. 39.31
Monarcha variè appellatur. 39.4
Monarchiæ natura. 39.6
Monarcha an sine consiliariis quid possit. 39.7
Monarcha an habeat absolutam potestatem. 39.8
Monachorum vita. 1.22.35
Moneta. 7.63
Monetæ cura. 32.31.c.33.99
Monetæ qualitas & quantitas. 11.14
Monopolium quando licitum. 17.13.c.32.21
Monopolii species. 32.20.21.& seqq.
Mores mali qui. 30.6
Morum pestes. 30.7.8.9
Munus publicum. 7.18.19
Munus honorificum. 7.31.44
Munerum emptiones. 7.39

Munera intraneis incolis deferenda. 7.41
Munerum gradus. 7.43.46
Munus seculare. 7.45
Munera digniora. 7.46.47.48.49.50
Munus quid. 11.17.18
Munerum justitia. 11.19
Munus ecclesiasticum. 7.53
Munus militare. 7.54
Munera duplicia. 11.20
Munerum necessitas & utilitas. 11.21
Munera realia. 11.23
Munera personalia. 14.1.2
Munerum publicorum species. 14.3
Munerum publicorum cura. 32.35. & seqq.
Munerum distinctio. 32.47. & seqq.
Munerum confusio. 32.52. & seqq.
Munerum ordo & gradus. 32.55.56. & seqq.
Munera quibus & quomodo conferenda. 32.87.88. & seqq.
Munerum conservatio. 32.90. & seqq.
Municipalis civitas. 6.3
Mulierum polypragmosyne infelix. 32.54
Mutationes periculosæ. 24.10.11.12.13.c.25.8.9

N

Nachsteur. 12.20
Navigationis cura. 37.29
Negotium Jehovæ & regis. 9.32.c.10.1
Negotiorum diversitas & necessitas unde. 7.16
Negotiorum multitudo. 7.15
Negotia civilia. 7.8. & seqq.
Nobilitas, ejus studia & actiones. 8.41.42.43.44
Nobilitas nativa. 3.29
Nobilitas unde æstimetur. 3.30
Nobiles apud Judæos. 3.33
Nobilitatis variæ caussæ. 3.31
Nobilitas dativa. 3.31
Nobilitatis gradus. 3.32
Nobilitas variorum populorum. 3.33

Obse-

O

Obsequentis partes. 1.18
Obsequentes. 5.20
Obedientia & obsequium. 20.1.2.3.4.10.22
Obligatio inter regem & subditos conditionalis quando deficiat. 38.30.40.41
Obligationis adquisitio. 11.10
Obedientia à subditis regi promittitur, præstito juramento fidelitatis. 20.12
Obligatio inter magistratum & subditos. 20.12.21
Obsidio urbium. 36.30.32
Odium ex quibus sibi conciliet magistratus. 24.51. & seqq.
Officium negotiosum. 2.20
Officia sordida. 2.29
Officia illiberalia. 2.30
Officia proximo præstanda. 7.9.10
Officium publicum. 7.29.30.31
Officium publicum quibus injungendum. 7.32.33. & seqq.
Officium seculare. 7.45
Officiorum gradus. 7.43.46
Officia digniora. 7.46. & seqq.
Officium humile. 7.55.56
Officia civium & agrariorum. 8.45. & seqq.
Officia & opificia quomodo provinciæ reddantur utilia. 8.59
Officiarii regni. 14.1
Officiales Reip. & regis. 32.39. & seqq. c.37.62.63.64
Officialium species. 32.47. & seqq.
Officiorum ordo & distinctio. 32.55.56. & seqq.92.93
Officiorum gravamina. 32.61.62
Officiorum distributio 32.64.87.88.89
Officiariorum conservatio. 32.90. & seqq.
Officia distincta & separata. 37.70
Officiarii liberi. 37.71
Officina. 7.17
Opera mutua. 1.18
Opera collegarum. 4.12
Operarum communicatio. 6.28
Opera communes. 6.31
Operas mutuas sibi præstant opificia. 6.32

Operæ civium mutuæ. 6.34
Operæ hominum. 13.14
Operæ artificiales. 20.7
Operæ obsequiales. 20.10.11
Operum publicorum cura. 37.26.34.36.37
Oppidum. 5.38
Oppidi præfectus. 5.39
Opificia privata. 6.32
Optimates politiarum generales & speciales. 18.109.110
Optimatum Galliæ officia. 18.110
Optimates Angliæ. 18.110
Optimates Poloniæ. 18.110
Optimates Belgii. 18.110
Optimates Hungariæ. 18.110
Optimates diversorum regnorum. 18.110
Optimates speciales. 18.111.112
Optimates speciales diversorum regnorum. 18.114.115. & seqq.
Optimates polyarchici quando. 39.52
Ordo necessarius. 1.35
Ordo decernendi & suffragia ferendi. 5.63. & 77.65.66.
Ordo necessarius in populosis civitatibus. 6.7
Oratores perniciosi. 7.33
Ordo senatorius, equestris. 4.27
Ordo plebeius. 4.27
Ordines provinciæ. 8.2. & seqq.
Ordo ecclesiasticus. 8.6. & seqq.
Ordinis ecclesiastici officium. 8.7.8.9. & seqq. & num.37
Ordo secularis. 8.40
Ordo nobilitatis. 8.41.42 43
Ordo civitatum. 8.45.46
Ordines provinciarum in politia Judaica. 8.77.78. & seqq.
Ordinis secularis officium apud Judæos. 8.80.81
Ordines politiæ Germanicæ. 18.110
Ordines Galliæ. 18.110
Ordines regni inter se sunt correi. 38.38
Ordo dignitatum. 32.55.56
Ordo magistratuum. 32.92.93
Ordinum Imperii deputati. 33.89.93. & seqq.
Otium tollendum. 30.10.11

P

Pacis ineundæ jus. 16.18
Pactum religiosum. 19.34.c.28.16.17.23
Panagium quid. 20.2
Pagus. 5.35
Pagi superior. 5.36
Papistæ quatenus tolerandi. 28.56
Patriarchæ. 3.16
Parentum onera. 3.37
Parens nomen liberis imponit. 3.26
Pastores. 8.13
Palatini potestas. 18.79.98.110
Parens quid liberis præstet. 3.37
Pater communicat liberis nomen familiæ. 3.24
Paræcia. 8.11
Papistæ quatenus tolerandi. 28.56
Parlamentum Galliæ & Angliæ. 33.111.112.113.c.16.10.
Pax quomodo facienda. 36.60
Pax qualis esse debeat. 36.61. & seqq.
Pax quæ melior. 36.65
Pauperum cura. 37.87. & seqq.
Pœnarum necessitas & utilitas. 10.11
Pœnarum moderatio & temperamentum. 24.22
Persona repræsentata. 5.9
Peregrini. 5.11.14.c.9.5
Pecuniæ studium in Rep. 30.17.18.19
Polemicæ actiones. 36.26. & seqq.
Politeuma. 5.5.12
Politia. 9.3
Politiæ mutatio. 19.72.75
Politiæ vox. 1.5
Politicæ quid. 1.1
Politici hominis finis. 1.3
Politicæ finis. 1.30
Politica vita naturalis. 1.32.34
Politicæ vitæ necessitas & utilitas. 1.33
Politicæ subjectum. 1.31
Politia Judaica. 8.72
Polyarchia. 39.32. & seqq.

Polyarchia natura. 39.33.34.35.36.& seqq.
Polyarchiæ causæ conservantes. 39.42.& seqq.
Populi Romani variæ distributiones. 4.26.27
Populus superior & prior rege. 18.9.10.26.27.c.19.15.c.38.114. & seqq.
Populi natura. 23.1.2.3.& seqq.
Populi subjecti natura unde cognoscenda. 23.15
Populi vicini natura. 23.16.17
Populi universi inclinatio. 23.19
Populus conditionaliter magistratui obligatus. 38.31
Populo se adcommodare. 23.20
Populi ingenium & affectio. 23.21
Populus quando humilis vel ferox. 23.22
Populus quibus irritetur. 23.23
Populus quos diligat, vel odio habeat. 23.23
Populi vitium contra magistratum. 23.24
Populus est vecors & judicii expers. 23.25
Populus est credulus, invidus, morosus, præceps, ingratus, timidus, turbidus, seditiosus, rerum novarum cupidus. 23.26. 27.28.29.30.35.36.37.
Populus imitatur mores sui principis. 23.31
Populus levis & inconstans. 23.32
Populus rei propriæ studiosus, publicæ negligens. 23.34
Populus sine rege, sed non rex sine populo. 19.16
Potestas summa cui competat. 9.19.20.21.22.24.25.26
Potestas nulla summa absoluta & soluta. 9.21.22.25.26.27. cap.18. 26. 27. 30. 31. 34. 35. 36. & seqq. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 79. 80. 106. cap. 19. 9. 10. 11. 35. 36. 46. 53. 54. c. 24. 49. & c. 39. 8. 128.
Potestas summa quæ dicatur. 18.96.101.102.c.19.11.21.35.36. 37.47.48.58.c.38.128. & seqq.
Potestate absolutâ uti, tyrannis est. 38.9
Potestas pendens ab aliâ, non est summa. 9.23. c.18.27
Potestas universalis. 9.27.c.18
Potestas puniendi. 10.11
Potestas quò minor, eò durabilior. 18.31.c.19.8
Potestatis cancelli. 18.40. & seqq. c.19.14.29. & seqq. 47.48. 53.54. & seqq. 68.
Potestas ephororum. 18.68. & seqq.

Potestas populi major, quàm regis. 18.92.c.19.12.13.21
Potestas regis non minuitur ab ephoris. 18.70.71.72
Potestas constituens & constituta, quomodo differant. 18.93. c.19.19.20.21.
Potestas major quando minori subjicitur. 18. 98. 101.102. & seqq.
Potestatis & imperii causa. 18.103.& seqq.
Potestas omnis temporalis, & naturâ suâ dissolubilis. 18.105. 106.
Potentia regum unde. 18.103.& seqq. c.19.17.21.c.20.6.c.25.11. 15.16.& seqq.
Potentiæ vicinæ crescenti maturè occurrendum. 31.78
Potentiorum injuriæ compescendæ. 32.74.77
Potentiorum natura. 1.38
Potestas regia. 19.1.2.5.7.8.67.69
Potestas regia quomodo differat ab aliis. 19.5
Potestatis summæ necessitas & utilitas. 19.23.& seqq.
Potestas nulla ad malum. 19.37.c.18
Potestatis natura. 19.35.& seqq.
Potestas quo contractu adquiratur. 38.39
Præmium piis statuendum. 28.49
Præmia quibus danda. 29.19.c.37.74.75
Præmiorum distributio. 29.19.20.& seqq.
Prælium. 36.34.35.36.37
Prælio dux an interesse debeat. 36.38
Prædatio. 36.34.35.& seqq.
Præsides civitatis à quo constituantur. 5.25
Præses civitatis. 6.48.49
Presbyterium. 8.10.14
Presbyterii homines & collegæ. 8.11.12.& seqq.
Presbyterii officium. 8.16
Presbyterii electio & vocatio. 8.22.23
Presbyterii præses. 8.27
Presbyterii suffragia. 8.28
Præses provinciæ. 8.30
Præsidis constituendi causa. 8.32
Præsidis provincialis potestas. 8.33.& seqq.
Præsidis provincialis officium. 8.56.58.59.61.62.63.& seqq.
Præsides & præfecti provinciarum in politia Judaica. 8.72

Præsides provinciarum apud Romanos. 8.82.83.84
Præsides temporales. 8.84
Præsides provinciarum hodie hereditarii. 8.85
Præsides provinciarum Germaniæ. 8.88
Præsides immediatè Cæsari, vel Imperio subjecti. 8.89
Præsides provinciarum mediatè subjecti Imperio. 8.90
Præsides cui rationem administrationis suæ reddere tenentur. 8.91.92.
Præsidibus non defendentibus suos subditos, illi se alii submittere possunt. 8.92.
Prælatus quis. 18.120
Præcepta primæ tabulæ. 21.25
Præceptis secundæ tabulæ contraria. 21.27
Princeps familiæ, tribus, domus. 3.16
Principatus onus & cura. 3.35
Privilegia cognatorum. 3.28
Primogenitura jus. 3.35.c.19.83.84.& seqq.
Princeps senatus. 5.53
Privilegia. 15.1.& seqq.
Privilegium personale. 15.3
Privilegium reale. 15.4
Privilegia quorundam. 15.10.12
Privilegia quando cessant. 15.13
Privilegii requisita. 15.12
Privilegiorum cessatio. 15.13
Privilegii concessi in genere sensus. 15.13
Privilegia regalia. 15.15
Princeps quis. 19.4
Princeps quomodo dominus mundi dicatur. 19.13
Princeps mortalis, regnum immortale. 19.18
Primogenituræ mutatio noxia. 19.88
Primogenitus etiam inhabilis & ineptus, atq; diversæ religionis admittendus. 19.85.86.87.
Primæ tabulæ contraria dicuntur impia, & indistinctè prohibita. 21.26
Principis interest bonos viros habere notos. 23.39
Principis refert scire & nosse aulicorum suorum naturam. 23.40.
Principis beneficentia. 24.26.27
Principis beneficentia quomodo & in quos exercenda. 24.27.28.
Principis lenitas. 24.20.21.22
Princeps quomodo odium in se conceptum leniat. 24.29.30
Principis indulgentia. 24.31
Princeps quomodo de Republ. bene mereri possit. 24.32.& seqq.
Princeps non potest alienare oppida, urbes regni. 24.35
Principis bona propria. 24.36
Princeps quid juris habeat in bonis regni. 24.37
Principis jus unde. 24.28
Principis cum populo communicatio. 24.41
Princeps pater publicus. 24.44
Princeps bonum publicum quærit & curat. 24.44
Princeps ex quibus odium sibi contrahat. 24.51.& seqq.
Princeps à suis, vel potentioribus seduci se non patiatur. 25.10.
Principis mores & virtutes necessariæ. 25.25.26
Principum tituli. 28.20.21.22
Principum congressus in bello periculosus. 36.39
Propinquorum seniorum onus. 3.36
Proponendi jus in conventu quis habeat. 8.64.65
Proselyti. 5.21
Provincia. 6.14.c.7.1.c.8.51
Provinciæ territorium. 7.2
Provincialis juris communio. 7.3
Provinciæ jura & negotia. 7.4.5
Provincialia jura civilia. 7.8.11.12
Provincialis functio. 7.13
Provinciæ status & ordines. 8.2.3.4.& seqq.77.& seqq.
Provinciam repræsentant Ordines. 8.5
Provinciæ præses. 8.50
Provincia malis hominibus purganda. 29.16
Provincia quomodo exornanda. 32.66.67
Provinciæ diversa matrimoniis conjungendæ. 32.73
Provinciæ præfecti potestas. 8.50
Provinciæ distinctio in classes, præfecturas. 8.71
Provinciæ separatæ. 9.6

Proximo quid præstandum. 10.4.5.7
Protectio. 16.2.3.& seqq.c.17.46.& seqq.c.1.17
Provinciis & populis angelus præfectus. 23.18
Proditores. 23.64.65.c.35.51.52.53
Promissio & comminatio Dei facta magistratui. 28.19
Propugnaculum. 34.45.& seqq.c.39.26
Prudentia & divitiæ regum unde. 20.6.c.19.17.21.c.18.103.& seqq.
Prudentia politica. 21.8
Prudentia capita. 21.10
Prudentia propria, vel aliena. 27.1.2.3
Prudentia mutuatitia. 27.3

R

Rabulæ forenses. 29.48.& seqq.
Recessus Imperii forma & modus. 33.77.& seqq.
Reditus ex metallifodinis. 12.8
Regis constituendi necessitas & utilitas. 19.23.c.18.
Regis juramentum. 19.30
Regis officium & potestas an differant. 19.58
Regis jus, quale, quantum. 18.7.8.28.29. cap.19.5.12.& seqq. cap.24.36.37.38.c.37.1.& seqq.52.53.54.& cap.38.126.& seqq.
Reges Judaici quales. 19.81
Reges Angliæ, Scotiæ, Lusitaniæ, Hispaniæ, Navarræ, Poloniæ quales. 19.79.
Reges Galliæ quales. 19.82
Reges Hungariæ. 19.82
Reges hereditarii, etiam inhabiles & inepti, ad regnum admittuntur. 19.85.86.87
Regis inauguratio. 19.92
Regibus à Deo indita majestas, dignitas & veneratio. 19.97
Regis vicarius illo mortuo, quis. 19.102.c.18.87
Regis constitutio & electio an differant. 19.103.& seqq.
Regis defensio. 20.7
Regis divitiæ, potentia & sapientia, unde. 18.103.& seqq.c.19.17.21.c.20.6.
Regis formula scribendi. 20.6
Regis persona sancta, inviolabilis. 20.6
Regi debetur reverentia. 20.13.14

Regi autoritas concilianda. 20.14
Regis contemptus vindicandus. 20.16
Regis cognomina & elogia varia. 20.17.c.21.4
Regis tyrannis à subditis vindicatur. 20.20
Regis administratio deponi potest. 21.5
Regionum natura. 23.14
Regis cum populo communicatio. 24.41
Regis autoritas. 25.1.2.& seqq.
Regis autoritatem & imperium affectantes, quomodo impediendi. 25.14.15.& seqq.
Regis pietas salutaris. 25.26
Regis providentia. 25.27
Regis fortitudo. 25.28
Regis fides. 25.29
Regis modestia. 25.30
Regum miseria. 25.31.& seqq.
Regis actiones moderatæ. 25.35
Regis mores externi, decori in sermone & gestibus. 25.35.36.37.
Regis conspectus quando præbendus aliis. 25.40
Regis vita solitaria. 25.41.42
Regis ministri & consiliarii præclari eidem autoritatem conciliant. 25.37.43.
Regis cultus corporis. 25.44
Regis temperantia. 25.45
Regis & regni bona. 37.59.60.61
Regis moderatio in affectibus. 25.46.& seqq.
Regis contemptus unde. 25.49.& seqq.
Regi contraria subditorum opinio. 25.64.65
Regis libri arcanorum. 26.12
Regis consiliarii. 27.1.& seqq.
Regi consiliarii necessarii. 27.3.4.5
Regis luxus. 37.4.5.& seqq.
Regis officiarii inutiles. 37.6.7.8
Regis aula & sustentatio magnifica. 37.8.9.10.11.12
Regis amictus & victus. 37.11.12.13
Regis sedes & domicilium. 37.14
Regis ministri & satellites. 37.15.16.17.& seqq.
Regis palatini. 37.19.20.21.22

Regis potestas & jus in bonorum publicorum administratione. 37.43.& seqq.
Regis jus in bona subditorum. 37.111.& seqq.
Regi quando liceat resistere. 38.per totum.
Regium jus, qua delicta tollant. 38.88.& seqq.91.92.& seqq. 104.105.& seqq.
Regum tituli quales. 28.20.21
Regum filii in scholis erudiendi. 28.36
Regum miseria & pericula. 25.31.& seqq.
Regum formula scribendi Nos. 20.6
Regum divitiæ, sapientia, potentia unde. 18.103.& seqq. c.19. 17.21.c.20.8.
Regum electio. 18.16.17.18.19.64.c.19.19.& seqq.
Regum vicarii & proreges. 19.89.102
Regum insignia. 19.99
Pro Rege preces. 20.15
Regum mutatio & Reip. quando concessa, & quòd periculosa. 38.70.76.
Regis exauctorandi quis habeat potestatem. 38.35
Regni ministri. 14.4.& seqq.c.18.34.c.37
Regni bibliotheca. 17.13
Regnum quid. 9.3.4
Regni regiones & provinciæ. 17.24
Regni augmentatio. 17.54
Regni ministros eligentes. 18.5.18.& seqq.
Regnum est dominus plenus Imperii & potestatis summæ. 19. 12.c.24.36.& seqq.c.37.1.& seqq.52.53.54
Regni commissio. 19.24
Regni lex fundamentalis. 19.43.49
Regnum hereditarium successivum. 19.75.77.81.83
Regnum dividuum & individuum. 19.84
Regni traditio quibus symbolis fiat. 19.94
Regni insignia. 19.100
Regni administratio regi à quo præscripta. 21.1.2.3.c.19.53.& seqq.
Regni novi & veteris natura. 24.8.9.10
Regnum objectum odiis & periculis. 24.3.4.& seqq.
Regni novi natura. 24.12.13
Regni potentia. 24.14

Regni

Regni administratio ad salutem subditorum instituenda. 24. 34.& seqq.44.45.46.47.c.18.c.37.1.& seqq.
Regni administratio sub conditione defertur. 38.40
Regno adquiruntur capta bello. 36.69
Regni bona quousq; ad magistratum pertineant. 37.1.2.52. 53.
Regni sumptus necessarii. 37.4.5.& seqq.
Regni limites, saltus, flumina, portus, sylvæ &c. 37. 29.30. 34.
Regnorum divisio. 39.53.54
Regni territorium tutum reddendum. 37.30
Regni loca mediterranea. 37.31
Regni annona, commeatus, emporia. 37.32.33
Regni propugnacula, theatra, stadia, portus. 37.34
Regni feuda & regalia. 37.44.45
Regni & regis officiarii. 37.62
Regno qua à rege adquiruntur. 37.117
Regni membra. 9.5
Regni ampli commoda & incommoda. 9.9.10
Regni jus. 9.12.13
Regni territorium. 9.14
Regni fundamenta. 9.15.16.17
Regni constitutio jurisgentium. 9.16
Regni jus universis membris competit. 9.18.19
Regni jus & potestas simplex. 9.19
Regni jus consociationi universali tribuitur. 9.20.21
Regni & regis negotia diversa. 9.32
Rex variè appellatur. 9.26
Rex propter regnum, non contra. 18.8.9. cap.19.15.16. cap.24. 43.
Rex tutor vel curator subditorum. 18.12.& seqq.c.24.46
Rex quomodo publica persona, & quomodo privata. 18.15.103. & seqq.
Rex quid juris habeat in regno. 38.121.& seqq.
Rex quando fiat privatus. 38.32.36.37.42.& seqq.
Rex repræsentat populum. 18.26
Rex quomodo major, vel minor subditis suis. 18.27.c.19.8.9.& seqq.
Rex Galliæ non habet absolutam potestatem. 18.69

Rex coram quo conveniri possit. 18.79.80
Rex quomodo praesit & subjicitur. 18.94.95.99.103.& seqq.
Rex decalogi praeceptis tenetur. 19.58
Rex & judex apud Judaeos an differant. 19.60.& seqq.
Rex tenetur rationes reddere suae administrationis. 19.64. cap. 24.38.
Rex repraesentat personam regni & subditorum. 19.98
Rex typus Dei. 19.98
Rex non eget Pontificis confirmatione. 19.101
Rex ob afflictionem vel scelera non contemnendus. 20.14
Rex contraveniens pactis initis cum populo, & contrà. 20. 21.
Rex cujus gratiâ constitutus. 24.43
Rex alligatus legibus & decalogo. 24.48.cap.18.28.29.32.& seqq.40.c.21.17.
Rex alius & aliud dignitas officii ipsius. 25.33
Rex à suo colloquio alios arcens, qualis. 25.41.42
Rex censum remittere potest. 37.46
Rex quando bona regni alienare possit. 37.47.& seqq.
Rex quibus legibus solutus. 38.66
Religionis jura. 3.40
Religionis cura cui incumbat. 8.6.7.8.& seqq.c.9.36
Religionis cura praecipua. 9.36.c.28.7.8.& seqq.
Religionis exercitium publicum & liberum omnibus relinquendum. 9.36.
Religionis probatio unde sumenda. 9.37
De Religione ejusq; cultu edicta publica. 9.41
Religionis defensio. 9.38.& seqq.
Religionis schismata. 9.42.& seqq.
Religionis libertas promiscuè non concedenda. 9.45
Religionis conservatio & defensio. 28. 37. 38. 39. 50. & seqq.
Religionis cura quatenus magistratui demandata. 28
Religionis cura regi habenda in testamento. 28.47
Religionis collapsae vel depravatae reformatio & restitutio. 28. 50.51.
Religionis orthodoxae abnegatio à parte regni facta, quomodo vindicanda. 28.60.
Religio falsa, abjecta. 28.61

Reli-

Religionis orthodoxae introductio, an invitâ aliquâ regni parte fieri possit. 28.62.
Religio invitis non imperanda. 28.63.64.& seqq.
Religionis impedimenta tollenda. 28.67.& seqq.
Rollen der Gilden. 32.63
Romanorum nomina, cognomina, praenomina. 3.25
Respublica quid. 9.3.4
Res civitatis quae. 6.18.19.20.21.22.23.24
Reservata principis. 8.53.& seqq.
Respublica mediocris bona. 9.11
Resp. bona. 17.1.& seqq. c.24.36.37
Respub. minori comparatur. 18.11.12.& seqq. c.24.46
Rerumpublicarum vitiis quomodo occurrendum. 39.15.16. 17.
Resistentia regi facta quando licita, & quomodo. 38.29.56.& seqq.
Resistentiae rationes variae. 38.30.& seqq.
Resistentium exempla. 38.44.45
Resistendi potestas quando & quibus concessa. 38.46.47.53. 54.56.
Resistentium auxiliarii. 38.48.49.52
Resistentia ephororum specialium. 38.50.51.52
Resistentia quomodo facienda & quamdiu. 38.60.61.& seqq.
Resistentia privato adempta. 38.65.66.67.68
Rustica vita excolenda. 32.65

S

Sacra & sancta res. 6.26.& seqq.
Salva guardia. 16.14
Salvus conductus. 16.13
Sapientes viri utiles. 32.37.38.39
Sanguinis affectio. 3.19.20
Schola. 7.17.c.28.33.34.c.8.25.26.60
Scholarum finis. 9.38.39.40
Schola Judaeorum. 9.40
Schola mechanica. 8.48
Schisma. 9.42.43
Schismatici quatenus tolerandi. 9.42.& seqq.
Securitas publica. 16.12.13.c.32.86

Seditio. 31.11.12.13.14
Seditionis causa varia. 31.13.& seqq.
Seditionis remedia varia. 31.26.27.& seqq.
Senatores. 5.50
Senatus princeps. 5.51.57
Senatus principis officium. 5.52
Senatus collegium 5.54. repræsentat populum. 5.56
Senatores qui. 5.59
Senatorum electio. 5.60
Senatorum numerus. 5.60
Senatores ordinarii. 5.61
Senatores extraordinarii. 5.61
Senatoris senioris officium. 5.58
Senatus Romanus. 5.67
Senatus & senatusconsultum. 5.67
Senatus potestas. 5.68
Senatorum peculiarium officia. 5.69
Senatus libri. 6.24
Senatus ecclesiasticus. 8.11
Senatus constans & immobilis. 32.95.96
Sententia statuum an prævaleat in concilio. 33.20
Servorum opera & obsequia. 3.41
Separatio difficilem reddit communicationem. 9.6
Societatis universalis duo fundamenta. 9.31
Species politiæ malè ex ejusdem amplificatione & conservatione sumuntur. 39.86
Sessio Ordinum. 33.51.& seqq.
Severitas regis. 25.4.& seqq.
Storge sanguinis. 3.19.21
Symbiosis. 1.1
Symbioticus. 1.1
Symbioticum jus. 2.6
Symmetria. 1.36
Symbiosis omnis est politica. 3.42
Synagoga. 8.11
Synodus provincialis. 8.39
Stratagemata. 35.51.& seqq.
Statuum mutua defensio & correctio. 18.91

Status provinciæ. 8.2
Status duplices. 8.5.77.& seqq.
Status repræsentant provinciam. 8.5
Status secularis. 8.40
Status nobilitatis. 8.41.42
Statuum suffragia. 8.66
Statt des Reichs vnd des Keisers. 18.30
Status Reipub. apud Romanos. 39.3
Status politicus particularis. 39.85
Subditi in polyarchia quomodo se gerere debeant. 39.38
Subditi qui. 20.5
Subditorum auxilia & defensio magistratui præstita. 20.7.8.
Subditorum gubernatio, cura & amor. 37.81.& seqq.92.& seqq.
Subditorum miserabilium cura. 37.83.& seqq.
Subditi boni, fortes, sapientes observandi. 37.93
Subditorum insidiæ. 37.94.95
Subditi mali quomodo exterminandi. 37.97
Subditorum opera. 37.118
Subditi regis ministri. 20.8.9
Subditi rebelles. 20.19
Subjectorum mores & ingenium. 23.15
Subditorum benevolentia. 24.16.17.& seqq.
Subditorum opinio de rege. 25.64.65
Subditi privati, an possint se opponere magistratui. 38.95
Subditi quando ob tyrannidem fugere possint. 38.67
Subditorum divitiæ. 32.13.c.30.13.18.19.20
Subditi, quomodo domini. 18.18
Subditorum cum suo magistratu pactio periculosa. 17.48
Successus inconstans. 25.23.24
Suffragii jus in conciliis qui habeant. 33.11.12.13.14.20.27.28.
Suburbium. 5.45.46
Suffragia quomodo ferantur in senatu. 5.63.64.c.4.18.18.20.c.5.65.66.c.8.66.
Suffragia libera. 8.67
Suffragii jus amittitur. 8.67
Suffragia majora prævalent. 8.70
Sumptuosa omnia moderanda. 30.20.21.22.

Sumptuosa ædificia, convivia, vestitus. 30.20.& seqq.
Sumptus utiles & necessarii in regno. 37.3.4.& seqq.
Sumptus à rege faciendi quales. 37.38.& seqq.
Supplicium vindicta, quomodo non odiosa magistratui. 24. 22.23.24.

T

Tabularium. 6.25
Temperamentum in politia ex diversis. 9.8
Testimonium collegii. 4.13
Territorium regni. 9.14
Thesauri repositio. 12.11.12.c.17.20.c.37.59.60
Tholosanus refutatur. 19.22.
Tribuni universitatis. 5.24
Tribus. 4.28
Tributum. 12.13.14.15
Tributa varia. 12.18.& seqq.
Trutina. 32.16.17.18
Tyrannis adversatur legibus regiminis. 19.55.& seqq.
Tyrannis punita. 19.58.c.20.20
Tyrannorum appellationes. 19.58.64
Tyrannus Reipub. fundamenta convellit. 38.37
Tyrannos quando tollere liceat, & quibus. 38.46.& seqq.
Tyrannus nota obsirmata & insanabilis. 38.56.& seqq.
Tyrannis quid sit. 38.1
Tyrannidis effecta. 38.2
Tyrannus quis. 38.3.4
Tyrannis duplex. 38.5
Tyrannis est, contra juramentum status regni tollere. 38. 7
Tyrannis est, mutare leges fundamentales Reipub. 38.6
Tyrannus generalis. 38.8
Tyrannis specialis apparens ex administratione negotiorum regni. 38.10.& seqq.
Tyrannis specialis apparens ex bonorum regni administratione. 38.21.& seqq.131.& seqq.
Tyrannis in privatorum hominum abusu. 38.24.& seqq.
Tyrannus quomodo in scriptura sacra vocetur. 38.26
Tyrannus & hostis regni differunt. 380.27
Tyrannidis remedia. 38.28.& seqq.

Tyran-

Tyrannidis licentia & occasio. 38.43
Tyrannorum catalogus. 38.44
Tyrannis quomodo & quando nota. 38.57
Tyrannis obsirmata. 38.58.59
Tyrannis quibus & quando ferenda. 38.65.80
Tyrannus evertit Rempub. 38.86
Tyrannidis an pœna aliqua. 38.119
Tyrannidis indicia. 38.131
Tyranni facta. 38.132.& seqq.

V

Vestitus conveniens. 7.42.c.32.69
Vectigal. 12.16.17
Velitatio. 36.41
Vicinitas meliorem reddit communicationem. 9.6
Vicus quid. 5.30.34
Vici superior. 5.34
Vicesima. 12.18
Vicarii Imperii. 18.110
Victoria quomodo utendum. 36.49.& seqq.
Victis tributa imperantur. 36.67
Via publica. 37.27.c.16.15
Villa quid. 5.33
Visitatores Camera. 33.107.108
Visitatio ecclesia & scholarum. 8.24.25.26.37.38
Virorum malorum incommoda. 7.32
Virorum bonorum utilitas. 7.31.32.42
Vita pia. 75
Vita contemplativa & practica. 1.24
Universitas. 4.1.c.5.8
Universitatis membra. 5.10
Universitatis superior. 5.22
Universitatis res. 5.18.19.20.21.& seqq.
Universitas quotuplex. 5.24
Universitas immortalis. 5.27
Universitas rustica. 5.28
Universitatis species. 5.29
Universitas urbana. 5.40
Universitas quæ dicatur civitas. 5.48
Universitatis major potestas, quàm senatus. 5.56

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX VERB. ET RER.

Vocatio apta & idonea. 7.21
Vocationis finis. 7.24
Vocationis limites. 7.23
Urbs quid. 5.41
Urbs unde dicta, & quomodo extruenda. 5.42.c.5.43
Urbis locus salubris. 5.43
Urbis condita necessitas. 5.70.44
Urbis pomœrium. 5.47
Urbes regni & oppida. 17.24
Urbium direptio. 36.44
Urbium incrementa unde. 5.70
Uxoris officium. 2.45.
Uxor ingreditur familiam mariti. 3.24

DICTA SACRÆ SCRIPTURÆ EXPLICATA.

1. Sam.c.8. vide in cap.11.num.22.37. & in c.19.51. & seqq.62. & seqq.
Deut.cap.17. in fine in cap.12.n.12. cap.19.51. & seqq.62. & seqq.
Ecclesiastis c.8.1.2.3. in c.18.n.97.
1.Sam.c.24. in cap.38.n.95. & seqq.
Roman.c,13.d.c.38.99.100.
Jerem.c.26. in c.38.n.109.

COR-

CORRIGENDA.

Pagina 8. linea 36. necessitates, pag.11.l.22. ex discordia.p.23.l.4. negotio ne milit.l.11. dele non.p.32.d.15. vocatur.p.34.l.31. Valeriorum.p.42. l.1. obsequiales.p.62.l.31. ad fidem.p.67.l.pen. murata.p.78.l.27. accepit.l.pen. monetaria.p.97.l.16. Esai.c.58.p.108.l.25. cultū.p.113.l.21 ad illius.p.120.l.12.l.16. seculare. seculare p.141.l.ult. secularib.p.148. l.15. de expūgatur.p.150.d.antepē. multo minus.p.155.l.9. edicta.p.160. l.19.c.18.p.165.l.1. landsassen. p.175.l.27. consociatio.p.179.l.32. imperii.p.190.l.18. instituenda.l.19. seculo.p.396.l.18. etsi. p.201.l.6. dele mensurarum.p.240.l.18. remuneratio.p.215.l.26. dele a.p.226.l.11. augenda.p.233.l.29. honorem.p.303.l.7. latius.p.307.l.5. seniorem.l. 14. quaratione.p.313.l.23. Repub.p.327.l.1. de regn.comm.p.545.l.22. cognitioni.p.356.l.17. regum.p.378.l.26. Tribum.p.404.l.8. dextrorsum.l.14. Ahasuerus.p.408.l.10. Deo præstandum.p.418.l. antepē. Tales.p.431 l.18. Mosaicæ.p.432.l.pen. alia.p.471.l.12. imperium. l.30. & admin.l.34. & dele.p.483.l.31. subita.p.483.l.17. adde res.p. 486.l.24. panegyr.p.504.l.20. ursus.p.507.l.7. concepta dele.p.509. l.27. adde &.p.514.l.ult. opportunitas.p.525.l.6. infra.l.antepen. subditi.p.526.l.24. comessationibus.p.534.l.9. expediri. p.444.l.3. sit.p. 563.l.pen. Gell.p.549.l.29. mea.p.565.l.1. si boni.l.12. necessarius.p.571. l.4. Describet. p.582.l.pen. solidum.p.583.l.24. delenda allegata.p. 586.l.18. directionis.p.610.l.20. munifici.l.23. insidientur. l.pen. dele què.p.615.l.32. contemptu.p.617.l.10. conferenti.p.634.l.6. dele &.p. 645.l.18. magistratum. p.671.l.27. præreptum.p. 679.l.4. excussa.p. 728.l.22. repetita.p.732.l.19. recessu.p.749.l.7. conventu.p.756.l. pen. seculis.p.782.l.14. consiliarii.p.784.l.7. regis.p.788.l.25. illi.p.802.l. 3. iuq.p.807.l.22. perferre.p.846.l.24. prolixe.p.847.l.8. cubicularius. p.850.l.4. impendendi.l.pen. regiones.p.857.l.15. inconsulto.p.875.l.19. afflictione.p.874.l.14. animadvertete.p.875.l.16. privata.p.900.l.10. adde demandata.p.903.l.27. ob tyrannidem.p.896.l.6. magistratui.p. 927.l.12. sed causa.p.938.l.ult. contracta.p.943.l.7. male.p.967.l.1. de specieb. magistrat.p.973.l.1. oblivioni.l.26. chartis.p.975.l.18. sciri. p.978.l.18. addenda.p.979.l.35. demum dixit, tum fore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca